BIBL. NAZ
Vitt Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
47 2
NAPOLI

Digitized by Google

Nacc.
V.11. c.47 (2

Digitized by Google

Digitized by Google

TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARUM
TOMUS SECUNDUS.
A Libro VI. ad XXIII.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES DUJATIUS

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.

ACCESSERE IN HAC NOVA EDITIONE

JOANNIS CLERICI *Nota.*

Bibliotheca Nationalis R. E. Lit.

VENETIIS, M DCC XIV.

Apud CAROLUM BONARRIGUM.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustriss.mo atque Eccellentiss.mo D. D.

JOANNI BAPTISTÆ NANIO

Equiti Amplissimo.

Irtuti gloriæque tuæ, qua cæteros ejusdem ordinis clarissimos viros, vel excellis, vel ab eis isto

in honore vinci non pateris, ratione habita, nihil profecto, nec à veritate, nec ab officio meo alienum egiſſe reprehendar, ſi hos Titi Livii libros majori qua potui diligentia recuſos tibi epiſtola quàm humillime ut Patrono nuncuparem. Recenſenti Majorum Tuorum laudes, quæ in nobiliſſimo genere non leves occurrunt, in una tantùm immorari datum eſt, quæ ut litterario operi quàm maximè congrua, ſic & tibi potiſſimum accommodata videtur. Conſpiciendus non ſemel in officina mea ſe mihi exhibuit Baptiſta Nanius, Patruus magnus ille tuus, quem & nomine, & quod plurimum eſt, virtute comprobas, miratus ſane non alii quàm huſc ex Sereniſſimæ hujuſce Reipublicæ Scriptoribus, qui & plures, & eximii ſunt, id eveniſſe, quod ejus Gallica, Germanicaque lingua verterentur hiſtoriæ, ut per totum diffuſæ orbem facilius omnibus innoteſcerent. Id, quod exteros in admirationem traxit, te ad æmulationem excitavit, domeſticoque propoſito exemplo ad Virtutis æquo pede apicem inflammavit, adeòut publicis licet diſtractus negotiis, placidioribus ſtudiis non abdicares, & ad majora, Patriæque utiliora te reſervares. Quid inde mirum, ſi Sapientiorum Collegio additus (quod penes ſecretiora ſunt negotia) ibi eo uſque ſis commoratus, quo

diffi-

difficillimis temporibus Cives omnes ad Romanæ legationis munus obeundum velut unicum delegerunt. Nec à ſpe diſſimilem novit exitum Sapientiſſima Reſpublica, quin immo ejus expectationem, & prudentia, & liberaliſſima nummorum largitate ſuperaſti. Viget adhuc Romano in populo Cæſareæ tuæ Munificentiæ recordatio, cùm te Venetias redeuntem lachrymis ſit proſequutus. Hilari tamen vultu, extenſiſque brachiis te reducem Patria excepit; non enim melius ad rem evenire poterat, ut ad Veneti Dominii confinia cùm Imperatore firmanda tua opera uteretur. Noverunt diverſæ Regionis Itali, Germanique, & prudentiam, & Civis erga Patriam affectum; nec inconſultò id effectum putarim, ut plurimos ad hoc negotium perficiendum in dies te detinuerint: ſenori enim illis erat mora tua, cum plurimum haberent, & quod diſcerent, & quod mirarentur. Patria interim te præſente lætatur, licetque concivibus tuis non ſine exterorum invidia tecum quotidie colloqui καὶ σὲ τῷ ὄντι πάνσοφον ubi res poſcat conſulere. Quin & mihi licet ex infimis te adeundi facultas non denegatur, cùm omnes & excipias, & foveas ea benignitate, qua fretus id in animum induxi meum, ut epiſtolam hanc præclaro tuo nomini inſcribe-

rem,

rem ; meumque erga te obſequium cæteris omnibus declararem.

Virtutibus tuis Addictiſſimus.

Carolus Bonarrigus Typographus.

TITI

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

LIBER SEXTUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

RES adversus Æquos & Volscos & Prænestinos prospere gestas continet. Quatuor tribus additæ, Stellatina, Sabatina, Tromentina, Narniensis. M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, quum obstricto re alieno liberaret, nexos exsolveret; crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpejo dejectus est: in cujus notam Senatusconsultum factum, nè cui de Manlia gente Marco cognomen esset. C. Licinius, & L. Sextius tribb. pleb. legem promulgarunt, ut consules etiam ex plebe fierent, qui ex Patribus creabantur, eamque legem cum magna contentione repugnantibus Patribus, quum etiam tribb. plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt; & primus ex plebe consul L. Sextius creatus est. Lata est altera lex, ne cui plus quingentis jugeribus agri liceret possidere.

NOTÆ.

1. *Marco cognomen esset.*] Imò *Prænomen*: ut apud Quintil. lib. 3. *Marci Manlii prænomen à familia in posterum exemptum est*. Sigonius tamen putat scriptum fuisse *Marco nomen*, Librarii errore ultimam prioris vocabuli syllabam, *co*, repetitam fuisse initio sequentis vocis, ut sæpe fit. Nam Plut. Τίτου Μάλλιου. Etenim *nomen* & genus est & species. *Genus*, ut cum dicimus apud *Romanos tria fuisse nomina*. *Species*, ut si dicamus, unum *præcipuè fuisse nomen, gentilitium*, qualia *Julius, Tullius*; alterum *prænomen*, quod nomini gentilitio præponebatur, *Cajus*, *Marcus*: tertium *cognomen*, gentilitio superadditum, ad diversarum ejusdem gentis familiarum distinctionem: veluti *Cæsar*, *Scipio*, *Cicero*. Quin & quarto quasi nomine, quod *agnomen* dicebant, quidam designabantur, cujusmodi in Scipionum familia *Africanus Asiaticus*, *Nasica*. Neque his obest quod ab Robortello addacitur ex Valer. Maxim. cap. 4. lib. 3. *De Servio autem Tullio fortuna præcipuè suas vires ostendit..... Statua ipsius titulus abundè testatur, Servili cognomine, & regiâ appellatione perplexus*: unde concludi videtur cognomen idem esse ac nomen. Verum id & Robortellus ipse satis diluit, cum fatetur à Valerio scriptum fuisse *in Tullio Servio*; sic enim *Servius* revera cognomen est: & Sigon. vocem quoque *cognominis* ad *prænomen* accommodari posse contendit, quatenus distinguendi causâ inditum.

Urb. Cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

I. QUÆ, ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem, Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus, decemvirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris expositi; res quum vetustate nimia obscuras, veluti quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur: tum 1 quod & raræ per eadem tempora literæ fuere, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: &, quod etiam si quæ in commentariis pontificum, aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleraque interiere. Clariora deinceps certioraque 2 ab secunda origine, velut ab stirpibus lætius feraciusque renatæ urbis, gesta domi militiæque, exponentur. Cæterum quo primo adminiculo erecta erat, eodem *invicta* M. Furio principe stetit. neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto passi sunt. Comitia in insequentem annum tribunos habere, quorum in magistratu capta urbs esset, 3 non placuit: res ad interregnum rediit. Quum civitas 4 in opere ac labore assiduo reficiendæ urbis teneretur, interim Q. Fabio, simul primum magistratu abiit, ab C. Marcio tribuno plebis dicta dies est, quod legatus, in Gallos, ad quos missus erat orator, contra jus gentium pugnasset. cui judicio eum mors, adeo opportuna, ut voluntariam [illegible] pars crederet, subtraxit. Interregnum initum. P. Cornelius [illegible]pio interrex, 5 & post eum M. Furius Camillus iterum. Is tribunos militum consulari potestate creat, L. Valerium Poplicolam [illegible]um, L. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Æm[illegible]um, L. Postumium. Ii 2 ex interregno quum extemplo magistratum iniissent, nulla de re prius quam de religionibus senatum consuluêre. In primis fœdera ac leges (erant autem

INTERPRETATIO.

2 *Cum statim post interregnum* finitum.

NOTÆ.

1. *Quòd & raræ per eadem tempora literæ.*] Pugnant editiones apud Rhenan. & Sigon. in re haud magni momenti. *Literæ* procul dubio sunt scripturæ quævis, & literis tradita monumenta, sive Inscriptiones, ut alibi; sive Annales & Historiæ, ut hic, quemadmodum Gronov. notat.

2. *Ab secunda Origine.*] Ut Camillus alter Romulus dictus, ita urbis incensæ instauratio pro altera origine fuit.

3. *Non placuit.*] Ut paris calamitatis omen averterent.

4. *In opere ac labore assiduo.*] Dum terminandorum maximè templorum causâ ruinæ purgantur; in æde Martis circa Montem Palatinum, à Gallis dirutâ incensâque, Lituus Romuli omnino integer inventus, pro æternitatis omine fuit, auctore Plut.

5. *Et post eum M. Furius Camillus iterum.*] Vox, *iterum* significat quatuor fuisse Interregna, duos Interreges, qui ambo alterni eum magistratum bis gesserunt, ita ut Camillus altero suo Interregno Comitia creandis tribunis militum habuerit.

ex duodecim tabulæ, [6] & quædam regiæ leges) conquiri [b] quæ compararent, jusserunt; [7] alia ex eis edita etiam in vulgus; quæ autem ad sacra pertinebant, à pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Tum [8] de diebus religiosis agitari cœptum, diemque a. d. [9] XV. Calendas Sextiles duplici clade insignem (quo die [10] ad Cremeram Fabii cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœdè pugnatum) à posteriore clade Alliensem appellarunt, [11] insignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt. Quidam, quod [12] postridie Idus Quintiles non litasset Sulpicius tribunus militum, [c] neque inventa pace Deûm post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum: [13] inde ut postridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio esset, [d] traditum putant.

Urb. cond. an. 365. Tribb. mill. L. Valer. &c.

II. Nec diu licuit [a] quietis consilia erigendæ ex tam gravi casu reip. secum agitare. Hinc Volsci veteres hostes ad extinguendum nomen Romanum arma ceperant, hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores affere-

INTERPRETATIO.

b *Quæcunque extarent, ac supersissent.*

c *Cum sacrificio facto non reperisset Deos propitios.*

d *Creditur institutum esse.*

a *Non potuere diu quieti* Romani *consilia inire ad restaurandam remp.* &c.

NOTÆ.

6. *Et quædam regiæ leges.*] In primis Servii Tullii leges de Contractibus, humanæ admodum & populares, quæ à Tarquinio Superbo abolitæ ex Dionys. Halicarn. lib. 4. à Bruto & Collatino primis Consulibus in usum revocatæ fuerant, eod. teste lib. 5.

7. *Alia ex eis edita.*] Quod Sigonius *ex eis* explicat *præter hæc*, ut in principio lib. 29. meritò reprehenditur à Gronovio: non enim alium sensum ferunt ea verba, nisi ex iis tribus quæ jam memorata fuerant, fœderibus, legibus, & sacrorum ritibus, quædam vulgata fuisse: sed in primis Legum capita. Nam sacra Pontifices Collegio suo reservarunt.

8. *De diebus Religiosis.*] Hæc sic explicat A. Gellius lib. 4. cap. 9. *Religiosi dies dicuntur tristi omine infames, impeditique in quibus & res divinas facere, & rem quamquam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum pravè & perperam nefastos appellat.* Sanè etsi omnes atri dies nefasti etiam essent; non tamen omnes nefasti atri erant, cum dies festi etiam nefasti essent, ut quibus jus non diceretur. Vide lib. 1. cap. 20.

9. *XV. Calendas Sextiles.*] Id est, 17. Augusti, Plut. XVI. Tacitus XVII. Kalendas indicant.

10. *Ad Cremeram.*] Vid. lib. 2. cap. 30.

11. *Insignemque rei nulli.... agendæ.*] Nova phrasis, & Tan. Fabro improbata, qui scribendum censet, *insignemque re nulla publicè privatimque agendâ*. Est tamen auctori familiaris dativus ad participium passivum futuri temporis relatus, loco accusativi cum præpositione *ad*: ut, *rei agendæ*, pro *ad rem agendam*: exempla obvia. Sed malè me habet *re insignem* à proximo repetitum.

12. *Postridie idus Quintiles.*] Id est, 17. Julii.

13. *Inde ut postridie Calendas.*] Hæc præ cæteris explicat, ex Verrio Flacco, Gell. lib. 5. cap. 17. qui hoc tempore à L. Attilio, eam rem in Senatu propositam, atque ad Pontifices rejectam esse memorat: & Pontifices decrevisse *nullum iis diebus sacrificium rectè fieri*.

Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fur. Cam.

bant. novus quoque terror acceſſerat defectione Latinorum Hernicorumque, qui poſt pugnam ad lacum Regillum factam, 1 per annos prope centum numquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant. Itaque quum tanti undique terrores circumſtarent, appareretque omnibus, non odio ſolum apud hoſtes, ſed contemptu etiam inter ſocios nomen Romanum laborare, placuit 2 eiſdem auſpiciis defendi rempublicam, quibus recuperata eſſet, dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Servilium Ahalam magiſtrum equitum dixit: juſtitioque indicto, delectum juniorum habuit; ita ut ſeniores quoque, quibus aliquid roboris ſupereſſet, b in verba ſua juratos centuriaret. Exercitum conſcriptum armatumque trifariam diviſit: partem unam in agro Vejente c Etruriæ oppoſuit: alteram ante urbem caſtra locare juſſit. tribunus militum his A. Manlius, illis qui adverſus Etruſcos mittebantur, L. Æmilius, præpoſitus: tertiam partem ipſe ad Volſcos duxit. nec procul ab Lanuvio (3 *ad Marcium* is locus dicitur) caſtra oppugnare eſt adortus. Quibus ab contemptu (quod prope omnem deletam à Gallis Romanam juventutem crederent) ad bellum profectis, tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo ſe ipſi, vallum congeſtis arboribus ſepirent, ne qua intrare ad munimenta hoſtis poſſet. Quod ubi animadvertit Camillus, *ignem* in objectam ſepem conjici juſſit: & forte erat vis magna venti verſa in hoſtem. itaque d non aperuit ſolum incendio viam, ſed flammis in caſtra tendentibus, vapore etiam ac fumo, crepituque viridis materiæ flagrantis ita conſternavit hoſtes; ut minor moles ſuperantibus vallum in caſtra Volſcorum Romanis fuerit, quam tranſcendentibus ſepem incendio abſumptam fuerat. 4 Fuſis hoſtibus cæſiſque, quum caſtra impetu cepiſſet di-

INTERPRETATIO.

b *Adactos ſibi juſjurandum præſtare, in Centurias diſtribuit.*

c *Miſit adversùs Etruſcos:*

d *Non modò igne injecto viam patefecit militibus ſuis, &c.*

NOTÆ.

1. *Per annos propè centum.*] *Propè*, paulò plus minuſve. Advertit Glarean. numerandos eſſe hos centum annos, non à pugna ad Regillum, quæ ante ann. fermè 110. ſed à Pace Hernicis data, quod factum ante annos centum exactè computatos.

2. *Eiſdem auſpiciis.*] Ita priores. Aldus maluit, *ejuſdem auſpiciis, cujus*: quod tyronibus Latinitatis clarius, ſed non elegantius.

3. *Ad Marcium.*] Emendatum à Sigonio ex Plut. & Diod. cum eſſet *ad Metium*. Eſt autem *Marcius* mons ducenteſimo ab urbe ſtadio, id eſt, 25. milliaribus, circa Lanuvium, ut ait noſter: quod cum nonniſi 20. millia ab urbe diſtitum ſit; apparet *Marcium* collem fuiſſe [illegible]aque millia paſſuum ultra id oppidum: ut Marcius unus ſit ex iis collibus, qui ab ea parte Volſcos & Pomptinum terminant campum. Fortè à Marcio Coriolano dictus, qui bellum per hæc loca gerendo, in eo colle caſtra habuerit. Ad *Marcium* autem Livii & *Marcius* Plut. & Diodor. idem ſunt.

4. *Fuſis hoſtibus caſiſque.*] Cum Latini Æquis Volſciſque adjuncti, Romanos

ctator, prædam militi dedit; quo minus ſperatam à minime largitore duce, eò militi gratiorem, perſecutus deinde fugientes, quum omnem Volſcum agrum depopulatus eſſet, ad deditionem Volſcos [5] Lxx demum anno ſubegit. Victor ex Volſcis in Æquos tranſiit, & ipſos bellum molientes: exercitum eorum, [6] ad Bolas oppreſſit; nec caſtra modo, ſed urbem etiam aggreſſus, impetu primo cepit. Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fu. Cam. III.

III. Quum in ea parte, in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna eſſet, aliam in partem terror ingens ingruerat. Etruria prope omnis armata [1] Sutrium, ſocios populi Romani, obſidebat: quorum legati opem rebus affectis orantes, quum ſenatum adiſſent, decretum tulere, *Ut dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret*. Cujus ſpei moram quum pati fortuna obſeſſorum non potuiſſet; confectaque paucitas oppidanorum, opere, vigiliis, vulneribuſque, quæ ſemper eoſdem urgebant, per pactionem urbe hoſtibus tradita, inermes cum ſingulis emiſſi veſtimentis, miſerabili agmine penates relinquerent; eo forte tempore Camillus cum exercitu Romano

NOTÆ.

ad Marcium montem arctè obſeſſos tenerent, vix ut evadendi ſpes eſſet Tribunis militaribus; Camillus tertiùm Dictator creatus, ſuos periculo eripuit. Plut. in Cam. & Macrob. 1. Saturn. cap. 11. tradunt arte ancillarum partam Romanis Victoriam. Cum enim duce Poſtumio Livio, Fidenatium Dictatore, Latini ad extrema redactos à Gallis Romanos arbitrati, miſſis ad Senatum Legatis poſtulaſſent, ut ſi vellent reliquias ſuæ Civitatis manere, matresfamilias & Virgines Romanæ ſibi dederentur: ancilla nomine Tutula, ſeu Philotis, promiſit ſe cum cæteris ancillis ſub nomine ornatuque dominarum ad hoſtes ituram. Ita ductæ ad Latinos non ſine lacrymis ancillæ, atque in Caſtris eorum diſtributæ, hos plurimo vino provocaverunt, Feſtum diem apud ſe eſſe ſimulantes. Quibus ſoporatis ſignum ex arbore Caprifico Caſtris proxima, Romanis dederunt. Sic reportatâ à Romanis victoria, illæ omnes ancillæ Senatus juſſu manumiſſæ, additâ dote, & ſumpti ornatus uſu permiſſo. Dies ipſe annuâ inde ſolennitate celebratus, ac *Nonæ Caprotinæ* à Caprifico illa nuncupatæ, ex qua victoriæ ſignum Romani acceperant.

5. *LXX. demum anno ſubegit*.] Si numeres à tempore quo primum Tarquinius Superbus bellum geſſit adversus [illegible] eorum annum Urb. Cond. 227. erunt anni fermè 140. ſi ab eo tempore, quo renovatum eſt à Volſcis bellum an. 259. App. Claudio, & P. Servillo Coſſ. ad hunc annum computandi erunt anni 107. Unde non abs re Glareanus & Sigonius mendum in numero ſubeſſe admonent.

6. *Ad Bolas*.] De Bolis anteà lib. 3. cap. 39.

1. *Sutrium, ſocios populi Romani*.] Diodorus anno poſt Romam captam, & Plinius Sutrium vocant Romanorum coloniam: ſed eam Vell. Paterc. poſt VII. annos, quàm urbem Galli ceperunt, deductam ſcribit. Quare ſuſpicatur Sigonius legendum in Vellejo eſſe *Satricum*, Volſcorum oppidum, quò deducta eſt Colonia anno 5. poſt urbem captam, ut habetur hujus lib. cap. 16. *Sutrium* autem nondum videtur Colonia fuiſſe Romanorum: dicitur enim adhuc receptum, & reſtitutum ſociis, Civibus ſcilicet ſuis, infra cap. 9. Sed poſteà ſine dubio Colonia fuit: eoque reſpexit, opinor, Diodorus & Plin. Nunc videtur ſocia tantùm Romanorum hæc Etruriæ urbs fuiſſe, quæ in via Caſſia, 33. ab urbe milliari nomen adhuc retinet, vulgò *Sutri*, in Patrimonio Sancti Petri.

Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fur. Cam. III.

intervenit. cui quum ſe mœſta turba ad pedes provolviſſet, principumque orationem neceſſitate ultima expreſſam, fletus mulierum ac puerorum, qui exilii comites trahebantur, excepiſſet; *parcere lamentis Sutrinos juſſit: Etruſcis ſe luctum lacrymaſque ferre. Sarcinas inde deponi, Sutrinoſque ibi conſidere modico præſidio relicto; arma ſecum militem ferre* jubet. Ita expedito exercitu, [2] profectus ad Sutrium, id quod rebatur, ſoluta omniâ rebus (ut fit) ſecundis invenit: nullam ſtationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hoſtium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Etruſci paſſim trucidantur ab novo hoſte; neque ſe conglobandi coëundique in unum, aut arma capiendi datur ſpatium. quum pro ſe quiſque tenderent ad portas, ſi qua forte ſe in agros ejicere poſſent, clauſas (id enim primum dictator imperaverat) [3] portas inveniunt. Inde alii arma capere, alii quos forte armatos tumultus occupaverat, convocare ſuos ut prælium inirent. quod accenſum ab deſperatione hoſtium fuiſſet, ni præcones per urbem dimiſſi, *poni arma, & parci inermi* juſſiſſent, *nec præter armatos quemquam violari*. Tum, etiam quibus animi in ſpe ultima obſtinati ad decertandum fuerant, poſtquam data *ſpes vitæ* eſt, jactare paſſim arma; inermeſque, quod tutius fortuna fecerat, ſe hoſti otterre. [4] *Magna multitudo in cuſtodias diviſa*: oppidum ante noctem redditum Sutrinis inviolatum, integrumque ab omni clade belli: quia non vi captum, ſed traditum per conditiones fuerat.

IV. Camillus in urbem triumphans rediit, [1] trium ſimul bellorum victor. Longe plurimos captivos ex Etruſcis ante currum duxit. quibus ſub haſta venundatis, tantum æris redactum eſt, ut pretio [2] pro auro matronis perſoluto, ex eo quod ſupererat, tres pateræ aureæ factæ ſint: quas cum titulo nominis Camilli [3] ante Capitolium incenſum, in Jovis cella conſtat [4] ante pedes Junonis poſitas fuiſſe. Eo an-

NOTÆ.

2. *Profectus ad Sutrium.*] *Ad* pro *verſus*, *circa*, quaſi *profectus Sutrium verſus*. Eodem ſenſu quo Cicero, *ut eſſem ad urbem*.

3. *Portas inveniunt.*] Quid attinebat hanc vocem *portas* hic repeti?

4. *Magna multitudo in cuſtodias diviſa.*] Longè meliùs *diviſa*, quàm, quod Sigonius ingerit, *dimiſſa*. Cuſtodiæ hoc loco ſunt carceres in municipiis, quò rei, aut captivi mittuntur ſparſim cuſtodiendi; cum tanta eſt multitudo, ut non facilè communi & ulgari carcere contineri poſſit.

1. *Trium ſimul bellorum.*] Volſci, Æqui, Tuſci.

2. *Pro auro.*] Quod matronæ è mundo ſuo muliebri contulerant ad depellendos obſidione Capitolii Gallos.

3. *Ante Capitolium incenſum.*] Quod contigit anno U. C. 670. L. Corn. Scip. C. Norbano Coſſ.

4. *Ante pedes Junonis.*] Obſervatum eſt ex Dion. Jovis Capitolini templo tres ædes haud diſpares comprehenſas fuiſſe, Mediam Jovis, lævam Junonis, dextram Minervæ: horum numinum cuique ſua erat aſſignata Cella, ſive *adytum*: ita tamen ut major eſſet Cella Jovis, ubi pretioſa donaria recondebantur; nec ſoli Jovis ædi reſponderet: quandoquidem hæ aureæ Camilli pateræ in Cella Jovis poſitæ erant ante pedes Junonis. Vide ſup. c. 29.

no in civitatem accepti, qui Vejentium Capenatiumque ac Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus aſſignatus. revocati quoque in urbem ſenatusconſulto à Vejis, qui ædificandi Romæ pigritiâ, occupatis ibi vacuis tectis, Vejos ſe contulerant. & primo fremitus fuit aſpernantium imperium: dies deinde præſtituta, capitalisque pœna, qui non remigraſſet Romam, ex ferocibus univerſis, ſingulos metu ſuo quemque obedientes fecit. Et Roma cum frequentiâ creſcere, tum tota ſimul exſurgere ædificiis: & republica impenſas adjuvante, & ædilibus velut publicum exigentibus opus; & ipſis privatis [a] (admonebat enim deſiderium uſus) feſtinantibus ad effectum operis. intraque annum nova urbs ſtetit. Exitu anni comitia tribunorum militum conſulari poteſtate habita. creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Fidenas quintùm, L. Julius Julus, L. Aquilius Corvus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpicius Rufus. Exercitum alterum in Æquos, non ad bellum (victos namque ſe fatebantur) ſed ab odio ad pervaſtandos fines, ne quid ad nova conſilia relinquerent virium, duxêre: alterum in agrum Tarquinienſem. Ibi oppida Etruſcorum [6] Cortuoſa & Contenebra vi capta dirutaque. Ad Cortuoſam nihil certaminis fuit. improviſo adorti, primo clamore atque impetu cepere: direptum oppidum atque incenſum eſt. Contenebra paucos dies oppugnationem ſuſtinuit: laborque continuus, non die non nocte remiſſus, ſubegit eos; quum in ſex partes diviſus exercitus Romanus, ſenis horis in orbem ſuccederet prælio, oppidanos eoſdem integro ſemper certamini paucitas feſſos obiceret. ceſſere tandem, locuſque invadendi urbem Romanis datus eſt. [7] Publicâri prædam tribunis placebat: [b] ſed imperium quam conſilium ſegnius fuit, dum cunctantur, jam militum præda erat; [c] nec niſi per invidiam adimi poterat. Eodem anno, ne privatis tantum operibus creſceret urbs, capitolium quoque [8] ſaxo quadrato ſubſtructum eſt: opus vel in hac magnificentia urbis conficiendum.

Urb. cond. an. 365. Dictat. III. M. Fu. Cam.

Urb. cond. an. 366. Tribb. mill. T. Quint. &c.

V. Jam & tribuni plebis civitate ædificandâ occupatâ, contiones ſuas frequentare legibus agrariis conabantur. oſtentabatur in Pom-

INTERPRETATIO.

a *Cupiditas commodè habitandi hortabatur.*

b *Non pari paſſu ambulavit juſſus ac propoſitum:* non tam maturè juſſerunt, quod in animo habebant.

c *Nec aliter poterat niſi cum odio.* Militibus ex pretio diſtributâ prædâ non parte haud magna. Sic bellum ſeipſum alebat.

NOTÆ.

5. *Capitaliſque pœna, qui non remigraſſet.*] Eleganter pro *indicta pœna capitis ei qui non remigraſſet Romam.*

6. *Cortuoſa & Contenebra.*] Hæc oppidum in Etruriæ agro Tarquinienſi fuit: hic locus docet. Ea aliis auctoribus ignora-

7. *Publicari prædam.*] Hic mos

8. *Saxo quadrato ſubſtructum eſt.*] Non recens ædificatum, ac dedicatum denuò: ſed adjectis novis fundamentis ſuffultum ac munitum.

Urb. cond. an. 366. Tribb. mill. T. Quint. &c.

ptinus ager, tum primum post acciſas à Camillo Volſcorum res, poſſeſſionis haud ambiguæ. Criminabantur, a *modò eum infeſtiorem agrum ab nobilitate eſſe, quam à Volſcis fuerit: ab illis enim tantum, quoad vires & arma habuerunt, incurſiones eò factas; nobiles homines in poſſeſſionem agri publici graſſari; nec niſi,* b *antequam omnia præcipiant, diviſus ſit, locum ibi plebi fore.* Haud magnopere plebem moverant, & infrequentem in foro, propter ædificandi curam; c & eodem exhauſtam impenſis, eoque agri immemorem, ad quem inſtruendum vires non eſſent. In civitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade ſuperſtitioſis principibus, ut renovarentur auſpicia, 1 res ad interregnum redit. interreges deinceps, M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus. Hic demum tribunorum militum conſulari poteſtate comitia habuit. 2 L. Papirium, C. Cornelium, C. Sergium, L. Æmilium iterum, L. Menenium, L. Valerium Poplicolam tertiùm creat. hi ex interregno magiſtratum occepere. Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata eſt à T. Quintio duumviro ſacris faciundis. 3 Tribus quatuor ex novis civibus additæ; 4 Stellatina, 5 Tromentina, 6 Sabatina, 7 Narnienſis:

¶ ¶ ¶

INTERPRETATIO.

a *Agrum Pomptinum* plebi nunc *plus afferre moleſtiæ à patriciis, quàm olim attulerit à Volſcis* antiquis poſſeſſoribus.

b *Priuſquàm cuncta occupent.*

c *Eademque de cauſa ſumptibus exinanitam, atque idcirco agrorum oblitam, ad quorum culturam non ſuppetebas unde pecus & inſtrumenta aratoria compararent.*

NOTÆ.

1. *Res ad interregnum.*] Creditum eſt Tribunos militum vitio creatos, ideoque non per eos, ſed per interregem habenda Comitia.

2. *Papirium.*] Paulò aliter Diod. Siculus hos Tribunos militum nominat. Nam pro C. Sergio, *C. Servilium* quarto loco: pro L. Æmilio, *Q. Fabium* ultimo loco: pro L. Valerio, *Valerium Aulum* quinto loco tradit: Sigonius tamen *C. Sergium* reputat retinendum: ut qui paulò poſt tertium Tribunus militum a noſtro memoretur.

3. *Tribus quatuor ex novis civibus.*] Iis qui ex Vejentibus, Capenatibus, & Faliſcis ad Romanos ſuperiore bello transfugerant, in civitatem acceptis aſſignati agri; & ne iiſdem jus tribus deeſſet, (ſine quâ nemo civis habebatur), novæ quatuor Tribus inſtitutæ, quæ numerum quoque & viginti Tribuum expleverunt. S. enim legendum, non ut in quibuſdam habetur, XXXV. Cum enim Servius Tullius urbanam multitudinem in quatuor, ruſticam in quindecim tribus, locis diſtinctas, diſtribuiſſet; his nndeviginti, duæ poſt reges exactos adjectæ fuerant: unde factæ viginti & una.

4. *Stellatina.*] Ab agro ſeu Campo *Stellate*, apud Feſtum, quo nomine duo leguntur agri, alter in Campania, Caleno & Falerno vicinus: alter in Etruria, inter Capenam & Vejos ac Falerios. Ab hoc nomen ſumpſit hæc tribus. Cæterum Capena cui confinis ager hìc *Stellatinus*, Tuſcorum oppidum fuit, aut regio diverſa ab cognomine oppido, unde nomen accepit Porta Capena. Hoc enim in Latio fuit.

5. *Tromentina.*] A Campo Tromento dicta, qui & ipſe in Tuſcia.

6. *Sabatina.*] Hanc à lacu Sabate nuncupatam teſtatur idem Feſtus Pomp. Eſt autem *Sabate* oppidum Tuſciæ inter Sutrium & mare, immmens lacui, quem Sabatinum vocant. Nunc vulgò, *Languillara*.

7. *Narnienſis.*] Legitur in vulgatis *Arnienſis*, & ſic nominatam ab Arno

exque

Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fur. Cam. VI. &c.

eæque viginti quinque tribuum numerum explevere.

VI. 1 De agro Pomptino ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem jam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri, quam fuerat. Et de Latino Hernicoque bello mentio facta in ſenatu, majoris belli curâ, quod Etruria in armis erat, dilata eſt. Res ad Camillum tribunum militum conſulari poteſtate rediit. collegæ additi quinque, Serv. Cornelius Maluginenſis, Q. Servilius Fidenas ſextùm, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Pulvillus, P. Valerius. Principio anni averſæ curæ hominum ſunt à bello Etruſco: quod fugientium ex agro Pomptino agmen repente illatum in urbem attulit *Antiates in armis eſſe, Latinorumque populos juventutem ſubmiſiſſe ad id bellum*. eò abnuentes publicum fuiſſe conſilium; quod non prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare ubi vellent. Deſierant jam ulla contemni bella. itaque ſenatus Diis agere gratias, quod Camillus in magiſtratu eſſet. Dictatorem quippe dicendum cum fuiſſe, ſi privatus eſſet: & collegæ fateri, *regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in viro uno eſſe: ſibique deſtinatum in animo eſſe Camillo ſubmittere imperium. nec quicquam de majeſtate ſua detractum credere, 2 quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent*. Collaudatis ab ſenatu tribunis, & ipſe Camillus confuſus animo, gratias egit. *Ingens*, inde ait, *onus à populo Romano ſibi, qui ſe 3 dictatorem jam quartùm creaſſet, magnum à ſenatu talibus de ſe judiciis ejus ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obſequio injungi. Itaque ſi quid laboris vigiliarumque adjici poſſit, certantem ſecum ipſum, anniſurum, ut tanto de ſe conſenſu civitatis opinionem, quæ maxima ſit, etiam conſtantem efficiat. Quod ad bellum atque Antiates attineat, plus ibi minarum, quam periculi eſſe. ſe tamen, ut nihil timendi, ſic nihil contemnendi auctorem eſſe. Circumſideri urbem Romanam ab invidia & odio finitimorum: itaque & ducibus pluribus & exercitibus adminiſtrandam rempubl. eſſe. Te*, inquit, *P. Valeri, ſocium imperii conſiliique legiones mecum adverſus Antiatem hoſtem ducere placet: te Q. Servili, altero exercitu inſtructo paratoque in urbe caſtra habere; intentum, ſive Etruria ſe interim, ut nuper, ſive nova hæc cura, Latini atque Hernici, moverint. Pro certo habeo ita rem geſturum, ut 4 patre*,

NOTÆ.

flumine conjiciunt Sigonius & Onuphrius, ſed hoc tempore ad Arnum uſque pertigiſſe Romanorum arma non putat Cluver. At Narnia propior eſt, in Umbria citeriore ad fines Sabinorum. Fortè legendum *Axienſis*, ab Axia oppido agri Tarquinienſis, ſuperioribus vicino.

1. *De agro Pomptino.*] A Pometia Volſcorum urbe.

2. *Quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent.*] Legit *ultro* pro *viri* Tan. Faber, quod nec reſpuit ſenſus, nec exigit.

3. *Dictatorem jam quartùm creaſſet.*] Oblata quidem ei nunc eſt Dictatura, ſed non delata, aut certè non admiſſa.

4. *Patre, avo, &c.*] Hic Q. Servilius Priſcus Fidenas, nunc Tribunus militum VI. Patrem habuerat Q. Servilium Priſcum bis Dictatorem, à captis Fidenis cognomen Fidenatis adeptum; avum autem P. Servilium Priſcum qui Conſul fuerat an. 291.

rem ; meumque erga te obſequium cæteris omnibus declararem.

Virtutibus tuis Addictiſſimus.

Carolus Bonarrigus Typographus.

TITI

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

LIBER SEXTUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

RES adversus Æquos & Volscos & Prænestinos prospere gestas continet. Quatuor tribus additæ, Stellatina, Sabatina, Tromentina, Narniensis. M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, quum obstrictus ære alieno liberaret, nexos exsolveret; crimine affectati regni damnatus, de Saxo Tarpejo dejectus est: in cujus notam Senatusconsultum factum, nè cui de Manlia gente Marco cognomen esset. C. Licinius, & L. Sestius tribb. pleb. leges promulgarunt, ut consules etiam ex plebe fierent, qui ex Patribus creabantur, eamque legem cum magna contentione repugnantibus Patribus, quum etiam quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt; & primus ex plebe consul L. Sestius creatus est. Lata est altera lex, ne cui plus quingentis jugeribus agri liceret possidere.

NOTÆ.

1. *Marco cognomen esset.*] Imò *Prænomen*: ut apud Quintil. lib. 3. *Marci Manlii prænomen è familia in posterum exemptum est*. Sigonius tamen putat scriptum fuisse *Marco nomen*, Librarii errore ultimam prioris vocabuli syllabam, *co*, repetitam fuisse initio sequentis vocis, ut sæpe fit. Nam Plut. Μάρκος Μάλλιος. Etenim *nomen* & genus est & species. *Genus*, ut cum dicimus apud *Romanos tria fuisse nomina*. *Species*, ut si dicamus, unum *præcipuè fuisse nomen, gentilitium*, qualia *Julius, Tullius*; alterum *prænomen*, quod nomini gentilitio præponebatur, *Cajus, Marcus*: tertium *cognomen*, gentilitio superadditum, ad diversarum ejusdem gentis familiarum distinctionem: veluti *Cæsar, Scipio, Cicero*. Quin & quarto quasi nomine, quod *agnomen* dicebant, quidam designabantur, cujusmodi in Scipionum familia *Africanus, Asiaticus, Nasica*. Neque hîc obest quod ab Robortello addacitur ex Valer. Maxim. cap. 4. lib. 3. *In Servio autem Tullio fortuna præcipuè suas vires ostendit ..... Statua ipsius titulus abundè testatur, Servili cognomine, & regiâ appellatione perplexus*: unde concludi videtur cognomen idem esse ac nomen. Verum id & Robortellus ipse satis diluit, cum fatetur à Valerio scriptum fuisse *in Tullio Servio*; sic enim *Servius* reverâ cognomen est: & Sigon. vocem quoque *cognominis* ad *prænomen* accommodari posse contendit, quatenus distinguendi causâ inditum.

Urb. Cond. an. 364. Dictat. M. Fur. Cam.

I. QUÆ, ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem, Romani ſub regibus primum, conſulibus deinde ac dictatoribus, decemviriſque ac tribunis conſularibus geſſere, foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui; res quum vetuſtate nimia obſcuras, veluti quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur: tum 1 quod & raræ per eadem tempora literæ fuere, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: &, quod etiam ſi quæ in commentariis pontificum, aliiſque publicis privatiſque erant monumentis, incenſâ urbe pleraque interiere. Clariora deinceps certioraque 2 ab ſecunda origine, velut ab ſtirpibus lætius feraciuſque renatæ urbis, geſta domi militiæque, exponentur. Cæterum quo primo adminiculo erecta erat, eodem inixa M. Furio principe ſtetit. neque eam abdicare ſe dictatura, niſi anno circumacto paſſi ſunt. Comitia in inſequentem annum tribunos habere, quorum in magiſtratu capta urbs eſſet, 3 non placuit: res ad interregnum rediit. Quum civitas 4 in opere ac labore aſſiduo reficiendæ urbis teneretur, interim Q. Fabio, ſimul primum magiſtratu abiit, ab C. Marcio tribuno plebis dicta dies eſt, quod legatus, in Gallos, ad quos miſſus erat orator, contra jus gentium pugnaſſet. cui judicio eum mors, adeo opportuna, ut voluntariam omnes pars crederet, ſubtraxit. Interregnum initum. P. Cornelius creat interrex, 5 & poſt eum M. Furius Camillus iterum. Is tribunos militum conſulari poteſtate creat, L. Valerium Poplicolam iterum, L. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Æmilium, L. Poſtumium. Ii 2 ex interregno quum extemplo magiſtratum iniſſent, nulla de re prius quam de religionibus tenarunt conſuluêre. In primis fœdera ac leges (erant autem

INTERPRETATIO.

2 *Cum ſtatim poſt interregnum finitum.*

NOTÆ.

1. *Quòd & raræ per eadem tempora literæ.*] Pugnant editiones apud Rhenan. & Sigon. in re haud magni momenti. *Literæ* procul dubio ſunt ſcripturæ quævis, & literis tradita monumenta, ſive Inſcriptiones, ut alibi; ſive Annales & Hiſtoriæ, ut hic, quemadmodum Gronov. notat.

2. *Ab ſecundâ Origine.*] Ut Camillus alter Romulus dictus, ita urbis incenſæ inſtauratio pro altera origine fuit.

3. *Non placuit.*] Ut paris calamitatis omen averterent.

4. *In opere ac labore aſſiduo.*] Dum terminandorum maximè templorum cauſâ ruinæ purgantur; in æde Martis circa Montem Palatinum, à Gallis diruta incenſaque, Lituus Romuli omnino integer inventus, pro æternitatis omine fuit, auctore Plut.

5. *Et poſt eum M. Furius Camillus iterum.*] Vox, *iterum* ſignificat quatuor fuiſſe Interregna, duos Interreges, qui ambo alterni eum magiſtratum bis geſſerunt, ita ut Camillus altero ſuo Interregno Comitia creandis tribunis militum habuerit.

ex duodecim tabulæ, 6 & quædam regiæ leges) conquiri b quæ comparerent, jusserunt; 7 alia ex eis edita etiam in vulgus; quæ autem ad sacra pertinebant, à pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Tum 8 de diebus religiosis agitari cœptum, diemque a. d. 9 XV. Calendas Sextiles duplici clade insignem (quo die 10 ad Cremeram Fabii cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœdè pugnatum) à posteriore clade Alliensem appellarunt, 11 insignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt. Quidam, quod 12 postridie Idus Quintiles non litasset Sulpicius tribunus militum, c neque inventa pace Deûm post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum: 13 inde ut postridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio esset, d traditum putant.

Urb. cond. an. 365. Tribb. mill. L. Valer. &c.

II. Nec diu licuit a quietis consilia erigendæ ex tam gravi casu reip. secum agitare. Hinc Volsci veteres hostes ad extinguendum nomen Romanum arma ceperant, hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores affere-

INTERPRETATIO.

b *Quæcunque extarent, ac superessent.*

c *Cum* sacrificio facto *non reperisset Deos propitios.*

d *Creditur institutum esse.*

a *Non potuere diu quieti* Romani *consilia inire ad restaurandam reip.* &c.

NOTÆ.

6. *Et quædam regia leges.*] In primis Servii Tullii leges de Contractibus, humanæ admodum & populares, quæ à Tarquinio Superbo abolitæ ex Dionys. Halicarn. lib. 4. à Bruto & Collatino primis Consulibus in usum revocatæ fuerant, eod. teste lib. 5.

7. *Alia ex eis edita.*] Quod Sigonius *ex eis* explicat *præter hæc*, ut in principio lib. 29. meritò reprehenditur à Gronovio: non enim alium sensum ferunt ea verba, nisi ex iis tribus quæ jam memorata fuerant, fœderibus, legibus, & sacrorum ritibus, quædam vulgata fuisse: sed in primis Legum capita. Nam sacra Pontifices Collegio suo reservarunt.

8. *De diebus Religiosis.*] Hæc sic explicat A. Gellius lib. 4. cap. 9. *Religiosi dies dicuntur tristi omine infames, impeditique in quibus & res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum prævè & perperam nefastos appellat.* Sanè etsi omnes atri dies nefasti etiam essent; non tamen omnes nefasti atri erant, cum dies festi etiam nefasti essent, ut quibus jus non diceretur. Vide lib. 1. cap. 20.

9. *XV. Calendas Sextiles.*] Id est, 17. Augusti, Plut. XVI. Tacitus XVII. Kalendas indicant.

10. *Ad Cremeram.*] Vid. lib. 2. cap. 30.

11. *Insignemque rei nulli ..... agendæ.*] Nova phrasis, & Tan. Fabro improbata, qui scribendum censet, *insignemque re nulla publicè privatimque agendâ*. Est tamen auctori familiaris dativus ad participium passivum futuri temporis relatus, loco accusativi cum præpositione *ad*: ut, *rei agendæ*, pro *ad rem agendam*: exempla obvia. Sed malè me habet *rè insignem* à proximo repetitum.

12. *Postridie Idus Quintiles*] Id est, 17. Julii.

13. *Inde ut postridie Calendas.*] Hæc præ cæteris explicat, ex Verrio Flacco, Gell. lib. 5. cap. 17. qui hoc tempore à L. Attilio, eam rem in Senatu propositam, atque ad Pontifices rejectam esse memorat: & Pontifices decrevisse *nullum iis diebus sacrificium rectè fieri*.

Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fur. Cam.

bant. novus quoque terror acceſſerat defectione Latinorum Hernicorumque, qui poſt pugnam ad lacum Regillum factam, 1 per annos prope centum numquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant. Itaque quum tanti undique terrores circumſtarent, appareretque omnibus, non odio ſolum apud hoſtes, ſed contemptu etiam inter ſocios nomen Romanum laborare, placuit 2 eiſdem auſpiciis defendi rempublicam, quibus recuperata eſſet, dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Servilium Ahalam magiſtrum equitum dixit: juſtitioque indicto, delectum juniorum habuit; ita ut ſeniores quoque, quibus aliquid roboris ſupereſſet, b in verba ſua juratos centuriaret. Exercitum conſcriptum armatumque trifariam diviſit. partem unam in agro Vejente c Etruriæ oppoſuit: alteram ante urbem caſtra locare juſſit. tribunus militum his A. Manlius, illis qui adverſus Etruſcos mittebantur, L. Æmilius, præpoſitus: tertiam partem ipſe ad Volſcos duxit. nec procul ab Lanuvio (3 *ad Marcium* is locus dicitur) caſtra oppugnare eſt adortus. Quibus ab contemptu (quod prope omnem deletam à Gallis Romanam juventutem crederent) ad bellum profectis, tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo ſe ipſi, vallum congeſtis arboribus ſepirent, ne qua intrare ad munimenta hoſtis poſſet. Quod ubi animadvertit Camillus, *ignem in objectam ſepem* conjici juſſit: & forte erat vis magna venti verſa in hoſtem. itaque d non aperuit ſolum incendio viam, ſed flammis in caſtra tendentibus, vapore etiam ac fumo, crepituque viridis materiæ flagrantis ita conſternavit hoſtes; ut minor moles ſuperantibus vallum in caſtra Volſcorum Romanis fuerit, quam tranſcendentibus ſepem incendio abſumptam fuerat. 4 Fuſis hoſtibus caſiſque, quum caſtra impetu cepiſſet di-

INTERPRETATIO.

b *Adactos ſibi juſjurandum præſtare, in Centurias diſtribuit.*

c *Miſit adversùs Etruſcos.*

d *Non modò igne injecto viam patefecit militibus ſuis, &c.*

NOTÆ.

1. *Per annos propè centum.*] *Propè*, paulò plus minuſve. Advertit Glarean. numerandos eſſe hos centum annos, non à pugna ad Regillum, quæ ante ann. fermè 110. ſed à Pact. Hernicis data, quod factum ante annos ventum exactè computatos.

2. *Eiſdem auſpiciis.*] Ita priores. Aldus maluit, *ejuſdem auſpiciis, cujus*: quod tyronibus Latinitatis clarius, ſed non elegantius.

3. *Ad Marcium.*] Emendatum à Sigonio ex Plut. & Diod. cum eſſet *ad Metium*. Eſt autem *Marcius* mons ducentéſimo ab urbe ſtadio, id eſt, 25. milliaribus, circa Lanuvium, ut ait noſter: quod cum nonniſi 20. millia ab urbe diſſitum ſit; apparet *Marcium* collem fuiſſe, quique millia paſſuum ultra id oppidum: ut Marcius unus ſit ex iis collibus, qui ab ea parte Volſcos & Pomptinum terminant campum. Fortè à Marcio Coriolano dictus, qui bellum per hæc loca gerendo, in eo colle caſtra habuerit. Ad *Marcium* autem Livii & *Marcius* Plut. & Diodor. idem ſunt.

4. *Fuſis hoſtibus caſiſque.*] Cum Latini Æquis Volſciſque adjuncti, Romanos

ctator, prædam militi dedit; quo minus ſperatam à minime largitore duce, eò militi gratiorem, perſecutus deinde fugientes, quum omnem Volſcum agrum depopulatus eſſet, ad deditionem Volſcos [5] Lxx demum anno ſubegit: Victor ex Volſcis in Æquos tranſiit, & ipſos bellum molientes; exercitum eorum, [6] ad Bolas oppreſſit; nec caſtra modo, ſed urbem etiam aggreſſus, impetu primo cepit. Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fu. Cam. III.

III. Quum in ea parte, in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna eſſet, aliam in partem terror ingens ingruerat. Etruria prope omnis armata [1] Sutrium, ſocios populi Romani, obſidebat: quorum legati opem rebus affectis orantes, quum ſenatum adiſſent, decretum tulere, *Ut dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret*. Cujus ſpei moram quum pati fortuna obſeſſorum non potuiſſet; confectaque paucitas oppidanorum, opere, vigiliis, vulneribuſque, quæ ſemper eoſdem urgebant, per pactionem urbe hoſtibus tradita, inermes cum ſingulis emiſſi veſtimentis, miſerabili agmine penates relinquerent; eo forte tempore Camillus cum exercitu Romano

NOTÆ.

ad Marcium montem arctè obſeſſos tenerent, vix ut evadendi ſpes offeret Tribunis militaribus; Camillus tertiùm Dictator creatus, ſuos periculo eripuit. Plut. in Cam. & Macrob. 1. Saturn. cap. 11. tradunt arte ancillarum partam Romanis Victoriam. Cum enim duce Poſtumio Livio, Fidenatium Dictatore, Latini ad extrema redactos à Gallis Romanos arbitrati, miſſis ad Senatum Legatis poſtulaſſent, ut ſi vellent reliquias ſuæ Civitatis manere, matresfamilias & Virgines Romanæ ſibi dederentur: ancilla nomine Tutula, ſeu Philotis, promiſit ſe cum cæteris ancillis ſub nomine ornatuque dominarum ad hoſtes ituram. Ita ductæ ad Latinos non ſine lacrymis ancillæ, atque in Caſtris eorum diſtributæ, hos plurimo vino provocaverunt, Feſtum diem apud ſe eſſe ſimulantes. Quibus ſoporatis ſignum ex arbore Caprifico Caſtris proxima, Romanis dederunt. Sic reportatâ à Romanis victoria, illæ omnes ancillæ Senatus juſſu manumiſſæ, additâ dote, & ſumpti ornatus uſu permiſſo. Dies ipſe annuâ inde ſolennitate celebratus, ac *Nona Caprotina* à Caprifico illa nuncupatæ, ex qua victoriæ ſignum Romani acceperant.

5. *LXX. demum anno ſubegit*.] Si numeres à tempore quo primum Tarquinius Superbus bellum moverat adversus [illegible] eruntque annis fermè 140. ſi ab eo tempore, quo renovatum eſt à Volſcis bellum an. 259. App. Claudio, & P. Servilio Coſſ. ad hunc annum computandi erunt anni 107. Unde non abs re Glareanus & Sigonius mendum in numero ſubeſſe admonent. Urb. Cond. 227.

6. *Ad Bolas*.] De Bolis anteà lib. 2. cap. 39.

1. *Sutrium, ſocios populi Romani*.] Diodorus anno poſt Romam captam, & Plinius Sutrium vocant Romanorum coloniam: ſed eam Vell. Paterc. poſt VII. annos, quàm urbem Galli ceperunt, deductam ſcribit. Quare ſuſpicatur Sigonius legendum in Vellejo eſſe *Satricum*, Volſcorum oppidum, quò deducta eſt Colonia anno 5. poſt urbem captam, ut habetur hujus lib. cap. 16. *Sutrium* autem nondum videtur Colonia fuiſſe Romanorum: dicitur enim adhuc receptum, & reſtitutum ſocis, Civibus ſcilicet ſuis, infra cap. 9. Sed poſteà ſine dubio Colonia fuit: eoque reſpexit, opinor, Diodorus & Plin. Nunc videtur ſolicia tantùm Romanorum hæc Etruriæ urbs fuiſſe, quæ in via Caſſia, 33. ab urbe miliari nomen adhuc retinet, vulgò *Sutri*, in Patrimonio Sancti Petri.

Urb. cond. an. 365. Dictat. M. Fur. Cam. III.

intervenit. cui quum ſe mœſta turba ad pedes provolviſſet, principumque orationem neceſſitate ultima expreſſam, fletus mulierum ac puerorum, qui exilii comites trahebantur, excepiſſet; *parcere lamentis Sutrinos juſſit; Etruſcis ſe luctum lacrymaſque ferre. Sarcinas inde deponi, Sutrinoſque ibi conſidere modico præſidio relicto; arma ſecum militem ferre* jubet. Ita expedito exercitu, [2] profectus ad Sutrium, id quod rebatur, ſoluta omniâ rebus (ut fit) ſecundis invenit: nullam ſtationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hoſtium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Etruſci paſſim trucidantur ab novo hoſte; neque ſe conglobandi coëundique in unum, aut arma capiendi datur ſpatium. quum pro ſe quiſque tenderent ad portas, ſi qua forte ſe in agros ejicere poſſent, claſſas (id enim primum dictator imperaverat) [3] portas inveniunt. Inde alii arma capere, alii quos forte armatos tumultus occupaverat, convocare ſuos ut prælium inirent. quod accenſum ab deſperatione hoſtium fuiſſet, ni præcones per urbem dimiſſi, *poni arma, & parci inermi* juſſiſſent, *nec præter armatos quemquam violari*. Tum, etiam quibus animi in ſpe ultima obſtinati ad decertandum fuerant, poſtquam *data ſpes vitæ* eſt, jactare paſſim arma; inermeſque, quod tutius fortuna fecerat, ſe hoſti offerre. [4] *Magna multitudo in cuſtodias diviſa*: oppidum ante noctem redditum Sutrinis inviolatum, integrumque ab omni clade belli: quia non vi captum, ſed traditum per conditiones fuerat.

IV. Camillus in urbem *triumphans* rediit, [1] trium ſimul bellorum victor. Longe plurimos captivos ex Etruſcis ante currum duxit. quibus ſub haſta venundatis, tantum æris redactum eſt, ut pretio [2] pro auro matronis perſoluto, ex eo quod ſuperaverat, tres pateræ aureæ factæ ſint: quas cum titulo nominis Camilli [3] ante Capitolium incenſum, in Jovis cella conſtat [4] ante pedes Junonis poſitas fuiſſe. Eo an-

NOTÆ.

2. *Profectus ad Sutrium.*] *Ad* pro *verſus, circa*, quaſi *profectus Sutrium verſus*. Eodem ſenſu quo Cicero, *ut eſſem ad urbem*.

3. *Portas inveniunt.*] Quid attinebat hanc vocem *portas* hic repeti?

4. *Magna multitudo in cuſtodias diviſa.*] Longè meliùs *diviſa*, quàm, quod Sigonius ingerit, *dimiſſa*. Cuſtodiæ hoc loco ſunt carceres in municipiis, quò rei, aut captivi mittuntur ſparſim cuſtodiendi; cum tanta eſt multitudo, ut non facilè communi & ulgari carcere contineri poſſit.

1. *Trium ſimul bellorum.*] Volſci, Æqui, Tuſci.

2. *Pro auro.*] Quod matronæ è mundo ſuo muliebri contulerant ad depellendos obſidione Capitolii Gallos.

3. *Ante Capitolium incenſum.*] Quod contigit anno U. C. 670. L. Corn. Scip. C. Norbano Coſſ.

4. *Ante pedes Junonis.*] Obſervatum eſt ex Dion. Jovis Capitolini templo tres ædes haud diſpares comprehenſas fuiſſe, Mediam Jovis, lævam Junonis, dextram Minervæ: horum numinum cuique ſua erat aſſignata Cella, ſive *adytum*: ita tamen ut major eſſet Cella Jovis, ubi pretioſa donaria recondebantur; nec ſoli Jovis ædi reſponderet: quandoquidem hæ aureæ Camilli pateræ in Cella Jovis poſitæ erant ante pedes Junonis. Vide ſup. c. 29.

Digitized by Google

no in civitatem accepti, qui Vejentium Capenatiumque ac Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus aſſignatus. revocati quoque in urbem ſenatusconſulto à Vejis, qui ædificandæ Romæ pigritiâ, occupatis ibi vacuis tectis, Vejos ſe contulerant. & primo fremitus fuit aſpernantium imperium: dies deinde præſtituta, capitaliſque pœna, qui non remigraſſet Romam, ex ferocibus univerſis, ſingulos metu ſuo quemque obedientes fecit. Et Roma cum frequentiâ creſcere, tum tota ſimul exſurgere ædificiis: & republica impenſas adjuvante, & ædilibus velut publicum exigentibus opus; & ipſis privatis [a] (admonebat enim deſiderium uſus) feſtinantibus ad effectum operis. intraque annum nova urbs ſtetit. Exitu anni comitia tribunorum militum conſulari poteſtate habita. creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Fidenas quintùm, L. Julius Julus, L. Aquilius Corvus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpicius Rufus. Exercitum alterum in Æquos, non ad bellum (victos namque ſe fatebantur) ſed ab odio ad pervaſtandos fines, ne quid ad nova conſilia relinquerent virium, duxêre: alterum in agrum Tarquinienſem. Ibi oppida Etruſcorum [6] Cortuoſa & Contenebra vi capta dirutaque. Ad Cortuoſam nihil certaminis fuit. improviſo adorti, primo clamore atque impetu cepere: direptum oppidum atque incenſum eſt. Contenebra paucos dies oppugnationem ſuſtinuit: laborque continuus, non die non nocte remiſſus, ſubegit eos; quum in ſex partes diviſus exercitus Romanus, ſenis horis in orbem ſuccederet prælio, oppidanos eoſdem integro ſemper certamini paucitas feſſos objiceret. ceſſere tandem, locuſque invadendi urbem Romanis datus eſt. [7] Publicari prædam tribunis placebat: [b] ſed imperium quam conſilium ſegnius fuit. dum cunctantur, jam militum præda erat; [c] nec niſi per invidiam adimi poterat. Eodem anno, ne privatis tantum operibus creſceret urbs, Capitolium quoque [8] ſaxo quadrato ſubſtructum eſt: opus vel in hac magnificentia urbis conficiendum.

Urb. cond. an. 365. Dictat. III. M. Fu. Cam.

Urb. cond. an. 366. Tribb. mill. T. Quint. &c.

V. Jam & tribuni plebis civitate ædificandâ occupatâ, conciones ſuas frequentare legibus agrariis conabantur. oſtentabatur in ſpem Pom-

INTERPRETATIO.

a *Cupiditas commodè habitandi hortabatur.*

b *Non pari paſſu ambulavit juſſus ac propoſitum:* non ſatis maturè juſſerunt, quod in animo habebant.

c *Nec auferri poterat niſi cum odio.*

NOTÆ.

5. *Capitaliſque pœna, qui non remigraſſet.*] Eleganter pro *indicta pœna capitis ei qui non remigraſſet Romam.*

6. *Cortuoſa & Contenebra.*] Hæc oppida duo in Etruriæ agro Tarquinienſi fuiſſe hic locus docet. Ea aliis auctoribus ignota.

7. *Publicari prædam.*] Hic mos Romanorum Militibus ex pretio diſtributâ pretii parte haud magna. Sic bellum ſeipſum alebat.

8. *Saxo quadrato ſubſtructum eſt.*] Non recens ædificatum, ac dedicatum denuò: ſed adjectis novis fundamentis ſuffultum ac munitum.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 366. Tribb. mill. T. Quint. &c.

ptinus ager, tum primum poſt acciſas à Camillo Volſcorum res; poſſeſſionis haud ambiguæ. Criminabantur, [a] *malè eum infeſtiorem agrum ab nobilitate eſſe, quam à Volſcis fuerit: ab illis enim tantum, quoad vires & arma habuerunt, incurſiones eò factas; nobiles homines in poſſeſſionem agri publici graſſari; nec niſi,* [b] *antequam omnia præcipiant, diviſus ſit, locum ibi plebi fore.* Haud magnopere plebem moverant, & infrequentem in foro, propter ædificandi curam; [c] & eodem exhauſtam impenſis, eoque agri immemorem, ad quem inſtruendum vires non eſſent. In civitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade ſuperſtitioſis principibus, ut renovarentur auſpicia, [1] res ad interregnum rediit. interreges deinceps, M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus. Hic demum tribunorum militum conſulari poteſtate comitia habuit. [2] L. Papirium, C. Cornelium, C. Sergium, L. Æmilium iterum, L. Menenium, L. Valerium Poplicolam tertiùm creat. hi ex interregno magiſtratum occepere. Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata eſt à T. Quintio duumviro ſacris faciundis. [3] Tribus quatuor ex novis civibus additæ; [4] Stellatina, [5] Tromentina, [6] Sabatina, [7] Narnienſis:

§ 19

§ 1

§ 2

INTERPRETATIO.

a *Agrum Pomptinum* plebi nunc *plus afferre moleſtiæ à patriciis, quàm olim attulerit à Volſcis* antiquis poſſeſſoribus.

b *Priuſquàm cuncta occupent.*

c *Eademque de cauſa ſumptibus exinanitam, atque idcirco agrorum oblitam; ad quorum culturam non ſuppetebat unde pecus & inſtrumenta aratoria compararent.*

NOTÆ.

1. *Res ad interregnum.*] Creditum eſt Tribunos militum vitio creatos, ideoque non per eos, ſed per interregem habenda proxima Comitia.

2. *L. Papirium.*] Paulò aliter Diod. Siculus hos Tribunos militum nominat. Nam pro C. Sergio, *C. Servilium* quarto loco: pro L. Æmilio, *Q. Fabium* ultimo loco: pro L. Valerio, *Valerium Aulum* quinto loco tradit: Sigonius tamen *C. Sergium* retinendum putat: ut qui paulò poſt tertium Tribunus militum a noſtro memoretur.

3. *Tribus quatuor ex novis civibus.*] Iis qui ex Vejentibus, Capenatibus, & Faliſcis ad Romanos ſuperiore bello transfugerant, in civitatem acceptis, aſſignati agri; & ne iiſdem jus tribus deeſſet, (ſine quâ nemo civis habebatur), novæ quatuor Tribus inſtitutæ, quæ numerum quinque & viginti Tribuum expleverunt. Sic enim legendum, non ut in quibuſdam habetur, XXXV. Cum enim Servius Tullius urbanam multitudinem in quatuor, ruſticam in quindecim tribus, locis diſtinctas, diſtribuiſſet; his undeviginti, duæ poſt reges exactos adjectæ fuerant: unde factæ viginti & una.

4. *Stellatina.*] Ab agro ſeu Campo *Stellate*, apud Feſtum, quo nomine duo leguntur agri, alter in Campania, Caleno & Falerno vicinus: alter in Etruria, inter Capenam & Vejos ac Falerios. Ab hoc nomen ſumpſit hæc tribus. Cæterum Capena cui confinis ager hìc *Stellatinus*, Tuſcorum oppidum fuit, aut regio diverſa ab cognomine oppido, unde nomen accepit Porta Capena. Hoc enim in Latio fuit.

5. *Tromentina.*] A Campo Tromento dicta, qui & ipſe in Tuſcia.

6. *Sabatina.*] Hanc à lacu Sabate nuncupatam teſtatur idem Feſtus Pomp. Eſt autem *Sabate* oppidum Tuſciæ inter Sutrium & mare, immenſi lacui, quem Sabatinum vocant. Nunc vulgò, *Languillara*.

7. *Narnienſis.*] Legitur in vulgatis *Arnienſis*, & ſic nominatam ab Arno

exque

eæque viginti quinque tribuum numerum explevere.

VI. 1 De agro Pomptino ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem jam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri, quam fuerat. Et de Latino Hernicoque bello mentio facta in ſenatu, majoris belli curâ, quod Etruria in armis erat, dilata eſt. Res ad Camillum tribunum militum conſulari poteſtate rediit. collegæ additi quinque, Serv. Cornelius Maluginenſis, Q. Servilius Fidenas ſextùm, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Pulvillus, P. Valerius. Principio anni averſæ curæ hominum ſunt à bello Etruſco: quod fugientium ex agro Pomptino agmen repente illatum in urbem attulit *Antiates in armis eſſe, Latinorumque populos juventutem ſubmiſiſſe ad id bellum*. eò abnuentes publicum fuiſſe conſilium; quod non prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare ubi vellent. Deſierant jam ulla contemni bella. itaque ſenatus Diis agere gratias, quod Camillus in magiſtratu eſſet. Dictatorem quippe dicendum eum fuiſſe, ſi privatus eſſet: & collegæ fateri, *regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in viro uno eſſe: ſibique deſtinatum in animo eſſe Camillo ſubmittere imperium. nec quicquam de majeſtate ſua detractum credere, 2 quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent*. Collaudatis ab ſenatu tribunis, & ipſe Camillus confuſus animo, gratias egit. *Ingens*, inde ait, *onus à populo Romano ſibi, qui ſe 3 dictatorem jam quartùm creaſſet, magnum à ſenatu talibus de ſe judiciis ejus ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obſequio injungi. Itaque ſi quid laboris vigiliarumque adjici poſſit, certantem ſecum ipſum, anniſurum, ut tanto de ſe conſenſu civitatis opinionem, quæ maxima ſit, etiam conſtantem efficiat. Quod ad bellum atque Antiates attineat, plus ibi minarum, quam periculi eſſe. ſe tamen, ut nihil timendi, ſic nihil contemnendi auctorem eſſe. Circumſederi urbem Romanam ab invidia & odio finitimorum: itaque & ducibus pluribus & exercitibus adminiſtrandam rempubl. eſſe. Te*, inquit, *P. Valeri, ſocium imperii conſiliique legiones mecum adverſus Antiatem hoſtem ducere placet: te Q. Servili, altero exercitu inſtructo paratoque in urbe caſtra habere; intentum, ſive Etruria ſe interim, ut nuper, ſive nova hæc cura, Latini atque Hernici, moverint. Pro certo habeo ita rem geſturum, ut 4 patre*,

Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fur. Cam. VI &c.

NOTÆ.

flumine conjiciunt Sigonius & Onuphrius, ſed hoc tempore ad Arnum uſque pertigiſſe Romanorum arma non putat Cluver. At Narnia propior eſt, in Umbria citeriore ad fines Sabinorum. Fortè legendum *Axienſis*, ab Axia oppido agri Tarquinienſis, ſuperioribus vicino.

1. *De agro Pomptino.*] A Pometia Volſcorum urbe.

2. *Quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent.*] Legit *ultro* pro *viri* Tan. Faber, quod nec reſpuit ſenſus, nec exigit.

3. *Dictatorem jam quartùm creaſſet.*] Oblata quidem ei nunc eſt Dictatura, ſed non delata, aut certè non admiſſa.

4. *Patre, avo, &c.*] Hic Q. Servilius Priſcus Fidenas, nunc Tribunus militum VI. Patrem habuerat Q. Servilium Priſcum bis Dictatorem, à captis Fidenis cognomen Fidenatis adeptum; avum autem P. Servilium Priſcum qui Conſul fuerat an. 291.

Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fur. Cam. VI. &c.

avo, teque ipso ac sex tribunatibus dignum est. Tertius exercitus ex causariis senioribusque à L. Quintio scribatur, qui urbi mœnibusque præsidio sit. L. Horatius, arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poscent, provideat. Te, Servi Corneli, præsidem hujus publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum, collegæ facimus. Cunctis in partes muneris sui benigne pollicentibus operam, Valerius socius imperii lectus, adjecit, *M. Furium sibi pro dictatore, seque ei pro magistro equitum futurum. Proinde quam opinionem de unico imperatore, eam spem de bello haberent. Se vero bene sperare, & de bello, & de pace, universaque republica.* [6] erecti gaudio fremunt: *nec dictatore unquam opus fore reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus junctos animis; parere atque imperare juxta paratos: laudemque conferentes potius in medium,* [b] *quam ex communi ad se trahentes.*

VII. Justitio indicto, delectuque habito, Furius ac Valerius [1] ad Satricum profecti; quo non Volscorum modo juventutem Anciates ex nova sobole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorumque concitaverant [a] ex integerrimis diutina pace populis. itaque novus hostis veteri adjunctus [2] commovit animos militis Romani. Quod ubi aciem jam instruenti Camillo centuriones renunciaverunt, *turbatas militum mentes esse, segniter arma capta, cunctabundosque & resistentes egressos castris esse, quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos, & ægre inermem tantam multitudinem, nedum armatam sustineri posse;* in equum insilit, & ante signa, obversus in aciem, ordines interequitans, *Quæ tristitia, milites, hæc, quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est quid aliud quam perpetua materia virtutis gloriæque vestræ? Vos contrà, me duce, (ut Falerios Vejosque captos, & in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam) modo trigeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis & Æquis, & ex Etruria egistis. An me, quod non dictator vobis sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? [3] neque ego maxima imperia in vos desidero: & vos in me ni-*

INTERPRETATIO.

a *Talem spem de bello concipierent, quale illum existimationem haberent de Camillo, si unicus esset belli dux.*

b *Quam sibi arrogantes ex eo quòd pluribus communis esset.*

a *Ex civitatibus diu bello intactis*; & propter longam pacem multitudine maximè abundantibus.

NOTÆ.

5. *Ex causariis senioribusque.*] Qui ex causa valetudinis minùs prosperæ dimissi à militia erant, dicebantur Causarii; eaque missio Causaria: ad discrimen tum honestæ missionis, quæ emeritis post impletas stipendia dabatur: tum ignominiosæ, quæ ob delictum exautoratis. Causa itaque pro excusatione, cujus species præcipua, morbus.

6. *Erecti gaudio fremunt.*] Senatorum.

1. *Ad Satricum profecti.*] Satricum versus, de quo Volscorum oppido sup. l. 2. c. 39.

2. *Commovit animos.*] Commovetur animus quocunque affectu, sive excitetur irâ, vel gaudio; sive dolore aut metu perturbetur. Hæc Romanorum militum *commotio* ex timore.

3. *Neque ego maxima imperia.*] Respondet præcedenti interrogationi suæ.

Digitized by Google

hil præter me ipſum intueri decet. neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidem igitur omnes ſumus: & quum eadem omnia in hoc bellum afferamus quæ in priora attulimus, eundem eventum belli exſpectemus. Simul concurreritis, quod quiſque didicit ac conſuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient. Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fur. Cam. VI. &c.

VIII. Dato deinde ſigno, ex equo deſilit, & proximum ſigniferum manu arreptum ſecum in hoſtem rapit; [a] *infer miles*, clamitans, *ſignum*. quod ubi videre ipſum Camillum, jam ad munera corporis, ſenecta invalidum, vadentem in hoſtes, procurrunt pariter omnes, clamore ſublato: *Sequere imperatorem*, pro ſe quiſque clamantes. Emiſſum etiam ſignum Camilli juſſu in hoſtium aciem ferunt: idque ut repeteretur, concitatos anteſignanos. Ibi primum [1] pulſum Antiatem, terroremque non in primam tantum aciem, ſed etiam ad ſubſidiarios perlatum: [b] nec vis tantum militum movebat excitata præſentiâ ducis, ſed quod Volſcorum animis nihil terribilius erat, quam ipſius Camilli forte oblata ſpecies. Ita quocumque ſe intuliſſet, victoriam ſecum haud dubiam trahebat. maxime id evidens fuit, quum in lævum cornu prope jam pulſum, arrepto repente equo [2] cum ſcuto pedeſtri advectus, conſpectu ſuo prælium reſtituit; oſtentans vincentem ceteram aciem. Jam inclinata res erat, ſed [3] turbâ hoſtium & fuga impediebatur, & longa cæde conficienda multitudo tanta feſſo militi erat: quum repente ingentibus procellis fuſus imber, certam magis victoriam quam prælium diremit. Signo deinde receptui dato; nox inſecuta, quietis Romanis, perfecit bellum. Latini namque & Hernici, relictis Volſcis, domos profecti ſunt; malis conſiliis pares adepti eventus. Volſci, ubi ſe deſertos ab eis videre, quorum fiducia rebellaverant; relictis caſtris, mœnibus Satrici ſe includunt. quos primo Camillus vallo circumdare &

INTERPRETATIO.

a *Cum* Camillus *ſæpius clamaret à ſignifer infer* infeſtum *ſignum* in hoſtem.

b *Nec imperium tantùm Romanorum excitatus Camilli præſentiâ, hoſtes terrebat.*

NOTÆ.

Porro Dictatoris imperium omnium maximum in rep. ut cui ſubeſſent reliqui etiam majores magiſtratus; & à quo provocatio non eſſet.

1. *Pulſum Antiatem.*] Repete ex ſuperiori *ferunt*.

2. *Cum ſcuto pedeſtri.*] Quod gravius, cum ipſe Camillus in equo, ſi armari voluiſſet militari more, debuerit leviori parmâ equeſtri uti.

3. *Turba hoſtium & fuga impediebat.*] Ita Rhenanus, aliique. Et ſtare poteſt ſenſus, ut turba ingens hoſtium fugientium dicatur impediiſſe rem, id eſt, victoriam ad Romanos jam inclinatam: Verùm Gronovio placet magis legi, aut *Turba hoſtium fugam impediebat*, ut habet Mediolanenſis editio; aut *turbâ hoſtium & fugâ impediebatur*, ut apud Aldum & in ſcriptis paſſim, ita ut nomen *turba* ſit in auferendi caſu. Mihi tamen veniebat in mentem, poſſe non abſurdè locum hunc ità explicari, ſi *turbâ* quidem ablativi ſit caſus, *fuga* nominativi. Ut turba & multitudo hoſtium duo efficeret, & fugam nempe eorum arceret; & feſſos jam Romanos impediret quo minùs ad illotum cædem ſufficerent.

Urb. cond. an. 368. Dictat. M. Fur. Cam. VI. &c.

aggere atque operibus oppugnare est adortus. Quæ postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, 4 quam ut in eo tam lentæ spei victoriam expectaret; cohortatus milites, ne tanquam Vejos oppugnantes [c] in opere longinquo sese tererent, victoriam in manibus esse; ingenti militum alacritate mœnia undique aggressus scalis, oppidum cepit. Volsci abjectis armis sese dediderunt.

IX. Cæterum animus ducis rei majori, Antio, imminebat. id caput Volscorum, [1] eam fuisse originem proximi belli. Sed quia nisi magno apparatu, tormentis machinisque, [2] tam valida urbs capi non poterat; relicto ad exercitum collega, Romam est profectus, ut senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter sermonem ejus (credo rem Antiatem diuturniorem manere Diis cordi fuisse) legati [3] ab Nepete ac Sutrio auxilium adversus Etruscos petentes veniunt; brevem occasionem esse ferendi auxilii memorantes. eò vim Camilli ab Antio fortuna avertit. Namque quum ea loca 4 oppositæ Etruriæ, & velut claustra inde portæque essent; & illis occupandi ea, quum quid novi molirentur, & Romanis recuperandi undique cura erat. Igitur senatui cum Camillo agi placuit, ut omisso Antio bellum Etruscum susciperet. Legiones urbanæ, [5] quibus Quintius præfuerat, ei decernuntur. quàmquam

INTERPRETATIO.

[c] *Diuturnis operibus se fatigarent.*

NOTÆ.

4. *Quàm ut in eo tam lenta spei victoriam expectaret.*] Hostium ignaviâ impulsus Camillus, non putavit sibi expectandam victoriam, ex longa oppugnatione, ex qua spes victoriæ nimis tarda.

1. *Eam fuisse originem belli.*] Supple *cogitabat*, aut simile quid.

2. *Tam valida urbs.*] Mirum hoc Glareano videtur, cum lib. 2. cap. 65. tam facilè captum fuerit Antium. Imò eam urbem opulentissimam Numicius *Consul oppugnare non ausus* dicitur cap. 63. Sed deditionis causa affertur cap. illo 65. quod obsessis *ab infelici pugna, castrisque amissis, ceciderant animi*,

3. *Ab Nepete.*] In Vejentum & Faliscorum confinio fuit urbs *Nepete*, aliis *Nepet*, *Nepita*, *Nepa*: hodie *Nepi*, in Patrimonio S. Petri, quod est in Tuscia. Frustrà Glareanus *Nepete* improbat in auferendi casu: quasi *Nepeti* potiùs dicendum fuerit. Ejusmodi enim nomina locorum, quæ in *e* desinunt, nonnisi in genitivo & dativo declinantur: qualia *Præneste*, *Ardeæ*. Ità fit, ut nominandi, accusandi, & auferendi casus nihil differant; unde Virg. *Quique altum Præneste viri*, in accusativo: & *Præneste sub ipsa*, in ablativo. Quod & Priscianus notat.

4. *Oppositæ Etruriæ.*] Nonne Sutrini & Nepesini in Etruria, atque è genere sunt Etruscorum? Sed non idem omnes Etrusci sentiebant. Hi Romanorum fœderati, à vicinis, (qui eorumdem Romanorum hostes) oppugnabantur.

5. *Quibus Quintius præfuerat.*] Dubiam hanc lectionem facit Glareano, & post eum Gronovio, quòd cap. 6. L. Quintio negotium datum sit, ut exercitum ex Causariis & Senioribus scriberet, qui urbi præsidio esset: hos autem ad novum hoc bellum missos, parùm verisimile sit: unde legendum hoc loco inferunt, *Quibus Servilius præfuerat*. Servilio quippe altet exercitus traditus fuerat, qui in urbe instructus maneret ad subita belli; sive Etrusci, sive Latini Hernicique quid moverent. Et sanè po-

Digitized by Google

expertum exercitum, assuetumque imperio, qui in Volscis erat, mallet; nihil recusavit: Valerium tantummodo imperii socium depoposcit. Quintius Horatiusque successores Valerio in Volscis missi. Profecti ab urbe Sutrium Furius & Valerius, partem oppidi jam captam ab Etruscis invenere; [6] ex parte altera interseptis itineribus ægre oppidanos vim hostium ab se arcentes. Cum Romani auxilii adventus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hostes socios que, & in præsentia rem inclinatam sustinuit, & spatium ad opem ferendam dedit. Itaque diviso exercitu Camillus, collegam, eam in partem circumductis copiis quam hostes tenebant, mœnia aggredi jubet: non tanta spe scalis capi urbem posse, quam [a] ut aversis eò hostibus, & oppidanis jam pugnando fessis, laxaretur labor, & ipse spatium intrandi sine certamine mœnia haberet. Quod quum simul utrimque factum esset, anceps que terror Etruscos circumstaret, & mœnia summa vi oppugnari, & intra mœnia esse hostem viderent; portâ se, quæ una fortè non obsidebatur, trepidi uno agmine ejecere. Magna cædes fugientium, & in urbe & per agros est facta. plures à Furianis intra mœnia cæsi: Valeriani expeditiores ad persequendos fuere: nec ante noctem, quæ conspectum ademit, finem cædendi fecere. Sutrio recepto, restitutoque sociis, Nepete exercitus ductus, quod per deditionem acceptum jam totum Etrusci habebant.

Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fu. Cam. VI. &c.

X. Videbatur plus in ea urbe recipienda laboris fore: non in eo solum quod tota hostium erat; sed etiam quod parte Nepesinorum prodente civitatem, facta erat deditio. Mitti tamen ad principes eorum placuit, ut secernerent se ab Etruscis; fidemque quam imploràssent ab Romanis, ipsi præstarent. Unde quum responsum allatum esset, *nihil suæ potestatis esse, Etruscos mœnia custodiasque portarum tenere*; primo populationibus agri terror est oppidanis admotus: deinde postquam [b] deditionis quam societatis fides sanctior erat; fascibus sarmentorum ex agro collatis ductus ad mœnia exercitus, completisque fossis scalæ

INTERPRETATIO.

a Ut *cum Tusci* ab oppidanis impugnandis, *versi essent* ad mœnium adversus Romanos defensionem.

b *Fidei* Etruscis *data à* Nepesinis *se dedentibus, potior ratio habebatur; quàm ejus quæ ab* iisdem *fœdus ineuntibus data* fuerat Romanis.

NOTÆ.

tuit, vel auctore memoriâ lapso, vel librariorum vitio, L. Quintius pro Quinto Servilio hic irrepere, ob hujus prænominis cum illius nomine affinitatem; nisi quis divinaverit exercitum Servilii curæ nuper commissum, aliàs Quintio paruisse. Ex iis certè quæ sequuntur, constat Quintium cum Horatio in Volscos missum loco Furii Camilli & Valerii: unde probabile fit Servilium, qui jam ætate provectior, ad urbem cum exercitu Seniorum relictum.

6. *Ex parte altera interseptis itineribus.*] Hoc loco *itinera* sunt, ni fallor, vici, seu viæ intra urbem, operâ oppidanorum, ad tuendum reliquum oppidum obseptæ, & intercluſæ adversùs hostium vim, *les rues retranchées ou barricadées*.

admotæ, & clamore primo impetuque oppidum capitur. Nepesinis inde edictum, *ut arma ponant*, parcique jussum inermi. Etrusci pariter armati atque inermes cæsi. [a] Nepesinorum quoque auctores deditionis securi percussi: innoxiæ multitudini redditæ res, oppidumque cum præsidio relictum. Ita duobus sociis urbibus ex hoste receptis, victorem exercitum tribuni cum magna gloria Romam reduxerunt. Eodem anno, ab Latinis Hernicisque res repetitæ, quæsitumque, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent? Responsum frequenti utriusque gentis concilio est, *nec culpam in eo publicam, nec consilium fuisse, quod suæ juventutis aliqui apud Volscos militaverint. eos tamen ipsos pravi consilii pœnam habere, nec quemquam ex his reducem esse. Militis autem non dati causam, terrorem assiduum à Volscis fuisse, [b] quam pestem adhærentem lateri suo tot super alia aliis bellis exhauriri nequisse.* Quæ relata Patribus, magis tempus, quam causam, non visa belli habere.

Urb. cond. an. 368. Tribb. mill. M. Fu. Cam. VI. &c.

Urb. Cond. an. 369. Tribb. mill. A. Manl. II. &c.

XI. Insequenti anno [1] A. Manlio, P. Cornelio, T. & L. Quinctiis Capitolinis, [2] L. Papirio Cursore iterum, C. Sergio iterum tribunis consulari potestate, grave bellum foris, gravior domi seditio exorta. bellum à Volscis adjuncta Latinorum atque Hernicorum defectione: seditio, unde minime timeri potuit, à patriciæ gentis viro, & inclitæ famæ, M. Manlio Capitolino: qui [3] nimius animi, quum alios principes sperneret, uni invideret, eximio simul honoribus atque virtutibus M. Furio; ægre ferebat solum eum in magistratibus, solum apud exercitus esse; *tantum jam eminere, ut iisdem auspiciis creatos, non pro collegis, sed pro ministris habeat. quam interim, si quis verè æstimare velit, à M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi à se prius Capitolium atque arx servata esset. & ille, inter aurum accipiendum, & spem pacis solutis animis, Gallos aggressus sit: ipse arma-*

INTERPRETATIO.

a *Ex Nepesinis etiam* ii, *qui consilium* cæteris *dederant se dedendi* Etruscis, *capite luerunt.*

b *Qui hostes*, instar pestis, *Lateribus suis* (Hernicorum & Latinorum) *inhærentes, non potuerint tot continuis bellis extingui. His igitur Senatui renunciatis, judicatum est, etsi causa belli non deesset, tempus tamen ei suscipiendo minùs esse idoneum.*

NOTÆ.

1. *A. Manlio, P. Cornelio.*] Adde utrique *iterum* ex Glar. & Pighio: quandoquidem ante quadriennium quoque Collegæ fuerant.

2. *L. Papirio Cursore iterum.*] Adjectum est juxta Glareani & Sigonii Conjecturam *C. Sergio iterum.* Cum enim eo tempore sex Tribuni militum crearentur, nec nisi quinque Tribunorum nomina hic vulgò edantur, unius nomen omissum videtur. Eum autem *C. Sergium* fuisse inde credibile fit; quòd jam antè semel in eo magistratu fuerit: mox verò III. Tribunus militum legatur apud Livium. Quo autem anno iterum hac dignitate functus sit, nullibi habetur.

3. *Nimius animi.*] Ut apud Tacitum 3. hist. *Sermonis nimius erat.* Est autè *nimius animi*, qui animo est ultra modum elato, sibique plus, quàm æquum sit, arrogat.

tas capienteſque arcem depulerit. illius gloriæ pars virilis apud omnes milites ſit, qui ſimul vicerint; ſuæ victoriæ neminem omnium mortalium ſocium eſſe. His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens, & impotens, poſtquam inter Patres, non quantum æquum cenſebat, excellere ſuas opes animadvertit; 4 primum omnium ex Patribus popularis factus cum plebis magiſtratibus conſilia communicare; criminando patres, alliciendo ad ſe plebem. jam 5 aurâ non conſilio ferri, famæque magnæ malle quam bonæ eſſe: & 6 non contentus agrariis legibus, quæ materia ſemper tribunis plebis ſeditionum fuiſſet, 7 fidem moliri cœpit: *acriores quippe æris alieni ſtimulos eſſe, qui non egeſtatem modò atque ignominiam minentur, ſed nervo ac vinculis corpus liberum terrítent.* & erat æris alieni magna vis, 8 re damnoſiſſimâ etiam divitibus, ædificando contracta. Bellum itaque Volſcum, grave per ſe, oneratum Latinorum atque Hernicorum defectione, in ſpeciem cauſæ jactatum, ut major poteſtas quæreretur. Sed nova conſilia Manlii magis compulere ſenatum, ad dictatorem creandum. Creatus A. Cornelius Coſſus; magiſtrum equitum dixit T. Quintium Capitolinum.

Urb. cond. an. 369. Tribb. mill. A. Manl. 11. &c.

XII. Dictator, etſi 1 majorem dimicationem propoſitam domi, quam

INTERPRETATIO.

1 *Grande erat æs alienum, conflatum* à plebejis *conſtruendo ædes, quæ res etiam locupletibus detrimento maximè eſt.*

NOTÆ.

4. *Primùm omnium ex Patribus popularis.*] Tan. Faber *Primus omnium.* Sed & ſine mutatione ſententia conſtat. Eſt enim *Primùm omnium*, quaſi dicas *ante omnia.*

5. *Aurâ, non conſilio ferri.*] Popularis *aura*, vel *aura* abſolutè, eſt aſpirans alicui vulgi favor, qui incerto atque inſtabili motu hûc illûc fertur, auræ ac venti more.

6. *Non contentus Agrariis legibus.*] Mens eſt Livii, Manlium hunc non iiſdem artibus uſum, quibus priores popularem auram captaverant; nec contentum exemplis ſive Sp. Caſſii Agrariam legem proferentis, ſive Sp. Mœlii frumentum plebi largientis, novâ & peculiari viâ ad demerendos plebejorum animos graſſatum, ſuâ ſcilicet pecuniâ liberando eos qui ære alieno oppreſſi vincula timebant.

7. *Fidem moliri cœpit.*] Veteres editiones ex Codicibus ſcriptis, *idem moliri cœpit.* Quod cùm nullum idoneum ſenſum habeat, vir magnus interſerendum cenſuit, *ex ære alieno idem moliri cœpit.* Meliùs præpoſitâ unicâ literâ Sigonius *fidem moliri.* Eſt enim hìc, *moliri*, commovere ac convellere: ut lib. 9. *num montes moliri ſuâ ſede paramus?* Et hoc ipſo libro, *moliri obices parabant.* *Fides* verò ſumitur pro pactorum ſervandorum ſtudio ac diligentiâ, præcipuè in mutua pecunia. Fides itaque labefactatur, imò *nulla eſſe poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum:* ut loquitur Cic. à Gron. laudatus. Verùm non id agebat Manlius, ne creditoribus ſatisfieret, cum ſuâ ipſe pecuniâ debitum exſolveret, ut infrà cap. 14. Vidonum *moliri fidem*, ſit vel fidei inter debitores & creditores intercedentis vinculum tollere conari; vel ſibi ipſi fidem aſtruere ac machinari, ut tota fides penes unum eſſet, omniaque negotia Civitatis ab ejus nutu penderent. Virgil. non abſimili formâ dixit, *claſſem, annonam, ſpes, inſidias* moliri,

1. *Majorem dimicationem.*] Suſpicabatur enim plus periculi ab inteſtinis motibus plebis à Manlio ad ſeditionem concitandæ, quàm à bello Volſco.

Urb. cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo &c.

foris cernebat; tamen, ſeu quia celeritate ad bellum opus erat, ſeu victoria triumphoque, dictaturæ ipſi vires ſe additurum ratus, delectu habito, in agrum Pomptinum, quo à Volſcis exercitum indictum audierat, pergit. Non dubito præter ſatietatem tot jam libris aſſidua bella cum Volſcis geſta legentibus, [a] illud quoque ſuccurſurum (quod mihi percenſenti propiores temporibus harum rerum auctores miraculo fuit) unde toties victis Volſcis & Æquis ſuffecerint milites. quod quum ab antiquis tacitum prætermiſſumque ſit, cujus tandem ego rei præter opinionem, quæ ſua cuique conjectanti eſſe poteſt, auctor ſim? Simile veri eſt, aut intervallis bellorum, ſicut nunc in delectibus ſit Romanis, aliâ atque aliâ ſobole juniorum ad bella inſtauranda toties uſos eſſe: aut [a] non ex iiſdem ſemper populis exercitus ſcriptos; quanquam eadem ſemper gens bellum intulerit: aut innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuiſſe locis, [b] quæ nunc vix ſeminario exiguo militum relicto, ſervitia Romana [3] ab ſolitudine vindicant. Ingens certè (quod inter omnes auctores convenit) quamquam nuper Camilli ductu atque auſpicio acciſæ res erant, Volſcorum exercitus fuit. ad hoc Latini, Hernicique acceſſerant, & Circejenſium quidam, & coloni etiam à Velitris. Romanus dictator caſtris eo die poſitis, poſtero cum auſpicato prodiſſet, [4] hoſtiaque cæſa pacem Deûm adoraſſet; lætus ad milites, jam arma ad propoſitum pugnæ ſignum, ſicut edictum erat, luce prima capientes proceſſit: *Noſtra victoria eſt, milites*, inquit, *ſi quid Dii vateſque eorum in futurum vident: itaque, ut decet certæ ſpei plenos, & cum imparibus manus conſeruros, pilis ante pedes poſitis, gladiis tantum dextras armemus. ne procurri quidem ab acie velim, ſed obnixos vos ſtabili gradu impetum hoſtium excipere. [5] Ubi illi vana injecerint miſſilia, & effuſi ſtantibus vobis ſe intulerint, tum micent gladii, & veniat in mentem unicuique, Deos eſſe, qui Romanum adjuvent: Deos, qui ſecundis avibus in prælium miſerint. Tu, T. Quinti, equitem intentus ad primum* [1] [5] [10] [15] [20] [25] [30]

INTERPRETATIO.

a *Fore ut hoc etiam in mentem veniat.*

b *Aut infinitâ hominum liberorum multitudine regiones illas tunc refertas fuiſſe; quæ nunc deſertæ propemodum eſſent, niſi quod per ſervos Romanorum ea colentes loca, liberantur à ſolitudine*: adeo *ut vix* ſatis Civium *ſuperſit*, quod *ad perexiguum militum ſupplementum ſufficiat*.

NOTÆ.

2. *Non ex iiſdem ſemper populis.*] Sumuntur hic *Populi* pro diverſis gentis ejuſdem civitatibus aut oppidis.

3. *Ab ſolitudine vindicant.*] Italiæ olim populoſiſſimæ ac feraciſſimæ poſteà inculæ, aut in delicias tantùm hortorum occupatæ, hanc ſolitudinem & ſervorum multitudinem infinitam teſtatur, queriturque Tiberius 3. Annal. Taciti.

4. *Hoſtiaque cæſâ pacem Deûm adoraſſet.*] *Pax* pro venia & propitiatione; *adorare*, pro precari & exorare.

5. *Ubi illi vana injecerint miſſilia.*] Cur *vana miſſilia* vocat? Nempe quod minus profint ad ſummam victoriæ, quæ plerunque magis pendet ex eo quod collato pede, & cominùs ferro decernitur.

victum

initium moti certaminis teneas: ubi hærere jam aciem collato pede videris, tum terrorem equestrem occupatis alio pavore infer: invectusque ordines pugnantium dissipa. Sic eques, sic pedes, ut præceperat, pugnant: nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem. Urb. cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Cosso.

XIII. Multitudo hostium [1] nulli rei præterquam numero freta, & oculis utramque metiens aciem, temere prælium iniit, temere omisit: clamore tantum missilibusque telis, & primo pugnæ impetu ferox; gladios & collatum pedem, & vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit. Impulsa frons prima, [2] & trepidatio subsidiis illata, & suum terrorem intulit eques: rupti inde multis locis ordines, motaque omnia, & fluctuanti similis acies erat. deinde, postquam cadentibus primis, jam ad se quisque perventuram eædem cernebat, terga vertunt. Instare Romanus: & donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit: postquam jactari arma passim, fugaque per agros spargi aciem hostium animadversum est; tum equitum turmæ emissæ, [3] dato signo ne in singulorum morando cæde spatium ad evadendum interim multitudini daront. satis esse missilibus ac terrore impediri cursum, obequitandoque [a] agmen teneri, dum assequi pedes [b] & justâ cæde conficere hostem posset. Fugæ sequendique non ante noctem finis fuit: capta quoque ea die castra eodem die castra Volscorum; prædaque omnis, præter libera corpora, militi concessa est. Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit: nec hominum de plebe, ut credi posset mercede militasse; sed principes quidam juventutis inventi; [c] manifesta fides publicâ ope Volscos hostes adjutos. Circejensium quoque quidam cogniti, & coloni à Velitris: Romamque omnes missi, percunctantibus primoribus Patrum, eadem, quæ dictatori, defectionem sui quisque populi haud perplexe indicavêre.

XIV. Dictator exercitum in stativis tenebat; minime dubius bellum cum his populis Patres jussuros: quum major domi exorta moles coëgit acciri Romam eum; glisscente in dies seditione, quam solito magis metuendam auctor faciebat. non enim jam orationes modo Manlii,

INTERPRETATIO.

a *Detineri aciem* hostium, *donec pediti*, &c.

b *Plenâ strage profligare.*

c *Unde perspicuum indicium factum Volscis* Romanorum hostibus, *à Latinis Hernicisque publicâ auctoritate, auxilium latum esse.*

NOTÆ.

1. *Nulli rei præterquàm numero freta.*] Non abs re scribi jubet Gronov. *nullâ re*: ut l. 9. *Etrusci omnium præterquam multitudinis suæ, quâ solâ freti erant, immemores.*

2. *Et trepidatio subsidiis illata.*] *Subsidia* pro subsidiariis, qui in postrema acie. *Le corps de reserve.*

3. *Dato signo ne in singulorum morando cæde.*] Signum dari dicitur in bello, non solùm cum tubarum cornuumve sono monentur milites, sed etiam cum ducis imperia voce eduntur ac transmittuntur,

Urb. cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo.

ſed facta popularia in ſpeciem, tumultuoſa eadem, qua mente fierent, [1] intuenda erant. Centurionem, nobilem militaribus factis, [2] judicatum pecuniæ quum duci vidiſſet; medio foro cum caterva ſua accurrit, & manum injecit: vociferatuſque de ſuperbia Patrum, ac crudelitate fœneratorum, & miſeriis plebis, virtutibus ejus viri fortunaque; *Tum vero ego*, inquit, *nequicquam hac dextra Capitolium arcemque ſervaverim, ſi civem commilitonemque meum, tanquam Gallis victoribus captum, [3] in ſervitutem ac vincula duci videam*. Inde [4] rem creditori palam populo ſolvit, [5] libraque & ære liberatum emittit; Deos atque homines obteſtantem, *ut M. Manlio, liberatori ſuo, parenti plebis Romanæ, gratiam referant*. Acceptus extemplo in tumultuoſam turbam, & ipſe tumultum augebat, cicatrices acceptas Vejenti, Gallico aliiſque deinceps bellis oſtentans. *Se militantem, ſe reſtituentem everſos penates*, [6] *multiplici jam*

NOTÆ.

1. *Intuenda erant*.] Fatetur Gron. ſic ſcriptum eſſe in omnibus libris. Legendum tamen cenſet, *intuenti*: atque ita interpretatur, Manlii non modò orationes, ſed etiam actiones fuiſſe primâ fronte populares: ſed conſideranti quo conſilio fierent, omnino ſeditioſas fuiſſe. At Livii mens eſt, Dictatori hæc fuiſſe inſpicienda, ut nempe obviam iret ſeditioni ſi quæ moveretur.

2. *Judicatum pecuniæ*.] *Pecuniæ judicatus* eſt damnatus certa pecunia, quales à Prætore creditori addicebantur ex lege duodecim Tabularum, niſi intra dies triginta ſolverent.

3. *In ſervitutem ac vincula duci*.] Ob æs alienum creditori addictus, niſi pactus eſſet, habebatur in vinculis dies ſexaginta, A. Gellio auctore: poteratque à Creditore, aut alicui peregrino in ſervitutem vendi, aut etiam interfici. Quod, ſi plures forent Creditores, quibus reus eſſet judicatus; ſecare, ſi vellent, atque partiri corpus ſibi addicti hominis, permiſerunt Decemviri: adeò grave ipſis viſum fidem fallere. Sed eò atrocitatis nunquam ventum legimus. Et poſteà cœperunt operæ loco pecuniæ præſtari.

4. *Rem creditori*.] Pro pecunia & re familiari, *rem* abſolutè dici nemo ignorat. Sed & litem, ſive negotium quod in jure judiciove agitur, & ſignatè *rem* quæ in contentione verſatur, *rei* nomine intelligunt juriſconſulti: ut cum rei vindicationem dicunt, aut tanti damnandum reum, quanti ea res ſit. Itaque Creditori Manlius judicatum ſolvit pro debitore Centurione: nam qui damnatum pecuniæ duci videbat à Creditore; *poterat ſoluta ſummâ*, vel promiſſâ, (ſi ejus fidem creditor ſequeretur) Creditorem judicatum atque addictum liberare.

5. *Libráque & ære liberatum*.] In diſtrahendo perinde ac in contrahendo *æs & libram* Romani veteres adhibebant. Ælius Gallus Juriſconſultus apud Varronem 6. de L. L. *Necti dicit quicquid per æs & libram geritur, cujus generis eſt teſtamenti factio, nexi datio & nexi liberatio*. Vt enim ſolenni ritu res aut jus, domini voluntate, acquireretur, imaginariæ venditionis ſpecies celebrabatur, præſentibus quinque teſtibus Civibus Romanis puberibus, & libripende (qui libram quaſi pendendi æris causâ tenebat) eoque qui coemptor, aut familiæ emptor dicebatur; quique aſſe, dicis causâ, in libram injecto, conceptis verbis rem quæ ageretur, exprimebat veluti ſi emendum eſſet mancipium, dicendo: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe aio, hoc ære atque hac libra*. His itaque ſolennibus Manlius jus quod Creditor in debitorem ſibi addictum habebat, in ſe tranſtulit, exſoluto debito. Diciturque ſignatè eum *emiſiſſe*, quaſi à ſervitute vindicatum manumiſiſſet.

6. *Multiplici jam ſorte exſoluta*.] Tantùm uſurarum ſe creditori ſolviſſe que-

ſorte exſoluta 7 *mergentibus ſemper ſortem uſuris, obrutum fœnore eſſe.* 8 *Videre lucem, forum, civium ora, M. Manlii operâ; omnia parentum beneficia ab illo ſe habere: illi devovere corporis vitæque ac ſanguinis quod ſuperſit. quodcunque ſibi cum patria, penatibus publicis ac privatis juris fuerit; id* a *cum uno homine eſſe.* His vocibus inſtincta plebs quum jam unius hominis eſſet; addita alia commotioris ad omnia turbanda conſilii res. b Fundum in Vejenti, caput patrimonii, 9 ſubjecit præconi: *Nequem veſtrûm*, inquit, *Quirites, donec quicquam in re mea ſupererit, judicatum addictumve duci patiar.* Id vero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas ſecuturi vindicem libertatis viderentur. Ad hoc domi, concionantis in modum, ſermones c pleni criminum in Patres; inter quos, d cum omiſſo diſcrimine, vera an vana jaceret, 10 *theſauros Gallici auri occultari à Patribus* jecit: *nec jam poſſidendis publicis agris contentos eſſe, niſi pecuniam quoque publicam avertant. Ea res ſi palam fiat, exſolvi plebem ære alieno poſſe.* Quæ ubi objecta ſpes eſt, *enimvero indignum facinus videri, quam conferendum ad redimendam civitatem à Gallis aurum fuerit, tributo collationem factam: idem aurum ex*

Urb. cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo.

INTERPRETATIO.

a *Eſſe penes Manlium.*

b *Prædium ruſticum*, quod *in agro Vejenti* habebat, *præcipuam partem bonorum ſuorum.*

c *Criminationibus in Senatum referti.*

d *Cùm Manlius nulla habita ratione an veritati conſentanea*, an ficta, & *futilia eſſent quæ promeret: in vulgus jactavit abſcondi à Senatoribus aurum Gallicum.*

NOTÆ.

ritur, ut ſi in unum conferatur quod uſurarum nomine præſtitum fuerat, & cum ſorte comparetur; eam multis partibus, nec ſemel, ſed ſæpiùs exſuperet: *que les intereſts ſurpaſſent le principal de beaucoup que le principal eſt doublé ou triplé par les intereſts.* Iniquum autem eſt plus exigi ratione uſurarum quàm fuerit in ſorte: ac longè magis uſuras in ſortem converti, ut ſic uſurarum uſuræ debeantur: quæ ſpecies anatociſmus Græcâ voce appellatur.

7. Mergentibus ſemper ſortem uſuris.] Aliàs legebatur *ſe per ſortem*: nullo ſatis idoneo ſenſu. Laudandi meliorîs lectionis auctores, qui *ſemper* repoſuerunt. Eos ſequutus Glarean. hunc locum non malè explanat, etſi dubitare videatur quid ſit *ſortem mergere*. Metaphora tamen eſt non inelegans, quòd Uſuræ, quarum ſolutio ſortem, tanquàm corpus aliquod fluctuans ſublevare quodammodò debebat, adeò graves fuerint, ut impar iis præſtandis debitor nihil potuerit creditori ſolvere, quod in ſortem imputaretur, eamque minueret: & ita ſors, ipſeque debitor, Uſuris, quaſi fluctibus, ſemper obrutus manſerit. Sed quidni legerimus, *mergentibus ſuper ſortem uſuris*; ut ſuperadditum ſorti fœnus debitorem merſiſſe dicatur?

8. Videre lucem.] Repete ex ſuperioribus *ſe*.

9. Subjecit præconi.] Venalem palàm prædicari juſſit per præconem; ut ex ejus pretio paratam haberet pecuniam, quâ obæratis ſubvenire poſſet. Hæc enim erat auctionis ſeu publicæ ſub haſtâ venditionis forma Cic. Phil. 1. *Haſtâ poſitâ pro ade Jovis Statoris, bona Cn. Pompeji voci acerbiſſima ſubjecta præconis.*

10. Theſauros Gallici auri.] Inſinuat aurum quod redimendo à Gallis Capitolio collatum, aut ex eorum deinde ſpoliis redactum ſit, in ærarium inferri debuiſſe.

Urb. Cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo.

hoſtibus captum in paucorum prædam ceſſiſſe. 11 Itaque exſequebantur quærendo *ubi tantæ rei furtum occultaretur*: differentque, & *tempore ſuo ſe indicaturum* dicente; cæteris omiſſis eo verſæ erant omnium curæ: 12 apparebatque nec veri indicii gratiam mediam, nec falſi offenſionem fore.

XV. Ita ſuſpenſis rebus dictator accitus ab exercitu, in urbem venit. 1 poſtero die ſenatu habito, quum ſatis periclitatus voluntates hominum, diſcedere ſenatum ab ſe vetuiſſet; ſtiparus ea multitudine, ſella in comitio poſita, viatorem ad M. Manlium miſit: qui dictatoris juſſu vocatus, quum ſignum ſuis dediſſet adeſſe certamen, agmine ingenti ad tribunal venit. Hinc ſenatus, hinc plebs ſuum quiſque intuentes ducem, velut in acie conſtiterant. Tum dictator, ſilentio facto, *Utinam*, inquit, *mihi Patribuſque Romanis ita de cæteris rebus cum plebe conveniat, quemadmodum quod ad te attinet, eamque rem quam de te ſum quæſiturus, conventurum ſatis confido. Spem factam à te civitati video,* 2 *fide incolumi, ex theſauris Gallicis, quos primores Patrum occultent, creditum ſolvi poſſe. Cui ego rei tantum abeſt ut impedimento ſim, ut contra, te, M. Manli, adhorter, liberes fœnore plebem Romanam: & iſtos incubantes publicis theſauris* b *ex præda clandeſtina evolvas. Quod niſi facis,* c *ſive tu & ipſe in parte prædæ ſis, ſive quia vanum indicium eſt, in vincula te duci jubebo:* d *nec diutius patiar à te multitudinem fallaci ſpe concitari.* Ad ea Manlius, *nec ſe fefelliſſe*, ait, *non adverſus Volſcos toties hoſtes, quoties Patribus expediat; nec adverſus Latinos Hernicoſque, quos falſis criminibus in arma agant; ſed adverſus ſe ac plebem Romanam dictatorem creatum eſſe. Jam omiſſo bello, quod ſimulatum ſit, in ſe impetum fieri; jam dictatorem profiteri patrocinium fœneratorum adverſus plebem: jam ſibi ex favore multitudinis crimen & perniciem quæri. Offendit*, inquit, *te, A. Corneli, voſque Patres conſcripti, circumfuſa turba lateri meo?* e *Quin eam diducitis à me ſinguli veſtris bene-*

1 5 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Pecuniam mutuo datam* plebi *poſſe ex auro Gallico ſolvi, ita ut ſalva ſit fides publica,* & redintegretur inter ordines fiducia

b *Avellas ab occultis ſpoliis*, quibus clam cumulatis eos incubare jactas, & quaſi involutos.

c *Seu quod tu ipſe* (qui è numero quoque Senatorum es) *particeps ſis prædæ: ſeu quod conſictum ſit quod indicaſti.*

d *Id ſe haud latuiſſe.*

e *Cur non veſtrûm unuſquiſque* (*bene merendo* de plebe, quemadmodum ego facio) *hunc globum à me ſeparatum diſpergitis* atque ad vos attrahitis.

NOTÆ.

11. *Itaque exſequebantur, quærendo.*] Quod cœptum erat à Manlio, continuare volebant Plebeji atque perficere. Niſi ità intelligas, haud ſanè video quid ſibi velit verbum *exſequi* nullo adjecto accuſativo, aut indicato. Scripſerat fortè Livius, *Hæc ſequebantur*, id eſt, dictis Manlii poſtremis adhærentes, ac fidem habentes, ſciſcitabantur, ubi, &c.

12. *Apparebatque nec veri indicii.*] Nec dubitabatur quin futurum eſſet, ut Manlius hac denunciatione, in non mediocri eſſet ſive plebis gratiâ, ſiquidem verum eſſet indicium; ſive Senatus, fortè etiam deluſæ plebis, offenſa, ſi id falſum inveniretur.

ficiis, 1 *intercedendo, eximendo de nervo cives veſtros, prohibendo judicatos addictoſque duci; ex eo, quod affluit opibus veſtris, ſuſtinendo neceſſitates aliorum? Sed quid ego vos, de veſtro impendatis, hortor?* 2 *Sortem aliam ferte, de capite deducite quod uſuris pernumeratum eſt: jam nihilo mea turba, quam ullius, conſpectior erit. Atenim, quid ita ſolus ego civium curam ago? nihilo magis quod reſpondeam, habeo, quam ſi quæras, quid ita ſolus Capitolium arcemque ſervarim. Et tum univerſis, quam potui, opem tuli, & nunc ſingulis feram. Nam quod ad thèſauros Gallicos attinet, rem ſuapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. cur enim quæritis quod ſcitis? cur* 3 *quod in ſinu veſtro eſt,* 4 *excuti jubetis potius, quam ponatis? niſi aliqua fraus ſubeſt. quo magis argui præſtigias jubetis veſtras, eo plus vereor* 5. *ne abſtuleritis obſervantibus etiam oculos. Itaque non ego vobis, ut indicem prædas veſtras, ſed vos id cogendi eſtis, ut in medium proferatis.*

Urb. cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo.

NOTÆ.

1. *Intercedendo.*] Verbum è jure depromptum, quod ſignificat, *fide jubere*, alterius obligationem in ſe ſuſcipere, & inter creditorem ac debitorem ſpondendo intervenire, *s'obliger pour le débiteur s'entervenir comme caution*. Dives autem qui pro minùs locuplete intercedit, facilè obtinet ne hic debitor nimiùm urgeatur, cum debitum in tuto collocet. Hoc autem à Patriciis in gratiam Clientum non fieri, exprobrat Manlius.

2. *Sortem aliam ferte.*] Mſſ. & editiones antiquæ *ſortem aliquam ferte*. Sed non hic nodus: verùm in acceptione verbi *ferre*, & nominis *ſors*, quæ non unum habent intellectum. Nam quod ad rem pertinet, *ſors* dici poteſt pro ſumma principali, ſeu capite debiti; & pro conditione ac ſtatu vario hominum, rerum, temporum, ſive pro fortuna. *Ferendi* autem verbum vel ſumi poteſt pro eo quod eſt tolerare, pati: vel pro, afferre, proponere, dare, ut cum dicimus novam conditionem alicui ferre. Gronovius ità explicat, quaſi hoc Manlius velit. *Sorte tandem aliqua & pecunia ſumma contenti eſtote, nec eam renovate ſemper anatociſmis*, id eſt, uſuris, quæ non ſolvantur, ad ſummam crediti additis: quæ ſententia ſatis commoda videtur. Sic etiam accipi poſſet, ut eſſet, aliquam calamitatis publicæ partem à patriciis creditoribus ſubeundam, ut uſuras ex credito deducendo ſublevarent plebejos debitores. Licebit etiam ità interpretari ſummam principalem, ſive caput debiti immutate, ut alia & minor, detractis ex ea uſuris fiat: vel *offerte novam* vel *aliam* ſummam, ab ea quam uſuris adjectis multiplicaſtis; vel certam aliquam, quæ ſemper eadem ſit, nec per acceſſionem uſurarum in dies creſcat.

3. *Quod in ſinu veſtro eſt.*] Proprie *ſinus* veſtis, (prout hic ſumitur) videtur fuiſſe pars quædam tanquam excurrens in dextra lacinia, ut toga à dextra in ſiniſtrum humerum rejiceretur. Eo velut perà Romani olim utebantur, cum femoralibus & manicis, ut plurimùm carerent. Unde *habere in ſinu*, eſt apud ſe, ſive in ſua poteſtate habere, tanquam ea quæ nobiſcum ferimus. Dicitur & in *ſinum conjicere*, pro furari.

4. *Excuti jubetis.*] Quaſi è ſinu veſtro ubi reconditi: proſequitur metaphoram. *Non plebs excutere debet*, & quærere quod occultatum eſt; ſed vos ipſi expromere, ac reſtituere.

5. *Ne abſtuleritis obſervantibus etiam oculos.*] Nihil eſt quod contra fidem & manuſcriptorum & priſcarum editionum cum Sigonio & Glareano legamus *oculis*, aut etiam cum Freinshemio *occulti*. Quid enim clarius, quàm quod ait *abſtuliſſe oculos*, non ſolùm ſpectantibus, ſed vel etiam *obſervantibus*: furum ſcilicet, aut præſtigiatorum more, qui tantâ arte furta, præſtigiaſve ſuas exequuntur; ut acutiſſimi cujuſque, quantumvis maximè attenti, oculos fallant.

Digitized by Google

Urb. Cond. an. 369. Dictat. A. Cornel. Coſſo.

XVI. Quum *mittere ambages*, dictator juberet, & aut [1] peragere verum indicium cogeret, aut faceri facinus inſimulati falſo crimine ſenatus, [a] oblataque vani furti invidiæ; negantem *arbitrio inimicorum ſe locutum*, in vincula duci juſſit. Arreptus à viatore, *Jupiter*, inquit, *optime maxime, Junoque Regina, ac Minerva, cæterique Dii Deæque, qui Capitolium arcemque incolitis; ſiccine* [2] *veſtrum militem ac præſidem finitis vexari ab inimicis? Hæc dextra, qua Gallos fudià à lubris veſtris, jam in vinculis & catenis erit?* Nullius nec oculi, nec aures indignitatem ferebant: ſed [b] invicta ſibi quædam patientiſſima juſti imperii civitas fecerat. nec adverſus dictatoriam vim, aut tribuni plebis, aut ipſa plebs, attollere oculos aut hiſcere audebant. Conjecto in carcerem Manlio, ſatis conſtat, magnam partem plebis [3] veſtem mutaſſe, multos morrales capillum ac barbam promiſiſſe, obverſatamque veſtibulo carceris mœſtam turbam. Dictator de Volſcis triumphavit: [c] invidiæque magis triumphus quam gloriæ fuit. *Quippe domi, non militiæ, partum eum; actumque de cive, non de hoſte*, fremebant: *unum defuiſſe tantum ſuperbiæ, quod non M. Manlius ante currum ſit ductus*. Jamque haud procul ſeditione res erat: cujus leniendæ causâ, poſtulante nullo, largitor voluntarius repente ſenatus factus, *Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci* juſſit: bina jugera & ſemiſſes agri aſſignati. Quod quum & parvum & paucis datum, & mercedem eſſe prodendi M. Manlii inter-

INTERPRETATIO.

a *Et odii in Senatum concitati ex falſo furto.*

b *Sed populus legitimæ poteſtatis tolerantiſſimus, nonnulla ſibi* ipſe *fecerat inſuperabilia.*

c *Æquum hic triumphus odium potiùs quàm decus attulit Cornelio Coſſo.*

NOTÆ.

1. *Peragere verum indicium cogeret.*] Tan. Faber iſtud *verum* deleri vult: Gronovio ſuſpectum eſt, *cogeret*; utrumque tanquam ſupervacaneum. Neutrum tamen redundat: licèt enim *peragere* plerunque ſit *perficere*, atque *ad exitum perducere*; nec *peragi* hoc ſenſu rectè poſſit indicium, niſi *verum* demonſtretur id quod indicatur; quemadmodùm apud Juriſconſultos peregiſſe reum non aliàs quis videtur, niſi & condemnaverit: nonnunquàm tamen compoſitum *perago* pro ſimplici, *ago*, ponitur. Quâ ratione dicitur quis peragere partes ſuas, vel officium, peragere laboris penſum; etiamſi non accuratè perficiat atque abſolvat. Indicium autem feciſſe non ſufficit, ſed oportet *verum* oſtendere. Quamvis etiam ſufficere poſſet verbum *juberet* quod præcedit, plus tamen eſt *cogere*.

2. *Veſtrum militem ac præſidem.*] Præſes dicitur non ſolùm qui præeſt ac præſidet, ſed cuſtos ac vindex, qui nimirum præſto eſt, qui præſidio eſt. Cic. pro Seſt. *Senatus reip. cuſtos, Præſes, propugnator.* Sic militem ſe ac præſidem Deorum qui in Capitolio colebantur Manlius non immeritò dicit, id eſt, defenſorem.

3. *Veſtem mutaſſe.*] Notus mos, quo non modò illuſtres rei, ſed eorum quoque neceſſarii & amici, atrâ & ſordidâ veſte, ſubmiſſo capillo, & barbâ, poenam deprecabantur. Vt eo ſqualore ac deformi habitu miſericordiam judicum provocarent.

pretarentur; remedio irritatur ſeditio; & jam magis inſignis ſordibus & facie reorum turba Manliana erat. amotuſque poſt triumphum abdicatione dictaturæ terror & linguam & animos liberaverat hominum.

XVII. Audiebantur itaque propalam voces exprobrantium multitudini, Urb. cond. 371. Tribb. mill. A. Manl. &c.
quod defenſores ſuos in præcipitem ſemper locum favore tollat, deinde ipſo diſcrimine periculi deſtituat. Sic [1] *Sp. Caſſium in agros plebem vocantem, ſic* [2] *Sp. Melium ab ore civium famem ſuis impenſis propulſantem, oppreſſos: ſic M. Manlium, merſam & obrutam fœnore partem civitatis* [3] *in libertatem ac lucem extrahentem, proditum inimicis.* [4] *Saginare plebem populares ſuos, ut jugulentur.* [5] *Hoccine patiendum fuiſſe, ſi ad nutum dictatoris non reſponderet vir conſularis?* [6] *Fingerent mentitum antè, atque ideo non habuiſſe quod tum reſponderet: cui ſervo unquam mendaci pœnam vincula fuiſſe? Non obverſatam eſſe memoriam noctis illius, quæ penè ultima atque æterna nomini Romano fuerit? non ſpeciem agminis Gallorum per Tarpejam rupem ſcandentis? non ipſius M. Manlii, qualem eum armatum, plenum ſudoris ac ſanguinis, ipſo pene Jove erepto ex hoſtium manibus vidiſſent?* [7] *Selibriſne farris gratiam ſervatori patriæ relatam? & quem prope cœleſtem, cognomine certe Capitolino Jovi parem fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris, obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? Adeo in uno omnibus ſuis unxit? ſeſe, nullam opem in tam multis uni eſſe?* Jam ne nocte quidem turba ex eo loco dilabebatur, refracturoſque carcerem minabantur: [8] quum remiſſo, id quod erepturi erant, ex ſenatuſconſulto Manlius vinculis liberatur. quo facto ſeditio non finita, ſed dux ſeditioni datus eſt. Per eoſdem dies Latinis & Hernicis, ſimul colonis Circejenſibus, & à Velitris purgantibus ſe Volſci crimine belli, captivoſque repetentibus, [9] ut ſuis

NOTÆ.

1. *Sp. Caſſium.*] Lib. 2. cap. 4.

2. *Sp. Melium.*] Lib. 4. cap. 14.

3. *In libertatem ac lucem extrahentem.*] Fœnus fluctibus aſſimilat, quibus demerſi cœlum intueri non poſſunt; ubi emerſere, lucem aſpiciunt.

4. *Saginare plebem.*] Metaphora à victimis aut altilibus, qui lautiori cibo pinguefiunt, ut in aliorum voluptatem citiùs pereant.

5. *Hoccine patiendum fuiſſe,*] Supple ut in carcerem duceretur vir conſularis non alia de cauſa, quàm quòd non ſtatim reſponderet ad nutum Dictatoris.

6. *Fingerent mentitum.*] Eſto mentitus fuerit antea Manlius, inquiebat plebs, aut ita fingant ejus inimici; ideone vincula meritus eſt?

7. *Selibriſne farris.*] Vide lib. 5. c. 47.

8. *Quum remiſſo id, quod erepturi erant.*] Non illibenter circumſcripſerim τὸ, *id*; quo dempto facilior fiet conſtructio. Erit enim *Remiſſo quod erepturi erant*, idem ac *remiſſâ, & condonatâ*, ſive *conceſſâ eâ re*, quam per vim ablaturi videbantur plebeji: quamquam nihil vetat illud *remiſſo* referri ad præcedens nomen *carcere*: & quod ſequitur, *id quod erepturi erant*, per parentheſin dici.

9. *Ut ſuis legibus.*] Hoc ad Latinos quidem & Hernicos referri non ambigo. Videntur enim utrique ſuis legibus uſi, cum adhuc ſociorum loco magis eſſent, quam ſub ditione populi Romani. Et cum Latinis ictum fuiſſe fœdus anno V. C. 261. Coſ. Sp. Caſſio & Poſthumo Cominio conſtat ex Liv. lib. 2. cap. 33. & ex Dionyſ. Hal. carn. extremo lib. 6. Sed utrùm proprias leges habuerint Circejenſes & Veliterni Coloni dubium faciunt

Urb. cond. an. 370. Tribb. mill. A. Manl. &c.

legibus in eos animadverterent, triſtia reſponſa reddita : triſtiora coloнis, *quod cives Romani patriæ oppugnandæ nefanda conſilia iniiſſent*. Non negatum itaque tantum de captivis; ſed, [10] in quo ab ſociis tamen temperaverant, denunciatum ſenatus verbis, *faceſſerent propere ex urbe, ab ore atque oculis populi Romani; ne nihil eos legationis jus,* [1] *externo non civi comparatum, tegeret.*

Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. &c.

XVIII. Recrudeſcente Manliana ſeditione, ſub exitu anni comitia habita, creatique tribuni militum conſulari poteſtate [1] ex Patribus Ser. Cornelius Maluginenſis tertiùm, P. Valerius Potitus iterum, [2] M. Furius Camillus quintùm, Ser. Sulpicius Rufus iterum, C. Papirius Craſſus, T. Quintius Cincinnatus ſecundùm. Cujus principio anni, & Patribus & plebi peropportune externa pax data: plebi, quod non avocata delectu, ſpem cepit, dum tam potentem haberet ducem, [a] fœnoris expugnandi: Patribus, ne quo externo terrore avocarentur animi ab ſanandis domeſticis malis. Igitur quum pars utraque acrior aliquanto coorta eſſet; [3] jam in propinquum certamen aderat: & Manlius, advocata domum plebe, cum principibus novandarum rerum interdiu noctuque conſilia agitat; plenior aliquanto animorum irarumque, quam antea fuerat. Iram accenderat ignominia recens in animo ad contu-

INTERPRETATIO.

a *Abolendi per vim fœnebre malum.*

NOTÆ.

quæ mox ipſis objiciuntur, nomine Senatus, quod ſcilicet *Cives Romani* cum eſſent, *patriæ oppugnandæ nefaria conſilia iniiſſent* ac deinde *Legationis jus externo, non civi comparatum*, ſive conceſſum eſſe: ex quo ſequitur has Romanorum Civium fuiſſe Colonias, & ſic non alias habuiſſe quam Romanas leges. Aliunde tamen Circejorum Colonia à Tarquinio primùm Superbo deducta, Sextoque filio data fuerat, nec ex ſolis Civibus Romanis conflata: deinde à Marcio Coriolano capta Volſciſque fuerat attributa, ſupra lib. 2. cap. 39. fortè & Veliterni ac Circejenſes Caſſiano fœdere cum Latinis comprehenſi, ut Jus aliquod proprium habere potuerint.

10. *In quo ab ſociis tamen temperaverant.*] Colonis non ſolum negati ſunt Captivi eorum Cives, ut Latinis & Hernicis Sociis: ſed præterea imperatum ut confeſtim urbe excederent, qua injuria erga ſocios abſtinerat Senatus.

1. *Ex Patribus.*] Id eſt, omnes Patricii, cum tamen ex plebe creari poſſent, & aliquando crearentur.

2. *M. Furius Camillus quintùm.*] Imò ſextùm, ex Sigon. qui notat in his Tribunatuum numeris ſæpe erratum, cum notis perſcriberentur.

3. *Jam in propinquum certamen.*] Codices quidam habent *in propinquo*: quod ſanè nō eſt cur quiſquam reprehendat. Gronov. tamen ea lectione haud contentus, mavult, ſublatâ præpoſitione, *in*, aliiſque verbis, ſic emendare: *Quum pars utraque acrior aliquando coorta eſſet in propinquū diſcrimen; Manlius*, &c. Quid, ſi nihil mutandum, voluitque Livius licèt minùs uſitatâ, à ſuo tamen ſtylo non aliena loquendi formâ, ſcribere *certamen in propinquum aderat*: ſcilicet *tempus*: quemadmodùm l. 2. c. 20. l. 10. c. 14. aliiſque locis dixit, *provolant in primum, in primum ſucceſſiſſet*, nimirum *locum*. Aut ſi conjunctio, &, ante nomen Manlius, tollenda fuit, ut Gronov. viſum: quid obſtet quominùs & legatur & intelligatur à quovis: *jam in propinquum certamen aderat Manlius, advocatâ*, &c.

meliam inexperto. ſpiritus dabat, quod nec auſus eſſet idem in ſe dictator, quod in Sp. Mælio Cincinnatus Quintius feciſſet: & vinculorum ſuorum invidiam non dictator modo abdicando dictaturam fugiſſet, ſed ne ſenatus quidem ſuſtinere potuiſſet. His ſimul inflatus, exacerbatuſque, jam per ſe accenſos incitabat plebis animos: *Quouſque tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit? numerate ſaltem quot ipſi ſitis, quot adverſarios habeatis. Si ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quam illos pro dominatione certaturos. Quot enim* 4 *clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc adverſus unum eritis.* b *Oſtendite modo bellum, pacem habebitis. Videant vos paratos ad vim, jus ipſi remittent. Audendum eſt aliquid univerſis, aut omnia ſingulis patienda. Quouſque me circumſpectabitis? Ego quidem nulli veſtrum deero. ne fortuna mea deſit, videte. Ipſe vindex veſter, ubi viſum inimicis eſt, nullus repente fui: & vidiſtis in vincula duci univerſi eum, qui à ſingulis vobis vincula depuleram. Quid ſperem, ſi plus in me audeant inimici? an exitum Caſſii, Mæliique exſpectem? Bene facitis, quod abominamini: Dii prohibebunt hæc: ſed* 5 *nunquam propter me de cœlo deſcendent. Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis: ſicut mihi dederunt armato togatoque, ut vos à barbaris hoſtibus, à ſuperbis defenderem civibus.* c *Tam parvus animus tanti populi eſt, ut ſemper vobis auxilium adverſus inimicos ſatis ſit, nec ullum, niſi* 6 *quatenus imperari vobis ſinatis, certamen adverſus Patres noveritis? Nec hoc natura inſitum vobis eſt, ſed uſu poſſidemini. Cur enim adverſus externos tantum animorum geritis, ut imperare illis æquum cenſeatis? quia conſueſtis cum eis pro imperio certare, adverſus hos tentare magis quam tueri libertatem. Tamen qualeſcunque duces habuiſtis, qualeſcunque ipſi fuiſtis, omnia adhuc, quantacunque petiſtis, obtinuiſtis; ſeu vi, ſeu fortuna veſtra: tempus eſt jam majora conari. Experimini modo & veſtram felicitatem, & me (ut ſpero) feliciter expertum: minore negotio, qui imperet*

Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. &c.

INTERPRETATIO.

b *Significate tantùm vos ad arma paratos.*

c *Adeone puſilli animi, vos, tam numeroſus populus, eſtis: ut* cum *in vobis ipſis ſatis ſit opis contra inimicos veſtros: non* tamen *experiri audeatis* conflictum ac *dimicationem ullam contra Senatores; niſi de eo,* ut videatur *in quantum patiendam putetis illorum dominationem.* Vel, *ut ſemper vobis ſufficiat opem contra inimicos tantùm habere; nec &c.*

NOTÆ.

4. *Clientes circà ſingulos fuiſtis patrònos.*] De Patriciis patronis plebejorum ex inſtituto Romuli videndus in primis Dionyſ. lib. 2. Cum autem plures plebejæ familiæ ſub unius patricii patronatu eſſent, apparet quanto plures eſſent plebeji quam patricii.

5. *Nunquam .... de cœlo deſcendent.*] *Dii quippe facientes adjuvant*, ut proverblo fertur apud Varronem, id eſt, induſtrios, non ignavos, ac ceſſantes; & vigilantibus, non dormientibus jura ſuccurrunt.

6. *Quatenus imperari vobis ſinatis.*] Non de eo certatis an vobis Senatus imperet, necne: ſed ad quem uſque modum vobis imperet veſtro conſenſu & patientiâ.

Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. III. &c.

Patribus, imponetis, quam qui reſiſterent imperantibus, impoſuiſtis. Solo aquandæ ſunt dictaturæ conſulatuſque, ut caput attollere Romana plebs poſſit. Proinde adeſte, prohibete jus de pecuniis dici. ego me patronum profiteor plebis, 7 quod mihi cura mea & fides nomen induit. Vos ſi quo inſigni magis imperii honoriſve nomine veſtrum appellabitis ducem, eo utemini potentiore ad obtinenda ea quæ vultis. Inde de regno agendi ortum initium dicitur: ſed nec cum quibus, nec quem ad finem conſilia pervenerint, ſat planum traditur.

XIX. At in parte alterâ ſenatus de ſeceſſione, a in domum privâtam, plebis, forte etiam in arce poſitam, 1 & imminenti mole libertati, agitat. Magna pars vociferantur, *Servilio Ahala opus eſſe, qui non in vincula duci jubendo irritet publicum hoſtem, ſed unius jactâ civis finiat inteſtinum bellum.* Decurritur ad leniorem verbis ſententiam: vim tamen eandem habentem, *Ut videant magiſtratus, ne quid ex perniciosis conſiliis M. Manlii reſpublica detrimenti capiat.* Tum tribuni conſulari poteſtate, 2 tribunique plebis (nam & quia eundem & ſuæ poteſtatis quem libertatis omnium finem cernebant, Patrum auctoritati ſe dediderant) hi tum omnes quid opus facto ſit, conſultant. Quum præter vim & cædem nihil cuiquam occurreret; eam autem ingentis dimicationis fore appareret; tum M. Mænius & Q. Publilius tribuni plebis, *Quid Patrum & plebis certamen facimus, 3 quod civitatis eſſe adverſus unum peſtiferum civem debet? 4 Quid cum plebe aggredimur eum, quem per ipſam plebem tutius aggredi eſt, ut ſuis ipſe oneratus viribus ruat? Diem dicere ei, nobis in animo eſt. nihil minus populare quam regnum eſt. Simul multitudo illa non ſecum cer-*

INTERPRETATIO.

a *Conſultabat Senatus de cœtu plebis ſecedentis in privatas ades, (M. Manlii) qua, ut caſus ferebat, ſita erant in arce.*

NOTÆ.

7. *Quod mihi cura mea.*] Quod (Patroni veſtri) nomen mihi ipſe feci ſolicitudine in vos, & fideli operâ.

1. *Et imminenti mole libertati.*] Legit Tan. Faber nullo auctore, & *imminentem publicæ libertati*, ut ad Manlii domum in Capitolio poſitam referat. Præclarè ſi ea Livio mens. Sed abſque hoc intelligimus gravem ac timendam vim, quæ libertati ex illo ſeditioſo cœtu impendeat. *Molis* certè vocabulum ſive à moliendo, ſive à movendo per antiphraſin derivatum, non ſolùm pilam in mari ædificatam, ſed rem quamvis magnam ſignificat, quæ ægrè moveri aut amoveri queat: ſed pro molimine aut inſtrumento periculoſo in aliquem deſtinato Cicero ponit, ſenſu ab hac Livii ſententia non abhorrente. 2. in Rull. *Hi Capuam ſedem novæ Reip. conſtituunt; molem contra veterem Remp. comparant.*

2. *Tribunique plebis.*] Nunc popularitati adverſi, quæ ruinam libertati, atque adeò magiſtratuum omnium poteſtati minaretur.

3. *Quod Civitatis.*] Quod non plebeji ordinis adversùs Senatorium, ſed totius Reip. adversùs Manlium ſolum certamen eſſe debet.

4. *Quid cum plebe.*] Non audiendus hic Sigonius, obtrudens *quin cum plebe*; &c. Rectè eo nomine reprehenſus à Godelevæo. Nolunt enim Tribuni plebis oppugnari cum Manlio ſimul plebem: oſtenduntque ſatius & ſecurius eſſe ſi plebs ipſa in illum armetur, tyrannidis ſuſpicione injectâ.

turi viderint, & ex advocatis judices facti erunt, & accusatores de plebe patricium reum intuebuntur, 5 & regni crimen in medio; nulli magis quam libertati favebunt suæ.

XX. Approbantibus cunctis, diem Manlio dicunt. quod ubi est factum, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt: nec cum eo non modo patrum quemquam, sed ne cognatos quidem aut affines, postremo ne fratres quidem A. & T. Manlios: quod ad eum diem nunquam usu veniisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent. Appio Claudio in vincula ducto, C. Claudium inimicum, Claudiamque omnem gentem sordidatam fuisse. 1 consensu opprimi popularem virum: quod primus à Patribus ad plebem defeciisset. 2 Quum dies venit, quæ præter cœtus multitudinis seditiosasque voces, & largitionem & fallax indicium, pertinentia proprie ad regni crimen, ab accusatoribus objecta sint reo, apud neminem auctorem invenio: nec dubito haud parva fuisse, quum damnandi mora plebi 3 non in causâ, sed in loco fuerit. Illud notandum videtur, ut sciant homines, quæ & quanta decora fœda cupiditas regni, non ingrata solum, sed invisa etiam reddiderit. Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fœnore expensas pecunias tulisset, quorum bona vænire, quos duci addictos prohibuisset. Ad hæc, decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda; spolia hostium cæsorum ad triginta, 4 dona imperatorum ad quadraginta: in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo. Ad hæc servatos ex hostibus cives produxisse; inter quos C. Servilium magistrum equitum absentem nominatum. & quum ea quoque, quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnificâ, facta dictis

Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. III. &c.

NOTÆ.

5. *Et regni crimen in medio.*] Ubi videbunt hinc plebem per Tribunos suos accusantem; seque ipsos, non ut homines diversarum à Senatu partium, spectari, sed cum nunc advocati Manlio adsint, judices ejusdem sessuros: inde virum Patricium accusatum: atque inter se & illum de regno in Remp. reducendo agi; partes potius propriæ libertatis quàm accusati amplecterentur.

1. *Consensu opprimi popularem virum.*] Communi omnium Patriciorum, imò & Tribunorum plebis consensu.

2. *Quum dies venit.*] Quemadmodùm in legum ferendarum, ità in judiciorum Comitiis trinundinum servabatur. Tribus enim nundinarum diebus accusatio repetebatur ad populum à magistratu; prædicebaturque dies, quâ judicium futurum posteà esset, quartâ accusatione: quod ex Cic. discimus in oratione pro domo suâ.

3. *Non in causa, sed in loco fuerit.*] In damnando Manlio judicium plebis nequaquam ideo dilatum est, quòd non satis magna videretur causa damnandi, (nam crimen ipsius pœnam mereri inter omnes conveniebat): sed quòd ex eo loco, ubi judicium peragebatur, (nempe ex Campo Martio, solenni Centuriatorum Comitiorum sede) conspiceretur Capitolium, quod Manlius defenderat, atque idcirco venia dignus videretur.

4. *Dona imperatorum ad quadraginta.*] Livio, nec cum Cicerone, nec cum Plinio satis convenire in Manlii donorum numero observat Glareanus.

Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. III. &c.

æquando, memoraſſet; nudaſſe pectus 5 inſigne cicatricibus bello ac-
ceptis; & identidem Capitolium ſpectans, Jovem Deoſque alios devo-
caſſe ad auxilium fortunarum ſuarum: precatuſque eſſe, *ut quam*
mentem ſibi Capitolinam arcem protegenti ad ſalutem populi Romani de-
diſſent, eam populo Romano in ſuo diſcrimine darent: & oraſſe ſingulos 5
univerſoſque, *ut Capitolium atque arcem intuentes, ut ad Deos immor-*
tales verſi, de ſe judicarent. In Campo Martio 6 quum centuriatim
populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens, ab homini-
bus ad Deos preces avertiſſet; apparuit tribunis, niſi oculos quoque
hominum liberaſſent ab tanti memoria decoris, nunquam fore in 10
præoccupatis beneficio animis 2 vero crimini locum. Ita 7 prodicta die,
8 in Petelinum lucum extra portam Flumentanam, unde conſpectus in
Capitolium non eſſet, concilium populi indictum eſt. ibi crimen valuit,
& obſtinatis animis triſte judicium, inviſumque etiam judicibus, fa-
ctum. 9 Sunt qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, 15
creatos, auctores ſint. damnatum tribuni 10 de ſaxo Tarpejo dejece-

INTERPRETATIO.

2 *Nunquam futurum ut* plebejorum *mentes, præoccupata beneficio, crimen* Manlii *juſta æſtimatione metirentur.*

NOTÆ.

5. *Inſigne cicatricibus.*] Plerique Codices habent *triginta tribus*: quem numerum ut ſubditicium atque ex Plinio adjectum alii ſuſtulerunt.

6. *Quum centuriatim populus citaretur.*] Per Centurias rogaretur, an pœnam à magiſtratu irrogatam, & quaſi legem de Capite Manlii acciperet, antiquaretve. Hic enim mos erat horum Comitialium judiciorum.

7. *Prodictâ die.*] Lege *producta*, ut apud Cic. *Producta dies eſt, in IV. idum Februarii.* Vult enim judicium in aliam diem fuiſſe dilatum. At *prodicta dies* ſive *prodita*, id valet quod *prædicta*, quod hic non convenit: jam enim prædicta fuerat judicii dies.

8. *In Petelinum lucum.*] *Lucus Petelinus* à Sex. Rufo & P. Victore in 5. urbis regione locatur. Fuitque in Campo Viminali ſub Aggere juxta templum Junonis Lucinæ. Qui tamen an is ſit, de quo nunc Livius, eſt forte quòd dubitetur. Utut ſit, quod ex eo loco non poſſet Capitolium conſpici, opacitas potiùs, ut puto, quàm diſtantia obſtabat.

9. *Sunt qui per Duumviros.*] Poteſt quidem referri ad id, quod ſupra dictum eſt *judicium factum*. Rectiùs tamen Rhenanus, Gronovii, meoque judicio huc retrahi *ei damnatum*: hic enim clariùs intelligetur variaſſe auctorum ſententias, pleriſque tradentibus Manlium ab univerſo populo damnatum: quibuſdam, à Duumviris eâ de cauſa creatis, ut de perduellione inquirerent. De hujus generis Duumviris lib. 1. cap. 26. Obſtare tamen videtur Lex XII. tabularum, quæ de capite Civis Romani rogari vetat, niſi maximo Comitiatu, id eſt plenis Comitiis. Verùm tunc quoque rogatur maximo Comitiatu, cum à populo in Comitiis creantur Quæſitores, qui de crimine cognoſcant: hi quippe populi nomine atque auctoritate judicant. Anno demum 604. perpetuæ quæſtiones inſtitutæ, id eſt, Prætores certo jure de criminibus cognoſcere juſſi: ita ut ſortirentur inter ſe, cujus eſſet quæſtio de repetundis; cujus item de peculatu, de majeſtate, de ambitu.

10. *De ſaxo Tarpejo.*] *Rupes Tarpeja*, alias *ſaxum Carmentale*, ut cenſet Onuphrius, pars eſt montis Saturnii ſive Capitolini, arci Romanæ vicina; nomen

runt: locuſque idem in uno homine & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ ultimæ fuit. Adjectæ mortuo notæ ſunt: publica una; quod, quum domus ejus fuiſſet ubi nunc [11] ædes atque officina Monetæ eſt; latum ad populum eſt, *ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret*: gentilitia altera; *quod gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde M. Manlius vocaretur*. Hunc exitum habuit vir, niſi in libera civitate natus eſſet, memorabilis. Populum brevi, poſtquam periculum ab eo nullum erat, per ſe ipſas recordantem virtutes deſiderium ejus tenuit: peſtilentia etiam brevi conſecuta, nullis occurrentibus tantæ cladis cauſis, ex Manliano ſupplicio magnæ parti videri orta: *Violatum Capitolium eſſe ſanguine ſervatoris. nec Diis cordi fuiſſe pœnam ejus oblatam prope oculis ſuis, à quo ſua templa erepta è manibus hoſtium eſſent.* Urb. cond. an. 371. Tribb. mill. Ser. Cornel. III. &c.

XXI. Peſtilentiam inopia frugum, & vulgatam utriuſque mali famam, anno inſequente multiplex bellum excepit, L. Valerio quartùm, A. Manlio tertiùm, Ser. Sulpicio tertiùm, L. Lucretio, L. Æmilio tertiùm, M. Trebonio, tribunis militum conſulari poteſtate. Hoſtes novi, præter Volſcos, velut ſorte quadam prope in æternum exercendo Romano militi datos, [1] Circejoſque [2] & Velitras colonias, jamdiu molientes defectionem, & ſuſpectum Latium, [3] Lanuvini etiam, quæ fideliſſima urbs fuerat, ſubito exorti. Id Patres ratî contemptu accidere, quod [4] Veliternis civibus ſuis tamdiu impunita defectio eſſet, decreverunt, ut primo quoque tempore ad populum ferretur de bello eis indicendo. ad quam militiam quo paratior plebs eſſet, quinque viros Pomptino agro Urb. cond. an. 372. Tribb. mill. L. Valer. IV. &c.

NOTÆ.

habet à Tarpeja Virgine, de qua lib. 1. cap. 11. Hinc præcipites agebantur perduellionis crimine damnati. Manlium verberibus necatum ſcripſit Corn. Nepos apud A. Gellium libro 17. cap. 21.

11. *Ædes atque officina Monetæ.*] In Capitolio, atque adeò in Arce fuit Manlii domus lib. 5. cap. 47. hujus libri cap. 19. Igitur ibidem quoque fuit Ædes Junonis Monetæ cum officina, in quem uſum verſa domus illa. Bona quippe damnatorum publicari: & , ſi crimen eſſet perduellionis, ſolo æquari domus ſolebant. Hinc Æquimælium 4. 16.

1. *Circejoſque.*] *Circeji*, de quorum Civibus cap. 12. & 17. quibuſdam Græcis κίρκαια oppidum in Volſcis novi Latii populis, agroque Pomptino. Inſula hic locus appellatur ab Homero, ſive quod in modum inſulæ, partim mari, partim paludibus cinctus ſit, teſte Strab. aut quòd non modico tractu in mare procurrens, inſulæ ſpeciem referat. Hodie oppidi veſtigia viſuntur aliqua in monte, quæ dicuntur *La Città Vecchia*. Vide lib. 1. cap. 59. & lib. 2. cap. 39.

2. *Et Velitras.*] De hac Colonia, quæ & ipſa in Pomptino, dictum ſuprà lib. 1. cap. 30. 31. & 34. Addo tantùm ex Svetonio hinc originem traxiſſe Auguſtum.

3. *Lanuvini.*] Ultra Ariciam ad dextrum viæ Appiæ latus fuit *Lanuvium* veteris Latii oppidum in Volſcorum finibus, octo à mari milliaribus, viginti fermè ab urbe. Colonia Romanorum ac municipium poſteà fuit. Inde Miloni, ac deinde M. Aurelio Antonino Pio imperatori origo. Scriptores cum *Lavinio* non rarò confundunt, quod à mari non niſi 3. milliari *Lanuvini* agri fuit Solonius Campus. Nunc vocatur *Cività Lavina*, aut corruptius, *Cività Indovina*.

4. *Veliternis civibus ſuis.*] Colonis ab urbe miſſis.

Urb. cond. an. 372. Tribb. mill. L. Valer. IV. &c.

dividendo, & triumviros Nepete coloniæ deducendæ creaverunt. Tum ut bellum juberent, latum ad populum est: & nequicquam dissuadentibus tribunis plebis, omnes tribus bellum jusserunt. Apparatum eo anno bellum est: exercitus propter pestilentiam non eductus. eaque cunctatio colonis spatium dederat deprecandi senatum: & magna hominum pars eo, ut legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat. ni privato (ut fit) periculo publicum implicitum esset, auctoresque defectionis ab Romanis, metu ne soli crimini subjecti, piacula iræ Romanorum dederentur; avertissent colonias à consiliis pacis. 5 Neque in senatu solum per eos legatio impedita est, sed magna pars plebis incitata, ut prædatum in agrum Romanum exirent. hæc nova injuria [a] exturbavit omnem spem pacis. De Prænestinorum quoque defectione eo anno primum fama exorta: arguentibusque eos Tusculanis, & Gabinis, & Lavicanis, quorum in fines incursatum erat, ita placide ab senatu responsum est, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera esse, appareret.

Urb. Cond. an. 373. Tribb. mill. L. Papir. &c.

XXII. Insequenti anno Sp. & L. Papirii, novi tribuni militum consulari potestate, Velitras legiones duxêre; quatuor collegis [1] Ser. Cornelio Maluginense quartùm, Q. Servilio, Ser. Sulpicio, L. Æmilio quartùm, tribunis ad præsidium urbis, & si qui ex Etruria novi motus nunciarentur (omnia enim inde suspecta erant) relictis. Ad Velitras adversus majora penè auxilia Prænestinorum, quam ipsam colonorum multitudinem, secundo prælio pugnatum est; ita ut [2] propinquitas urbis hosti & causa maturioris fugæ, & unum ex fuga receptaculum esset. Oppidi oppugnatione tribuni abstinuere; quia & anceps erat, nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Literæ Romam ad senatum cum victoriæ nunciis acriores in Prænestinum quàm in Veliternum hostem, missæ. Itaque [3] ex senatusconsulto, populique jussu, bellum Prænestinis indictum: qui conjuncti Volscis anno insequente Satricum coloniam populi Romani pertinaciter à colonis defensam vi expugnarunt, [4] fœdeque in captis exercuere victoriam. Eam rem ægre passi Romani, [5] M. Furium Camillum septimùm tribunum militum

INTERPRETATIO.

a Omnem *pacificationis spem prorsus evertit*.

NOTÆ.

5. *Neque in Senatu solùm*.] Intellige in Senatu Veliterno: habebant enim Coloniæ ac Municipia consilium publicum, ordinem scilicet Decurionum: quem Curiam & Senatum vocabant, ut cap. 26. *Senatum earum* (Tusculanorum) *vocari jussit*.

1. *Ser. Cornelio Maluginense quartùm*.] Glareanus legit *tertiùm*.

2. *Propinquitas urbis*.] Veliternæ.

3. *Ex Senatusconsulto, populique jussu*.] Præcedentem Senatus auctoritatem sequuta de more rogatio, & Centuriatis Comitiis bellum decretum.

4. *Fœdeque in captis*.] Perperam Sigonius *fœdamque*. Non enim *fœda* ac turpiter parta victoria, sed turpiter crudeliterque exercita.

5. *M. Furium Camillum septimùm Tribunum militum*.] Sigonius ex veteribus Libris sextùm.

Digitized by Google

creavêre. additi collegæ, A. & L. Poſtumii Regillenſes, ac L. Furius, cum L. Lucretio, & M. Fabio Ambuſto. Volſcum bellum M. Furio extra ordinem decretum. adjutor ex tribunis ſorte L. Furius datur, « non tam è republica quam ut collegæ materia ad omnem laudem eſſet; & publicè, quod rem temeritate ejus prolapſam reſtituit: & privatim, quod ex errore gratiam potius ejus ſibi quam ſuam gloriam petiit. Exactæ jam ætatis Camillus erat, comitiiſque jurare parato in verba excuſandæ valetudini ſolita, conſenſus populi reſtiterat: ſed vegetum ingenium in vivido pectore [6] vigebat, virebatque integris ſenſibus, & civiles jam res haud magnopere obeuntem bella excitabant. Quatuor legionibus quaternûm millium ſcriptis, exercitu indicto ad portam Eſquilinam in poſteram diem, ad Satricum profectus. ibi cum expugnatores coloniæ haudquaquam perculſi, fidentes militum numero, quo aliquantum præſtabant, opperiebantur. poſtquam appropinquare Romanos ſenſerunt, extemplo in aciem procedunt; nihil dilaturi quin periculum ſummæ rerum facerent: ita paucitati hoſtium, nihil artes imperatoris unici, quibus ſolis confiderent, profuturas eſſe.

Urb. cond. an. 374. Tribb. mill. M. Fu. Camill. VII. &c.

XXIII. Idem ardor & in Romano exercitu erat, [1] & in altero duce: nec præſentis dimicationis fortunam ulla res, præterquam [2] unius viri conſilium atque imperium, morabatur: qui occaſionem juvandarum ratione virium, trahendo bello, quærebat. Eo magis hoſtis inſtare: nec jam pro caſtris tantum ſuis explicare aciem, ſed procedere in medium campi, [3] & vallo prope hoſtium ſigna inferendo, ſuperbam fiduciam virium oſtentare. Id ægre patiebatur Romanus miles: multo ægrius alter ex tribunis militum L. Furius; ferox quum ætate & ingenio, tum multitudinis, ex incertiſſimo ſumentis animos, ſpe inflatus. Hic per ſe jam milites incitatos inſuper inſtigabat, elevando, qua una poterat, ætate, auctoritatem collegæ: *Juvenibus bella data dictitans, & cum corporibus vigere & b defloreſcere animos. Cunctatorem ex acerrimo bellatore factum: & qui adveniens caſtra urbeſque primo impetu rapere ſit ſolitus; eum reſidem intra vallum tempus terere: 4 quid acceſſurum ſuis*,

INTERPRETATIO.

a *Admovendo, vallum quàm proximè ad Romanorum Caſtra.*

b *Animos* hominum unà cum corporibus, & in juventute *florere*, & in ſenectute *flacceſcere*.

NOTÆ.

6 *Vigebat, virebatque.*] Non ægrè acceſſerim ad Fabri ſententiam hæc verba tranſponentis, ut ſit, *virebat vegetum ingenium*: ipſe *vigebat ſenſibus integris*.

1. *Et in altero duce.*] In L. Furio Camilli Collega.

2. *Unius viri.*] Camilli.

3. *Caſtra urbeſque primo impetu rapere.*] Sic optimi Codices, pro *primo impetu capere*. Illud Gronov. firmat ex Floro lib. 3. cap. 20. *Nihil tale expectantis ducis, ſubito impetu Caſtra rapuere.*

4. *Quid acceſſurum ſuis.*] Nihil eſſe ſperandum ajebat L. Furius, quo vel augerentur Romanis, vel hoſtibus decreſcerent vires: quæ una videbatur eſſe idonea pugnæ differendæ cauſa.

Urb. cond. an. 374. Tribb. mill. M. Fu. Cam. VII. &c.

deceſſurumve hoſtium viribus ſperantem? quam occaſionem, quod tempus, quem inſidiis inſtruendis locum? frigere ac torpere ſenis conſilia. Sed Camillo, tum vitæ ſatis, tum gloriæ eſſe. quid attinere cum mortali corpore imo, civitatis, quam immortalem eſſe deceat, pati conſeneſcere vires? His ſermonibus tota in ſe averterat caſtra. & quum omnibus locis poſceretur pugna: *Suſtinere*, inquit, *M. Furi, non poſſumus militum impetum: & hoſtis, cujus animos cunctando auximus, jam minime tolerandâ ſuperbiâ inſultat. Cede unus omnibus, & patere te vinci conſilio, ut maturius bello vincas.* Adea Camillus, [c] *Quæ bella ſuo unius auſpicio geſta ad eam diem eſſent, negare in eis neque ſe, neque populum Romanum, aut conſilii ſui, aut fortunæ pœnituiſſe. nunc ſcire ſe collegam habere jure imperioque parem, vigore ætatis præſtantem. Itaque ſe quod ad exercitum attineat, regere conſueſſe, non regi. collegæ imperium ſe non poſſe impedire. Diis bene juvantibus ageret quod è republica duceret.* [5] *Ætati ſuæ ſe veniam etiam petere, ne in prima acie eſſet. quæ ſenis munia in bello ſint, iis ſe non defuturum. Id à diis immortalibus precari, ne qui caſus ſuum conſilium laudabile efficiat.* Nec ab hominibus ſalutaris ſententia, nec à Diis tam piæ preces auditæ ſunt. primam aciem auctor pugnæ inſtruit, ſubſidia Camillus firmat, validamque ſtationem pro caſtris opponit. ipſe edito loco ſpectator [6] intentus in eventu alieni conſilii conſtitit.

XXIV. Simul primo concurſu concrepuêre arma, hoſtis dolo, non metu, pedem retulit. lenis ab tergo clivus erat [1] inter aciem & caſtra: &, quod multitudo ſuppeditabat, aliquot validas cohortes in caſtris armatas inſtructaſque reliquerant, quæ [2] inter commiſſum jam certamen, ubi vallo appropinquaſſet hoſtis, erumperent. Romanus cedentem hoſtem effuſe ſequendo, in locum iniquum pertractus opportunus huic eruptioni fuit. verſus itaque in victorem terror, & novo hoſte, & [2] ſupinâ valle Romanam inclinavit aciem.

INTERPRETATIO.

c *Ajebat neque ſe neque populum Romanum quicquã habere, cur conſilium aut fortuna ſua dolenda videatur, in iis bellis quæ ſuo ſolius ductu hactenus adminiſtraverit.*

2 *In medio pugnæ jam incepta*, ſive *jam inchoato prælio.*

NOTÆ.

5 *Ætati ſuæ ſe veniam etiam petere.*] Hic turbat Tan. Faber, nec patitur *etiam* loco ſuo ſtare. Legit, *veniam eam petere*, ne ſcilicet in prima acie ſit. At mihi longè melius videtur illud *etiam*, vel ſi Codices variarent. Innuit enim Camillus, tantùm abeſſe ut majoris ætatis ratione velit ſententiam ſuam tueri, quin potiùs ætati veniam dari poſtulat.

6. *Intentus in eventu alieni conſilii.*] Num potiùs in *eventum*? an *intentus* refertur ad nomen *ſpectator*.

1. *Inter aciem & Caſtra.*] Hoſtium,

2. *Supinâ valle.*] Gronov. ait Romanos ideò exterritos & inclinatos, quod cum acclivi loco ſubiiſſent, ab improviſo & recente hoſte qui è caſtris erumpens deſuper incumbebat exciperentur. *Supinam vallem* dici oſtendit quæ à tergo eſt, ex ea collem ſubeuntibus: quam in rem adducit Livii locum lib. 7. *Populiſtis à Caſtris, ſupinâ valle præcipites egiſtis.*

Inſtant

Instant Volsci recentes, qui è castris impetum fecerant: integrant & illi pugnam qui simulatâ cessérant fugâ. Jam [b] non recipiebat se Romanus miles; sed immemor recentis ferociæ veterisque decoris, terga passim dabat, atque effuso cursu castra repetebat: quum Camillus, 3 subjectus a circumstantibus in equum, & raptim subsidiis oppositis, *Hæc est*, inquit, *milites, pugna quàm poposcistis? Quis homo, quis Deus est, quem accusare possitis? 4 vestra illa temeritas, vestra ignavia hæc est. Secuti alium ducem, sequimini nunc Camillum: & quod ductu meo soletis, vincite. Quid vallum & castra spectatis? neminem vestrûm illa, nisi victorem, receptura sunt.* Pudor primo tenuit effusos: inde, ut circumagi signa obvertique aciem 5 viderunt in hostem, & dux, præterquam quod tot insignis triumphis, etiam ætate venerabilis, inter prima signa (ubi plurimus labor periculumque erat) se offerebat; increpare singuli se quisque, & alios, & adhortatio invicem totam alacri clamore pervasit aciem. Neque alter tribunus rei defuit: sed missus à collega restituente peditum aciem, ad equites, non castigando (ad quam rem leviorem auctorem eum culpæ societas fecerat) sed ab imperio totus ad preces versus, orare singulos universosque, *ut se reum fortunæ ejus diei, crimini eximerent. Abnuente ac prohibente collega, temeritatis me omnium potius factum, quàm unius prudentiæ dedi. Camillus in utraque vestra fortuna suam gloriam videt: ego, ni restituitur pugna (quod miserrimum est) fortunam cum omnibus, infamiam solus sentiam.* Optimum visum est 6 β in fluctuantem aciem tradi

Urb. cond. an. 374. Tribb. mill. M. Fu. Cam. &c.

INTERPRETATIO.

b *Non* solùm *Romani pedem referebant, sed terga vertebant.*

NOTÆ.

3. *Subjectus in equum.*] Aliàs *sublatus in equum*, nec malè. Sed noster l. 31. subjiciendi verbo hac in re utitur: & Virg. 12. Æneid.

4. *Vestra illa temeritas.*] Temeritas fuit cum pugnam poposcistis: ignavia est, cum pugnam detractatis.

5. *Viderunt in hostem.*] Frustra Sigonius infercit verbum, *ruêre*, quasi sit, *ruunt in hostem*: meliùs vetus lectio quam repræsentamus; estque sensus: *increpare singuli cæperunt, & seipsos, & commilitones; postquam viderunt circumagi signa, & in hostê obverti; postquàm se offerebat dux venerabilis*, &c.

6. *In fluctuantem aciem tradi equos.*] Laborat hic Glareanus velut in loco obscuro, nec abs re. Gronov. legit *inter fluctuantem aciem*, & sic accipit: ut dum utraque acies hæret fluctuatque ambigua, optimum factu visum sit, si equites ad pedes descenderent, equosque suos traderent lixis: vera sine dubio sententia: at ex verbis per vim expressa. Apud Virgil. quidem Camilla *incensa dolore, tradit equum comiti*: sed *comiti* tradit, non impersonaliter ut hic. Et *acies fluctuans* non plures acies, sed unam significat, Romanorum scilicet. Præterea aliud *in aciem*, aliud *inter aciem*. Quid si legamus *transdi equites*, id est, *transmisti* ad sustentandam pedestri certamine nutantem peditum aciem: idque optimum visum L. Furio, cui equitatus cura mandata. Sic *transdere* dixerunt veteres non solùm pro *tradere*, quod hinc deductum, sed pro *transferre*: Terent. in Phorm. prologo: *retrahere à studio, & transdere hominem in otium*. Ita usi sunt Sallust. & Tacitus.

Urb. cond. an. 374. Tribb. mill. M. Fur. Cam. &c.

equos, & pedestri pugna invadere hostem. Eunt insignes armis animisque, qua premi parte maxime peditum copias vident. nihil neque apud duces, neque apud milites remittitur à summo certamine animi. 7 Sensit ergo eventus virtutis enixæ opem: & Volsci, quà modo simulato metu cesserant, eà in veram fugam effusi, magna pars & in ipso certamine, & post in fuga cæsi: cæteri in castris, quæ capta eodem impetu sunt, plures tamen capti quam occisi.

XXV. Ubi in recensendis captivis 1 quum Tusculani aliquot noscitarentur, secreti ab aliis ad tribunos adducuntur: pereunctantibusque fassi *publico consilio se militasse*, cujus tam vicini belli metu Camillus motus, *exemplo se Romanos captivos ducturum* ait, *ne Patres ignari sint Tusculanos ab societate defecisse. castris exercituique interim, si videatur, præsit collega.* Documento unus dies fuerat, ne sua consilia melioribus præferret. nec tamen aut ipsi, aut in exercitu cuiquam satis placato animo Camillus laturus culpam ejus videbatur, quâ data in tam præcipitem casum respublica esset; & tum in exercitu, tum Romæ constans omnium fama erat, quum varia fortuna in Volscis gesta res esset, adversæ pugnæ fugæque in L. Furio culpam, secundæ decus omne penes M. Furium esse. Introductis in senatum captivis, quum bello persequendos Tusculanos Patres censuissent, Camilloque id bellum mandassent; adjutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque, ut ex collegis optaret quem vellet contra spem omnium L. Furium optavit. qua moderatione animi quum collegæ levavit infamiam, tum sibi gloriam ingentem peperit. Nec fuit cum Tusculanis bellum: 2 pace constanti vim Romanam arcuerunt, quam armis non poterant. Intrantibus fines Romanis, non demigratum ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermissus: patentibus portis urbis, togati obviam frequentes imperatoribus processere: commeatus exercitui comiter in castra ex urbe & ex agris devehitur. Camillus castris ante portas positis, eademne forma pacis, quæ in agris ostentaretur, etiam intra mœnia esset, scire cupiens; ingressus urbem, ubi parentes januas, & tabernis apertis proposita omnia in medio vidit, intentosque opifices suo quemque operi, & ludos literarum strepere discentium vocibus, ac repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum & mulierum huc atque illuc euntium; qua quemque suorum usuum causæ ferrent: nihil usquam, non pavidis modo, sed ne mirantibus quidem simile circumspiciebat, om-

NOTÆ.

7. Sensit ergo eventus virtutis enixæ opem.] Audacter dictum, ut significetur eventum pugnæ, qui anteà, ut ità dicam, languebat adjumento fortitudinis summo nixu conantis, quasi excitatum, respondisse spei Romanorum.

1. *Quum Tusculani.*] Sup. lib. 3. cap. 23.

2. *Pace constanti vim Romanam arcuerunt.*] Constantem dicit pacem, vel quam constanter præ se ferrent Tusculani, vel certam, perspicuam, & manifestam, & quæ rebus ipsis liquidò pateret.

nia inquirens oculis, ubinam bellum fuiſſet: adeo nec amotæ rei uſquam, nec ablatæ ad tempus veſtigium ullum erat; 3 ſed ita omnia conſtante tranquilla pace, ut eo vix fama belli perlata videri poſſet. Urb. cond. an. 374. Tribb. mill. M. Fu. Cam. &c.

XXVI. Victus igitur patientia hoſtium, ſenatum eorum vocari juſſit. *Soli adhuc*, inquit, *Tuſculani*, 1 *vera arma, veraſque vires, quibus ab ira Romanorum veſtra tutaremini, inveniſtis. ite Romam ad ſenatum. æſtimabunt Patres, utrum plus antè pœnæ, an nunc veniæ meriti ſitis.* a *non præcipiam gratiam publici beneficii. deprecandi poteſtatem à me habueritis, precibus eventum veſtris ſenatus,* 2 *quem videbitur, dabit.* Poſtquam Romam Tuſculani venerunt, ſenatuſque paulo ante fidelium ſociorum mœſtus in veſtibulo curiæ eſt conſpectus, moti extemplo Patres, vocari eos jam tum hoſpitaliter magis, quam hoſtiliter juſſere. Dictator Tuſculanus ita verba fecit: *Quibus bellum indixiſtis, inuliſtiſque, Patres conſcripti, ſicut nunc videtis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ,* 3 *ita armati paratique obviam imperatoribus legionibuſque veſtris proceſſimus. Hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, eritque ſemper, niſi ſi quando à vobis, proque vobis, arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus veſtris & exercitibus, quod oculis magis quam auribus credideriant: & ubi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerint. Pacem quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus:* b *bellum eò, ſicubi eſt, avertatis precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inermes experiemur. Hæc mens noſtra eſt. Dii immortales faciant,* 4 *tam felix, quam pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixiſtis: etſi revictis rebus, verbis confutare nihil attinet; tamen etiamſi vera ſint, vel fatori nobis, ea, quum tam evidenter pœnituerit, tutum cenſemus. Peccetur in vos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat.* Tantum fere verborum ab Tuſculanis factum. Pacem in præſentia, nec ita multo poſt civitatem etiam impetraverunt. ab Tuſculo legiones reductæ.

INTERPRETATIO.

a *Non auferam pœnæ decus*, & honorem *beneficii*, quod *populi eſſe debet*.

b *Rogamus ut bellum* à nobis removeatis, & *in ea loca* transferatis, *ſi qua ſunt ubi bellum agitur*.

NOTÆ.

3. *Sed ita omnia conſtante tranquillâ pace.*] Emendabat Tan. Faber, *conſtabant*, adductus congruenti Virgilii ſenſu. *Poſtquam cuncta videt cœlo conſtare ſereno*: ubi *conſtare* eſt, recte conſtituta & compoſita eſſe. Sed & participii vis eadem eſſe poteſt. Nomine certè in hac re ipſa, uſus eſt Valerius, Tuſculanos ajens *hac conſtantiâ tranquillitatis*, ad amicitiam Romanorum, & communionem civitatis penetraſſe.

1. *Vera arma, veraſque vires.*] Valer. Max. de iiſdem Tuſculanis. *Aptius eſſe intellexerant, metum officio diſſimulare, quàm armis protegere.*

2. *Quem videbitur.*] Phraſin Græcam hìc notat Glar. *quem videbitur*, pro, *qui videbitur*. Senſus perſpicuus eſt: *Senatus eum exitum dabit precibus veſtris quem* ipſi *viſum fuerit*, ſcilicet *dare*.

3. *Ita armati paratique.*] Imo inermes & pacifico habitu, nec magis armati, aut ad bellum accincti, quàm nunc ſimus.

4. *Tam felix, quàm pia.*] Ut ſit.

Urb. cond. an. 375. Tribb. mill. L. & P. Valer. &c.

XXVII. Camillus conſilio & virtute in Volſco bello, felicitate in Tuſculana expeditione, utrobique ſingulari adverſus collegam patientia & moderatione inſignis, magiſtratu abiit; creatis tribunis militaribus in inſequentem annum, L. & P. Valeriis, Lucio quintùm, Publio tertiùm, & C. Sergio tertiùm, L. Menenio ſecundùm, Sp. Papirio, Ser. Cornelio Maluginenſe. Cenſoribus quoque eguit annus: maxime propter incertam famam æris alieni; [a] aggravantibus etiam ſummam invidiæ ejus tribunis plebis; quum ab iis elevaretur, quibus fide magis quam fortuna debentium laborare creditum videri expediebat. Creati cenſores, C. Sulpicius Camerinus, Sp. Poſtumius Regillenſis. [2] cœptaque jam res, morte Poſtumii, quia [3] collegam ſuffici cenſori religio erat, interpellata eſt. Igitur quum Sulpicius abdicaſſet ſe magiſtratu, cenſores alii vitio creati non geſſerunt magiſtratum. tertios creari (velut Diis non accipientibus in eum annum cenſuram) religioſum fuit. [4] Eam vero ludificationem plebis tribuni ferendam negabant. [b] *Fugere ſenatum teſtes, tabulas publicas, cenſus cujuſque, quia nolint conſpici ſummam æris alieni, quæ indicatura ſit* [5] *demerſam partem à parte civitatis:* [6] *quum interim obæratam plebem objectari aliis atque aliis hoſtibus. Paſſim jam ſine ullo diſcrimine bella queri. ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tuſculum legiones ductas. Latinis, Hernicis, Præneſtinis jam intentari arma; civium magis quam hoſtium odio, ut in armis terant plebem, nec reſpirare in urbe, aut per otium, libertatis meminiſſe ſinant, aut conſiſtere in concione, ubi aliquando audiant vocem tribuniciam de levando fœnore,* [c] *& fine aliarum injuriarum agentem. Quod ſi ſit animus plebi memor patrum libertatis, ſe nec addici quemquam civem Roma-*

INTERPRETATIO.

a *Tribunis plebis augentibus etiam caput illud odii* publici: *cum ab illis* (creditoribus) *minueretur, quorum intererat, ut putaretur pecuniam creditam non tam ob paupertatem debitorum, quàm ob eorum malam fidem vacillare & non ſolvi.*

b *Senatum vitare* velle *ne Cenſuales Tabulæ teſtarentur* quæ *cujuſque facultates* eſſent.

c *Ac termino aliis injuriis imponendo.*

NOTÆ.

1. *Propter incertam famam æris alieni.*] Quòd varii rumores de magnitudine æris alieni ſpargerentur; qui ſingulorum facultates per cenſum inſpiciendo, poterant diſſipari, vel confirmari.

2. *Cœptaque jam res.*] Cenſus, & pertum æſtimatio bonorum.

3. *Collegam ſuffici Cenſori.*] Cenſoris mors triſtiſſimi ominis habebatur: adeo ut moriente Cenſorum altero, nec alius in demortui locum ſubrogaretur. & neceſſe eſſet Collegam abdicare ſe magiſtratu. Vide ſupra lib. 5. c. 31. & infra lib. 9. cap. 34.

4. *Eam ludificationem plebis.*] Contendebant tribuni hanc Cenſoribus vitio creatis, novos non ſubrogandi religionem, vanam eſſe, & commentum Senatus ad Illudendum plebi.

5. *Demerſam partem à parte Civitatis.*] A Patriciis creditoribus, qui pars Civitatis ſint, obrutam ære alieno plebem, quæ & ipſa pars ſit ejuſdem Civitatis.

6. *Quum interim.*] Expeditior erit ſententia dempto illo, *quum*, cui nullum poſteà verbum reſpondet: niſi *objectari* dicatur, pro *objectaretur*.

sum ob creditam pecuniam passuros; neque delectum haberi, donec inspecto ære alieno, initaque ratione minuendi ejus, sciat unusquisque quid sui, quid alieni sit: superfit sibi liberum corpus, an id quoque nexo debeatur. 7 Merces seditionis proposita confestim seditionem excitavit: nam addicebantur multi, & ad Prænestini famam belli novas legiones scribendas Patres censuerant. quæ utraque simul auxilio tribunicio, & consensu plebis impediri cœpta. Nam neque duci addictos tribuni sinebant, neque juniores nomina dabant: 8 γ quum Patribus 9 minor præsens cura d creditæ pecuniæ juris exsequendi, quam delectus esset: quippe jam à Prænestе profectos hostes in agro Sabino consedisse nunciabatur. Interim tribunos plebis fama ea ipsa irritaverat magis ad susceptum certamen quàm deterruerat: neque aliud ad seditionem exinguendam in urbe, quam prope illatum mœnibus ipsis bellum valuit. Urb. Cond. an. 375. Tribb. mil. L. & P. Valer. &c.

XXVIII. Nam quum esset Prænestinis nunciatum nullum exercitum conscriptum Romæ, nullum ducem certum esse, Patres ac plebem a in semetipsos versos: occasionem rati duces eorum, 1 raptim agmine acto, pervastatis protinus agris, ad portam Collinam signa intulere. Ingens in urbe trepidatio fuit; conclamatum *ad arma*, concursumque in muros atque portas est: tandemque ab seditione ad bellum versi, dictatorem T. Quinctium Cincinnatum creavêre. Is magistrum equitum A. Sempronium Atratinum dixit. Quod ubi auditum est, (tantus ejus magistratus terror erat) simul hostes à mœnibus recessere, & juniores Romani b ad edictum sine detrectatione convenêre. Dum conscribitur Romæ exercitus, castra interim hostium haud procul Allia flumine posita. inde agrum latè populantes, fatalem se urbi Romanæ locum cœpisse, inter se jactabant: *similem pavorem inde ac fugam fore, ac bello Gallico fuerit. Etenim, si diem contactum religione, insignemque nomine ejus loci timeant Romani,* 2 *quanto magis Allienſi die Alliam ipsam, monumentum tantæ cladis, re-*

INTERPRETATIO.

d *Persequendi jus* creditorum *in exigendis debitis.*

a *Versos in mutuam perniciem.*

b *Edicente Dictatore convenerunt absque cunctatione, ad nomina in militiam danda.*

NOTÆ.

7. *Merces seditionis propositæ.*] Promissum auxilium adversus creditorum vim, & adversus ipsos magistratus delectum habituros.

8. *Quum patribus.*] Non vacat particula *cum*, ut Gronov. visum: per eam quippe redditur ratio, non quidem cur juniores nomina non darent; sed cur id senatui ægrè esset.

9. *Minor præsens cura.*] Gronov. *minùs præsens*; seu minùs urgens.

1. *Raptim agmine acto.*] Sic è manuscriptis Gronov. potiùs quàm *agmine facto*. *Agmen factum* intelligitur conglobatum, sive moveatur, sive non. At *agi* dicitur agmen, cum ducitur, præsertim cum impetu & citato gressu, quod hic indicat adverbium *raptim*.

2. *Quantò magis Allienſi die Alliam ipsam.*] Glossema putat Faber τὸ *Allienſi die*. Sed & dies concurrere potuit cum loco: & illud *magis Allienſi die* aliam fert sententiam, ut velint hostes *Alliam ipsam*, ipsum flumen & locum infelicis

Urb. Cond. an. 375. Tribb. mill. L. & P. Valer. &c.

formidaturos? c *Species profecto his ibi truces Gallorum, ſonumque vocis in oculis atque in auribus fore.* Has inanium rerum inanes ipſas volventes cogitationes, d fortunæ loci delegaverant ſpes ſuas. Romani contra, *Ubicunque eſſet Latinus hoſtis, ſatis ſcire eum eſſe, quem ad Regillum lacum devictum, centum annorum* 3 *pace obnoxiâ tenuerint. Locum* 5 *inſignem memoria cladis, irritaturum ſe potius ad delendam memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat, ne qua terra ſit* 4 *nefaſta victoriæ ſuæ.* 6 *Quin ipſi Galli ſi offerantur, illo loco ſe ita pugnaturos, ut Roma pugnaverint in repetenda patria, ut poſtero die ad Gabios; tunc, quam effecerint,* 6 *ne quis hoſtis, qui mœnia Romana intraſſet, nuncium ſecundæ adverſæque fortunæ domum perferret.* 10

XXIX. His utrinque animis ad Alliam ventum eſt. Dictator Romanus, poſtquam in conſpectu hoſtes erant inſtructi intentique, *Videſne tu*, inquit, *A. Sempronii,* a *loci fortuna illos fretos ad Alliam conſtitiſſe?* a *nec illis Dii immortales certioris quicquam fiduciæ majoriſve quod ſit auxilii dederint. At tu, fretus armis Animiſque, concitatis equis invade mediam aciem: ego cum legionibus, inturbatos trepidanteſque inferam ſigna. Adeſte Dii teſtes fœderis: & expetite pœnas debitas ſimul vobis violatis, nobiſque per veſtrum numen deceptis.* Non equitem, non peditem ſuſtinuere Prænestini. primo impetu ac clamore diſſipati ordines ſunt. Deinde, b poſtquam nullo loco conſtabat acies, terga vertunt: conſternatique, & præter caſtra etiam ſua pavore prælati, non prius ſe ab effuſo curſu ſiſtunt, quam in conſpectu Prænestæ fuit. Ibi ex fuga diſſipati locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt: nec, ſi intra mœnia ſe recepiſſent, extemplo ureretur ager, depopulatiſque omnibus obſidio urbi inferretur. Sed poſtquam direptis ad Alliam caſtris victor Romanus aderat, id quoque munimentum relictum: & vix mœnia tuta

INTERPRETATIO.

c *Eo ſanè loci Romanis obverſaturos Gallorum truculentos ac feroces aſpectus, &c.*

d *Omnem ſuam ſpem omni loci credidérant*: ſeu *fiduciam omnem ſuam poſuerant in omine loci.*

a *Atque utinam numina nihil ipſis impertiantur, quod majorem ſecuritatem, aut opem illis deboas afferre.*

b *Nulli ſupererat copiarum aliqua pars, conferta atque inſtructa.*

NOTÆ.

pugnæ *magis* formidandam Romanis, *quàm Allienſem diem.*

3. *Pace obnoxia.*] Obnoxius aliquando ſumitur pro ſubjecto & addicto, & cùm ad animum refertur, pro ſervili. Salluſt. *Ne ſibi obnoxia foret*: id eſt, niſi ſibi obtemperaret. Plin. initio lib. 9. *Obnoxii profectò animi*; & noſter lib. 3. *Obnoxiè dicere ſententiam*: id eſt, *ſerviliter*: *Avec une entiere & abſolue dependance.*

4. *Nefaſta Victoria ſua.*] Ne, etiamſi dies nefaſtus ſit, terra tamen nulla ſit ubi ſibi nefas vincere.

5. *Quin ipſi Galli ſi offerantur.*] Sigon. *Quin ipſi ſi ibi Galli ſe offerant illo loco, &c.* Gronov. conjicit mutatâ interpunctione, quod mihi non improbatur. *Quin ipſi ſibi* (Romanis nempe) *Galli ſi offerantur illo loco.*

6. *Ne quis hoſtis.*] Falſam hanc Romanorum jactantiam refutavi lib. 5. cap. 49.

rati, oppido ſe Prænesſte includunt. [1] Octo præterea oppida erant ſub ditione Prænestinorum: ad ea circumlatum bellum: deinceptſque haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus. Eæ quoque expugnatæ: tum ad caput belli Prænesſte ventum. Id non vi, ſed per dedi- tionem receptum eſt. T. Quintius ſemel acie victor, binis caſtris hoſtium, [2] novem oppidis vi captis, Prænesſte in deditionem accepto, Romam revertit: triumphanſque [3] ſignum Prænesſte devectum Jovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum eſt [4] inter cellam Jovis ac Minervæ: tabulaque ſub eo fixa, monumentum rerum geſtarum, [5] his fermè inciſa literis fuit: *Jupiter atque divi omnes hoc dederunt, ut T. Quintius dictator oppida novem caperet.* [6] Die vigeſimâ quam creatus erat, dictatura ſe abdicavit. Urb. cond. an. 375. Tribb. mill. L. & P. Valer. &c.

XXX. Comitia inde habita tribunorum militum conſulari poteſtate: quibus æquatus patriciorum plebejorumque numerus. Ex patribus creati, P. & C. Manlii, cum L. Julio: plebs C. Sextilium, M. Albinium, L. Antiſtium dedit. Manliis, quod genere plebejos, gratiâ Julium anteibant, Volſci provincia, [1] ſine ſorte, ſine comparatione extra ordinem Urb. cond. an. 376. Tribb. mill. P. & C. Manl. &c.

NOTÆ.

1. *Octo præterea oppida erant.*] Præter ipſum ſcilicet Prænesſte, cæterorum caput. Nullus igitur conjecturæ Fabrî locus, qui legendum ſuſpicatur, *octo per eo tempora*; quod ſatis intelligitur, ex præterito imperfecto *erant*.

2. *Novem oppidis.*] Velitras pro oppido habet, & octo Prænestinorum oppidis addit.

3. *Signum Prænesſte devectum.*] Advertte morem Romanorum numina captarum urbium evocandi ac transferendi Romam. Vide lib. 5. cap. 21. & 22. de Vejorum Junone.

4. *Inter Cellam Jovis ac Minervæ.*] De his Cellis ſuprâ cap. 4.

5. *His fermè inciſa literis.*] τὸ *fermè* Gronovio rectè videtur indicare totum titulum ſuis verbis non fuiſſe exſcriptum. Pighius ex Feſto reſtituere conatus eſt, ejuſque inſcriptionem audaciùs quàm prudentiùs in Livii contextum Gruterus intruſit. Verba Feſti in voce *Trientem tertium* ſic habent. *Trientem tertium pondo coronam dediſſe Jovi donum ſcripſit T. Quintius Dictator, cum per novem dies totidem urbes, ac decimam Prænesſte cepiſſet.* Quòd dicit *per novem dies*, ne dies continuos putem tacit diſtantia Velitrarum à Prænesſte: celeritas quidem hujus Quintianæ expeditionis ex die abdicatæ dictaturæ ſatis patet: ſed niſi plura oppida diebus fingulis captà ſint, quis unquam exercitus uno die viginti paſſuum millia bis emetiri, & oppidum nihilominùs expugnare potuit?

6. *Die vigeſimâ quam creatus erat.*] Rotundum hunc numerum ſequutus eſt Eutropius: ſunt tamen libri optimæ notæ, in quibus ſcriptum *duodevicesimo die*; quod Sigonius interpretatur *vicesimo ſecundo*; cum ſit *decimo octavo*. Auctoritatem quippe Nonii, qui c. 2. vult *duodevicesimo*, ita dici ut *duodecimo*, viri docti repudiant, potiorque Feſti ratio habetur *duodeviginti* à Græcis, tractum obſervantis, qui ſic enunciant δυοδεικοσι; id eſt duobus detractis ex viginti. Ideoque non abs re Gronovio viſum, aut *octavum decimum* diem intelligi debere, aut ſcribi *duo & vicesimo*, ut loquitur Fabius in Annalibus à Sigonio relatus ex A. Gellio lib. 5. c. 4. Et verò Livius lib. 1. c. 40. *Duodequadragesimo fermè anno*, inquit, *ex quo regnare cœperat Tarquinius*. At Priſcum Tarquinium annos XXXVIII. regnum tenuiſſe, ex Dionyſio, & aliis conſtat.

1. *Sine ſorte, ſine comparatione.*] Verè igitur extra ordinem & per gratiam.

Urb. cond. an. 376. Tribb. mill. P. & C. Manl. &c.

data cujus, & ipſos poſtmodo, & Patres, qui dederant; pœnituit. Inexplorato, pabulatum cohortes miſere. 2 quibus velut circumventis, quum id falſo nunciatum eſſet; dum præſidio ut eſſent, citati feruntur, ne auctore quidem aſſervato, qui eos, hoſtis Latinus pro milite Romano, fruſtratus erat, ipſi in inſidias præcipitavêre. Ibi dum iniquo loco ſola virtute militum reſtantes cæduntur, cæduntque, caſtra interim Romana jacentia in campo, ab altera parte hoſtes invaſere. 2 Ab ducibus utrobique proditæ temeritate atque inſcitia res. 3 quicquid ſuperfuit fortunæ populi Romani, id militum etiam ſine rectore, ſtabilis virtus tutata eſt. Quæ ubi Romam ſunt relata, primum dictatorem dici placebat: deinde, poſtquam quietæ res ex Volſcis afferebantur, & apparuit neſcire eos victoria & tempore uti, revocati etiam inde exercitus ac duces: otiumque inde, quantum à Volſcis, fuit. Id modo extremo anno tumultuatum; quod Præneſtini concitatis Latinorum populis rebellarunt. 4 Eodem anno Setiam ipſis querentibus penu-

INTERPRETATIO.

2 *Quas cum circumſederi allatum per fallaciam eſſet ab uno ex hoſtibus Latinis, qui tanquam miles Romanus decepera duces*: qui *dum* (*ne retento quidem nuncio*) *celeriter accurrunt, ut illis* (cohortibus) *opem*, velut obſeſſis, *ferant*: *in* paratum ab hoſtibus *periculum præcipites ruerunt. Ibi dum ſolâ exercitus fortitudine reſiſtentes in loco adverſo, &c.*

NOTÆ.

Nam inter dignitate pares, (quales Conſules, Tribuni militum Conſulari poteſtate, Prætores) munia ita dividebantur, ut vel ipſi inter ſe compararent (id eſt, conſultarent & convenirent); vel ſi minùs inter eos conveniret, ſortirentur, quis hoc, quis illud ſuſciperet.

2. *Ab Ducibus utrobique.*] At utrique Manlio eadem Provincia data fuerat: ut non duobus locis prodere, vel perdere rem Romanam potuiſſe videantur. Adversùs Volſcos ambo quidem miſſi erant, ſed proprio quiſque exercitu: uti ex eo conjicere licet; quod mox additur; *revocati etiam inde*, ex Volſcis, *exercitus & duces*.

3. *Quicquid ſuperfuit fortuna populi.*] Nec fortuna populi Romani adeò afflicta erat, ut id ſolum reliquum eſſet, quod hi milites tutari poſſent; nec horum virtus aliud effecit, quàm ut ipſi præſenti diſcrimini ſe ſubtraherent: ſed fortunæ ſuæ multum debuere Romani, quæ mentem hoſtibus eripuit, quominùs victoriâ uterentur. Non igitur dubito, quin prudenti cuivis probetur Gronovii correctio, qui exiguâ mutatione, corrupto huic loco medetur, ut ſit *Quicquid ſuperfuit, Fortuna populi Rom. & militum etiam ſine rectore ſtabilis virtus tutata eſt. Fortuna* in nominandi caſu, non *fortuna*. Verùm quòd & interſerit pro, *id*; non abſolutè videtur neceſſarium. Ego ſic lubens legerim. *Quicquid ſuperfuit* (ex his ſcilicet exercitibus duorum Manliorum): *id fortuna populi Romani; militum etiam ſine rectore ſtabilis virtus, tutata eſt*.

4. *Eodem anno Setiam.*] Cum omiſſum eſſet Coloniæ nomen à Librario, *Setiam* Sigonius ſubdidit, meliùs, ni fallor, quàm alii *Præneſte*, aut *Satricum*: & quàm Glarean. *Velitras*. Nam *Setiam* Coloniam poſt Satricum deductam Vell. lib. 1. recenſet. Noſter verò Norbæ & Setiæ Coloniarum meminit lib. 7. ſub finem: unde apparet Setinam Coloniam anteà deductam fuiſſe. Eſt autem *Setia* oppidum olim Volſcorum ad dextram Amaſeni fl. Vino generoſo nobile, quod hinc *Setinum*: in colle ſitum quibus ſubjectus ager Pontinus. Hodiè *Sezze* in Campania Romana, quæ Pontificiæ ditionis eſt.

riam

riâm hominum, & novi coloni adſcripti. Rebuſque haud proſperis bello, domeſticâ quies, quam tribunorum militum ex plebe gratia majeſtaſque inter ſuos obtinuit, ſolatium fuit.

XXXI. Inſequentis anni principia ſtatim ſeditione ingenti arſere; tribunis militum conſulari poteſtate, Sp. Furio, Q. Servilio ſecundùm, C. Licinio, P. Cloelio, M. Horatio, L. Geganio. Erat autem & materia & cauſa ſeditionis æs alienum: cujus noſcendi gratia, Sp. Servilius Priſcus, Q. Cloelius Siculus cenſores facti, [a] ne rem agerent bello impediti ſunt. namque trepidi nuncii primo, fugâ deinde ex agris *legiones Volſcorum ingreſſas fines populariique paſſim Romanum agrum*, attulere. In qua trepidatione tantum abfuit, ut civilia certamina terror externus cohiberet; ut contrà eò violentior [1] tribunicia poteſtas impediendo delectui eſſet: donec conditiones impoſitæ Patribus, *ne quis, quoad bellatum eſſet, tribunum daret, aut jus de pecunia credita diceret*. Eo laxamento plebi ſumpto, mora delectui non eſt facta. Legionibus novis ſcriptis, placuit duos exercitus in agrum Volſcum legionibus diviſis duci. Sp. Furius, M. Horatius dextrorſus maritimam oram atque Antium; Q. Servilius, & L. Geganius lævâ ad montes Ecetram pergunt. Neutra parte hoſtis obvius fuit. Populatio itaque non illi vagæ ſimilis, quam Volſcus latrocinii more, diſcordia hoſtium fretus, [2] & virtutem metuens, per trepidationem raptim fecerat: ſed [b] ab juſto exercitu juſtâ irâ facta; ſpatio quoque temporis gravior. Quippe a Volſcis timentibus ne interim exercitus ab Roma exiret, incurſiones in extrema finium factæ erant: Romano contrà etiam in hoſtico morandi erat cauſa, ut hoſtem ad certamen eliceret. Itaque omnibus paſſim tectis agrorum, viciſque etiam quibuſdam exuſtis, non arbore frugifera, [c] non ſatis in ſpem frugum relictis; omni, quæ extra mœnia fuit, hominum pecudumque præda abactâ, Romam utrinque exercitus reducti.

Urb. Cond. an. 376. Tribb. mill. Sp. Fur. &c.

XXXII. Parvo intervallo ad reſpirandum debitoribus dato; poſtquam quietæ res ab hoſtibus erant, [d] celebrari de integro [1] juriſdictio: & tantum abeſſe ſpes veteris levandi fœnoris, ut tributo novum fœnus contraheretur, in murum à cenſoribus locatum ſaxo quadrato faciundum.

INTERPRETATIO.

a *Ne exequerentur* ſuſceptum *negotium* Cenſuræ.

b *Ab ordinato exercitu per iram legitimam illata* vaſtitas.

c *Ne relictâ quidem ſemente.*

d *Denuò frequentari cœpit* forum.

NOTÆ.

5. *Novi coloni adſcripti.*] Non quòd jam ab urbe alii eò deducti antiquitùs fuiſſent; ſed quòd indigenis volentibus propter infrequentiam, additi de novo Romani.

1. *Tribunicia poteſtas.*] Tribunorum plebis adversùs Tribunos militum.

2. *Et virtutem metuens.*] Repete *hoſtium*, Romanorum ſcilicet.

1. *Juriſdictio.*] Ut jus de pecunia diceretur creditoribus adverſus debitores.

Urb. cond. an. 377. Tribb. mill. L. Æmil. &c.

cui ſuccumbere oneri coacta plebes; quia [2] quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis. Tribunos etiam militares patricios omnes coacta principum opibus fecit, L. Æmilium, P. Valerium quartùm, C. Veturium, Ser. Sulpicium, L. & C. Quintios Cincinnatos. iiſdem opibus [3] obtinuere, ut adverſus Latinos, Volſcoſque, qui conjunctis legionibus ad Satricum caſtra habebant, nullo impediente omnibus junioribus ſacramento adactis, tres exercitus ſcriberent: unum, ad præſidium urbis; alterum, qui ſi qui alibi motus exſtitiſſet, [4] ad ſubita belli mitti poſſet; tertium longe validiſſimum P. Valerius, & L. Æmilius ad Satricum duxere. ubi quum aciem inſtructam hoſtium, loco æquo inveniſſent, extemplo pugnatum; & ut [b] nondum ſatis claram victoriam, ſic proſperæ ſpei pugnam imber ingentibus procellis fuſus diremit. Poſtero die iterata pugna: & aliquandiu æquâ virtute fortunaque Latinæ maxime legiones, longa ſocietate militiam Romanam edoctæ, reſtabant. eques immiſſus ordines turbavit; turbatis ſigna peditum illata: quantumque Romana ſe invexit acies, tantum hoſtes gradu demoti. & ut ſemel inclinavit pugna, jam intolerabilis Romana vis erat. Fuſi hoſtes, quum Satricum, quod duo millia inde aberat, non caſtra, peterent, ab equitatu maxime cæſi. caſtra capta, direptaque. Ab Satrico nocte, quæ prælio proxima fuit, fugæ ſimili agmine petunt Antium: & quum Romanus exercitus prope veſtigiis ſequeretur, [5] plus tamen timor, quam ira celeritatis habuit. Prius itaque mœnia intravêre hoſtes, quam Romanus extrema agminis carpere aut morari poſſet. inde aliquot dies vaſtando agro abſumpti; nec Romanis ſatis inſtructis apparatu bellico ad mœnia aggredienda, nec illis ad ſubeundum pugnæ caſum.

XXXIII. Seditio tum inter [1] Antiates Latinoſque coorta; quum Antiates victi malis ſubactique bello, in quo & nati erant & conſenuerant, deditionem ſpectarent: Latinos ex diutina pace, nova defectio, recentibus adhuc animis ferociores ad perſeverandum in bello faceret. finis certaminis fuit, poſtquam utriſque appaſuit, nihil per alteros ſtare, [2] quominùs incepta perſequerentur. Latini profecti, à ſocietate

INTERPRETATIO.

b *Non victoriam quidem omnino indubitatam, ſed ſpem*, &c.

NOTÆ.

2. *Quem delectum impedirent*.] Utantèa prohibendo delectum ad bellum contra hoſtes, laxamentum aliquod à Senatu extorſerant Tribuni plebis.

3. *Obtinuere*.] Patricii.

4. *Ad ſubita belli*.] Ex melioribus libris elegantiùs, quàm ut alii, ad *ſubita bella*.

5. *Plus tamen timor, quam ira*.] Velociores fuere Volſci ex metu, quàm Romani ex ira: etenim *pedibus timor addidit alas*.

1. *Antiates, Latinoſque*.] Latinos veteres, quibus cum nondum in commune nomen coaluerant Volſci, quorum caput *Antium*.

2. *Quominùs incepta perſequerentur*.] Neque Antiates impedimento eſſe, quominùs Latini bellum ſuſceptum proſequerentur: neque Latinos obſtare, quin-

pacis, ut rebantur, inhoneſtæ, ſeſe vindicaverunt. Antiates [a] incommodis arbitris ſalutarium conſiliorum remotis, urbem agroſque Romanis dedunt. Ira & rabies Latinorum quia nec Romanos bello lædere, nec Volſcos in armis retinere potuerant, eo erupit, ut Satricum urbem, quæ receptaculum primum eis adverſæ pugnæ fuerat, igni concremarent: nec aliud rectum ejus ſuperfuit urbis (quum faces pariter ſacris profaniſque injicerent) quàm [3] matris Matutæ templum. Inde eos nec ſua religio, nec verecundia Deûm arcuiſſe dicitur, ſed vox horrenda edita templo cum triſtibus minis, *ni nefandos ignes procul delubris amoviſſent*. Incenſos ea rabie, impetus Tuſculum tulit, ob iram, quòd deſerto communi concilio Latinorum, non in ſocietatem modo Romanam, ſed etiam in civitatem ſe dediſſent. Patentibus portis quum improviſo incidiſſent, primo clamore oppidum præter arcem captum eſt: in arcem oppidani refugêre cum conjugibus ac liberis: nunciosque Romam, qui certiorem de ſuo caſu ſenatum facerent, miſere. Haud ſegniùs, quam fide populi Romani dignum fuit, exercitus Tuſculum ductus. L. Quintius, & Servius Sulpicius tribuni militum duxêre. clauſas portas Tuſculi, Latinoſque ſimul obſidentium atque obſeſſorum animo, hinc mœnia tueri vident, illinc arcem oppugnare; [4] terrere unà ac pavere. Adventus Romanorum mutaverat utriuſque partis animos. Tuſculanos ex ingenti metu in ſummam alacritatem; Latinos ex prope certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur, in exiguam de ſeipſis ſpem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Tuſculanis: excipitur aliquanto majore ab exercitu Romano. Utrinque urgentur Latini: nec impetus Tuſculanorum decurrentium ex ſuperiore loco ſuſtinent; nec Romanos ſubeuntes mœnia, molienteſque obices portarum, arcere poſſunt. Scalis prius mœnia capta; inde infracta clauſtra portarum. & quum [b] anceps hoſtis & à fronte & à tergo urgeret; nec ad pugnam ulla vis, nec ad fugam loci quicquam ſupereſſet; in medio cæſi ad unum omnes. Recuperato ab hoſtibus Tuſculo, exercitus Romam eſt reductus.

Urb. cond. an. 377. Tribb. mill. L. Æmil, &c.

XXXIV. * Quanto magis proſperis eo anno bellis tranquilla omnia

INTERPRETATIO.

a *Amotis* Latinis, *qui teſtes ac diſceptatores moleſti utilium deliberationum erant* &c.
b *Hoſtes ex duplici latere* advenientes.

NOTÆ.

pax ab Antiatibus, quibus cordi erat, perficeretur.

3. *Matris Matutæ templum.*] In Colonis Civium Romanorum eadem colebantur numina, quæ Romæ; ubi *matris Matutæ* ædes fuit à Servio primùm Tullio dedicata, inde à Camillo, confecto Vejenti bello, ex voto refecta. Noſter lib. 5. c. 19. & 23.

4. *Terrere unà ac pavere.*] Terrere Tuſculanos in arce obſeſſos, pavere Romanos exteriora mœnia obſidentes. Huc videtur alluſiſſe Tacit. *in vulgo nil modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, impunè contemni.*

Urb. cond. an. 377. Tribb. mill. L. Æmil. &c.

foris erant, tanto in urbe vis Patrum in dies miſeriæque plebis creſcebant; quum 1 eo ipſo, quod neceſſe erat ſolvi, facultas ſolvendi impediretur. Itaque quum jam 2 ex re nihil dari poſſet, 2 famâ & corpore, judicati atque addicti creditoribus ſatisfaciebant, b pœnaque in vicem fidei ceſſerat. Adeo ergo obnoxios ſummiſerat animos, non infimi ſolùm, ſed principes etiam plebis: ut non modo ad tribunatum militum inter patricios petendum, quod tanta vi ut *liceret*, tetenderant; ſed ne ad plebejos quidem magiſtratus capeſſendos petendoſque ulli viro acri experientique animus eſſet; poſſeſſionemque honoris uſurpati modo à plebe per paucos annos, recuperaſſe in perpetuum Patres viderentur. Ne id nimis lætum parti alteri eſſet, parva (ut plerumque ſolet) rem ingentem moliundi cauſa intervenit. 3 M. Fabii Ambuſti potentis viri, c quum inter ſui corporis homines, tum etiam ad plebem, quod haudquaquam inter id genus contemptor ejus habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpicio majori, minori C. 4 Licinio Stoloni erat; illuſtri quidem viro, tamen plebejo: eaque ipſa affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio ad vulgum quæſierat. Fortè ita incidit, ut in Ser. Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe (ut fit) ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum is de foro ſe domum reciperet, 5 forem (ut mos eſt) virga percuteret. quum ad id, moris ejus inſueta,

INTERPRETATIO.

a *Nihil ſolvi poſſit ex bonis.*

b *Et loco ſolutionis* (quâ fides præſtatur) *ſupplicium ſuccedebat.*

c *Gratioſus & inter viros ſui ordinis* (patricii), *& inter plebejos quoque; quoniam apud eos credebatur ordinem illum* (plebejum) *nequaquam deſpicere.*

NOTÆ.

1. *Eò ipſo quod neceſſe erat ſolvi.*] Cum magnus eſſet obæratorum numerus, omneſque ſimul ad ſolutionem urgerentur, fiebat ut in ære alieno diſſolvendo alter alterum juvare non poſſet; & ſic omnibus ex eo adimeretur ſolvendi facultas.

2. *Famâ & corpore judicati.*] Luebant famâ, quòd cum non eſſent ſolvendo, tanquàm fraudatores condemnarentur. Id autem cum ignominia conjunctum, adeò ut lege Roſcia certus decoctoribus locus in ſpectaculis fuerit conſtitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo *decoxiſſet*, teſte Cic. Philip. 2. *Corpore* autem luebant debitores, quòd in vinculis operas pro debito præſtare cogerentur, ut jam ſæpiùs annotatum.

3. *M. Fabii Ambuſti.*] Cognomen Ambuſti qui primus geſſit, ex eo ſic dictus eſt, quòd adoleſcens fulmine in naribus tactus fuiſſet.

4. *Licinio Stoloni.*] Inutilem ex radicibus arborum frutificationem Latini *Stolonem* appellant: inde Stolonum cognomen in Liciniorum gentem invectum, quod hic Licinius propter diligentiam culturæ confirmavit, quoniam nullus in ejus fundo reperiri poterat *Stolo*; quod eos ſedulò circum arbores effoderet, auctore Varr. 4. de re Ruſt. Plin. lib. 17. cap. 1. *Stolones* ait nomen datum ob pampinationem inventam. Licinii verò nomen iis generaliter inditum qui parvis oculis naſcebantur.

5. *Forem, ut mos eſt, virgâ percuteret.*] Conſule, aliove majori magiſtratu ædes aliquas ingreſſuro, virgâ fores à lictore percutiebantur, monendi cauſâ; niſi ejus eſſet ædes, cui deferendus ab ipſo magiſtratu videretur honor. Qua de cauſa Cn. Pompejus, confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonii ſa-

Digitized by Google

expaviſſet minor Fabia; riſui ſorori fuit, miranti ignorare id ſororem. Cæterum is riſus d ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit; frequentiâ quoque proſequentium rogantiumque, *nunquid vellet*, credo fortunatum matrimonium ei ſorori viſum; ſuique ipſam, malo arbitrio, quo à proximis quiſque minimè anteiri vult, pœnituiſſe. Confuſam eam ex recenti morſu animi, quum pater fortè vidiſſet, percunctatus, *ſatin' ſalvo*, e avertentem cauſam doloris (quippe nec ſatis piam adverſus ſororem, nec admodum in virum honorificam) elicuit, comiter ſciſcitando, ut fateretur, *eam eſſe cauſam doloris, quod junctia impari eſſet; nupta in domo, f quam nec bonos nec gratia intrare poſſet.* Conſolans inde filiam Ambuſtus, *bonum animum habere* juſſit. *eoſdem propediem domi viſuram honores, quos apud ſororem viderat.* Inde conſilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio, ſtrenuo adoleſcente, & cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet. Urb. cond. an. 377. Tribb. mill. L. Æmil. &c.

XXXV. Occaſio videbatur rerum novandarum propter ingentem vim æris alieni, cujus levamen mali plebes, niſi ſuis in ſummo imperio locatis, nullum ſperaret. 1 Accingendum ad eam cogitationem eſſe. conando agendoque *jam eo gradum feciſſe plebejos, unde ſi porro annitantur,* 2 *pervenire ad ſummam, & Patribus æquari tam honore quam virtute poſſent.* In præſentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magiſtratu ſibimetipſi viam ad cæteros honores aperirent. creatique tribuni C. Licinius & L. Sextius, 3 promulgavere leges, omnes adverſus opes patriciorum,

INTERPRETATIO.

d *Animum fœmineum, qui exiguis rebus facilè movetur* atque impellitur; *vehementi incitatione inflammavit. Suſpicor etiam conjugium ſororis fortunatum* ei *viſum ob multitudinem eorum qui* maritum *ſequebantur, & quærebant an aliquid juberet: ideoque eam deploraſſe ſortem ſuam, perversâ illâ voluntate quâ unuſquiſque ſe à neceſſariis ſuperari minimè patitur.*

e *Cum illa aliò verteret doloris cauſa:*

f *In qua nullus pateret aditus, nec ad dignitatem, nec ad potentiam.*

NOTÆ.

pientiæ profeſſoris domum, fores percuti de more à lictore vetuit: & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens, Occidenſque ſubmiſerat. Inquit Plin. lib. 7. cap. 30.

1. *Accingendum ad eam cogitationem.*] *Accingendum* eſſe pro *accingi*, vel *ſe accingere*, aut ſine pronomine, *accingere oportere*. Nam & in activâ voce dixit Virgil. *accingunt omnes operi*. Nec probari mihi potuit Gronovii conjectura, quaſi meliùs ſit *accingendam ad ea cogitationem*. Quis enim *accingere* à perſonis tranſtulit: aut quis ferat cogitationem *accingi*, ſeu accinctam dici?

2. *Pervenire ad ſummam.*] Cave *ſummam*, adjectivum putaveris quaſi ad cogitationem referatur. Non enim de cogitatione, ſpe, conſiliove agitur, ſed de ipſa re. Eſt itaque ſubſtantivè, *ſumma*, rerum ſeu reip. ſumma, nullo addito, ſuprema adminiſtratio, præcipuus gradus auctoritatis. Sic apud Cic. 4. Catil. *Quid ego hic equites Romani commemorem, qui vobis ita ſummâ ordinis conſiliique concedunt: ut vobiſcum de amore reip. certent.* Id qui non probaverit, legat licet, *pervenire ad ſumma*.

3. *Promulgavere leges, omnes.*] Hi duo Tribuni plebis cum aliis creati, plures promulgarunt leges, quæ omnes, &c.

Urb. cond. an. 377. Tribb. mill. L. Æmil.

& pro commodis plebis: unam de ære alieno, *ut* [a] *deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod supereſſet, triennio æquis portionibus persolveretur*, alteram de modo agrorum, *ne quis* [4] *plus quingenta jugera agri possideret*: tertiam, [5] *ne tribunorum militum comitia fierent, consulumque utique alter ex plebe crearetur*. cuncta ingentia & quæ sine certamine maximo obtineri non possent. Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniæ, honorum, [b] discrimine proposito, conterriti patres quum trepidassent, publicis privatisque consiliis nullo remedio alio præter expertam multis jam ante certaminibus intercessionem invento; collegas adversus tribunicias rogationes comparaverunt. qui ubi tribus ad suffragium incundum citari à Licinio Sextioque viderunt; stipati Patrum præsidiis, nec recitari rogationes, nec solenne quicquam aliud ad scisscendum plebi fieri, passi sunt. Jamque frustra sæpe concilio advocato, quum pro antiquatis rogationes essent, *Bene habet*, inquit Sextius, *quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agitedum, comitia indicite Patres tribunis militum creandis. faxo ne juvet vox ista*, VETO, *qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis*. Haud irritæ cecidêre minæ: comitia, præter [6] ædilium tribunorumque plebis, nulla sunt habita. *Licinius Sextiusque* tribuni plebis refecti, nullos curules magistratus creari passi sunt, eaque solitudo magistratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, [7] per quinquennium urbem tenuit.

Urb. cond. an. 378. Sine majoribus Magistratibus.

XXXVI. Alia bella opportune quievêre: Veliterni coloni, gestientes otio, quod nullus exercitus Romanus esset, & agrum Romanum

INTERPRETATIO.

a *Ut quod usurarum nomine solutum esset, imputaretur in sortem: reliqua sors æquis tribus per annos totidem pensionibus repræsentaretur.*

b *Cum constitutum esset certamen de iis* omnibus *quorum cupiditate homines* inter se committuntur, atque *agitantur* &c.

NOTÆ.

4. *Plus quingenta jugera.*] Hujus Legis sive plebiscîti auctor Licinius Stolo; suâ ipse lege paulò post damnatus est: convictus modum à se præscriptum in duplum excessisse, & mille jugera possidere, dimidium suo, dimidium filii nomine.

5. *Ne tribunorum militum Comitia.*] Ne crearentur in posterum Tribuni militum Consulari potestate: sed summa rerum ad Consules rediret, quorum saltem unus esset ex plebe.

6. *Ædilium.*] Plebejorum.

7. *Per quinquennium.*] Eutropius, & Cassiodorus, huic anarchiæ Quadriennium tantùm assignant. Itemque Sex. Rufus cujus hic adscribenda videntur verba: *Quadraginta quinque annis Roma Consules defuerunt: sub Decemviris, duobus; sub Tribunis militum, quadraginta tribus, sine magistratibus Roma fuit annis quatuor*. Sed quod scribit Romam XLIII. annis sub Tribunis militum fuisse de eo tantùm tempore accipiendum quod ex Patriciis solis facti ejusmodi Tribuni: unde & totius annorum summæ augendus est numerus adjectis annis quibus ex utroque ordine Tribuni militum creati.

Digitized by Google

aliquoties incurſavere, & Tuſculum oppugnare adorti ſunt. eaque res Tuſculanis, veteribus ſociis, novis civibus, opem orantibus, verecundiâ maxime, non Patres modò, ſed etiam plebem movit. [a] Remittentibus tribunis plebis, comitia per interregem ſunt habita: creatique tribuni militum L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, P. & C. Valerii, haudquaquam tam obedientem in delectu, quam in comitiis plebem habuere: ingentique contentione exercitu ſcripto, profecti, non ab Tuſculo modo ſubmovere hoſtem, ſed intra ſuamet ipſum mœnia compulere. obſidebanturque haud paulo vi majore Velitræ quam Tuſculum obſeſſum fuerat: nec tamen ab eis, à quibus obſideri cœptæ erant, expugnari potuere. Ante novi creati ſunt tribuni militum, Q. Servilius, C. Veturius iterum, A. & M. Cornelii, Q. Quintius, M. Fabius. nihil ne ab his quidem tribunis ad Velitras memorabile factum. In majore diſcrimine domi res vertebantur: nam præter Sextium Liciniumque latores legum, jam octavum tribunos plebis refectos; [1] Fabius quoque tribunus militum Stolonis ſocer, quarum legum auctor fuerat, earum ſuaſorem ſe haud dubium ferebat. & quum octo ex collegio tribunorum plebis primò interceſſores legum fuiſſent, [2] quinque ſoli erant: & (ut ferme ſolent, qui à ſuis deſciſcunt) [3] capti, & ſtupentes animi, vocibus alienis id modo quod domi præceptum erat, interceſſioni ſuæ prætendebant: Velitris in exercitu plebis magnam partem abeſſe: in adventum militum comitia differri debere, ut univerſa plebs de ſuis commodis ſuffragium ferret. Sextius Liciniuſque, cum parte collegarum, & uno ex tribunis militum Fabio, [b] artifices jam tot annorum uſu tractandi animos plebis, primores Patrum productos, interrogando de ſingulis quæ ferebantur ad populum, fatigabant: *Auderentne poſtulare, ut quum bina jugera agri plebi dividerentur, ipſis plus quingenta jugera habere liceret? Ut ſinguli prope trecentorum civium poſſiderent agros, plebejo homini vix ad te-*

Urb. cond. an. 383. Tribb. mill. L. Fur. &c.

Urb. Cond. an. 384. Tribb. mill Q. Servil. &c.

INTERPRETATIO.

a *Tribunis plebis renunciantibus* interceſſioni.

b *Poſt tot annorum experientiam earum artium peritî, quibus allicerentur atque impellerentur plebejorum mentes.*

NOTÆ.

1. *Fabius &c. quarum legum auctor fuerat.*] Quemadmodùm filiæ minori promiſerat, extremo cap. 34.

2. *Quinque ſoli erant.*] Tribus ex interceſſorum numero ad Sextium & Licinium adjunctis, aut certè interceſſioni renunciantibus non niſi quinque ſupererant qui in ea perſeverarent.

3. *Capti & ſtupentes animi.*] Vult hos quinque Tribunos, cum res agenda eſſet, deprehenſos, hærentes, impeditos, atque animo attonito fuiſſe; quoniam non proprio ingenio utebantur in eo negotio proſequendo, ubi firmanda rationibus erat interceſſio, Collegarum conatibus ab ipſis oppoſita: unde ea tantùm afferebant quæ aliorum monitis domi anteà fuerant meditati. Nimirum, &c.

ctum neceſſarium, 4 *aut locum ſepulturæ, ſuus pateret ager? An placeret fœnore circumventam plebem*, 5 *ni potius quam ſortem creditum ſolvat*, c *corpus in nervum ac ſupplicia dare: & gregatim quotidie de foro addictos duci, & repleri vinctis nobiles domos? & ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum eſſe?*

Urb. cond. an. 384. Tribb. mill. Q. Servil. &c.

XXXVII. Hæc indigna miſerandaque auditu, quum 1 apud timentes ſibimetipſos majore audientium indignatione quam ſuâ increpuiſſent: *atqui* a *nec agros occupandi modum, nec* 2 *fœnore trucidandi plebem, alium Patribus unquam fore* affirmabant; *niſi alterum ex plebe conſulem, cuſtodem ſuæ libertatis, plebs feciſſet. Contemni jam tribunos plebis; quippe quæ poteſtas jam ſuam ipſa vim frangat intercedendo. Non poſſe æquo jure agi, ubi imperium penes illos,* 3 *penes ſe auxilium tantùm ſit. niſi imperia communicato, nunquam plebem in parte pari reipublicæ fore: nec eſſe quod quiſquam ſatis putet, ſi plebejorum ratio comitiis conſularibus habeatur. niſi alterum conſulem utique ex plebe fieri neceſſe ſit, neminem fore. An jam memoria exiſſe, quum tribunos militum ideirco potius quam conſules creari placuiſſet, ut & plebejis pateret ſummus*

INTERPRETATIO.

c *Corpora* ſua *tradere vinculis ferreis* conſtringenda, & *ſupplicits* excrucianda.

a *Non aliter Patricios finem facturos ſive agrum* publicum *uſurpandi*, ſive *plebejos uſuris opprimendi* ac devorandi, *quàm ſi*, &c.

NOTÆ.

4. *Aut locum ſepulturæ.*] Tritum Romanorum veterum ſepulcra extra urbem in agris cujuſque privatis fuiſſe.

5. *Ni potiùs quàm ſortem creditum ſolvat.*] Vexatus in primis locus Sigonii, Faerni, Salmaſii lectionibus & conjecturis. Gronovius legendum conjiciebat, *an placeret fœnore circumventam plebem, potiùs quàm ſorte creditum ſolvat, corpus in nervum ac ſupplicia dare*: quam lectionem ait à Mureto ex membranis annotatam, proïit ſibi à Neſſelrodio S. J. confirmatum eſſe. Quod à ſententia quidem Livii non videtur abhorrere. Sed quæ adduntur à Gronovio, rem implicant magis meo judicio, quàm explicant. Miror in re non ita difficili tot præclara ingenia laboraſſe, cum adjectâ unicâ ſyllabâ conſtet planè ſententia Tribunorum: ſi nempe legamus, *an placeret fœnore circumventam plebem, ni id* (fœnus nempe, ſive uſuras) *potiùs quàm ſortem creditam ſolvat*, vel *quàm ſortem crediti ſolvat, corpus in nervum ac ſupplicia dare*. Id enim querebantur, ita exhauriri atque obrui plebem pondere uſurarum, quæ ante ſortem exigebantur; ut nunquam ad ſolvendam, in totum, vel ex parte, ſortem poſſet pervenire; ne tum quidem cum corpora in ergaſtulum darentur.

1. *Apud timentes ſibimetipſos.*] Coram plebejis qui à creditorum injuriis ſibi quiſque metuebant: ideoque plus quam ipſi Tribuni indignabantur.

2. *Fœnore trucidandi plebem.*] Qui vitæ ſubſidia præripit, trucidare videtur. Unde illud Ambroſii: *pauperes ſi*, cum poſſes, *non paviſti: occidiſti*. Hoc facit uſura. Neque enim tantum debitorem morſu continuo arrodit, quod indicat Hebraïcum נשך, *neſcheKh*, ſed enecat: ſiquidem pecuniam & ſubſtantiam omnem paulatim abſumit, & ſubripit, quæ ex Græco adagio, ἄμα καὶ ψυχὴ ἁρπάζεις. *Hinc uſura vorax, avidumque in tempore fœnus* apud Lucanum: an potiùs, *in tempora?*

3. *Penes ſe auxilium tantùm ſit.*] Tribuni plebis vetandi, non (ut Conſules) imperandi jus habebant: intercedendo ac prohibendo, ferebant oppreſſis opem,

bonos

honos, 4 *quatuor & quadraginta annis neminem ex plebe tribunum militum creatum esse? 5 Qui crederent, duobus ne in locis sua voluntate impertituros plebi honorem*, 6 *qui octona loca tribunis militum creandis occupare soliti sint? & ad consulatum viam fieri passuros, qui tribunatum septem tam diu habuerint? Lege obtinendum esse, quod comitiis per gratiam nequeat: & seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus: quoniam 7 in certamine relictus, præmium semper potentioris futurus sit. Nec jam posse dici id, quod antea jactare soliti sint, non esse in plebejis idoneos viros ad curules magistratus. Nunquid enim socordiùs, aut segniùs rempublicam administrari post P. Licinii Calvi tribunatum, qui primus ex plebe creatus sit, quam per eos annos gesta sit, quibus præter patricios nemo tribunus militum fuerit? quin contra patricios aliquot damnatos post tribunatum, neminem plebejum.* 8 *Quæstores quoque sicut tribunos militum, paucis ante annis ex plebe cœptos creari: nec ullius eorum populum Romanum pœnituisse.* 9 *Consulatum superesse plebejis: eam esse arcem libertatis, id columen. si eo perventum sit, tum populum Romanum vere exactos ex urbe reges, & stabilem libertatem suam existimaturum. Quippe*

Urb. cond. an. 384. Tribb. mill. Q. Servil. &c.

NOTÆ.

4. *Quatuor & quadraginta annis*.] Verum quidem est ab anno u. c. 309. quo primùm creati Tribuni Militum Consulari potestate, ad annum 353. quo primus è plebe Licinius ad eam dignitatem est evectus, annos numerari XLIV. Sed per ea tempora non nisi bis ac vicies habita fuerant hujusmodi Tribunorum Comitia ante illa quibus Licinius cum aliis plebejis creatus: & qui primi hunc magistratum injerant, abdicare jussi erant, tanquàm vitio facti. Inter hos tribunatus inserti parl ferè annorum numero Consules.

5. *Qui crederent, duobus ne in locis*.] Delendum vel τσ' *ne*, vel τὸ *qui crederet*. vel *quis crederet*, (quod Sigonio placebat) Gronov. censet. Sic sanè expedita res erit. Nec magis implicata videbitur, si Tan. Fabri judicio, transferatur particula *ne*: sic: *quid? crederentne duobus in locis*. Idem erit intellectus, si sola interpunctione mutatâ, legamus: *quid crederent? duobusne in locis*, &c. Alioqui satis plana per se est sententia, plebejos credere haud quaquam debere futurum, ut Patricii ex duobus Consulum locis patiantur ultro unum plebejo cuiquam assignari; nisi id certâ lege constitutum fuerit.

6. *Octona loca*.] Initio tres dumtaxat creabantur Tribuni militum Consulari potestate; deinde quatuor, posteà sex ab an. 348. atque hic status ferme numerus fuit. Nec verò amplioris numeri ulla alibi vestigia. Quare quod hic dicitur, *Patricios octona loca* in creandis Tribunis militum occupare solitos esse; emendandum ita ut *sena loca* scribantur. Quâ enim fronte solenne esse, coram universo populo affirmarent Tribuni, quod vix semel ac, ne semel quidem contigisse apud omnes constaret? Vid. l. 5. c. 1.

7. *In certamine relictus*.] Si Consulatus inter contendentes de eo Patricios & plebejos relinquatur populi arbitrio, semper patriciis tanquam potentioribus deferetur.

8. *Quæstores quoque*.] De Quæstoribus rei pecuniariæ duplicandis, ut duo in urbe ærarium curarent, duo Consulibus adessent ad rem militarem, certatum fuerat inter plebem & Senatum anno 315. uti lib. 4. cap. 43. & 44. dictum. Anno demum 344. creati sunt quatuor, quorum tres plebeji. Suprà eodem lib. cap. 54.

9. *Consulatum superesse plebeiis*.] Supple, expugnandum, seu adipiscendum à plebejis, ne quâ in re inferiores Patriciis viderentur. Nam hactenus ea illis dignitas defuerat.

Urb. cond. an. 384. Tribb. mill. Q. Servil. &c.

ex illa die in plebem ventura omnia quibus patricii excellant; imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, majora liberis relinquenda. Hujus generis orationes ubi accipi videre; novam rogationem promulgant, ut 10 pro duumviris sacris faciundis decemviri creentur; ita ut pars ex plebe, pars ex Patribus fiat; omniumque earum rogationum comitia in adventum ejus exercitus differunt, qui Velitras obsidebat.

Urb. cond. an. 385. T. Quint. &c.

XXXVIII. Prius circumactus est annus quam à Velitris reducerentur legiones. ita suspensa de legibus res, ad novos tribunos militum dilatam plebis tribunos eosdem, duos utique qui legum latores erant, plebs reficiebat. Tribuni militum creati T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpicius, Sp. Servilius, L. Papirius, L. Veturius. Principio statim anni, ad ultimam dimicationem de legibus ventum: & quum tribus vocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret; trepidi Patres ad duo ultima auxilia, summum imperium summumque ad civem decurrunt. Dictatorem dici placet. dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Æmilium cooptat. Legum quoque latores, adversus tantum apparatum adversariorum, & ipsi causam plebis ingentibus animis armant: [a] concilioque plebis indicto, tribus ad suffragium vocant. Quum dictator stipatus agmine patriciorum, plenus iræ minarumque consedisset, atque ageretur res solito primum certamine inter so tribunorum plebis, ferentium legem intercedentiumque, & quanto jure potentior intercessio erat, tantum vinceretur favore legum ipsarum, latorumque, & ita *Uti rogas*, primæ tribus dicerent; tum Camillus, *Quandoquidem*, inquit, *Quirites, jam vos tribunicia libido, non potestas regit, & intercessionem secessione quondam plebis partam, vobis eâdem vi facitis irritam, qua peperistis; non reipublicæ magis universæ, quam vestrâ causâ* [2] *dictator intercessioni adero: eversumque vestrum auxilium imperio tutabor. Itaque si C. Licinius & L. Sextius inter-*

INTERPRETATIO.

a *Et Comitiis tributis.*

NOTÆ.

10. *Pro Duumviris sacris faciundis.*] Hi sive hactenus Duumviri Patricii, sive postea Decemviri ex utroque genere mixti, librorum Sibyllinorum custodes; sacra, quoties opus erat, ex Carminum illorum præscripto curabant.

1. *Uti rogas, prima tribus dicerent.*] Hæc solennis formula fuit, rem à magistratu propositam comprobantium suffragiis sua; sive voce, sive tabella exprimeretur: *uti rogas*: id est, ut tu Consul, Dictator, Tribune, interrogas, ità ego censeo. Itaque rectè emendavit Sigonius ex τῷ *uti rogasset*.

2. *Dictator intercessioni adero.*] Aliàs *intercessioni vestræ*: expulit Gron. τὸ *vestra*, quod non Tribunos plebis, qui soli jus habebant intercedendi, sed plebem ipsam Camillus alloquatur. Sed cum Concioni omnes Tribuni interessent, tam quinque, qui in gratiam Senatus intercedebant plebiscito, quam Licinius Sextiusque, quorum conatibus intercedebatur, aliique neutrarum partium: non video quid obsit, quominùs ad Tribunos quinque intercessionis auctores pertinere potuerit sermo Camilli,

ceſſioni collegarum cedunt, nihil patricium magiſtratum inſeram concilio plebis. Si adverſus interceſſionem, tanquam captæ civitati, leges imponere tendent, vim tribuniciam à ſeipſa diſſolvi non patiar. Adverſus ea quum contemptim tribuni plebis rem nihilo ſegniùs peragerent: tum percitus ira Camillus, lictores qui de medio plebem emoverent, miſit. & addit minas; *ſi pergerent, ſacramento omnes juniores adactiurum, exercitumque extemplo ex urbe eductiurum.* Terrorem ingentem incuſſerat plebi: ducibus plebis accendit magis certamine animos, quam minuit. ſed [b] re neutro inclinata, magiſtratu ſe abdicavit: ſeu quia vitio creatus erat, ut ſcripſere quidam: ſeu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebs ſcivit, ut ſi M. Furius pro dictatore quid egiſſet, 3 M quingentum millium æris ei mulcta eſſet. Sed auſpiciis magis, quam novi exempli rogatione, deterritum ut potius credam, quum ipſius viri facit ingenium; tum quod ei ſuffectus eſt extemplo P. Manlius dictator: quem quid creari attinebat ad id certamen, quo M. Furius victus eſſet; & quod eundem M. Furium dictatorem inſequens annus habuit; haud ſine pudore certe fractum priore anno in ſe imperium repetiturum: ſimul quod eo tempore, quo promulgatum de mulcta ejus traditur, aut & huic rogationi, qua ſe in ordinem cogi videbat, obſiſtere potuit: aut ne illas quidem, propter quas & hæc lata erat, impedire: & quoad, uſque ad memoriam noſtram, tribuniciis conſularibuſque certatum viribus eſt, dictaturæ ſemper altius faſtigium fuit. Urb. cond. an. 385. Dictat. M. Fur. Cam. IV. ac dein P. Manl.

XXXIX. Inter priorem dictaturam abdicatam, novamque à Manlio initam, ab tribunis velut per interregnum concilio plebis habito, apparuit, [c] quæ ex promulgatis, plebi, quæ latoribus, gratiora eſſent. nam

INTERPRETATIO.

[b] *Rebus imperfectis, & neutram in partem definitis.*

NOTÆ.

3. *Quingentum millium æris.*] Immenſa pecunia, &, ſi æs grave intelligimus, ſupra cujuſquam tunc privati facultates. Eſſent enim lib. Francicarum 337500. Sed magnitudine pecuniæ deterrendus erat tantus vir à Dictaturæ vi exerenda. Si ad ætatis ſuæ æſtimationem reſpexiſſe velimus Livium 15000. librarum noſtratium hæc ſumma non implebit. At Plut. in Cam. quinque argenti myriadas vertit, hoc eſt quinquaginta millia drachmarum Atticarum, (nondum enim argentea apud Romanos pecunia, niſi aliunde advecta). Drachma æſtimata ad pretium quo apud nos eſt hodie argentum cuſum, librarum Gallicarum 27. in ſingulas marcas; aſſibus noſtris 8. æquiparari poſſunt addito fere ſemiſſe, ſiquidem groſſum noſtrum pendant. Sic fient 21250. libr. Quod ſi non habita nec ponderis argenti, nec monetæ noſtræ ratione, drachmas pretio antiquo denariorum, decem nempe aſſibus Romanis, id eſt, non multò plus quinis noſtratibus æſtimemus, ex illis quindecim myriadibus ſumma parum ultra 12500. libras procedet.

1. *Quæ ex promulgatis, plebi.*] Licinius & Sextius Tribuni plebis latores harum legum, Conſulatum affectabant: ipſi plebi minùs curæ erat, alterum è Conſulibus neceſſariò è plebe creari: id magis urgebat, ne ob æs alienum vexaretur, utque agri publici partem ferret. Has duas tantùm leges probabat.

Urb. cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

de fœnore atque agro rogationes jubebant, [2] de plebejo consulatu antiquabant. & perfecta utraque res esset, ni tribuni [3] se in omnia simul consulere plebem dixissent. P. Manlius deinde dictator rem in causam plebis inclinavit, [4] C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id ægre Patres passos accipio: dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud Patres excusare solitum; simul negantem *magistri equitum majus, quam tribuni consularis imperium esse.* Licinius Sextiusque, quum tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, ut negando jam sibi velle continuari honorem, [5] acerrime accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem. *Nonum se annum jam velut in acie adversus optimates maximo privatim periculo, nullo publice emolumento stare. consensisse jam secum, & rogationes promulgatas, & vim omnem tribuniciæ potestatis. Primo intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse: deinde ablegatione juventutis ad Veliternum bellum: postremo dictatorium fulmen in se intentatum. Jam nec collegas, nec bellum, nec dictatorem obstare, quippe qui etiam omen plebejo consuli, magistro equitum ex plebe dicendo dederit.* [a] *seipsam plebem, & commoda morari sua. Liberam urbem ac forum à creditoribus, liberos agros ab injustis possessoribus extemplo, si velit, habere posse. Quæ munera quando tandem satis grato animo asti maturos, si inter accipiendas de suis commodis rogationes, spem honoris latoribus earum incidant, non esse modestiæ populi Romani id postulare, ut ipse fœnore levetur, & in agrum, injuriâ possessum à potentibus, inducatur; per quos ea*

INTERPRETATIO.

a *Plebem sibi ipsi ac propriis utilitatibus impedimentum ac moram afferre.*

NOTÆ.

2. *De plebejo Consulatu antiquabant.*] Conjicit Gronov. *de plebe Consules antiquabant.* Rejiciebant nempe legem illam, vel caput illud legum, quod ad unum de plebe Consulem spectabat. *Antiquare* enim ex Festo est in pristinum morem seu Antiquum statum ac modum reducere.

3. *Se in omnia simul consulere plebem.*] Cùm tres reverà Leges promulgatæ essent in totidem capita, quæ naturâ suâ erant distincta: plebi eam legem ponunt hi tribuni, ut omnia capita simul, vel admittat, vel repudiet. Id quidem non recto jure (cautum enim Legibus erat ne plus quam de singulis rebus consuleretur populus): sed tamen nonnisi quatenus à Magistratibus consuleretur, consultare plebs poterat. Vide tamen orationem Appii Claudii Crassi mox cap. 40.

4. *C. Licinio qui Tribunus militum.*] Non hìc Licinium seditionis auctorem (quanquàm ità Plutarchus censebat), sed alium intellige, quem Tribunum militum fuisse Livius notat. Ejus autem Tribunatum Sigonius auctore Diodoro Siculo refert ad annum 376. facitque Collegam Sp. Furii Medullini. Seditiosus autem ille legum lator, hoc anno nonùm Tribunus plebis refectus erat, nec simul cum hoc magistratu, Magistrum equitum gerere potuisset. Et verò ejus, tanquàm diversi, mox noster meminit.

5. *Acerrimè accenderent.*] Simili arte Augustus teste Tacito, Cajum & Lucium nepotes suos; *necdum positâ pueriti prætextâ, principis juventutis appellari, destinari Consules, specie recusantis flagrantissimè cupiverat.*

consecutus sit, senes tribunicios, nonsine honore tantum, sed etiam sine spe honoris relinquat. Proinde, ipsi primùm statuerent apud animos quid vellent: deinde [6] *comitiis tribuniciis declararent voluntatem. Si conjunctim ferri ab se promulgatas rogationes vellent, esse quod eosdem reficerent tribunos plebis: perlaturos enim quæ promulgaverint. sin quod cuique privatim opus sit, id modo accipi velint; opus esse nihil invidiosa continuatione honoris; nec se tribunatum, nec illos ea quæ promulgata sint, habituros.* Urb. cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

XL. Adversus tam obstinatam orationem tribunorum, quum, præ indignitate rerum, stupor, silentiumque inde, cæteros Patrum defixisset; App. Claudius Crassus, nepos decemviri, dicitur odio magis iraque, quam spe, ad dissuadendum processisse; & locutus in hanc fere sententiam esse: *Neque novum, neque inopinatum mihi sit, Quirites, si quod unum familiæ nostræ semper objectum est ab seditiosis tribunis, id nunc ego quoque audiam: Claudiæ genti jam inde ab initio nil antiquius in republica Patrum majestate fuisse: semper plebis commodis adversatos esse. Quorum alterum neque nego, neque inficias eo: nos, ex quo asciti sumus simul* [1] *in civitatem & Patres, enixe operam dedisse, ut per nos aucta potius quam imminuta majestas earum gentium, inter quas nos esse voluistis, dici verè posset. Illud alterum pro me majoribusque meis contendere ausim, Quirites, (nisi quæ pro universa republ. fiunt, ea plebi cuiquam alium incolenti urbem adversa quis putet) nihil nos neque privatos, neque in magistratibus, quod incommodum plebi esset, scientes fecisse: nec ullum factum dictumve nostrum contra utilitatem vestram (etsi quædam contra voluntatem fuerint) vere referri posse. An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritum quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate sciam, reticere possim? L. illum Sextium & C. Licinium perpetuos (si Diis placet) tribunos, tantum licentiæ novem annis,* [2] *quibus regnant, sumpsisse, ut vobis negent potestatem liberam suffragii, non in comitiis, non in legibus jubendis, se permissuros esse? » sub conditione, inquit, nos reficietis decimùm tribunos. Quid est aliud dicere,* [3] *quod petunt alii, nos adeo fastidimus, ut sine mercede magna non accipiamus. Sed quæ tandem*

NOTÆ.

6. *Comitiis Tribuniciis.*] Hæc fuere Comitia, quibus Tribuni plebis creandi erant, & quibus continuari poterat Tribunatus ille C. Licinio, & L. Sextio. Non est itaque, cur mutetur quicquam, aut cur legamus, *Tributis*, ut Glareano visum. Sed tamen dubium non est, quin Tributis Comitiis fierent Tribuni plebis, aliique magistratus plebeii. Licèt enim initio Comitiis Curiatis creati legantur: attamen post legem à Publilio Volerone latam an. 290. de qua Livius lib. 2. cap. 56. & Dionys. lib. 9. ad extrema usque tempora Comitiis tributis creabantur.

1. *In Civitatem & Patres.*] Statim enim atque è Sabinis migraverat Attius Claudius Claudiorum parens, Civis & Patricius, ac Senator factus fuerat, suprà lib. 2. cap. 16.

2. *Quibus regnant.*] Per quos Tribunatum, & sub Tribunorum plebis nomine dominatum exercent: præsertim toto quinquennio, quo magistratus Curules fieri non sunt passi.

3. *Quod petunt alii.*] Tribunatum plebis, velut honorem ac præmium.

Urb. Cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

ista merces est, qua vos semper tribunos plebis habeamus? ut rogationes, inquit, nostras, seu placent, seu displicent, seu utiles, seu inutiles sunt, omnes conjunctim accipiatis. Obsecro vos, 4 Tarquinii tribuni plebis, putate me ex media concione unum civem succlamare: Bonâ veniâ vestrâ liceat ex his rogationibus legere, quas salubres nobis censemus esse; antiquare alias. 5 Non, inquit, licebit. 6 Tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, jubeas: & hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti L. Sextium atque hunc C. Licinium consules, quod indignaris, quod abominaris, videas! Aut omnia accipe: aut nihil fero. Ut si quis ei, quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo, & aut abstinere eo quod vitale sit, jubeat; aut mortiferum vitali admisceat. Ergo si esset libera hæc civitas, non tibi frequentes succlamassent, Abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis, quid si non tuleris, quod commodum est populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Si quis patricius, si quis (quod illi volunt invidiosius esse) Claudius diceret: 7 Aut omnia accipe, aut nihil fero; quis vestrûm, Quirites, ferret? Nunquamne vos res potiùs quam auctores spectabitis; sed omnia semper, quæ magistratus ille dicet, secundis auribus, a quæ ab nostrûm quo dicentur, adversis accipietis? At hercule, sermo est minimè civilis. Quid? rogatio qualis est, quam à vobis antiquatam indignantur? 8 sermoni, Quirites, simillima. Consules, inquit, rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat, An aliter rogat, qui utique alterum ex plebe fieri consulem jubet: nec duos patricios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, quum Porsena Janiculum insedit, quale Gallicum modo, quum præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant, & consulatum cum hoc M. Furio aut quolibet alio ex Patribus L. ille Sextius peteret: posse-tisne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimi-

INTERPRETATIO.

a *Quòd aliquis à nobis* (patriciis) *proposuerit.*

NOTÆ.

4. *Tarquinii Tribuni plebis.*] Vos qui tyrannidem more Tarquinii Superbi exercetis in plebem, cui tuendæ tantùm creati estis.

5. *Non, inquit, licebit.*] Nullus hic erat nodus, nisi Sigonius interpretatione suâ, loco per se perspicuo tenebras offudisset. *Non licebit*, non sunt verba Licinii aliorumque Tribunorum: sed Appii Crassi ex Tribunorum persona, sic ab eo relata ex eorum orationibus in pejus detortis, quasi hi sic pronunciassent.

6. *Tu de fœnore.*] Hæc quoque velut sub persona Licinii ad plebem verba facientis ab Appio dicuntur. Tu verò quisquis ex Civibus Romanis, id probare velis quod plebejis omnibus utile fuerit, & audeas Sextium ac Licinium non dicere Consules, ut eos in hoc gradu conspicias? Quod tamen (interserit veluti per parenthesim Appius) instar portenti esset Romæ; quòd tu ipse civis de plebe indignè fers, & omni execratione prosequeris.

7. *Aut omnia accipe, aut nihil fero.*] Inducitur adhuc Licinius plebem alloquens.

8. *Sermoni, Quirites, simillima.*] Huic nempe sermoni, sive his verbis *legem fero ne vobis, quem velitis Consulem, dicere liceat.*

caret? Hoccine est [b] *in commune honores vocare, ut duos plebejos fieri consules liceat, duos patricios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, utrumque ex Patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? Parum est, si* [9] *cujus pars tua nulla adhuc fuit, in partem ejus venis; nisi partem petendo, totum traxeris? Timeo, inquit, ne si duos licebit creari patricios, neminem creatis plebejum. Quid est dicere aliud, nisi, quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi quos non vultis, imponam. quid sequitur, nisi ut ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis unus petierit plebejus, & lege se, non suffragio, creatum dicat?* Urb. Cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

XLI. *Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quærunt: & ita maxima sunt adepturi,* [1] *ut nihil ne pro minimis quidem debeant; & occasionibus potius quam virtute petere honores malint. Est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat? qui certos sibi uni honores, inter dimicantes competitores, æquum censeat esse? qui se arbitrio vestro eximat? qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serva pro liberis faciat? Omitto Licinium Sextiumque,* [2] *quorum annos in perpetua potestate, tanquam regum*

INTERPRETATIO.

[b] *Munera publica facere communia.*

NOTÆ.

9. *Cujus pars tua nulla sit.*] Si tu, Tribune plebis, incipias particeps fieri ejus rei (Consulatus nempe) cujus adhuc nulla pars ad te pertinet, &c.

1. *Ne pro minimis quidem debeant.*] Exigit sententia correctionem aliquam ut cohæreat: quod Gronov. vidit, atque ita emendat: *& ita maxima sunt adepturi, ut nihil quasi pro minimis debeant.* At Faber legendum primò censet: *ut nihil pro iis, nec minimum quidem debeant.* Deinde quasi veram lectionem proponit: *ut nihil populo Romano Quiritium debeant.* Sed hæ textus potiùs eversiones sunt, quàm correctiones. Mihi duorum alterum succurrit, ut iteratâ non incommodè particulâ monosyllabâ, *ut*, legamus; *& ità maxima sunt adepturi, ut nihil, ne, ut pro minimis quidem, debeant:* id est, nihil pro maximis etiam honoribus (Consulatu putà) debeant imposterum, ne quantum quidem nunc pro minimis (Tribunatu scilicet plebis minore ac plebejo magistratu) debent; vel certè ut sic nomina duo superlativa permutemus, ut *minima* præponantur, *maxima* verò sequantur. *Et ita minima sunt adepturi, ut nihil, ne pro maximis quidem debeant.*

2. *Quorum annos in perpetua potestate, tanquam regum in Capitolio numeratis.*] Cum illud in *Capitolio*, vel ad reges, vel ad Tribunos plebis referri possit; neutris convenire Gronov. putat: non Regibus, quòd eorum nomina alibi numerari potuerint, quàm in Capitolio: non Tribunis plebis, quòd eorum nulla in fastis mentio occurrat, aliisque de causis. Fatetur ille quidem Tribunorum plebis creandorum Comitia in Capitolio aliquando habita. Ego tunc maximè ibi habita conjicio, cum novum aliquid agitarent Tribuni, & præsertim cum sibi continuari potestatem vellent. Idque Tiberii Gracchi exemplo probari potest, qui testibus Plutarcho in ejus vita, & Appiano lib. 1. bellor. Civil. ea in Capitolio habuit, cum iterum Tribunus plebis fieri voluit, cumque Triumviros agrarios nominari curavit. Mihi videtur hoc velle Appius, cum Consulum, ac Tribunorum militarium potestas anno uno finiatur; & illi per annos singulos mutentur in fastis: potestatem Licinii, Sextiique in infinitum prorogari, & quandiu vivant, eos in honore esse vel-

Urb.Cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

in Capitolio numeratis? quis eſt hodie in civitate tam humilis, cui non ad conſulatum facilior per iſtius legis occaſionem, quam nobis ac liberis noſtris fiat? ſi quidem nos, ne quam volueritis quidem, creare interdum poteritis, iſtos etiam ſi nolueritis, neceſſe ſit. De indignitate ſatis dictum eſt (etenim dignitas ad homines pertinet) quid de religionibus atque auſpiciis, quæ propria Deorum immortalium contemptio atque injuria eſt, loquar? 3 Auſpiciis hanc urbem conditam eſſe, auſpiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis eſt qui ignoret? Penes quos igitur ſunt 4 auſpicia more majorum? nempe penes Patres. nam 5 plebejus quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur. Nobis adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato interregem prodamus? & privatim auſpicia habeamus quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quàm tollit ex civitate auſpicia, qui plebejos conſules creando, à Patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. Quid enim eſt, 6 ſi pulli non paſcentur? ſi ex cavea tardius exierint? ſi occinuerit avis? Parva ſunt hæc: ſed parva iſta non contemnendo, majores noſtri maximam hanc rem fecerunt. Nunc nos, tanquam jam nihil pace Deorum opus ſit, omnes cærimonias pollumus. a *Vulgo ergo pontifices, augures, ſa-*

INTERPRETATIO.

a *Creantur igitur Pontifices promiſcuè*, & ex vulgi fœce.

NOTÆ.

le; exemplo ſcilicet regum, quorum poteſtas in faſtis Capitolinis toto regni tempore per plurimos annos continuata deſcriberetur.

3. *Auſpiciis bello ac pace.*] Vide l. 1. c. 18. & 36. Huc pertinent quæ de auguribus Cic. 2. de Leg. hoc in primis: *Nihil domi, nihil foris per magiſtratus geſtum, ſine eorum poteſtate poſſe approbari.*

4. *Auſpicia more majorum.*] Lege Romuli, ſolis patricii commiſſa fuit ſacrorum cura, teſte Dionyſ. lib. 2. Vide reſponſum Conſulis ad Canulejum lib. 4. cap. 6.

5. *Plebejus quidem magiſtratus.*] In Comitiis Tributis, quibus plebeji magiſtratus creabantur, obſervabatur quidem de cœlo: ſed non adhibebatur avium inſpectio. Verùm in iis Comitiis, quæ magiſtratuum creandorum causà fiebant, de cœlo ſervare magiſtratibus non licebat, ne ſic Comitia impedirent. Id augurum erat. Non enim ſine Auguribus Comitia cujuſquam generis. Id ſaltem conſtat, priuſquàm communicatus eſſet cum plebe Conſulatus, ita Patriciorum propria fuiſſe Auſpicia, ut & ſoli auſpicarentur, & ſoli auſpicato magiſtratus crearentur; adeo ut, quoties nulli erant in rep. majores magiſtratus, per ſolos Patricios auſpicato diceretur Interrex, qui Centuriata Comitia creandis magiſtratibus haberet.

6. *Si Pulli non paſcentur.*] Inducit Tribunos pl. Auſpicia contemnentes: quibus mox reſpondet, indicatque genera duo divinandi ex avibus, ex Pullorum nimirum paſtu, & ex Avium Oſcinum garritu, cantuve, quod propriè *Augurium*. Præter hæc fuere alia divinationis genera, Auſpicium, aruſpicina, & obſervatio de cœlo. Hinc Auſpicii vocabulum ab avium inſpiciendo volatu deductum. Servare Augures de Cœlo dicebantur, cum obſervabant an in aëre appareret eorum aliquid, quibus viſis non liceret agere cum populo; veluti ſi fulſiſſet, ſi tonuiſſet, ſi quid de Cœlo tactum eſſet, ut id magiſtratibus nunciarent. Aruſpices verò ex victimarum exſtis futura prædicebant.

crificuli

crificuli reges creentur cuilibet 7 *apicem dialem, dummodo homo ſit, imponamus: tradamus ancilia, penetralia, Deos, Deorumque curam, quibus nefas eſt. non leges auſpicato ferantur, non magiſtratus creentur: nec centuriatis comitiis* 8 *Patres auctores fiant. Sextius & Licinius, tanquam Romulus ac Tatius, in urbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. Tanta dulcedo eſt ex alienis fortunis prædandi: nec in mentem venit, altera lege ſolitudines vaſtas in agris fieri pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana ſocietas tollitur.* 9 *Omnium rerum cauſa vobis antiquandas cenſeo iſtas rogationes. Quod faxitis, Deos velim fortunare.* Urb. cond. an. 385. Dictat. P. Manl.

XLII. Oratio Appii ad id modo valuit, ut tempus rogationum jubendarum proferretur. Refecti decimùm iidem tribuni Sextius & Licinius, 1 de decemviris ſacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulere. creati quinque Patrum, quinque plebis; graduque eo jam via facta ad conſulatum videbatur. Hac victoriâ contenta plebes ceſſit Patribus, ut in præſentia conſulum mentione omiſſa, tribuni militum crearentur. 2 creati A. & M. Cornelii iterum, M. Geganius, P. Manlius, L. Veturius, P. Valerius ſextùm. Quum præter 3 Velitrarum obſidionem, tardi magis rem exitus quam dubii, quietæ externæ res Romanis eſſent; fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem, ut 4 M. Furius dictator quintùm diceretur. is Urb. cond. an. 386. Tribb. mill. A. & M. Cornel. &c.

NOTÆ.

7. Apicem dialem.] Iſid. Orig. lib. 19. c. 30. alt *Apicem* eſſe Pileum ſutile, quo Sacerdotes gentiles utebantur; appellatum ab *apiendo*, id eſt, *ligando*. Feſtus quoque ſcribit eſſe *Sacerdotum inſigne: dictum ab eo quod comprehendere vincule antiqui Apere dicebant: unde aptus is qui convenienter alicui junctus eſt.* Apud eundem *Apiculum eſt filum, quo Flamines velatum apicem gerunt.* Sed quamvis *Apicis* nomen ſumatur pro acuminato Flaminum Pileo: propriè tamen ſignificat faſtigium ejus Pilei, in cujus extremo modicum quid lanæ eſt. Idcirco *Lanigeroſque Apices* habet Virg. 8. Hoc autem nomine ipſum Flaminis Sacerdotium hic deſignatur.

8. Patres auctores fiant.] Vide ſuprà lib. 1. cap. 17.

9. Omnium rerum cauſâ.] Quid hinc ſatis ſanæ ſententiæ eruas? Placet Tan. Fabri conjectura, reponentis *Quarum rerum*: earum nempe, quæ priùs ab Appio memoratæ. Sed addi tantùm velim, *quarum*, vel, *harum*: neque enim opus deleri, *omnium*. Erit ergo, *Quarum omnium rerum cauſâ.*

1. De Decemviris ſacrorum.] Vide ſuprà cap. 37.

2. Creati A. & M. Cornelii iterum.] Hi poſtremùm Tribuni militum Conſulari poteſtate creati: quod genus Magiſtratuum ab anno u. c. 310. per annos 76. ſed non continuos, uſurpatum invenio quadragies novies; niſi quod vitio creati aliquando abdicaverunt. Poſt hæc ad Conſules reditum, ſublatâ per legem Licinii contentione Patriciorum cum plebejis de Conſulatu, quæ Tribuni militum ex utroque ordine creandis cauſam dederat.

3. Velitrarum obſidionem.] Quas hoc anno captas à Camillo tradit Plut.

4. M. Furius Dictator quintùm,] Pro *Camille*, Dictatorem hoc loco nominant auctor libri de Viris Illuſtribus *Sulpicium*: Eutropius, & Oroſius *T. Quintium*, ſub quo pugnaverit *T. Manlius*, & Galli fugati ſint. Sed idem Eutrop. ſubjicit eos mox per C. Sulpicium Dictatorem etiam victos. Et T. Quintius cognomento Pennus, non Dictator, ſed magiſter equitum hoc anno ſub Camillo fuit.

Urb. Cond. an. 386. Tribb. mill. A. & M. Cornel. &c.

T. Quintium Pennum magiſtrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen, 5 auctor eſt Claudius: inclitamque in ponte pugnam, qua 6 T. Manlius Gallum, cum quo, provocatus, manus conſeruit, in conſpectu duorum exercituum cæſum torque ſpoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor, ut credam 7 decem haud minus poſt annos ea acta: hoc autem anno in Albano agro 8 cum Gallis Dictatore M. Furio ſigna collata. Nec dubia, nec difficilis Romanis (quamquam ingentem Galli terrorem memoriâ priſtinæ cladis attulerant) victoria fuit: multa millia Barbarorum in acie, multa captis caſtris cæſa: palati alii Apuliam maxime petentes, quum 9 fuga ſe longinquâ, tum quod paſſim eos 10 ſimul pavor terrorque diſtulerant, ab hoſte ſeſe tutati ſunt. Dictatori, conſenſu Patrum ple-

NOTÆ.

5. *Auctor eſt Claudius.*] Inter Annalium Romanorum ſcriptores nominatur *Q. Claudius* apud A. Gell. lib. 9. cap. 13. qui *eum puriſſimè atque illuſtriſſimè, ſimplicique & incomptâ orationis antiquæ ſuavitate* hoc Manlii certamen *deſcripſiſſe* refert: *Quem locum*, inquit, *Phavorinus Philoſophus cum legeret, non minoribus quati afficique animum ſuum motibus pulſibuſque dicebat*; quàm ſi *ipſe coram depugnantes ſpectaret*. Claudii verba ibi vide.

6. *T. Manlius Gallum.*] Hic T. Manlius filius erat L. Manlii, qui Tribunus militum ac Dictator fuit, Nepos A. Manlii quater Tribuni militum: magnumque patrum habuerat M. Manlium Capitolinum, tyrannidis affectatæ damnatum. Ob ingenii ac linguæ tarditatem, rus amandatus à patre fuerat in juventute, ut initio libri proximi traditur à Liv. In hujus autem pugnæ narratione erroris argui poſſe arbitror tum Valer. Max. tùm auctorem libelli de Viris illuſtribus: ille enim ab hoc Manlio, itemque à Valerio Corvino, ultrò provocatos hoſtium duces, interemptoſque memorat: cùm nec cum ducibus congreſſi fuerint; & ab iis, quibuſcum pugnarunt, provocati ſint. Aurel. Victor Manlium ait tunc Tribunum militum fuiſſe, quod intelligendum videtur de Tribuno militum Conſulari poteſtate: at hoc anno inter ejuſmodi Tribunos Manlius quidem legitur, ſed Publii, non Titi prænomine. Hic Titus poſteà filium victorem, quod injuſſu pugnaſſet, ſecuri percuſſit.

7. *Decem haud minùs poſt annos.*] Polyb. lib. 1. pugnam in Albano agro adversùs Gallos commiſſam rejicit in annum 30. ab urbe per eos captâ.

8. *Cum Gallis.*] Non igitur omnes Galli internecione deleti à Camillo ante annos viginti, ità ut ſpem amiſerint Romæ oppugnandæ.

9. *Fugâ ſe longinquâ.*] Tò, *ſe*, deleri poteſt. Majori adhuc odio Florus lib. 1. cap. 13. *Cum per Italiam naufragia ſua latiùs traheret*. At non tantas fuiſſe clades Gallorum, quantas hi ſcriptores volunt, illorum poſt hæc geſtis evincitur. Polybius certè lib. 2. & 4. Strabo lib. 4. Pauſanias in Phoc. Juſtinus lib. 24. c. 4. & ſequentibus, itemque lib. 32. cap. 2. aliique, non tam Gallorum fugam, quàm partim in Italia conſidentium, partim ultra Alpes & Hadriaticum ſinum migrantium, victorias per Illyricum, Pannoniam, Thraciam, Græciam, Aſiamque minorem referunt: quæ fuſius ex priſcis auctoribus collecta perſequitur eruditus Lacarrius è S. J. l. 3. de Coloniis Gallor. ubi de Scordiſcis in primis cap. 8. ac 10. quos à Gallis ortos, in Thraciæ uſque fines, protuliſſe ſedes ſuas agnoſcit Livii epitomator lib. 63.

10. *Simul pavor terrorque diſtulerant.*] Verbum, *differre*, hoc loco ſignificat *diſſipare, diſpergere*. Sic apud Virgil. 8. Æneid.

Haud procul inde citæ, Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant.

Quò ergo illud *ſimul* revocabimus? Ad

biſque, [11] triumphus decretus. Vix dum perfunctum eum bello, atrocior domi ſeditio excepit: & per ingentia certamina dictator ſenatuſque victus, ut rogationes tribuniciæ acciperentur: & comitia conſulum adversâ nobilitate habita, quibus [12] L. Sextius de plebe primus Cos. factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit. quia patricii ſe auctores futuros negabant, [a] prope ſeceſſionem plebis res, terribileſque alias minas civilium certaminum, venit: cum tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi [13] de conſule plebejo: à plebe nobilitati [14] de prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex Patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, [b] quum dignam eam rem ſenatus cenſeret, eſſe, meritoque id, ſi quando unquam aliàs, [15] Deûm immortalium causâ

Urb. cond. an. 386. Tribb. mill. A. & M. Cornel. &c.

INTERPRETATIO.

a *Parùm abfuit quin res venirent ad diſſidium, diſceſſionemque plebejorum* à Patriciis, atque ad *minas* & periculum *belli Civilis*.

NOTÆ.

Gallos paſſim diſſipatos? At contraria *paſſim* & *ſimul*; *differri* ſeu diſſipari & *ſimul eſſe*. Ergo ad *pavorem terroremque*, quæ duo ſimul juncta eos in diverſa *diſtulerant* atque impulerant. Quòd ſi ita eſt, ſequetur aliud eſſe *pavorem*, aliud *terrorem*. Et ſanè *pavor* metus eſt, quo ipſi afficimur; *terror*, metus quem aliis incutimus. Verùm quomodo *terror* hoc ſenſu à victis in victores, alioſve? Video cogi Livium ita eos victos eſſe fateri, ut à Romanorum finibus abſceſſerint; & à Romanis bello perſequendis abſtinendum ſibi ad aliquod tempus exiſtimaverint: quo *pavore* primum diviſi, à Romanis ſeſe tutati ſunt, ut ait; deinde Italiam reliquam, cui adhuc *terrori* erant, plures in globos ſeparati pervaſerint, ac prædæ dulcedine ſint pervagati.

11. *Triumphus decretus.*] Octogenarium jam Camillum fuiſſe Appianus notat.

12. *L. Sextius de plebe primus Conſul.*] Huic Laterano cognomen. Fallitur ergo Sex. Aurelius Victor, ſive quis alius auctor libri de Vir. Illuſt. cum primum Licinium Stolonem Conſulem factum ex plebe ſcribit; qui Sextii quidem in ea re adjutor, ad Conſulatum tamen nonniſi biennio poſt pervenit.

13. *De Conſule plebejo.*] Non utique ut ſemper ex plebe alter Conſul crearetur, ſed ut creari poſſet.

14. *De Prætore uno, qui jus in urbe diceret.*] Prætoris nomen generale, omnibus olim magiſtratibus tribuebatur, qui populo præibant, ſive jure, ſive exercitu, ut Varro docet 4. de L. L. & poſt eum Nonius cap. 1. Hinc Conſules quoque Prætorum nomine appellabantur: unde apud Cic. 3. de Leg. n. 8. *Regio imperio duo ſunto iique prætorque, judicando, conſulendo Prætores, Judices, Conſules appellantor.* Nunc autem diſtinctæ hæc dignitatum vocabula cœperunt, inſtituto Prætore, qui jus in urbe diceret: quod anteà Conſularis muneris. Noſter quaſi in compenſationem communicati Conſulatus, hunc honorem inſtitutum ait, qui Patriciorum proprius eſſet. Huic additi paulatim alii Prætores, tum in urbe, ut prætor Peregrinus, tum in provinciis jus quoque dixerunt; ſed hi prætetcà exercitibus præerant. Primus nunc Prætor Sp. Furius Camilli Dictatoris filius.

15. *Deûm immortalium causâ.*] Spectacula, quæ ludorum nomine ab Romanis edebantur, in honorem Deorum fiebant, ſive Gymnici eſſent ludi, quales Circenſes, & Gladiatorum; ſive ſce-

Urb. Cond. an. 386. Tribb. mill. A. & M. Corn. &c.

libenter facturos fore, *ut ludi maximi fierent, & dies unus ad triduum adjiceretur*; recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum à patriciis est juvenibus, *se id honoris, Deûm immortalium causâ libenter acturos, ut ædiles fierent*. Quibus quum ab universis gratiæ actæ essent, factum senatusconsultum, *ut* 16 *duos viros ædiles ex Patribus dictator populum rogaret: Patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.*

NOTÆ.

nici: & sunt vel stati, vel votivi. Salvianus lib. 6. de Gubernat. Dei, singula genera ludorum suis quæque Diis consecrata fuisse ostendit. *Colitur namque, & honoratur*, inquit, *Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris, & ideò pro qualitate auctorum cultus est superstitionum*. Suprà reliquos eminebant, *Romani*, qui & Magni. Hi primum *Circenses*, post etiam Scenici in honorem trium magnorum Deorum, Jovis, Junonis, & Minervæ, *auct.* Cic. 2. Verr. Hi verò initio nonnisi uno die, post biduo, triduoque peragi soliti; nunc Camilli fusu uno die auctі, ideò pro magnis Maximi vocantur: tandem plures additi dies; ità ut in veteribus fastis novem ipsis dies continui assignentur, à pridie nonas, ad pridie Idus Septembris.

16. *Duos viros Ædiles*.] Seu Duumviros. Hinc origo Ædilium Curulium è patriciis creatorum. Hactenus enim Ædiles tantùm Plebis, unà cum Tribunis plebis instituti, curam ædium, aliarumque ejusmodi rerum gesserant. Fuit autem Ædilitas Curulis primus posteà ad honores gradus. Curules verò dicti Magistratus qui ab initio Patriciorum proprii, quod qui in iis erant, curru in Senatum vehérentur, & in sella curuli eburnea sederent.

FINIS LIBRI SEXTI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

LIBER SEPTIMUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

DUO novi magistratus adjecti sunt, Prætura & Ædilitas curulis. Pestilentia civitas laboravit, eamque insignem fecit mors Furii Camilli. cujus remedium & finis quum per novas religiones quæreretur, ludi Scenici tunc primum facti sunt. Quum dies L. Manlio dicta esset à M. Pomponio tribuno plebis propter delectum acerbe actum, & T. Manlium filium, relegatum sine ullo crimine: adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur, venit in cubiculum tribuni, strictoque gladio coëgit eum in verba sua jurare, Non perseveraturum se in accusatione. [1] *Tunc omnia pernicioſa omissa sunt. In patentem voraginem urbis Romanæ Curtius armatus sedens equo se præcipitavit, eaque expleta est. T. Manlius adolescens, qui patrem à tribunicia vexatione vindi-*

NOTÆ.

1. *Tunc omnia pernicioſa omissa sunt.*] Religio fuit veterem lectionem mutare: quamvis Gruterus, & ex membranaceo Codice Gronovius, sic maluerint: *Non perseveraturum se in accusatione. Cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret, tunc omnia pretiosa missa sunt in præaltam voraginem urbis Romanæ. In eam Curtius armatus sedens equo se præcipitavit, & expleta est.* Mihi verò hic suspecta est primò *tota ad ultimum territa patria*. Quid enim *tota patria* pro civitate universa? Quid *ad ultimum*, cum de eo agatur, cujus nulla antèa mentio? nec displicet *equo se præcipitavit*, pro *in equo*: denique vetusta lectio minùs lacinioſa, & brevitate suâ mihi probabilis magis. Sed negotium facessit illud, *Tunc omnia pernicioſa omissa sunt*. Si tamen propiùs res spectetur, facilè expedietur hic nodus. Voluit auctor omissa esse à Pomponio tum consilia accusandi Manlii, non modò ex capite malæ tractationis in filium; sed ex capite crudeliter habiti delectus, quæ accusatio Manlio patri pernicioſa futura videbatur: tum etiam omissam querelam adversùs T. Manlium filium, quod Tribunum plebis, cujus dignitas sacratis legibus sancita esset, vi domi ipsius & præsenti mortis metu illato atrociter violasset: quod ipsum non poterat non pernicioſum esse auctori. Hoc ità explicat Livius in fine cap. 5. *Itaque non patri modò remissa causa dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit.*

caverat, contra Gallum provocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit, quem ipse postea tulit, & ex eo Torquatus *est nuncupatus. Duæ tribus additæ, Pomtina & Publicia. Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est, quod* * *plus quingentorum jugerum agri possideret. M. Valerius tribunus militum Gallum, à quo provocatus erat, insidente galeæ corvo, & unguibus rostroque hostem infestante, interemit, & ex eo Corvi nomen accepit, consulque proximo anno creatus est ob virtutem, quum vigesimum tertium ageret annum. Amicitia cum Carthaginiensibus juncta. Campani, quum urgerentur à Samnitibus bello, auxilio adversus eos à senatu petito; quum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt. ob quam causam ea, quæ populi Romani facta essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Cum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus, in magno discrimine esset, P. Decii Muris tribuni militum opera servatus est. qui occupato colle super id jugum, in quo Samnites confederant, occasionem consuli in æquiorem locum evadendi dedit: ipse ab hostibus circumsessus erupit. Milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, quum de ea occupanda urbe conspirassent, & detecto consilio, metu supplicii à populo Romano defecissent; per M. Valerium Corvum dictatorem, qui consilio suo eos à furore revocaverat, patriæ restituti sunt. Res præterea contra Hernicos, & Gallos, & Tiburtes, & Privernates, & Tarquinienses, & Samnites, & Volscos prospere gestas continet.*

Urb. cond. an. 387. Coss. L. Sext. & L. Æmil.

ANNUS hic erit insignis [1] novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores, pro concesso plebi altero consulatu. Plebs consulatum L. Sextio, [2] cujus lege partus erat, dedit: Patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni, [3] suarum gentium viris, gratia

INTERPRETATIO.

3 *Hominibus ex* familia *patricia*, idque *auctoritate quâ valebant in Campo* Martio, & Comitiis Centuriatis.

NOTÆ.

* *Plus quingentorum jugerum agri possideret.*] Sigonius legi vult aut *plus quingenta jugera*, aut *plus quingentis jugeribus*. Quid si *plus quingentorum jugerum agrum possideret*?

1. *Novi hominis.*] Homines *Novi* dicebantur, qui primi Curulem magistratum inferebant in familiam; qualis hic L. Sextius. Hic enim decies quidem Tribunus plebis fuerat: sed hic Tribunatus plebejus magistratus erat, non curulis. Novis hominibus opponuntur *nobiles*, qui majorum suorum imagines habent, quas ponere ac posteris tradere non licebat nisi magistratibus Curulibus, qui omnes initio Patricii. Itaque inter nobilitatis notas hæc vel præcipua fuit, parentum effigies in atrio conspiciendas proponere.

2. *Cujus leges partus erat.*] Plebi scilicet *partus*. Sextius igitur, non Licinius, quamvis ejus rei auctor, ad plebē seu populum tulerat, ut plebeji Cōsules crearentur.

Digitized by Google

campestri ceperunt. L. Sextio collega ex Patribus datus Lucius Æmilius Mamercus. Principio anni & de Gallis, quos primo 3 palatos per Apuliam congregari jam fama erat, & de Hernicorum defectione, agitata mentio. Quum de industria omnia, ne quid per plebejum consulem agerc- 5 tur, proferrentur; b silentium omnium rerum, ac justitio simile otium fuit: nisi quod non patientibus tacitum tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus 4 curulibus sellis prætextatos tanquam Consules sedentes nobilitas sibi sumpsisset; prætorem quidem 5 etiam jura reddentem, & 6 collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum: c verecundia inde imposita est senatui, ex Patribus jubendi ædiles curules creari. 7 primo ut alternis annis ex plebe fierent, convenerat: postea promiscuum fuit. Inde L. Genucio & Q. Servilio consulibus, & ab seditione & à bello quietis rebus, ne quando à metu ac periculis vacarent, pestilentia ingens orta. 8 Censorem, ædilem curulem, tres tribunos plebis mortuos ferunt: 9 pro portione & ex multitudine alia multa funera

Urb. cond. an. 387. Coss. L. Sex. & Æmil.

Urb. Cond. an. 388. Coss. L. Genuc. & Q. Servil.

INTERPRETATIO.

b *Cessatio à cunctis rebus bellicis: & quies* à negotiis *tanquam* indicto *justitio: præterquàm in eo quòd Tribuni plebis non sine murmure ferebant, &c.*

c *Puduit Senatum.*

NOTÆ.

3. *Palatos per Apuliam congregari.*] Eo ut Galli jamdiu funditus deleti fuerant à Camillo.

4. *Curulibus sellis Prætextatos.*] Prætor unus, ac duo Ædiles, patricii omnes, iisdem ferè insignibus dignitatis, quibus Consules utebantur: sella Curuli, & togâ limbo purpureo ornatâ, quam Prætextam vocabant. Sex præterea lictores prætori dati ex Polyb. & Plut.

5. *Etiam jura reddentem.*] Is privatorum negotiorum, in quibus facti magis, quàm juris quæstio vertebatur, judicem dabat: ipse de rebus arduis cum consilio cognoscebat; & ubi non tam simplicis jurisdictionis, seu notionis, quàm mixti imperii res erat, Interdicto fieri quid, aut jubebat, aut vetabat.

6. *Collegam Consulibus.*] Subjicit rationem cur Prætores Consulum Collegæ haberentur: quòd nempe *iisdem auspiciis creati* essent: Comitiis nempe Centuriatis. Et Comitia tum legum ferendarum, tum judiciorum causâ Consulibus absentibus habere potuerunt. Non tamen creandorum magistratuum. Nam Prætores ipsi, ut & Censores à Consulibus dicebantur. Quod autem lib. 3. c. 55. dictum est lege Horatiâ Consulibus & Prætoribus cautum esse, [illegible]: intellige, non tunc Prætoribus, quasi diversis à Consulibus, cautum fuisse; sed vi ejus legis Prætoribus consultum, qui post creari, & diversum à Consulibus magistratum gerere cœperunt.

7. *Primò ut alternis annis.*] Quid primò? An cum primùm patricii Ludorum curam in se susceperunt, eâ lege ut Ædiles fierent? At hoc posito falsum esset quod paulò antè dictum, Patricios hunc sibi honorem cum prætura quæsiviſſe. Id igitur hoc secundo anno factum: & *convenerat* in præterito dicitur, comparatione cum sequenti tempore; quo mos introductus, ut Ædiles tam ex plebejo, quàm ex Senatorio ordine indiscriminatim sumerentur.

8. *Censorem.*] Postumus Albinus Regillensis, & C. Sulpicius Peticus hoc tempore Censores à Sigonio ex Tabulis Capitolinis notantur. Cum igitur Petici post hunc annum sæpe mentio fiat, Albinum pestilentiâ absumptum necesse est.

9. *Pro portione.*] Ita ferè veteres distinctis vocibus. Proportionis vix illis cognitum nomen observat Glar.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 388. Coſſ. L. Genuc. Q. Serv.

fuiſſe, maximeque eam peſtilentiam inſignem mors 10 quàm mātura, tam acerba, M. Furii fecit. Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna; princeps pace belloque, prius quam exulatum iret: clarior in exilio; vel deſiderio civitatis, quæ capta abſentis imploravit opem; vel felicitate, qua reſtitutus in patriam, ſecum patriam ipſam reſtituit. Par deinde 11 per quinque & viginti annos (tot enim poſtea vixit) titulo tantæ gloriæ fuit, dignuſque habitus, quem ſecundum à Romulo conditorem urbis Romanæ ferrent.

Urb. cond. an. 389. Coſſ. C. Sulpic. & C. Licin. Stolo.

II. Et hoc, & inſequenti anno C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone, conſulibus, peſtilentia fuit, eo nihil dignum memoria actum: niſi quod pacis Deûm expoſcendæ causâ 1 tertiò tum poſt conditam urbem lectiſternium fuit. & quum vis morbi, nec humanis conſiliis nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, 2 ludi quoque Scenici, nova res bellicoſo populo (nam 3 Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Cæterum parva quoque (ut 4 ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit. 5 Sine car-

NOTÆ.

10. *Quàm matura.*] Camillus octogenario major deceſſit, maximis functus honoribus, ſexies Tribunatu militum, quinquies Dictaturâ: & ob ſervatam patriam, non minùs gloriâ, quàm ætate maturus.

[illegible] Glar. & Sigon. qui denarium detraxerunt, cum anteà eſſet per *xxxv. annos.* Nam ab urbe capta an. 363. ad hunc ann. 388. anni tantùm quinque & viginti decurrunt. Effigiem Camilli ærei nummi ex antiquis monumentis expreſſi ſic exhibent:

1. *Tertiò tum poſt urbem conditam.*] Rara ergo admodùm hæc *lectiſternia*, ſeu publicæ quaſi Deorum diſcumbentium epulæ, cum ſupplicationibus per templa eorum conjunctæ.

2. *Ludi Scenici.*] Ludi Theatrales à ſpectando dicti: *Scenici* quoque appellantur à Græco σκηνή, quod propriè Umbraculum eſt, ſive Teatorium. In Tabernaculis enim primùm ab Attica Juventute, inconditis carminibus acti, unde Comœdia, cæteraque deinde Dramatum genera. Hinc Scena pro media Theatri parte, ubi contabulantur perſonæ.

3. *Circi modo ſpectaculum.*] Non aliud ſpectaculi genus apud Romanos hactenus fuerat à Romuli uſque temporibus, quam decurſionis in Circo, aut pugilatus. Poſteà hæc ludicra Romanis diviſa in Circum, & Caveam: ut Græcis ludi in duo genera diſtinguebantur, Hymnicorum & Muſicorum.

4. *Parva fermè principia.*] Originem & ritum veteris Tragœdiæ, Comœdiæ, Satyræ apud Græcos indicat Horat. in epiſtola ad Piſones de Arte Poët.

5. *Sine carmine ullo.*] At Valer. Max. lib. 2. cap. 4. hoc ipſo anno populum *Romanum placandi cœleſtis numinis gratiâ* (egregium ſcilicet placandi genus *compoſitis carminibus vacuas aures præbuiſſe ſcribit.* Similior tamen vero Livii narratio.

mine

mine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria Urb. cond.
acciti, ad tibicinis modos ſaltantes [6] haud indecoros motus, more an. 389.
Tuſco dabant: imitari deinde eos juventus, ſimul [7] inconditis inter Coſſ. C. Sul-
ſe jocularia fundentes verſibus, cœpere; nec abſoni à voce motus pic. & C.
erant. Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata: [8] ver- Licin.
naculis artificibus, [8] quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum: [a] qui non ſicut ante, [9] Feſcennino verſu ſimilem, [10] incompoſitum, temere, ac rudem alternis jaciebant; ſed impletas modis [11] ſaturas, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant. [12] Livius poſt aliquot annos, qui [13] ab ſaturis

INTERPRETATIO.

a *Ludionibus Latinis, ſeu Romanis qui hanc artem exercerent.*

b *Carmina ſatyrica, quæ exercebantur & complebantur* adjectâ modulatione.

NOTÆ.

6. *Haud indecoros motus, &c.*] Saltationem nudam innuit: *une ſimple dance au ſon de la fluſte.*

7. *Inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus.*] Species hæc fuit Satyrici dramatis; ac velut rudimentum Comœdiæ Latinæ.

8. *Quia Hiſter.*] Non igitur ab Hiſtria regione dicti *Hiſtriones* ut Feſto viſum; ſed ab Etruſco vocabulo, quod Ludium ſeu Fabularum actorem ſignificat.

9. *Feſcennino verſu.*] Hoc, verſuum nuptialium genus à Feſcennia Etruriæ urbe nomen traxit, quam Cluverius non procul Tiberi locat intra Falerios: ſuſpicaturque eò loci fuiſſe, ubi antiquiſſima ruderum veſtigia extare notat Ant. Maſſa 1300. paſſibus ab oppido, quod nunc, *Gallefe*. Aliam quoque Feſcenninorum Etymologiam Feſtus affert, à *Faſcino*, quod arcere putabantur hi verſus, omni verborum licentiâ petulantiâque referti. Hic porro legendum ex antiquis Codicibus cenſet cum Sigonio Gronov. *Feſcennino verſum ſimilem*. Fnere apud Glareanum, qui *verſu* in dandi caſu antiquè dictum cenſerent; intelligendo *verſum* ſimilem verſui Feſc.

10. *Incompoſitum, temerè, ac rudem alternis jaciebant.*] Sigonius conjiciebat legendum *Feſcennino ſimilem verſum compoſitum temerè*: ita ut prima ſyllaba vocis *incompoſitum*, *in* ſcilicet, Librariorum vitio derivata ſit ex *m* ultima litera vocis *verſum*. Quid enim, inquit, ſignificat *verſus incompoſitos temere*? Sed adverbium, *temerè*, non ad *incompoſitum*, ſed ad verbum, *jaciebant*, referri notat Gronov. ut ſenſus ſit, verſus incompoſitos ac rudes, Feſcenninis ſimiles, *temerè*, ac ſine arte alternis jactatos ab hiſtrionibus.

11. *Saturas.*] Quid *Satura* vel *Satyra* nomine ſignificetur, indicatum antea eſt, lib. 5. cap. 49. Hic ſumitur pro genere Poëmatis ſcenici quod Latinorum proprium Quintilianus cenſuit à Godelevæo laudatus. *Satyra Latinorum*, inquit, *tota eſt, neque à Græcis accerſita. Satyras enim Græci non ſcripſerunt*. Fatendum tamen eſt Lucilium Satyrarum inventorem, veteris Græcorum Comœdiæ imitatione fabulas ſuas ſcripſiſſe: vel ipſo Horat. teſte Sat. 4. lib. 1. Atque hæc Satyra à ſatyris temerè ſaltantibus dicta putatur. Igitur Romani Græcorum exemplo, facta hominum in theatro imitati tandem ſunt triplici genere; Saltatione modulatâ, concentu, & verſu.

12. *Livius poſt aliquot annos.*] Hic *Livius Andronicus* primus Comœdiam Latino ſermone compoſuiſſe ſcribitur à Diomede Grammatico. A. Gell. lib. 17. c. ult. id refert ad Conſulatum *Claudii Centonis qui Appii cæci filius erat, & M. Sempronii Tuditani* (*id eſt annum u.c.* 513.)

13. *Ab ſaturis auſus eſt primus argumento fabulam ſerere.*] Vult, ni fallor;

Urb. cond. an. 389. Coſſ. L. Sulpic. & C. Licin.

auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, (idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, [14] ſuorum carminum actor) dicitur, quum ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita [15] puerum ad canendum ante tibicinem quum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigenti motu, quia nihil vocis uſus impediebat. [16] inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, [17] diverbiaque tantum ipſorum voci relicta. Poſtquam lege hac fabularum, ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur; & ludus in artem paulatim verterat: juventus hiſtrionibus, fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit: [18] quæ inde exodia poſtea appellata, con-

NOTÆ.

cum Lucilius Satyrico carminis genere fabulas inſtituiſſet, quo, de re quaque, verſus nullo certo argumento adſtricti ab hiſtrionibus recitabantur: Livium eo genere relicto, fabulas ſuas, Græcorum more, ad quædam argumenta certo ordine tractanda revocare auſum eſſe: *ita ut argumento fabulam ſerere*, ſit partes ipſius confecto quodam argumento connectere, & quaſi invicem contexere; ut ſcena una cum alia continuetur.

14. *Suorum carminum actor.*] Comœdiarum iidem primis temporibus auctores, & actores: unde & fabulas docere dicebantur. Agere autem erat præſertim Saltatione exprimere.

15. *Puerum ad canendum.*] Comœdi carmina ſua ad tibiæ cantum initio recitabant, corporiſque motibus eadem exprimebant. Sed Livius voce jam nimio uſu obtusâ, tibicinis concentum adhibuit, ac geſticulationem tacitus peragere cœpit: ut loquitur Valer. Max. lib. 2. cap. 4.

16. *Inde ad manum cantari.*] Turnebus lib. 3. adverſ. cap. ultim. *ad manum cantare*, interpretatur, *cantare in promptu & coram*. Salmaſ. ad Fl. Vopiſcum in Carino, emendat ad *manum ſaltari*. Verùm, ut optimè advertit Gronov. non dixit auctor, *ad manum cantari ab hiſtrionibus cœptum, ſed hiſtrionibus*. Eſt autem *cantare alicui ad manum*, cantando reſpondere geſticulationi, quæ ſaltando, & ut ajunt, *loquaci manu* ab eo fit: ſive *modulatè pronunciare* quæ hiſtrio agat. *Sic cantare ad Tibiam*, eſt alio tibiam inflante, carmen voce accinere: *Cantare ad fides* eſt ſimul canere & cytharam pulſare. Cantabat itaque ad manum Livio Andronico puer muſicus: ipſe ad tibicinis modos ſaltabat.

17. *Diverbiaque tantùm ipſorum voci relicta.*] Dividebantur Comœdiæ in Cantica & *Diverbia*. Sunt autem *Diverbia* auctore Diomede, ubi plures perſonæ verſantur. *Cantica*, in quibus una tantùm: ut diverbia dicantur, quaſi dialogi, duorum ſcilicet triumve inter ſe verba facientium collocutiones. Notum enim illud Hor. nec *quarta loqui perſona laboret*. Donatus autem in Andriam Terentii, ait *Diverbia* à ſolis hiſtrionibus fuiſſe pronunciata: quod Sigonius ſic accipit, ut *hiſtriones* Donatus vocet eos tantum qui canerent, non eos qui ſaltarent, aut tibias inflarent: quaſi intelligendum ſit in Canticis rem actam eſſe tibiis, cantu, & verſu: in Diverbiis autem ſolâ voce: quod veteres Latini *aſiâ voce* dixerunt: perſonis ſcilicet colloquentibus.

18. *Quæ inde Exodia.*] *Exodii* vocabulum è Græco haud dubiè tractum. Nonnulli dicta volunt, quaſi ἔξω τῆς ὁδοῦ: id eſt, *extra viam*. Alii quaſi ἔξω τῆς ᾠδῆς, *extra cantum*. Ad priorem Etymologiam reſpiciens Sigonius, idem eſſe ait, *Exodia*, & *Epiſodia*: illo nomine appellata quod extra rem ſint; hoc verò quòd rei inſerantur. Sed *Exodium* generaliter *exitum* Feſtus interpretatur, Nonius *Finem* ex Varrone, ἔντεῦθεν τῆς ἐξόδου. Atque hoc loco ſumitur pro eo quod Firmicus lib. 6. *exitum Fabularum* vocat: quod ſcilicet digreſſis Comœdis cantabatur ab exeunte ingenuo-

fertàque fabellis [19] potiſſimum Atellanis ſunt. Quod genus ludorum [20] ab Oſcis acceptum [21] tenuit juventus: nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eò inſtitutum manet, ut actores Atellanarum, [22] nec tribu moveantur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant. Inter aliarum parvà principia rerum, ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt, ut appareret quam ab ſano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerit.

III. Nec tamen ludorum primum initium, procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit. quin etiam quum medios fortè ludos [1] circus Tiberi ſuperfuſo irrigatus impediſſet; id vero, velut averſis jam Diis, aſpernantibuſque placamina iræ, terrorem ingentem fecit. Itaque Cn. Genucio, L. Æmilio Mamerco ſecundùm conſulibus, [2] quum piaculorum magis conquiſitio animos quam corrum Juvenum Choro. Juvenalis Sat. 3. *Tandemque redit ad pulpita notum Exodium. cum perſona pallentis hiatum in gremio matris formidat ruſticus infans.* Quod ſic explicat vetus Scholiaſtes. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut quicquid lacrymarum ac triſtitiæ coëgiſſent ex Tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detegeret.*

19. *Potiſſimum Atellanis.*] Fabulæ *Atellanæ*, & nomen & originem habuere ab urbe Campaniæ *Atella*, quæ medio Capuam inter & Neapolin itinere; & cujus loco nunc *Averſa*. Hæ medium quid fuere inter Comœdias & Satyricas Græcorum fabulas: à Mimis diverſæ, quòd jocis uterentur homine ingenuo dignis; interque eos plus aliquantùm ſervarent veteris Italicæ gravitatis.

20. *Ab Oſcis acceptum tenuit juventus.*] *Atellanicum* Drama Romani acceperunt à vicinis Campaniæ Felicis populis priſcorum Auſonum ſobole: qui *Opici* ac deinde *Obſci*, denique *Oſci* dicti ſunt; in *Aurunces* & *Sidicinos* diviſi, inter Volſcos & Campaniam ulteriorem medii. Eorum idioma accedebat ad Sabinorum Samnitumque ſermonem: eſtque à Strabone obſervatum, etiam poſtquàm ipſa *Oſcorum* gens interierat, dialectum eorum apud Romanos manſiſſe: ita ut quibuſdam patriis ludis (in Atellanis nempe Fabulis) certa poëmata eo ſermone in ſcenam ſuo tempore producerentur.

21. *Tenuit Juventus.*] Romani juvenes Ingenui horum carminum auctores Urbici Poëtæ vocabantur, vel quòd ex urbana & honeſta juventute; vel quod urbanos, non turpes jocos admitterent. Huc pertinet illud Satyrici: *Urbicus Exodio riſum movet Atellana Geſtibus Autonoës.*

22. *Nec tribu moveantur, & ſtipendia.*] Edicto Prætoris apud Romanos infamia inter alios notabantur, qui *artis ludicræ pronùnciandive causâ in ſcenam prodierant.* Sed Juriſconſulti id reſtringunt ad eos qui quæſtus causâ ſpectaculum ſui præbituri prodeunt in ſcenam. Infames autem velut indigni qui in Civium numero eſſent, tribu movebantur à Cenſoribus: nec militare in legione licebat, niſi ei qui ingenuus eſſet, & in aliqua quinque Claſſium cenſus. Excipiuntur itaque ab hac lege hi Exodiorum luſores, qui perſonati agebant, ac modeſtiùs quàm hiſtriones. Nec diverſo jure cenſeri videntur Thymelici, qui in Orcheſtra, ſive pulpito (quod Thymelen vocabant) chori loco ſubſerviebant fabulæ, in qua perſonam non habebant, ſed abditis in ſcenam hiſtrionibus populum geſticulationibus oblectabant.

1. *Circus Tiberi ſuperfuſo.*] Hoc igitur

Urb. Coad. an. 390. Coſſ. Cn. Genuc. & L. Æmil.

INTERPRETATIO.

2 *Cum mentes hominum magis laborarent ſuperſtitione in inveſtigandis expiationibus, quàm corpora invaletudine afflictabantur.*

NOTÆ.

Urb. cond. an. 390. Coſſ. Cn. Genuc. & L. Æmil.

porâ morbi afficerent, repetitum ex ſeniorum memoria dicitur peſtilentiam quondam clavo ab dictatore fixo ſedatam. Eâ religione adductus ſenatus [2] dictatorem clavi figendi cauſa dici juſſit. dictus L. Manlius Imperioſus, L. Pinarium magiſtrum equitum dixit. Lex vetuſta eſt priſcis literis, verbiſque ſcripta, ut qui prætor maximus ſit, idibus Septembribus clavum pangat. [3] Fixus fuit dextro lateri ædis Jovis optimi maximi, ea ex parte qua Minervæ templum eſt. Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant, [4] notam numeri annorum fuiſſe ferunt: eoque Minervæ templo dicatam legem, quia [5] numerus Minervæ inventum ſit. [6] Volſiniis quoque clavos indices numeri annorum, fixos in templo [7] Nortiæ Etruſcæ Deæ, comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius [8] conſul ex lege templum Jovis optimi maximi

NOTÆ.

initio, cum nondum exſtructum eſſet theatrum, ludi Scenici in Circo celebrari cœperant. Quin etiam diu promiſcuè ac ſtantes ſpectarunt.

2. *Dictatorem clavi figendi.*] Hujuſce moris rationem quidem indicare difficile: at originem, ſic deſcribit auctor, ut interpretem non deſideret: duas affert cauſas clavi in ædibus ſacris pangendi; alteram, ut annorum numerus notaretur, defixo in ſingulos annos clavo; alteram ſedandæ peſtilentiæ causâ.

3. *Fixus fuit.*] Veteres teſte Gron. *Fixa fuit*, ut ad legem referatur. Nam ſi ad clavum referas, ſcribendum poſteà erit *Minervæ templo dicatum lege, non dicatam legem*. Quanquàm *legem dicari* minùs propriè dicitur. Quod enim Gronovius affert ex Suet. Tiberium ſatis indecoram Parrhaſii tabulam *in cubiculo dedicaſſe*, quis non videt odioſè magis quàm ex ſermonis proprietate dictum.

4. *Notam numeri annorum.*] Idcirco Clavus Annalis dicebatur. Alluſit ad vetuſtum hunc morem Petronius à Caſellio correctus.

Et paries circa paleâ ſatiatus agreſti,
Fortuitoque luto, Clavus numerabat & annos.

Meliùs fortè *clavos*.

5. *Numerus Minervæ inventum.*] Hoc Mercurio Ægyptio, qui & Theut, tribuere Plato videtur in Phædro.

6. *Volſiniis.*] Inter duodecim primarios Etruriæ populos *Volſinienſes* numerantur: quorum oppidum *Volſinii* ad lacum ejuſdem nominis, unde Marta fluvius oritur. Nunc paulùm inflexo vocabulo *Bolſena*.

7. *Nortiæ.*] Etruſci *Nortia* nomine Sortem ſive Fortunam intelligebant: ut interpretatur Martianus Capella cap. 9. de Nuptiis Mercurii & Philologiæ. Unde Juvenalis Satyr. 10. de Sejano agens, qui & ipſe Volſinienſis:

—— idem populus, ſi Nortia Tuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hoc ipsâ Sejanum diceret horâ
Auguſtum.

Tertullianus tamen peculiarem Volſiniorum Deam *Nurſciam* nominat: *Nortiam* verò *Sutrinis* aſſignat; Etruriæ quoque populis.

8. *Conſul ex lege templum*, &c.] Non abs re Glar. & Gron. monent ad clavum figendum nihil attinere dedicationem Templi Jovis Capitolini à M. Horatio Pulvillo factam, de qua jam actum lib. 2. c. 8. ubi non lege, ſed ſorte Horatio potiùs quàm Valerio Collegæ delatum id munus. Verùm nihil illi proferunt quo locus emendatior fiat. Erit autem, ni fallor, ſi reſcripſeris, *Horatius Conſul ex lege* (vel eâ lege) *Templo Jovis opt. max. dedicavit*. Ut prima clavi annalis fixio ſeu dedicatio unà cum Conſulibus cœperit anno poſt reges exactos eodem quo ipſum Jovis Capitolini Templum dedicatum fuerat; idque lege aliquâ tunc ea de re conſtitutâ; cum anteà regum annis numerata tempora fuiſſent.

Digitized by Google

dedicavit, anno poſt reges exactos. à conſulibus poſtea ad dictatores, quia majus imperium erat, ſolenne clavi figendi translatum eſt. 9 Intermiſſo deinde more, digna etiam per ſe viſa eſt res, propter quam dictator crearetur. qua de cauſa creatus L. Manlius, 10 perinde ac rei gerendæ, ac non ſolvendæ religionis gratiâ creatus eſſet, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit; tandemque omnibus in eum tribunis plebis coortis, ſeu vi, ſeu verecundia victus, dictatura abiit.

IV. Neque eo minus principio inſequentis anni, Q. Servilio Ahala, L. Genucio ſecundùm conſulibus dies Manlio dicitur à M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo civium, ſed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæſis, a qui ad nomina non reſpondiſſent, partim in vincula ductis, inviſa erat: & ante omnia inviſum ipſum ingenium atrox, cognomenque *Imperioſi* grave liberæ civitati, ab oſtentatione ſævitiæ adſcitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac ſanguine ipſe ſuo exerceret. criminique ei tribunus inter cætera dabat, *Quod filium juvenem* b *nullius probri compertum, extorrem, urbe, domo, penatibus, foro, luce, congreſſu æqualium prohibitum, in opus ſervile, prope in carcerem atque in ergaſtulum dederit: ubi ſummo loco natus* c *dictatorius juvenis quotidiana miſeria diſceret, verè imperioſo patre ſe natum eſſe. At quam ob noxam?* 1 *quia infacundior ſit, & lingua impromptus.* 2 *Quod naturæ damnum utrùm nutriendum patri (ſi*

Urb. cond. an. 391. Coſſ. Q. Servil. & L. Genuc. II.

INTERPRETATIO.

a *Cum nomine* quiſque proprio *citati non comparuiſſent.*

b *Non convictum ullius criminis, factive probroſi.*

c *Adoleſcens patre natus Dictatore.*

NOTÆ.

9. *Intermiſſo deinde more.*] *Figendi*, ſc. clavi annalis, poſtquàm minùs rudi populo cœperunt anni Conſulibus numerari.

10. *Perinde ac rei gerendæ ac non ſolvendæ religionis gratiâ.*] Ut Sigonio, ita mihi quoque magis hæc vetus lectio placet, quàm correctio Gelenii, reip. gerendæ, ac non ſolvendæ religione, gratiâ: certè *gerendæ rei*, potius quàm *reip. gerendæ* cauſâ creari Dictatores à Livio dicuntur; & diverſa ſunt *ſolvere religione*, & *ſolvere religionem*: quandoquidem *ſolvere religione* eſt liberare eo officio quo per religionem tenemur; ſolvere autem religionem eſt præſtare quod noſtra religio nos admonet ut faciamus. Præterea in Geleniana emendatione diſplicent duo illi auferendi caſus, *religione, gratiâ*. Et apud noſtrum quoque eſt lib. 2. *Nullam ſcelere religionem exſolvi*, quod Gron. fatetur.

1. *Quia infacundior ſit, & linguâ impromptus.*] *Ob ingenii & linguæ tarditatem*: ait Auctor de Viris Illuſtr. Noſter quoque mox ingenii tarditatem notat. Val. Max. lib. 6. cap. 9. *Hebetis atque obtuſi cordis* fuiſſe vult: additque *in hoc, fortuna maligna nubile, adoleſcentia contemptu perfuſum* videri: *quò ſenectutis ejus decus lucidiùs eniteſceret.*

2. *Quod naturæ damnum utrùm nutriendum patri.*] *Nutrire* hic non *alere* ad augendum ſignificat, quæ vulgaris eſt ejus verbi acceptio: ſed pro eo ſumitur ac molliori tractatione, velut fomento curare. Probat pluribus exemplis Gronovius: præſertim ex ipſo Livio. *Natura* autem *damnum*, eſt incommodum naturale, vitium à natura inſitum.

Urb. Cond. an. 391. Coſſ. Q. Servil. & L. Genuc. II.

quicquam in eo humani eſſet) an caſtigandum, ac vexatione inſigne faciendum fuiſſe? ne mutas quidem beſtias minus alere, ac fovere, ſi quid ex progenie ſua parum proſperum ſit. At, hercule, L. Manlium, malum malo augere filii, & tarditatem ingenii d *inſuper premere: & ſi quid in eo exiguum naturalis vigoris ſit, id extinguere vita agreſti, & ruſtico cultu, inter pecudes habendo.*

V. Omnium potiùs his criminationibus, quam ipſius juvenis, irritatus eſt animus: quin contrà, ſe quoque parenti cauſam invidiæ atque criminum eſſe ægre paſſus; ut omnes Dii hominesque ſcirent, ſe parenti opem latam quam inimicis ejus malle; capit conſilium, rudis quidem atque agreſtis animi, & a quamquam non civilis exempli, tamen pietate laudabile. Inſcientibus cunctis cultro ſuccinctus, mane in urbem, atque à porta domum confeſtim ad M. Pomponium tribunum pergit: janitori, *opus eſſe ſibi domino ejus convento extemplo*, ait. *nunciaret T. Manlium Lucii filium eſſe.* Mox introductus (etenim percitum irâ in patrem ſpes erat aut criminis aliquid novi, aut conſilii ad rem agendam deferre) ſalute acceptâ redditaque, *eſſe*, ait, *quæ cum eo agere arbitris remotis velit.* Procul inde omnibus abire juſſis, cultrum ſtringit: & 1 ſuper lectum ſtans ferro intento, *niſi* 2 *in quæ ipſe concepiſſet verba, juraret, ſe patris ejus accuſandi cauſa concilium plebis nunquam habiturum, ſe eum extemplo transfixurum* minatur. Pavidus tribunus (quippe qui ferrum ante oculos micare, ſe ſolum, inermem, illum prævalidum juvenem, & quod haud minus timendum erat, ſtolide ferocem viribus ſuis cerneret) 3 adjurat in quæ adactus eſt verba; & præ ſe deinde tulit, ea vi ſubactum ſe inceepto deſtitiſſe. b Nec perinde, ut maluiſſet plebes, ſibi ſuffragii ferendi de tam crudeli & ſuperbo reo poteſtatem fieri; ita ægre habuit filium id pro parente auſum. eoque id laudabilius erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil à pietate

INTERPRETATIO.

d *Magis ac magis vexando*, augere: & quaſi *in præceps agere.*

a *Etſi exemplo non conveniens homini in Civitate* rectè conſtituta nato, in Civium ſocietate *degenti.*

b *Neque plebs eodem modo ægrè tulit filium in gratiam patris eam rem audacter perfeciſſe: quo optaſſet ſibi copiam fieri ſuffragiis ſuis damnandi Manlium patrem, reum ſcilicet, adeò ſævum, atque inſolenter imperioſum.*

NOTÆ.

1. *Super lectum ſtans.*] Nondum enim ſurrexerat Pomponius; cum ſummo mane ad eum T. Manlius veniſſet: janua autem Tribunorum plebis ſemper patebat.

2. *In quæ ipſe concepiſſet verba.*] In verba alicujus jurat, qui id quod ab eo petitur, jurejurando interpoſito promittit. Solebat enim verba præire, qui quid poſcebat juramento ſibi confirmari: & ſecundùm verba ab eo pronunciata alter jurare.

3. *Adjurat in quæ adactus eſt verba.*] Propria hæc *adjurandi* ſignificatio, ut ſit alteri ad ea quæ poſtulavit, ſeſe jurejurando obſtringere: quaſi jurare ad alterius verba.

Digitized by Google

avertiſſet. Itaque non patri modo remiſſa cauſæ dictio eſt, ſed ipſi etiam adoleſcenti ea res honori fuit. & quum eo anno primum placuiſſet 4 tribunus militum ad legiones ſuffragio fieri (nam & antea ſicut nunc 5 quos γ *Rufulos* vocant, imperatores ipſi faciebant) c ſecundum 6 in ſex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandum gratiam meritis; ut qui rure, & procul cœtu hominum juventam egiſſet. Urb. Cond. an. 391. Col. Q. Servil. & L. Genuc. II.

VI. Eodem anno ſeu motu terræ, ſeu qua vi alia, forum medium ferme ſpecu vaſto collapſum in immenſam altitudinem dicitur: neque eam voraginem 1 conjectu terræ, quum pro ſe quiſque gereret, explere poſſe prius, quàm Deûm monitu quæri cœptum, quo plurimum populus Romanus poſſet? Id enim illi loco dicandum vates canebant, ſi rempublicam Romanam perpetuam eſſe vellent. Tum M. Curtium juvenem bello egregium, caſtigaſſe ferunt dubitantes, *an nullum magis Romanum bonum, quam arma virtuſque eſſet*. Silentio facto, templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos manes porrigentem, ſe devoviſſe. equo deinde quam poterat ma-

INTERPRETATIO.

c *Obtinuit ſecundum* locum, *inter ſex loca*, ſeu munera Tribunorum militarium.

NOTÆ.

4. *Tribunos militum ad legiones.*] Hujuſmodi Tribuni, (longè diverſi à Tribunis Militum Conſulari poteſtate) præerant Legionariis, ita ut ſex fermè eſſent in unaquaque legione, & bini toti Legioni per vices imperarent. Idcirco *Tribuni ad Legiones* vocabantur; eoque loquendi genere uſus videtur Cicer. 6. de Repub. *Cum in Africam veniſſem Tribunus militum ad Legionem Quartam.*

5. *Quos Rufulos vocant.*] Rufuli dicebantur, *Tribuni militum à Conſule facti, non à populo. De quorum jure*, inquit Feſtus, *quòd Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli*, ac poſtea *Rutili ſunt appellati*. Ubi Lipſio contrà videtur ſcribendum, *Rutili*, ac poſt *Rufuli*: quandoquidem Aſconii adhuc ævo *Rufuli* vulgò dicebantur. Hic enim Commentar. in Verr. lib. 2. *Tribunorum*, inquit, *militarium duo ſunt genera. Primum eorum, qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari ſolent*, (à Conſulibus aut Prætoribus nimirum). *Alii Comitiati, qui Romæ Comitiis deſignantur.* Ex horum numero T. Manlius. Et inſinuat Livius hoc primùm anno id conſtitutum, ut populi ſuffragio fierent Tribuni: quod poſtea variè ſervatum.

6. *In ſex locis.*] Tribuni militum, ſex tantùm Comitiis creati, videntur primo aſpectu indicare unam dumtaxat Legionem eo anno ſcriptam. Sigonius tamen cenſet ſcriptis quatuor Legionibus, Tribunos duodecim tunc creatos, quorum partem dimidiam populus creaverit, reliquos ipſi Conſules. Lipſius è locis Tribunorum viginti quatuor, nonniſi ſex populi judicio tributa conjicit ex lib. Livii 9. cap. 30. ubi perpauca hujuſmodi loca ſuffragio populi Romani relinqui ſolita memorantur.

1. *Conjectu terræ, quum pro ſe quiſque gereret.*] Fortè, ut Gronovio placet, *quam pro ſe quiſque gereret*, id eſt, *terram*. Dicitur enim apud alios quoque auctores *gerere*, pro, *ingerere*, *indere*. Plaut. in Pſeud. *Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum geras*. Cato de re Ruſt. cap. 152. *Si non habebis unde irrigες, gerito, inditoque lenitor.*

Urb. Cond. an. 391. Coss. Q. Servil. & L. Genuc. 11.

xime exornato insidentem, armatum se in specum immisisse, dona que ac fruges super eum à multitudine virorum ac mulierum congestas: lacumque Curtium, non ab antiquo illo T. Tatii milite 2 Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret: nunc famæ rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem. & lacus nomen ab hac recentiore 3 insignitius fabula est. Post tanti prodigii procurationem, eodem anno de Hernicis consultus senatus, quum feciales ad res repetendas nequicquam misissent, primo quoque die ferendum ad populum de bello indicendo Hernicis censuit: populusque id bellum frequens jussit. L. Genucio consuli ea provincia forte evenit. In expectatione civitas erat, quod primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset: perinde ut eveniret res, ita communicatos honores 4 pro bene aut secus consulto habitura. Forte ita tulit casus ut Genucius ad hostes magno conatu profectus, in insidias præcipitaretur; legionibus nec opinato pavore fusis, consul circumventus ab insciis, quem interfeciissent, occideretur. Quod ubi est Romam nunciatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti Patres, quantum feroces infelici consulis plebeji ductu, fremunt omnibus locis. *Irent, crearent consules ex plebe, transferrent auspicia quo nefas esset. Potuisse Patres plebiscito pelli honoribus suis: num etiam in Deos immortales inauspicatam legem valuisse? Vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia: quæ ut primum contacta sint ab eo, à quo nec jus nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde, turbato gentium jure, comitia haberentur.* His vocibus curia & forum personat. Appium Claudium, quia dissuaserat legem, majore nunc auctoritate eventum reprehensi ab se consilii incusantem, 5 dictatorem consensu patriciorum Servilius consul dicit: delectusque & justitium indictum.

NOTÆ.

2. *Curtio Metio.*] De hoc Curtio suprà lib. 1. cap. 12. & 13.

3. *Insignitius.*] Ita meliores Codices ex Gronov. qui observat à Livio pro, *insigni*, sæpe *insignitum* dici: ut lib. 4. cap. 4. *An esse ulla major aut insignitior contumelia potest.*

4. *Pro benè aut secus consulto habitura.*] Vult ita suspensam ejus belli expectatione civitatem fuisse, ut communicati cum plebe Consulatus consilium, ex hoc eventu metiri parata esset: atque illud tanquàm utile probatura, si hocce bellum prosperè successisset; contra verò pro pessimo & perperam capto, damnatura; si hæc expeditio infaustum exitum sortiretur. Et ferè ita fit: consilia eventibus ponderamus. Ad loquendi formam quod attinet, eam Livius sæpius usurpatam Gron. exemplis probat. Sic lib. 8. *Debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum est.* Lib. autem 10. *Ut omnis rei benè aut secus gestæ decus dedecusque ad L. Volumnium sit delegatum.* His & similibus lectionem suam ex veteribus quibusdam libris adversus Sigonium aliosque firmat.

5. *Dictatorem consensu patriciorum.*] Dictatori huic Appio Claudio Crassio Regillensi, Decemviri Nepoti, mirum non adscribi magistrum equitum. Sigon. ex fragmentis Capitolinis, ubi supereſt syllaba, *scus*, conjicit aliquem fuisse Servilium Priscum.

VII. Priuſ-

VII. Priuſquàm dictator legioneſque novæ in Hernicos venirent ductu C. Sulpicii legati, res per occaſionem geſta egregie eſt. In Hernicos morte conſulis contemptim ad caſtra Romana eum haud dubia expugnandi ſpe ſuccedentes, hortante legato, & plenis iræ atque indignitatis militum animis, eruptio eſt facta. Multum ab ſpe adeundi valli res Hernicis abfuit, adeo turbatis inde ordinibus abſceſſore. Dictatoris deinde adventu novus veteri exercitus jungitur, & copiæ duplicantur. & pro concione dictator laudibus legati, militumque, quorum virtute caſtra defenſa erant, ſimul audientibus laudes meritas tollit animos; ſimul cæteros ad æmulandas virtutes acuit. Neque ſegnius 1 ad hoſtes bellum apparatur, qui & parti ante decoris memores, neque ignari 2 auctarum virium hoſtis, ſuas quoque vires augent. Omne Hernicum nomen, omnis militaris ætas excitur 3 quadringenariæ octo cohortes, lecta robora virorum ſcribuntur. Hunc eximium florem juventutis, eo etiam, quod ut duplex acciperent ſtipendium, decreverant, ſpei animorumque implevere. 4 Immunes quoque operum militarium erant; ut in unum pugnæ laborem reſervati, plus ſibi, quam pro virili parte annitendum ſcirent. Extra ordinem etiam in acie locati, quo conſpectior virtus eſſet. Duûm millium planicies caſtra Romana ab Hernicis dirimebat: ibi pari ferme utrinque ſpatio in medio pugnatum eſt. Primo ſterit ambiguâ ſpe pugna; nequicquam ſæpe conatis equitibus Romanis impetu turbare hoſtium aciem. poſtquam equeſtris pugna effectu quam conatibus vanior erat; conſulto prius dictatore equites, permiſſu deinde ejus, 5 relictis equis, 5 clamore provolant ante ſigna, & novam integrant pugnam. neque ſuſtineri poterant, ni extraordinariæ cohortes pari corporum animorumque robore ſe objeciſſent.

Urb. cond. an. 391. Dictat. App. Claud.

NOTÆ.

1. *Ad hoſtes bellum apparatur.*] Sigon. repoſuit ex aliis libris tanquàm rectius, *neque ſegnius apud hoſtes bellum apparatur*, eadem omnino ſententiâ. Sed Gronov. *ad hoſtes* genuinum eſſe contendit, etſi minùs alibi uſitatâ phraſi, tamen Livio non ignotâ, qui *ad*, pro, *apud* ſæpe uſurpat, ut lib. 10. *Furiarum ac formidinis plena omnia ad hoſtes eſſe.*

2. *Auctarum virium hoſtis.*] Præfert Gronov. *Auctarum virium hoſti*. Sic lib. 28. *Aliquantùm & Romanis auctis & diminuti hoſtibus animi erant.*

3. *Quadringenaria octo cohortes.*] A Gelenio eſt hæc lectio. Alii, *quadringentaria*. A quadringentis militibus dictas ait Glar. Hic numerus octies repetitus tria virorum millia ac ducentos efficeret: exiguum additamentum, ſi cum duplicatis Romanorum copiis conferatur. Sed hoc nimirum lectum copiarum Hernicarum robur, præter aliam gregariorum militum multitudinem. Idcirco infrà dicuntur *extraordinaria cohortes.*

4. *Immunes quoque operum.*] His ſimiles apud Tacitum, qui poſt Senadena ſtipendia exauctorati, ſub vexillo retinebantur: *Cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis. Annal.* 1.

5. *Clamore provolant ante ſigna.*] Sublato ſcilicet ingenti *clamore*: nec tamen opus, quod Sigon. vult, addi vocem, *ingenti*.

Urb. Cond. an. 391. Dictat. App. Claud.

VIII. Tunc [a] inter primores duorum populorum res geritur. quicquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert, multiplex quam pro numero damnatum eſt: vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, eventum ſuum in virtute aliena ponit. multi utrinque cadunt, plures vulnera accipiunt. Tandem equites alius alium increpantes, *quid deinde reſtaret*, quærendo, *ſi neque ex equis pepulisſent hoſtem*, [*] *neque pedites quicquam momenti facerent. Quam tertiam expectarent pugnam? quid ante ſigna feroces proſiluiſſent, & alieno pugnarent loco?* His inter ſe vocibus concitati, clamore renovato, inferunt pedem: & [1] primùm gradu moverunt hoſtem, deinde pepulerunt; poſtremo jam haud dubie avertunt: [b] neque tam vires pares quæ ſuperaverit res, facile dictu eſt, niſi quod perpetua fortuna utriuſque populi, & extollere animos, & minuere potuit. Uſque ad caſtra fugientes Hernicos Romanus ſequitur: caſtrorum oppugnatione, quia ſerum erat diei, abſtinuere. [c] Diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem ſignum dare poſſet: eo in noctem tractum erat certamen. Poſtera die deſerta fugâ caſtra Hernicorum, & ſaucii relicti quidam inventi: [d] agmenque fugientium ab ſignis, quum præter mœnia eorum infrequentia ſigna conſpecta eſſent, fuſum, ac per agros trepida fuga palatum eſt. Nec Romanis incruenta victoria fuit: quarta pars militum amiſſa. & [e] ubi haud minus jacturæ fuit, aliquot equites Romani cecidere.

IX. Inſequenti anno, quum C. Sulpicius & C. Licinius Calvus conſules in Hernicos exercitum duxiſſent. neque inventis in agro hoſtibus, [2] Ferentinum urbem eorum vi cepiſſent; revertentibus inde eis, Tiburtes portas clauſere. Ea ultima fuit cauſa, quum multæ antea querimoniæ ultro citroque jactatæ eſſent, cur per feciales rebus repetitis bellum Tiburti populo indiceretur. Dictatorem T. Quintium Pennum eo anno

INTERPRETATIO.

a *Tunc commiſſi inter ſe, qui primos ordines tenebant, utrinque* tam ex parte Hernicorum, quam Romanorum; *Quicquid ex his aut illis reciprocâ armorum aleâ cadítur: multiplicatâ ultra eſſorum numerum jacturâ perit.* Unuſquiſque enim pro multis habendus.

[*] *Nec pedibus ipſi pugnantes,*

b *Nec ſatis poteſt dijudicari, quare ſuperata ſint vires adeò pares.*

c *Id Dictatorem diu remoratum fuerat, quòd facto ſacrificio litátum non erat.*

d *Et cum ſigna Hernicorum prope muros oppidi viſa eſſent deſerta* ferè à ſuis; *agmen eorum qui à vexillis anteà fugerant, fuſum eſt, ac per campos incerto errore diſſipatum.*

e *Qua in re non fuit minus damnum.*

NOTÆ.

1. *Primùm gradu moverunt hoſtem.*] Paulatim in fugam egerunt. *Premierement ils les firent reculer; aprés ils les pouſſerent: enfin ils les forcerent à prendre ouvertement la fuite.*

2. *Ferentinum.*] Volſcorum oppidum initio fuit, hinc captum à Romanis, Hernicisque donatum: aliquandiu à Samnitibus poſteà bello poſſeſſum. Hodie *Ferentino*, vel corruptè *Firentino* in Campania Romana. Incolæ *Ferentinates*; nam Ferentini ſunt à Ferento Tuſciæ.

fuiſſe ſatis conſtat, & magiſtrum equitum Servium Cornelium Malugi-
nenſem. Maeer Licinius comitiorum habendorum cauſa, & ab Licinio
conſule dictum ſcribit, quia collega comitia bello præferre feſtinanto ut
continuaret conſulatum, obviam eundum pravæ cupiditati fuerit. Quæ-
ſita ea propriæ familiæ laus, leviorem auctorem Licinium facit. quum
mentionem ejus rei in vetuſtioribus annalibus nullam inveniam, magis
ut belli Gallici cauſa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. eo
certè anno 3 Galli ad tertium lapidem 4 Salaria via trans pontem Anie-
nis caſtra habuere. Dictator, quum tumultus Gallici cauſa juſtitium edi-
xiſſet, omnes juniores ſacramento adegit, ingentique exercitu ab urbe
profectus, in citeriore ripa Anienis caſtra poſuit. Pons in medio erat:
neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium eſſet; prælia de occu-
pando ponte crebra erant; nec qui potirentur, incertis viribus, 5 ſatis
diſcerni poterat. Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem
Gallus proceſſit: & quantum maxima voce potuit, *Quem nunc*, inquit,
*Roma fortiſſimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noſter
duorum eventus oſtendat utra gens bello ſit melior.*

Urb. cond. an. 392. Dictat. T. Quint.

X. Diu inter primores juvenum Romanorum ſilentium fuit, quum &
abnuere certamen verentur, & præcipuam ſortem periculi petere nol-
lent. Tum T. Manlius L. filius, qui patrem à vexatione tribunicia vin-
dicaverat, ex ſtatione ad dictatorem pergit: *Injuſſu tuo*, inquit, *impe-
rator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non ſi certam victoriam vi-
deam. Si tu permittis, volo ego illi belluæ oſtendere, a quando adeo
ferox præſultat hoſtium ſignis, me ex ea familia ortum, quæ Gallorum ag-
men ex rupe Tarpeja dejecit.* Tum dictator, *Macte virtute*, inquit, *hac*

INTERPRETATIO.

a *Quandoquidem tantâ audaciâ ante vexilla hoſtium exultans obambulat.*

NOTÆ.

3. *Galli ad tertium lapidem.*] Hunc tertium Gallorum motum Appianus in Celtico nominat.

4. *Salaria via.*] De hac via, à qua Porta Collina *Salaria* adhuc nomen retinet, jam dictum. Nominis rationem Feſtus affert, *quia per eam Sabini ſal à mari deferebant.*

5. *Satis diſcerni poterat.*] Quia ſæpe *decernere noſter* aliique dicunt pro *decidere*, Gronov. invitis omnibus libris, hic quoque *decerni* legendum eſſe decernit: quaſi non & *diſcernere* Latinum ſit pro dijudicare, diſpicere. Quo tamen verbo & Cic. ſæpiùs uſus, veluti in Partit. *Temperantia duobus modis in rebus commodis diſcernitur.* Nec minus huic verbo reſpondent apud Græcos κρίνειν, & διακρίνειν: quamquam *decernere* de futuris, *diſcernere* de præſentibus magis dici non abnuo.

1. *Hac pietate in patrem.*] Quid hic præcipuæ pietatis in patrem? In patruum potiùs magnum, Capitolii adversùs Gallos defenſorem. Sed hujus nomen exitus peſſimi causâ ominoſum. Hanc itaque pietatem dicit, non quæ in hoc certamine, ſed quæ in tuendo adversùs Pomponium patre jam enituerat. Eſt itaque hæc *pietate* idem, ac *quâ es, vel fuiſti, pietate.* Sumitur enim *hic* pro tali ſive hujuſmodi. Virg. *Hunc ego te Euryale aſpicio.*

Urb. cond. an. 392. Dictat. T. Quint.

pietate in patrem patriamque, T. Manlii, eſto. Perge, & nomen Romanum invictum, juvantibus Diis, præſta. Armant inde juvenem æquales. [2] pedeſtre ſcutum capit, [3] Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque adverſus Gallum ſtolide lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis viſum eſt) [4] linguam etiam ab irriſu exerentem, producunt. [4] Recipiunt inde ſe ad ſtationem, & duo in medio armati, ſpectaculi magis more, quam lege belli [b] conſtituuntur, nequaquam, viſu ac ſpecie æſtimantibus, pares. Corpus alteri magnitudine eximium, [5] verſicolori veſte, pictiſque & auro cælatis refulgens armis: media in altero militaris ſtatura, modicaque in armis habilibus magis quam decoris ſpecies. non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana; ſed pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in diſcrimen ipſum certaminis diſtulerat. Ubi conſtitere inter duas acies, tot circa mortalium animis ſpe metuque pendentibus; Gallus, velut moles ſuperne imminens, [6] projecto lævâ ſcuto in advenientis arma hoſtis, [7] vanum cæſim cum ingenti ſonitu enſem dejecit. Romanus, [8] mucrone [a] ſurrecto, [c] quum ſcutum ſcuto imum perculiſſet, totoque corpore interior periculo vulneris factus, *inſinuaſſet* ſe inter corpus armaque, uno altero que

INTERPRETATIO.

b *Statuuntur: diſpares, ſi quis æſtimaret* &c.

c *Cum ſcuto* ſuo *percuſſiſſet* Galli *ſcutum in ima parte; propiùs ſe admovens hoſti, quàm ut ab eo* longiorem gladium vibrante *vulnerari poſſet, & corpore toto,* inter corpus Galli & *ſcutum* ejus *ſe inferens: una aut duabus plagis ventrem ei inguinaque confodit; hoſtemque cadentem proſtravit, ita ut ingens ſpatium jacens occuparet.*

NOTÆ.

2. *Pedeſtre ſcutum.*] Longius, & quo totus corpus tegeretur; cum enim eques eſſet, depoſitâ parmâ, & longiore gladio equeſtri, pedeſtrem armaturam ſumpſit.

3. *Hiſpanico cingitur gladio.*] Breviori, ſed mucrone eximio, firmaque laminâ ictum utrinque vehementem inferente ex Polybio, quali uſi Hiſpani, quemque ideo poſteà Romani Hiſpanienſem dixere.

4. *Recipiunt inde ſe ad ſtationem.*] Sigon. præter veterum fidem adjecit *ceteris* quod ſatis intelligitur.

5. *Verſicolori veſte.*] Hic Gallorum olim in bello habitus. *Virgatis lucent ſagulis.* Apud Virg. Lineis tantùm tunicis ſub ſagis brevibus induti, & innatâ magis fortitudine, quàm armis muniti erant.

6. *Projecto lævâ ſcuto.*] Non abjecto, ſed porrecto: *ayant avancé ſon bouclier.*

7. *Vanum cæſim cum ingenti ſonitu.*] Noſter lib. 22. Gallorum gladios, atque hunc cæſim pugnandi morem opponit Hiſpanico & Romano. *Gallis prælongi gladii, ac ſine mucronibus: Hiſpano punctim magis quàm cæſim aſſueto petere hoſtem, brevitate agiles, & cum mucronibus.* Quæ ſanè forma utilior: nam ut Vegetius ratiocinatur; *Cæſa, quovis impetu veniat, non frequenter interficit: cum & armis vitalia defendantur & oſſibus: at contrà Puncta, duas uncias adacta, mortalis eſt. Deinde, dum cæſa infertur, brachium dextrum, latuſque nudatur. Punctim autem tecto corpore infertur, & adverſarium ſauciat, antequam videat.* Atque hæ fermè cauſæ fuere victoriarum, quas Romani de Gallis retulerunt.

8. *Mucrone ſurrecto.*] *Levant la pointe de ſon épée.*

ſubinde ictu ventrem atque inguina hauſit, & in ſpatium ingens ruentem porrexit hoſtem. jacentis inde corpus, ab omni alia vexatione intactum, uno torque ſpoliavit: quem reſperſum cruore, collo circumdedit ſuo. Defixerat pavor eum admiratione Gallos. Romani alacres ab ſtatione obviam militi ſuo progreſſi, laudantes gratulanteſque ad dictatorem perducunt. 9 Inter carminum prope modum, incondita quædam militariter joculantes, 10 *Torquati* cognomen auditum; celebratum deinde poſteris etiam, familiæque honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, miriſque pro concione eam pugnam laudibus tulit. Urb. cond. an. 392. Dictat. T. Quint.

XI. Et, Hercle, tanti ea ad univerſi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepide caſtris, in Tiburtem agrum, atque inde ſocietate belli facta, commeatuque benigno ab Tiburtibus adjutus, mox 1 in Campaniam tranſierit. Ea fuit cauſa cur proximo anno C. Pœtelius Balbus conſul, quum collegæ ejus M. Fabio Ambuſto Hernici provincia eveniſſet, adverſus Tiburtes juſſu populi exercitum duceret. ad quorum auxilium quum Galli ex Campania rediſſent, fœdæ populationes in Lavicano, Tuſculanoque, & Albano agro, haud dubie Tiburtibus ducibus, ſunt factæ. Et quum adverſus Tiburtem hoſtem duce conſule contenta reſpublica eſſet, 2 Gallicus tumultus dictatorem creari coëgit. creatus Q. Servilius Ahala T. Quintium magiſtrum equitum dixit: & ex auctoritate Patrum, ſi proſpere id bellum eveniſſet, ludos magnos vovit. Dictator ad continendos proprio bello Tiburtes, conſulari exercitu juſſo manere, omnes junio- Urb. cond. an. 393. Coſſ. C. Pœtel. & M. Fab. Amb.

NOTÆ.

9. *Inter Carminum*.] Hæc corruptiſſima Tan. Faber arbitratur: ſenſum & latinitatem non improbaturus, ſi legeretur: *inter Carminum licentiam, ac militares jocos*. Mihi abſque hoc remedio incorrupta videntur: quòd ſic inverſo verborum ordine quemvis intellecturum puto: *Auditum* eſt *cognomen Torquati inter militariter joculantes quadam incondita prope modum carminum*. Hæc Latinè ſtylo Hiſtorico & Liviano dicta. Senſus eſt prolatum fuiſſe & Manlio attributum à quibuſdam militibus *Torquati cognomen*, cum illi more militari jocos funderent, verbis in modum ferè carminum inconditè, ac rudi minervâ compoſitis. Eſt enim *prope*, non adverbium, ſed præpoſitio: quâ indicatur hoſce jocos militares, quos Romani gratulantes Manlio per luſum; nec ſine cantu effutiebant; modulati quid habuiſſe, quòd non multùm à verſuum numeris abeſſet.

10. *Torquati cognomen auditum*.] Placet magis quàm ſubditititium Sigonii *additum*. *Nempè auditum inter militariter* joculantium voces. Alii hoc ſingulare certamen referunt ad ann. u. 386. & Camilli extremam dictaturam: ut ſuprà dictum lib. 6. cap. 42.

1. *In Campaniam*.] Felicem cujus caput Capua. Ea Provincia eſt Neapolitani regni præcipua, vulgò *Terra di Lavoro*; & Plinio ibi cogniti *Laborini Campi*. Campaniæ nomen ad Latinorum regionem tractu temporis translatum eſt.

2. *Gallicus Tumultus*.] Adeò non deleti à Camillo aliiſve Galli, ut bis tumultus, eorum causâ, hoc biennio inducendus; unuſque, & alter Dictator creandus fuerit; ac vix totis viribus à Porta Collina, & Romanis mœnibus arceri potuerint.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 393. Dictat. Q. Servil.

res, nullo detrectante militiam, ſacramento adegit. Pugnatum haud procul porta Collina eſt totius viribus urbis, in conſpectu parentum conjugumque ac liberorum. quæ magna, etiam abſentibus, hortamenta animi, tum ſubjecta oculis, ſimul verecundia miſericordiaque militem accendebant. Magna utrinque edita cæde, avertitur tandem acies Gallorum. 3 fugâ Tibur, ſicut arcem belli Gallici, petunt: palati à conſulo Pœtelio haud procul Tiburе excepti, egreſſis ad opem ferendam Tiburtibus, ſimul cum his intra portas compelluntur. Egregie quum ab dictatore, tum ab conſule res geſta eſt. Et conſul alter Fabius præliis primum parvis, poſtremo una inſigni pugna, quum hoſtes totis adorti copiis eſſent, Hernicos devicit. Dictator conſulibus in ſenatu & apud populum magnifice collaudatis, & 4 ſuarum quoque rerum illis remiſſo honore, dictatura ſe abdicavit. Pœtelius de Gallis Tiburtibuſque geminum triumphum egit. Fabio ſatis viſum, ut ovans urbem iniret. Irridere Pœtelii triumphum Tiburtes: *Ubi enim eum ſecum acie conflixiſſe? ſpectatores paucos fugæ trepidationiſque Gallorum, extra portas egreſſos, poſtquam in ſe quoque fieri impetum viderint, & ſine diſcrimine obvios cædi, recepiſſe ſe intra urbem. Eam rem triumpho dignam viſam Romanis? ne nimis mirum magnumque cenſerent, tumultum exciere in hoſtium portis: majorem ipſos trepidationem ante mœnia ſua viſuros.*

Urb. cond. an. 394. Coſſ. M. Popil. & Cn. Manl.

XII. Itaque inſequenti anno 1 M. Popillio Lænate, Cn. Manlio Conſulibus primo ſilentio noctis ab Tibure agmine infeſto profecti ad urbem Romam venerunt. terrorem repente ex ſomno excitatis ſubita res & nocturnus pavor præbuit: 2 ad hæc multorum inſcitia, qui, aut unde, hoſtes adveniſſent. Conclamatum tamen celeriter ad arma eſt, & portæ ſtationibus, murique præſidiis firmati. & ubi prima lux mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium quam Tiburtem hoſtem oſtendit, duabus portis egreſſi conſules, utrinque aciem ſubeuntium jam muros aggrediuntur. Apparuitque occaſione magis, quam virtute fretos veniſſe. adeo vix primum impetum Romanorum ſuſtinuere. Q. in etiam bono fuiſſe Romanis adventum eorum conſtabat, orientemque jam

NOTÆ.

3. *Fugâ Tibur.*] Malè aliàs ex Sigonio, *Fugati Tibur*, ut pluribus demonſtrat Gronov.

4. *Suarum quoque rerum honore.*] *Honorem* intelligere poſſumus vel Dictaturæ, quâ ſe Quintius abdicarit, ne Conſulum dignitatem imminueret: vel potiùs Triumphi, quem cum meruiſſe videri poſſet, Conſulibus deferri paſſus eſt, eo ipſe abſtinuit.

1. *Popillio Lanate.*] Ex tabulis Capitolinis *Lanate* per dipthongum legi debere Sigon. demonſtrat, itemque ex Diodoro. Cauſam cognominis Cicero in Bruto refert: *M. Popillius Lanas, Conſul cum eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum Lana faceret, quòd erat Flamen Carmentalis; plebis contra patres concitatione & ſeditione nunciatâ, ut erat Lanâ amictus, ità venit in concionem, ſeditionemque cùm auctoritate, tùm oratione ſedavit.* Hanc *orientem ſeditionem* mox indicat Liv.

2. *Ad hæc multorum inſcitia.*] Repete *terrorem præbuit.*

ſeditionem inter Patres & Plebem, metu tam propinqui belli compreſſam. 3 Alius adventus hoſtium fuit proximo bello, agris quam urbi terribilior. Populabundi Tarquinienſes, fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adjacent, peragravere: rebuſque nequicquam repetitis, novi conſules, C. Fabius, & C. Plautius juſſu populi bellum indixere; Fabioque ea provincia, Plautio Hernici evenere. Gallici quoque belli fama increbreſcebat. ſed inter multos terrores ſolatio fuit pax Latinis petentibus data, & magna vis militum ab iis, 4 fœdere vetuſto, quod multis intermiſerant annis, accepta. quo præſidio, quum fulta res Romana eſſet, levius fuit quod 5 Gallos mox Prænefte veniſſe, atque inde circa Pedum conſediſſe, auditum eſt. Dictatorem dici C. Sulpicium placuit. conſul ad id accitus C. Plautius dixit. magiſter equitum dictatori additus M. Valerius. Hi robora militum, ex duobus conſularibus exercitibus electa, adverſus Gallos duxerunt. Lentius id aliquanto bellum, quam parti utrique placebat, fuit. quum primo Galli tantum avidi certaminis fuiſſent, deinde Romanus miles ruendo in arma ac dimicationem, aliquantum Gallicam ferociam vinceret; dictatori neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ ſe committere adverſus hoſtem, quem tempus deteriorem in dies & locus alienus faceret, ſine præparato commeatu, ſinè firmo munimento morantem. ad hoc iis animis corporibuſque, quorum omnis in impetu vis eſſet, parvâ eadem langueſceret morâ. His conſiliis dictator bellum trahebat, gravemque edixerat pœnam, *ſi quis injuſſu in hoſtem pugnaſſet*. Milites ægre id patientes, primo in ſtationibus vigiliiſque inter ſe dictatorem ſermonibus carpere, interdum Patres communiter increpare, quod non juſſiſſent per conſules geri bellum, *Electum eſſe eximium imperatorem, unicum ducem, qui nihil agenti ſibi de cœlo devolaturam in ſinum victoriam cenſeat*. Eadem deinde hæc interdiu propalam, ac ferociora

Urb. cond. an. 395. Coſſ. C. Fab. & C. Plautio.

Dictat. C. Sulpic.

NOTÆ.

3. *Alius adventus hoſtium fuit proximo bello.*] Ideſt bello quod proximè ſequutum, ſive ſtatim poſt hoc Tiburtinum. Quanquàm τὸ, *bello*, damnat Tan. Faber, tanquàm natum ex ſuperiori verſu: & quaſi abſurdum ſit, poſt *propinqui belli*, dici mox *proximo bello*. Idcirco legendum ait *proximo anno*: idque patere ex mutatis Conſulibus. Ego, ut nomen *anno*, ſi ea mens Livio, admitti poſſe, idque pati ſententiam non inficior; ita nec mutatos Conſules video inter incurſus Tiburtis & Tarquinienſis populi: nec quid incommodi ſit nomine belli in diverſis, quantumcunque proximis periodis, repetito, ubi de diverſis hoſtibus belliſque agatur.

4. *Fœdere vetuſto.*] Ictum an. 258. cum Latinis ad lacum Regillum victis fœdus indicari vult Sigon. cujus mentio lib. 2. cap. 22. Quidni verò ad Tarquinii fœdus auctor reſpexerit, de quo lib. 1. cap. 52. Hoc certè vetuſtius (initum quippe circa annum u. 225.), nec minùs ex eo Latini Romanis conferre militum vim debebant.

5. *Gallos mox Prænefte veniſſe.*] Ecce adhuc Galli jam toties peſſumdati. Hic tamen quartus eſt Gallorum (hi Boji fuere) in Romanos impetus, C. Sulp. Dictatore repreſſus: de quo Appian. in Celtico, ut Sigon. monet.

Urb. cond. an. 395. Dictat. C. Sulpic.

his jactare: *ſe injuſſu imperatoris, aut dimicaturos aut agmine Romam ituros.* Immiſcerique militibus centuriones: nec [6] in circulis modo fremere, ſed jam » [7] in principiis ac [8] prætorio in unum ſermones confundi; atque in concionis magnitudinem creſcere turba, & vociferari ex omnibus locis, *ut extemplo ad dictatorem iretur: verba pro exercitu faceret Sex. Tullius, ut virtute ejus dignum eſſet;*

XIII. [a] Septimum primum pilum jam Tullius ducebat, neque erat in exercitu, qui quidem pedeſtria ſtipendia feciſſet, vir factis nobilior. is præcedens militum agmen, ad tribunal pergit, mirantique Sulpicio. non turbam magis quam turbæ principem Tullium, imperiis obedientiſſimum militem: *Scilicet dictator,* inquit, *condemnatum ſe univerſus exercitus à te ignaviæ ratus, & prope ignominiæ cauſa deſtitutum ſine armis, oravit me, ut ſuam cauſam apud te agerem. Equidem ſicubi loco ceſſim, ſi terga data hoſti, ſi ſigna fœde amiſſa objici nobis poſſent, tamen hoc à te impetrari æquum cenſerem, ut nos virtute culpam noſtram corrigere, & abolere flagitii memoriam novâ gloriâ patereris. Etiam ad Alliam fuſæ legiones, eandem quam per pavorem amiſerant patriam, [1] profectæ poſtea ab Veiis virtute recuperavere. nobis Deûm benignitate, felicitate tua, populique Romani, & res & gloria eſt integra. Quamquam de gloria vix dicere auſim, [2] ſi [b] nos & hoſtes haud ſecus quam fœminas abditos intra vallum omnibus contumeliis eludunt? & tu imperator noſter, quod ægrius patimur, exercitum tuum, ſine animis, ſine armis, ſine manibus, judicas eſſe: & prius quam expertus nos eſſes, de nobis ita deſperaſti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares eſſe. Quid enim aliud eſſe cauſæ credemus, cur veteranus dux, fortiſſimus bello, compreſſis, quod ajunt, manibus ſedeas? utcumque enim ſe habeat res, te de noſtra virtute dubitaſſe videri, quam*

INTERPRETATIO.

a Tullius Sextus hic *ſeptem jam annos legioni præerat tanquàm proximi pili Centurio.*

b *Quandoquidem hinc nobis hoſtes inſultant, inde tu,* &c.

NOTÆ.

6. *In Circulis.*] Circulos hic dicit pro Cœtibus militum colloquentium quaſi in circulo ſeu corona.

7. *In principiis.*] *Caſtrorum principia* propriè ſunt locus, ubi defixa præcipua ſigna. Sumitur tamen pro via & ſpatio medio inter Legionum & Tribunorum tentoria: quo loco capita, ut ita dicam, exercitus metabantur, ubi Tribuni, Præfecti, & honeſtiſſimi Centurionum ac Decurionum verſari ut plurimùm ſoliti. His autem major reip. cura & amor quàm militum vulgo. Quare ibi liberi ac ſeditioſi ſermones periculum majus defectionis oſtendunt. Eò etiam ſpectat ſimilis locus lib. 27. *in Principiis Prætorioque, ubi ſermones inter ſe ferentium circulos vidiſſent.*

8. *Ac Prætorio.*] Prætorium eſt Prætoris, ſive Imperatoris tentorium cæteris amplius, & ſedes ſummi ducis, conſpicuo ac plerumque paulò editiore Caſtrorum loco, inter Principia & Portam Prætoriam poſita, in medio aliorum ducum, Legatorum putà, Tribunorum, Quæſtoris, Præfecti.

1. *Profectæ poſteà ab Veiis.*] Sub Camillo. Vid. lib. 5. cap. 46. & 49.

2. *Si nos & hoſtes.*] Non malè fortè, *Sic nos & hoſtes .... eludunt.*

nos

nos de tui verius eſt. Sin autem tuum iſtuc, ſed publicum eſt conſilium & conſenſus aliquis Patrum, non Gallicum bellum, nos ab urbe, à penatibus noſtris, ablegatos tenet; quæſo ut quæ dicam, non à militibus imperatori dicta cenſeas, ſed à plebe Patribus, quæ, ſicut vos veſtra habeatis conſilia, ſic ſe ſua habituram dicat. Quis tandem ſuccenſeat milites nos eſſe, non ſervos veſtros? ad bellum, non in exilium, miſſos? ſi quis det ſignum, in aciem educat, ut viris ac Romanis dignum ſit, pugnaturos: ſi nihil armis opus ſit, otium Romæ potius quam in caſtris acturos. hæc dicta ſint Patribus. Te imperator, milites tui 3 oramus, ut nobis pugnandi copiam facias. tum vincere cupimus, tum duce te vincere, tibi lauream inſignem deferre, tecum triumphantes urbem inire. tuum ſequentes currum Jovis Opt. Max. templum gratantes ovanteſque adire. Orationem Tullii exceperunt preces multitudinis: & undique *ut ſignum daret, ut capere arma juberet*, clamabant. Urb. cond. an. 395. Dictat. C. Sulp. Pætico.

XIV. Dictator, [1] quanquam rem bonam exemplo haud probabili actam cernebat, tamen *facturum quod milites vellent*, ſe recepit: Tulliumque ſecreto, *quænam hæc res ſit, aut quo acta more*, percunctatur. Tullius magnopere à dictatore petere, *ne ſe oblitum diſciplinæ militaris, ne ſui, neve imperatoriæ majeſtatis, crederet multitudini concitatæ, quæ ferme auctoribus ſimilis eſſet, non ſubtraxiſſe ſe ducem: ne quis alius, qualem mota creare multitudo ſoleret, exiſteret. nam ſe quidem nihil non arbitrio imperatoris acturum. illi quoque tamen videndum magnopere eſſe, ut exercitum in poteſtate haberet. Differri non poſſe adeo concitatos animos. ipſos ſibi locum ac tempus pugnandi ſumpturos, ſi ab imperatore non detur.* Dum hæc loquuntur, jumenta forte paſcentia extra vallum Gallo abigenti duo milites Romani ademerunt. In eos ſaxa conjecta à Gallis: deinde ab Romana ſtatione clamor ortus, ac procurſum utrinque eſt. Jamque haud procul juſto prælio res erant, ni coleriter diremptum certamen per centuriones eſſet. [b] Affirmata certe eo caſu Tullii apud dictatorem fides eſt. nec recipiente jam dilationem re, in poſterum diem edicitur, acie pugnaturos. Dictator tamen, ut, qui magis animis quam viribus fretus ad certamen deſcenderet, omnia circumſpicere atque agitare cœpit, ut arte aliqua terrorem hoſtibus incuteret. Solerti animo rem novam excogitat, qua deinde multi noſtri

INTERPRETATIO.

a *Qua prout viſum iis à quibus ducitur, agi ſoleat*, eoſque imitari.

b *Eo quidem eventu veritas* verborum *Tullii confirmata eſt Dictatori*.

NOTÆ.

3. *Oramus, ut nobis.*] Elegantiùs, teſte Gronov. veteres quidam libri, qui particulam, *ut*, ignorant. *Oramus nobis pugnandi copiam facias.*

1. *Quanquam rem bonam.*] Vtilis ac bona res erat ardor ille militum, & teſtificatio parati ad rem benè gerendam exercitus: ſed non laudando ſeu probabili exemplo fiebat, quod agmine facto Dictatorem ad prælium ineundum adigere vellent.

Urb. cond. an. 395. Dictat. C. Sulp. Patico.

atque externi imperatores [2] noſtra quoque quidam ætate uſi ſunt. [3] Mulis ſtrata detrahi jubet: biniſque tantum centunculis relictis, agaſones, partim captivis, partim ægrorum armis ornatos imponit. His fere mille effectis, centum admiſcet equites. & nocte ſuper caſtra in montes evadere, ac ſilvis ſe occultare jubet: neque inde ante moveri, quam ab ſe acciperent ſignum. ipſe ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit ſedulo, ut adverſus montes conſiſteret hoſtis. Inſtructo jam vani terroris apparatu, qui quidem terror plus pene veris viribus profuit; primo credere duces Gallorum non deſcenſuros in æquum Romanos; deinde ubi degreſſos repente viderunt, & ipſi avidi certaminis in prælium ruunt: priuſque pugna cœpit, quam ſignum ab ducibus daretur.

XV. Acrius invaſere Galli dextrum cornu: neque ſuſtineri potuiſſent, ni forte eo loco dictator fuiſſet, Sex. Tullium nomine increpans, rogitanſque: *Siccine pugnaturos milites ſpopondiſſet? Ubi illi clamores ſint arma poſcentium? ubi minæ injuſſu imperatoris prælium inituros? En ipſum imperatorem clara voce vocare ad prælium, & ire armatum ante prima ſigna. Ecquis ſequeretur eorum, qui modo ducturi fuerint; in caſtris feroces, in acie pavidi?* Vera audiebant, itaque tantos pudor ſtimulos admovit, ut ruerent in hoſtium tela alienatis à memoria periculi animis. Hic primo impetus prope vecors turbavit hoſtes: eques deinde emiſſus turbatos avertit. Ipſe dictator, poſtquam [1] labantem una parte vidit aciem, ſigna in lævum cornu confert, quo turbam hoſtium congregari cernebat; & iis, qui in monte erant, ſignum quod convenerat, dedit. Ubi inde quoque novus clamor ortus, & [2] tendere obliquo monte ad caſtra Gallorum viſi ſunt; tum metu, ne excluderentur, omiſſa pugna eſt, curſuque effuſo ad caſtra ferebantur. ubi quum occurriſſet eis M. Valerius magiſter equitum (qui [3] profligato dextro cornu obequitabat

NOTÆ.

2. *Noſtrâ quoque quidam ætate uſi.*] C. Marius inter cæteros, cum in Teutonas dimicaturus eſſet, auctore Frontino lib. 2. qui hujus quoque C. Sulpicii meminit.

3. *Mulis ſtrata detrahi jubet.*] Sigonius Frontini de Mario verba adducit, *Agaſones, lixaſque armatos ſimul ire juſſit, jumentorumque magnam partem inſtructorum tum centunculis, ut per hoc equitatus ſpecies objiceretur.* Quæ Livius *ſtrata* appellat, ephippia generaliter ſunt; hic verò Clitellæ jumentis imponi ſolitæ, quò melius ſarcinas ferant. *Centunculi* autem relicti *mulis*, ut procul ſpectantibus haberentur pro ſtragulis, quibus è panno, coriove, aut pelle confectis equos priſci Romani inſternebant, nullo apud eos uſu ſellarum equeſtrium, quales nunc apud nos.

1. *Labantem unâ parte vidit aciem.*] Scriptum vellem, *labantem hac parte reſtituit aciem*, vel *ſtetit aciem*: neque enim in lævum cornu ſigna conferre aut debuit, aut potuit Sulpicius, quandiu nutaret dextrum cornu; quod intelligi neceſſe eſt per *aciem unâ parte labantem*, ut ſequentia manifeſtè oſtendunt.

2. *Tendere obliquo monte.*] Num potiùs *obliquè è monte*?

3. *Profligato dextro cornu.*] Id verò quâ ratione factum non capio. Nam dextrum cornu Gallorum lævo Romanorum oppoſitum profligatum non fuerat; ſed, cum ad pugnam ſe compararet, averſum clamore falſi è montibus equitatus

hoſtium munimentis) ad montes ſilvaſque vertunt fugam: plurimique ibi à fallaci equitum ſpecie, agaſonibuſque excepti ſunt: & eorum, quos pavor pertulerat in ſilvas, atrox cædes poſt ſedatum prælium fuit. Nec alius poſt M. Furium, quam C. Sulpicius, juſtiorem de Gallis egit triumphum. auri quoque ex Gallicis ſpoliis ſaris magnum pondus ſaxo quadrato ſeptum in Capitolio ſacravit. Eodem anno & à Coss. vario eventu bellatum. nam Hernici à C. Plautio devicti ſubactique ſunt. Fabius collega ejus incaute atque inconſulte adverſus Tarquinienſes pugnavit. nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos ſeptem milites Romanos captos Tarquinienſes immolarunt: qua fœditate ſupplicii aliquanto ignominia populi Romani inſignitior fuit. Acceſſit ad eam cladem & vaſtatio Romani agri, quâm Privernates, Veliterni deinde, incurſione repentina fecerunt. Eodem anno [4] duæ tribus, Pomptina [5] & Publicia additæ. Ludi votivi, quos M. Furius dictator voverat, facti: & [6] de ambitu ab C. Pœtelio, tribuno plebis, auctoribus Patribus, tum primum ad populum latum eſt. eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui [7] nundinas & conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant.

Urb. cond. an. 395. Dictat. C. Sulpic.

XVI. Haud æque Patribus læta inſequenti anno C. Marcio, Cn. Manlio conſulibus, [8] de Unciario fœnore à M. Duilio, L. Mænio tribunis

NOTÆ.

Romani: atque hi ipſi erant, quibus occurrebat nunc M. Valerius. Omnino legendum cenſeo, *profligato ſiniſtro cornu*, Gallorum ſcilicet, quod in dextrum cornu Romanorum acrem fecerat impreſſionem; ſed horum deinde impetu propè vecordi turbatum, ac tandem emiſſo equitatu repulſum fuerat.

4. *Duæ Tribus Pomptina.*] Quinque & viginti tribubus additæ nunc duæ, unde Tribus ſeptem ac viginti extiterunt. *Pomptina* ab urbe Volſcorum *Pometia* nomen accepit; inque eam conjecti qui agrum Pomptinum ſortiti erant.

5. *Et Publicia,*] Aliis *Publilia*, pleriſque *Popillia* eſt, quam Onuphrius à loco aliquo, qui fortè in Volſcis, deducit. Sigonius dubitat à loco, an à viro nomen traxerit. Nam à M. Popillio Lænate, qui anno ſuperiore Conſul, de quo & cap. 22.

6. *De ambitu, &c. tum primùm.*] Adversùs eos, qui urbem circumeundo (hoc enim eſt propriè *ambire*) emendicandis pecuniâ & præter morem ſuffragiis Cives prenſarent, plures latæ ſunt Leges. Hanc Pætiliam, cujus nunc mentio, præceſſerat ann. 332. Tribunicia Lex, quâ candidatorum veſtes arte dealbari prohibebatur. Suprà libr. 4. cap. 25.

7. *Nundinas & Conciliabula.*] Nundinæ non tantùm in urbe, coloniis, municipiiſve, ſed in præfecturis quoque habebantur. *Conciliabuli* autem, quemadmodum Conventiculi nomen, minus Concilium indicat, ſive cœtum hominum etiam ſine magiſtratu convenientium. Specialius tamen *Conciliabula* erant Conventuum juridicorum genus, cæteris inferius. Erant enim inferiora foris, ut fora præfecturis, præfecturæ coloniis ac municipiis, uti à Turnebo eſt obſervatum lib. 11. adverſ. ſed interdum municipii jure donabantur. Frontin. de limit. agri. *Hoc Conciliabulum fuiſſe fertur: & poſteà in municipii jus relatum.*

8. *De Unciario fœnore.*] Uſuræ centeſimæ, quæ duodecim in centena per ſingulos annos præſtitis, centeſimo menſe æquant ſortem; menſura ſunt reliquarum, & fœnebris ut ita dicam As. Hæ maximæ fuere apud veteres Romanos

Urb. cond. an. 396. Coſſ. C. Marc. & Cn. Manl.

plebis rogatio eſt perlata: & plebs aliquanto eam cupidius [a] ſcivit, accepitque. Ad bella nova, priore anno deſtinata, Faliſci quoque hoſtes exorti, [b] duplici crimine: quod & cum Tarquinienſibus juventus eorum militaverat; & eos, qui Falerios perfugerant quum male pugnatum eſt, repetentibus fecialibus Romanis non reddiderant. Ea provincia Cn. Manlio obvenit, Marcius exercitum in agrum Privernatem, integrum pace longinqua, induxit: militemque præda implevit. Ad copiam rerum addidit munificentiam, quod [2] nihil in publicum ſecernendo, augenti rem privatam militi favit. [3] Privernates, quum ante mœnia ſua caſtris permunitis conſediſſent; vocatis ad concionem militibus, *Caſtra nunc*, inquit, *vobis hoſtium, urbemque prædæ do; ſi mihi pollicemini vos fortiter in acie operam navaturos, nec prædæ magis, quam pugnæ paratos eſſe.* Signum poſcunt ingenti clamore: [c] celſique & ſpe haud dubia feroces in prælium vadunt. Ibi ante ſigna Sex. Tullius, de quo ante dictum eſt, exclamat: *Aſpice imperator*, inquit, *quemadmodum exercitus tuus tibi promiſſa præſtet*: piloque poſito, ſtricto gladio in hoſtem impetum facit. Sequuntur Tullium [4] anteſignani omnes: primoque impetu avertere hoſtem: fuſum inde ad oppidum perſecuti, quum jam ſcalas mœnibus admoverent, in deditionem urbem acceperunt. triumphus de Privernatibus actus. Ab altero conſule nihil memorabile geſtum: niſi quod legem, [5] novo exemplo, ad Sutrium in caſtris tributim [6] * de viceſima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia

INTERPRETATIO.

a *Conſtituit, & gratam acceptamque habuit.*

b *Duobus factis* quæ ipſis *crimini data.*

c *Et animo erecto, certâque accenſi ſpe.*

NOTÆ.

uſuræ. Minores eam habent ad centeſimas rationem, quam habent portiones aſſis ad aſſem in duodecim uncias diſtributum. Hac ratione beſſes uſuræ ſunt, quæ pro ſingulis centenis octo quotannis reddunt; *huit pour cent par an*: ſemiſſes dimidia pars centeſimarum, quæ ſex efficiunt in ſingulos annos; *ſix pour cent*: trientes, tertia centeſimarum portio, quæ quatuor exigunt; *quatre pour cent*: Sextantes, ſexta pars, duo præſtant annuatim; *deux pour cent*: Denique uſuræ *unciariæ*, ſive *unciarium fœnus* vocatur, cum penditur pars tantùm duodecima centeſimarum, id eſt, unum quotannis in ſingula centena; *un pour cent*: Quem fœnoris modum patriciis, ut pote fœneratoribus diſplicuiſſe nihil mirum. Sed hoc Tacitus 6. Annal. XII. Tabulis adſcribit.

2. *Nihil in publicum ſecernendo.*] Id præter morem. Solebant enim pecuniam ex præda captarum urbium & captivis capitibus redactam maxima ex parte in ærariũ inferre, parte minori militibus diſtributâ, ut paſſim videre eſt apud noſtrum.

3. *Privernates.*] Volſcorum oppidum antiquum fuit *Privernum* ad Amaſenum fluvium, Setiam inter & Circejos: unde Camillæ Virgilianæ origo. Nunc *Piperno*, in Campania Romana.

4. *Anteſignani.*] De his antea.

5. *Novo exemplo.* Neque enim Comitia, etiam tributa, niſi ad urbem, convocatiſque priùs tributim civibus, habere licebat: & legem trinundino promulgari oportebat.

6. *De viceſima eorum,*] Ampliſſimum hoc fuit vectigal, quod ad poſtrema te-

eâ lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt. Cæterum tribuni plebis, non tam lege quam exemplo moti, *ne quis poſtea* d *populum ſevocaret*, capite ſanxerunt. nihil enim non per milites juratos in conſulis verba, quamvis pernicioſum populo, ſi id liceret, ferri poſſe. Eodem anno C. Licinius Stolo, à M. Popillio Lænate 7 ſua lege 8 λ decem millibus æris damnatus, quod 9 mille jugerum agri cum filio poſſideret, 10 emancipandoque filium fraudem legi feciſſet. Urb. cond. an. 396. Coſſ. C. Marc. & Cn. Manl.

XVII. Novi conſules inde, M. Fabius Ambuſtus ſecundùm, & M. Popillius Lænas iterum, duo bella habuere. Facile alterum cum Tiburtibus quod Lænas geſſit: qui hoſte in urbem compulſo, agros vaſtavit. Faliſci Tarquinienſeſque alterum conſulem prima pugna fuderunt. inde terror maximus fuit, quod ſacerdotes eorum 1 facibus ardentibus anguibuſque prælatis inceſſu furiali militem Romanum inſueta turbaverunt Urb. cond. an. 397. Coſſ. M. Fab. & M. Popil.

INTERPRETATIO.

d *Ne quiſquam in poſterum ſeorſim populi partem congregaret ad habenda comitia.*

NOTÆ.

re Imperatorum tempora in uſu ſ In eo poſitum ut ſervos manumiſſuri penderent pro illis, aut ære ab ipſis ſubminiſtrato, viceſimam pretii partem. Nummum aureum poſterioribus temporibus fuiſſe ſuſpicor, cum vulgaris ſervorum taxatio eſſet viginti aureorum. Alia eſt inſtituta ab Auguſto viceſima hæreditatum ad ærarium militare. Pro vænalibus mancipiis poſtea Vectigal viceſimæ quintæ ex Tacito, vel potius Quinquageſimæ ex Dione, pendi cœpit.

7. *Suâ lege.*] Cautum fuerat adversùs Patricios, ne quis plus quingentis agri jugeribus poſſideret. Suprà lib. 6. cap. 35. *Docuit* igitur *Licinius nihil præcipi debere, niſi quod priùs quiſque ſibi imperavit*, ut loquitur Valer. lib. 8. Diocles Syracuſis legem hanc inter alias ſcripſerat, ne cui cum armis in concionem prodire liceret: qui feciſſet, capite puniretur: ipſe deinde, cum ob hoſtilem irruptionem accinctus, orto tumultu in forum procurriſſet, monitus violatæ legis, eam morte propriâ ſanxit auctore Diodoro lib. 13. Id Charondæ Locrorum in extrema Italia legiſlatori adſcribit Valer. lib. 6. cap. 5. ubi & Zaleuci apud Thurios paulò mitius, ſed tamen exactæ juſtitiæ factum refert. Lycurgus autem Spartanorum Legiſlator, nihil lege ullâ in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret, Juſtin. lib. 3. cap. 2.

8. *Decem millibus aris.*] Ætis gravis ſcilicet, quæ ſumma non multò inferior eſt 6750. librarum noſtrarum ſummâ.

9. *Mille jugerum agri.*] Ut *mille hominum*, (ſupple *numerum*) pro *mille jugera*. *Mille homines*. Jugerum autem vocabatur teſte Plin. lib. 18. cap. 3. *Quod uno jugo boum in die exarari poſſet. Actus in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu Juſto. Hoc erat cxx. pedum: duplicatuſque in longitudinem jugerum faciebat.* Nimirum *junctis duobus actibus quadratis*, ut Varro loquitur. Et *Centuria* ex eodem, *à centum Jugeribus dicta: poſt Duplicata, retinuit nomen.*

10. *Emancipandoque filium.*] Non tamen abhorrebat à Juriſprudentum placitis hoc Stolonis commentum: Emancipatione quippe filius, cum è ſacris & familiâ patris exiret, fiebat novus paterfamilias. Verum hujus emancipationis ideo non eſt habita ratio quod eam factam eſſe apparebat in fraudem legis.

1. *Facibus ardentibus, anguibuſque.*] Explicat hunc locum Florus, ſimile inventum Fidenatibus adſcribens, lib. 1. cap. 12. *Fidena, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum, facibus armati & diſcoloribus ſerpentum in modum vittis furiali more præceſſerant: ſed ha-*

Urb. Cond. an. 397. Coſſ. M. Fab. & M. Popil.

ſpecie: & tunc quidem velut limphati & attoniti munimentis ſuis trepido agmine inciderunt: deinde ubi conſules legatique ac tribuni, pucrorum ritu vana miracula paventes irridebant increpabantque; vertit animos repente pudor: & in ea ipſa, quæ fugerant, veluti cæci ruebant. Diſcuſſo itaque vano apparatu hoſtium, quum in ipſos armatos ſe intuliſſent, averterunt totam aciem: caſtriſque etiam eo die potiti, prædâ ingenti parta victores reverterunt; militaribus jocis, quum apparatum hoſtium, tum ſuum increpantes pavorem. Concitatur deinde omne nomen Etruſcum, & Tarquinienſibus Faliſciſque ducibus ad Salinas perveniunt. Adverſus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus primus de plebe dictus, magiſtrum equitum, item de plebe C. Plautium dixit. Id vero Patribus indignum videri, etiam dictaturam jam in promiſcuo eſſe: omniquc opc impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur, pararetur ve. eo promptius cuncta, ferente dictatore, populus juſſit. Profectus ab urbe, utraque parte Tiberis, ratibus exercitu, quocumque fama hoſtium ducebat, trajecto, multos populatores agrorum vagos palantes oppreſſit. Caſtra quoque, nec opinato aggreſſus, cœpit: & octo millibus hoſtium captis, cæteris aut cæſis, aut ex agro Romano fugatis, ſine auctoritate Patrum, populi juſſu, triumphavit. Quia nec per dictatorem plebejum, [2] nec per conſulem, comitia conſularia haberi volebant, & alter conſul Fabius bello retinebatur; [3] res ad interregnum redit. Interreges deinceps Q. Servilius Ahala, M. Fabius, Cn. Manlius, C. Fabius, C. Sulpicius, L. Æmilius, Q. Servilius, M. Fabius Ambuſtus. In ſecundo interregno orta contentio eſt, quod duo patricii conſules creabantur: intercedentibuſque tribunis, interrex Fabius ajebat in duodecim tabulis legem eſſe, ut quodcumque poſtremum

NOTÆ.

bitus ille feralis everſionis omen fuit. Vittæ autem illæ colore anguineo, ſeu vario inſtar anguium, vento agitatæ, vi vere, & veri angues eſſe videbantur. Sed de Fidenatibus dictum ab auctore lib. 4. c. 33. quibus faces pro armis tribuit, nullâ anguium mentione. Frontin. lib. 2. Strategematum cap. 4. Vejentes quoque id factitaſſe ſcribit.

2. *Nec per Conſulem Comitia Conſularia.*] Quidni verò per Conſulem? An quòd Popillius ob Dictatorem de plebe dictum, exoſus patribus erat? Repete *Plebejum*; erat enim Popillius Lænas de plebe Conſul: color ex eo quod plebeji auſpicia non haberent. Notat Godelevæus non ante Dictatorem Comitiorum cauſa dici cœptum, quàm creatus ſit de plebe Dictator: quoniam antea nihil plebis intererat, an Conſulum creandorum cauſâ Dictator, an interrex Conſularia Comitia haberet, quandiu neuter de plebe creari poterat, qui de plebe Conſulem crearet. At poſtquam Dictaturam plebs adepta eſt, tunc demum cauſa fuit de eo certandi, ut Dictator potiùs quàm Interrex (qui ſemper Patricius) abſentibus Conſulibus Comitia haberet.

3. *Res ad interregnum redit.*] Comitia enim Conſulum creandorum non poterant à Magiſtratu plebejo, ac ne à Prætore quidem haberi. Summum imperium ad id deſiderabatur.

populus juſſiſſet, id jus ratumque eſſet, * juſſum populi & ſuffragia eſſe. Quumque intercedendo tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuiſſent; duo patricii conſules creati ſunt, C. Sulpicius Præticus tertiùm, M. Valerius Poplicola: eodemque die magiſtratum inierunt. Urb. Cond. an. 398. Coſſ. C. Sulpic. III. & Valer. Popl.

XVIII. 1 Quadringenteſimo anno, quam urbs Romana condita erat, quinto triceſimo quam 2 à Gallis recepta, 3 ablato μ poſt undecimum annum à plebe conſulatu, patricii conſules ambo ex interregno magiſtratum iniere, C. Sulpicius Præticus tertiùm, M. Valerius Poplicola. 4 Empulum eo anno ex Tiburtibus haud memorando certamine captum; ſive duorum conſulum auſpicio bellum ibi geſtum eſt, ut ſcripſere quidam; ſeu per idem tempus Tarquinienſium quoque ſunt vaſtati agri ab Sulpicio conſule, quo Valerius adverſus Tiburtes legiones duxit. Domi majus certamen conſulibus cum plebe ac tribunis erat. b Fidei jam ſuæ, non ſolum virtutis ducebant eſſe, ut accepiſſent duo patricii conſulatum. ita ambobus patriciis mandare: *quin aut toto cedendum eſſe, ſi plebejus jam magiſtratus conſulatus fiat, aut poſſidendum totum, quam poſſeſſionem integram à Patribus accepiſſent.* Plebs contra fremit: *Quid ſe vivere, quid in parte civium cenſeri: ſi quod duorum hominum virtute, L. Sextii, ac C. Licinii, partum ſit, id obtinere univerſi non poſſint? Vel reges, vel decemviros, vel ſi quod triſtius ſit imperii nomen patiendum eſſe potius, quam ambos patricios conſules videant: nec invicem pareatur atque imperetur, ſed pars altera in æterno imperio locata plebem* c *nuſquam alio natam quam ad ſerviendum putet.* Non deſunt

INTERPRETATIO.

* Ipſa *etiam ſuffragia*, quibus Conſules, &c. crearentur, *eſſe pro lege*.

a *Cum plebs ante annos undecim extorſiſſet Conſularem dignitatem*.

b *Putabant nunc* Conſules *non tantùm ad fortitudinem ſuam, ſed etiam ad probitatem* & integritatem fidei *pertinere*: ut quemadmodùm ipſi è numero *Patriciorum ambo Conſularem dignitatem* Senatus operâ *receperant*; ſic *efficere ut duobus* quoque, *quorum uterque patricius eſſet, honos idem committeretur*.

c Ad nihil *aliud genitam*, aptamque.

NOTÆ.

1. *Quadringenteſimo anno*.] Monet Glar. ab annis 386. omiſſum eſſe à Livio annum unum. Aliâ ratione diſcrepat Sigonii computatio à Liviana, numerans hunc annum 398. ab urb. condita ex marmoribus Capitolinis, quorum nos rationem cum illo ſequimur. Ab urbe tamen per Gallos capta anni ſunt 35. Nam ex Sigoniano Calculo capta fuerat an. 363.

2. *A Gallis recepta*.] Id eſt, de Gallis Membr. Thua. *recuperata*.

3. *Ablato poſt undecimum annum à plebe Conſulatu*.] Conſul ex plebe primus factus eſt L. Sextius cum L. Æmilio an. u. 387. ſecundum Sigonium. Hinc ad hunc annum ſunt anni undecim. Legebatur anteà poſt *nonum annum*: id Glar. & Sigon. errori librariorum aſcribunt, qui immutato literarum ordine IX. pro XI. ſcripſerint.

4. *Empulum eo anno*.] Tiburtini agri oppidum fuiſſe *Empulum*, ſive *Empulium* hic locus indicat. Loci ejus non facilè occurret alibi mentio. Kircherus in Latio tribus milliaribus à Tiburtina Civitate in Septentrionem eſſe cenſet, ubi nominis veſtigia in ruinis ſervare videtur locus qui dicitur vulgò, *Ampiglione*: ex cujus ruderibus natum *Caſtellum Sancti Angeli* in agro Tiburtino.

Urb. Cond. an. 398. Coss. C. Sulpic. III. & M. Valer. Poplic.

tribuni auctores turbarum: sed inter concitatos per se omnes, vix duces eminent. Aliquoties frustra in campum descensum quum esset, multique per seditiones acti comitiales dies; postremo victæ perseverantia consulum plebis eo dolor erupit, ut tribunos *actum esse de libertate* vociferantes, *relinquendumque non campum jam solùm, sed etiam urbem captam atque oppressam regno patriciorum, mœsta plebs sequeretur*. Consules relicti à parte populi, per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt. creati consules ambo patricii, M. Fabius Ambustus tertiùm, T. Quintius. In quibusdam annalibus pro T. Quintio, M. Popillium consulem invenio.

Urb. cond. an. 399. Coss. M. Fab. II. & T. Quint.

XIX. Duo bella eo anno prospere gesta: cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum. 1 *Sassula* ex his urbs capta. cæteraque oppida eandem fortunam habuissent, ni universa gens positis armis in fidem consulis venisset. Triumphatum de Tiburtibus: alioquin mitis victoria fuit. In Tarquinienses acerbe sævitum; multis mortalibus in acie cæsis. ex ingenti captivorum numero, 2 trecenti quinquaginta octo delecti nobilissimus quisque, qui Romam mitterentur: vulgus aliud trucidatum. Nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. medio in foro omnes virgis cæsi ac securi percussi. id, pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis, pœnæ hostibus redditum. Res bello bene gestæ, ut Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. Legatis eorum comiter ab senatu responsum: fœdere in societatem accepti. Non eadem domi quæ militiæ fortuna erat plebi Romanæ, nam etsi unciario fœnore facto, levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, 3 nexumque ibant. eò nec 4 patricios ambo consules, nec comitiorum curam, publicave studia præ privatis incommodis plebs ad animum admittebat. Consulatus uterque apud patricios manet. Consules creati C. Sulpicius Paticus quartùm, M. Valerius Poplicola iterum. In bellum Etruscum intentam civitatem, quia 5 Cæritem populum * misericordiâ consanguinitatis Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat, legati Latini

INTERPRETATIO.

a *Cum eorum misererentur ob sanguinis conjunctionem.*

NOTÆ.

1. *Sassula urbs capta.*] Hoc Tiburtium oppidum ubi fuerit, Cluverius, accuratus alioqui locorum Italiæ veterum indagator, nesciri fatetur. Kirchenis conjicit ibi fuisse ubi nunc *S. Gregorio*.

2. *Trecenti quinquaginta octo.*] Pro 307. militibus Romanis in foro Tarquiniorum immolatis cap. 15. Tarquinienses nobiles 358. in foro Romano securi percussi, superadditis ultra parem numerum quinquaginta & uno. Diod. habet 360.

3. *Nexumque ibant.*] Nexùs, vel *nexi* nomine jam ostendimus intelligi mancipationem, sive solennem obligationem ære & librâ contractam, quâ debitores corpus ipsi suum non minùs quàm res pignori obligabant.

4. *Patricios ambo Consules.*] *Ambo*, pro *ambos*. Ita habent vetusti codices teste Gelenio. Idque antiquo more, ut *ambo* sit nomen indeclinabile, quemadmodùm apud Græcos ἀμφὼ

5. *Caritem populum.*] De *Care* Tusciæ Civitate, & *Caritibus* antè:

* ad

* ad Volſcos convertêre, nunciantes *exercitum conſcriptum armatumque jam ſuis finibus imminere. deinde populabundos in agrum Romanum venturos eſſe.* Cenſuit igitur ſenatus, *neutram negligendam rem eſſe: utroque legiones ſcribi, conſuleſque ſortiri provincias* juſſit. Inclinavit deinde pars major curæ in Etruſcum bellum: poſtquam literis Sulpicii conſulis, cui Tarquinii provincia evenerat, cognitum eſt depopulatum agrum circa Romanas Salinas, prædæque partem in Cæritum fines avectam: & haud dubie juventutem ejus populi inter prædatores fuiſſe. Itaque Valerium conſulem, Volſcis oppoſitum, caſtraque ad finem Tuſculanum habentem, revocatum inde ſenatus dictatorem dicere juſſit. 6 T. Manlium Lucii filium dixit. Is, quum ſibi magiſtrum equitum A. Cornelium Coſſum dixiſſet, conſulari exercitu contentus, ex auctoritate Patrum, ac populi juſſu, Cæritibus bellum indixit. Urb. Cond. an. 400. Coſſ. C. Sulpic. IV. & Valer. II.

XX. Tum primum Cærites, a tanquam in verbis hoſtium vis major ad bellum ſignificandum, quam in ſuis factis, qui per populationem Romanos laceſſierant, eſſet, verus belli terror invaſit: quam b non ſuarum virium ea dimicatio eſſet, cernebant. Pœnitebatque populationis, & Tarquinienſes execrabantur defectionis auctores, nec arma, aut bellum quiſquam apparare, ſed pro ſe quiſque legatos mitti jubebat ad petendam erroris veniam. Legati ſenatum quum adiſſent, a ſenatu rejecti ad populum, Deos rogaverunt, quorum ſacra bello Gallico accepta rite procuraſſent, ut Romanos florentes ea ſui miſericordia caperet, quæ ſe rebus adfectis quondam populi Romani cepiſſet. converſique ad delubra Veſtæ, hoſpitium Flaminum Veſtaliumque ab ſe caſte ac religioſe cultum invocabant. *Eane meritos crederet quiſquam, hoſtes repente ſine cauſa factos? aut ſi quid hoſtiliter feciſſent, conſilio id magis, quam furore lapſos feciſſe, ut ſua vetera beneficia, locata præſertim apud tam gratos, novis corrumperent maleficiis; florentemque populum Romanum ac feliciſſimum bello ſibi deſumerent hoſtem, cujus afflicti amicitiam cepiſſent? ne appellarent conſilium, quæ vis ac neceſſitas appellanda eſſet. Tranſeuntes agmine infeſto per agrum ſuum Tarquinienſes, i quum præter viam nihil petiiſſent, traxiſſe quoſdam agreſtium populationis ejus,* Urb. Cond. an. 400. Dictat. T. Manl. Torquat.

INTERPRETATIO.

* *Effecerunt ut Romani ad Volſcum bellum adjicerent animos.*

a *Quaſi belli indictio magis inſignificatione ab hoſtibus factâ verſaretur, quam in ipſorum* Cæritum *actibus hoſtilibus.*

b *Quantùm ſupra vires ſuas*, &c.

NOTÆ.

6. *T. Manlium Lucii filium.* I *Torquatum* ſcilicet. Notat Glarean. Dictatorem dictum præter morem, qui Conſul non fuiſſet; niſi an. 398. pro *Cn. Manlio*, legendum ſit *T. Manlio*, ut ipſe ſuſpicatur. Miratur idem cur creandus Dictator viſus fuerit in re non ita periculoſa, cum eximium par Conſulum in magiſtratu eſſet, per quorum utrumque plebi ereptus fuiſſet biennio ante Conſulatus; Sulpicius jam Dictator bello Gallico triumphaſſet.

i. *Quum præter viam nihil petiiſſent*, I Innoxium iter petitum ſignificatur, &

Urb. cond. an. 400. Dictat. T. Manl. Torquat.

quæ ſibi crimini detur, comites. Eos, ſeu dedi placeat, dedere ſe paratos eſſe: ſeu ſupplicio affici, daturos pœnas. Cære, ſacrarium populi Romani, diverſorium ſacerdotum ac receptaculum Romanorum ſacrorum, intactum inviolatumque crimine belli, hoſpitio Veſtalium cultiſque diis darent. Movit populum non tam cauſa præſens, quam vetus meritum, ut maleficii quam beneficii potius immemores eſſent. Itaque pax populo Cæriti data, induciaſque in centum annos factas, in ſenatusconſultum referri placuit. In Faliſcos eodem noxios crimine vis belli converſa eſt: ſed hoſtes nuſquam inventi. Quum populatione peragrati fines eſſent, ab oppugnatione urbium temperatum: legionibuſque Romam reductis, reliquum anni muris turribuſque reficiendis conſumptum, & ædes Apollinis dedicata eſt.

Urb. cond. an. 401. Coſſ. P. Valer. Popl. & C. Marc.

XXI. Extremo anno comitia conſularia certamen patrum ac plebis diremit; tribunis negantibus paſſuros comitia haberi, ni ſecundum Liciniam legem haberentur; dictatore obſtinato tollere potius totum è republ. conſulatum, quam promiſcuum Patribus ac plebi facere. 1 Prolatandis igitur comitiis, quum dictator magiſtratu abiſſet, res ad interregnum rediit. 2 Infeſtam inde Patribus plebem interreges quum accepiſſent, ad undecimum interregem ſeditionibus certatum eſt. Legis Liciniæ patrocinium tribuni jactabant. 2 Propior dolor plebi fœnoris ingraveſcentis erat: curæque privatæ in certaminibus publicis erumpebant. Quorum tædio Patres L. Cornelium Scipionem interregem, concordiæ cauſa obſervare legem Liciniam, comitiis conſularibus juſſere. P. Valerio Poplicolæ datus à plebe collega C. Marcius Rutilus. Inclinatis ſemel in concordiam animis, novi conſules fœnebrem quoque rem b quæ diſtinere unanimos videbatur, levare aggreſſi; ſolutionem alieni æris in publicam curam verterunt: quinqueviris creatis, 3 quos menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarunt. Meriti æqui-

INTERPRETATIO.

2 *Cum itaque interreges inveniſſent plebejos Patribus infenſos.*

b *Quæ* Patricios & plebejos, cæterà *concordes videbatur diſtrahere.*

NOTÆ.

Tarquinienſibus conceſſum per *Caritum* agrum: ſed eo itinere in agrum Romanum hoſtiliter vaſtandum ibatur.

1. *Prolatandis igitur Comitiis.*] Dictator, ut Comitia Conſularia differret, quæ adhuc nonniſi à ſummo & patricio magiſtratu haberi fas erat; ejuravit Dictaturam. Aberant autem ab urbe Conſules bellis diſtenti. Idcirco eundum fuit ad Interregnum.

2. *Propior dolor plebi.*] *Propior* ſumitur pro ea re quæ conjunctior & arctiùs tangit. Quomodò apud Cic. pro Sext. *Omnibus ſua propiora eſſe pericula, quàm aliena.*

3. *Quos Menſarios vocant.*] Inter hos Menſarios & Argentarios plurimùm interfuiſſe cenſet Sigon. lib. 2. de jure Civium Romanorum, cap. 11. à Godel. laudatus: quòd hi *Menſarii* publicam rationem conficerent; *Argentarii*, privatam: illi rei nummariæ publicæ, hi negotiationis privatæ curatores eſſent. Quod verum quidem eſt de his Menſariis, qui nunc creati dicuntur apud Livium. In genere tamen Menſa duplex

tâte curâque ſunt, ut per omnium annalium monumentâ celebres nominibus eſſent. Fuêre autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Tib. Æmilius; qui rem difficillimam tractatu, & plerunque parti utrique, ſemper certe alteri, gravem, quum aliâ moderatione, tum [c] impendio magis publico, quam jactura ſuſtinuerunt. [4] tarda enim nomina, & impeditiora inertiâ debitorum quam facultatibus; aut ærarium menſis cum ære in foro poſitis, diſſolvit, [5] ut populo priùs caveretur: aut æſtimatio æquis rerum pretiis liberavit: ut non modo ſine injuria, ſed etiam ſine querimoniis partis utriuſque exhauſta vis ingens æris alieni ſit. Terror inde vanus belli Etruſci, quum [6] conjuraſſe duodecim populos fama eſſet, dictatorem dici coëgit. dictus in caſtris (eo enim ad conſules miſſum ſenatuſconſultum eſt) C. Julius, cui magiſter equitum adjectus L. Æmilius. Urb. cond. an. 401. Dictat. C. Jul.

XXII. Cæterum foris tranquilla omnia fuere. Tentatum domi per dictatorem, ut ambo patricii conſules crearentur, [1] rem ad interregnum perduxit. duo interreges C. Sulpicius, & Fabius, interpoſiti obtinuêre, quod dictator fruſtra tetenderat, mitiore jam plebe ob recens meritum levati æris alieni, ut ambo patricii conſules crearentur. creati ipſe C. Sulpicius Pæticus, qui prior interregno abiit, & T. Quintius Pennus, quidam Cæſonem, alii Cajum nomen Quintio adjiciunt. Ad bellum ambo profecti, Faliſcum Quintius, Sulpicius Tarquinienſe, nuſquam acie congreſſo hoſte, cum agris magis quam cum hominibus urendo populandoque geſſerunt bella: [a] cujus lentæ velut tabis ſenio Urb. Cond. an. 402. Coſſ. C. Sulpic. & T. Quint.

INTERPRETATIO.

c *Potiùs impensâ ex ærario* anticipata *quàm damnoſo exitu.*

a *Cujus incommodi, tanquàm longi ſeniſque languoris diuturnitate.*

NOTÆ.

ſuit, publica & privata. Qui menſas privatas curabant, ipſi quoque Menſarii; & Græcè Trapezitæ eadem ſignificatione, & Collybiſtæ à permutatione pecuniæ atque intertrimento, Latinè Nummularii, & Argentarii dicebantur; quod nempe argentariam menſam exercerent, id eſt, depoſitam apud ſe privatorum pecuniam ſervarent, ubi opus eſſet numeraturi mandato Domini: & horum ſcripturâ fiebant, quæ literarum obligationes appellabant. Per eos quippe credebantur pecuniæ, iique ſive pro ſe, ſive pro aliis ſe ſoluturos reciplebant: ideoque actus fui rationes diligentes conficere debebant, quibus ultro citroque dandi, accipiendi, credendi, obligandi causâ, negotiatio continebatur.

4. *Tarda enim nomina.*] Id eſt, quæ tandiùs ſolvebantur per negligentiam debitorum potiùs quàm ob eorum egeſtatem, & inſpectâ illorum re familiari non ægrè poterant expediri.

5. *Ut populo priùs caveretur*] *Ut*, id eſt ea lege *ut*. Imitatus hanc publicam liberalitatem Tiberius apud Tacitum, l. 6. *Diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, facultâque mutuandi capiâ ſine uſuris per triennium, ſi debitor populo in duplum prædiis caviſſet.*

6. *Conjuraſſe xii. populos.*] Totam Etruriam, quæ in tot populos diſtincta, ut ſæpiùs obſervatum.

1. *Rem ad interregnum perduxit.*] Quid ità, cùm Conſules eſſent P. Valerius, & C. Marcius per quos, Dictatore abdi-

Urb. cond. an. 402. Coſſ. C. Sulpic. & T. Quint.

victa utriuſque pertinacia populi eſt, ut primum à conſulibus, dein permiſſu eorum ab ſenatu inducias peterent. in quadraginta annos impetraverunt. Ita poſitâ duorum bellorum quæ imminebant curâ, dum aliqua ab armis quies eſſet: quia ſolutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos; cenſum agi placuit. cæterum quum cenſoribus creandis indicta comitia eſſent; profeſſus ſe petere cenſuram C. Marcius Rutilus, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbavit. quod videbatur quidem tempore alieno feciſſe: quia ambo tum forte patricii conſules erant, qui rationem ejus ſe habituros negabant. Sed & ipſe conſtantiâ inceptum obtinuit, & tribuni omni vi recuperando jus conſularibus comitiis amiſſum, adjuverunt: & quum ipſius viri majeſtas nullius honoris faſtigium non æquabat, tum per eundem, qui ad dictaturam aperuiſſet viam, [2] cenſuram quoque in partem vocari plebs volebat. Nec variatum comitiis eſt, quin [3] cum Manlio Cnæo cenſor Marcius crearetur. Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium; nullo terrore belli, [4] ſed ne Licinia lex comitiis conſularibus obſervaretur. Magiſter equitum dictatori additus Q. Servilius. nec tamen dictatura potentiorem eum conſenſum Patrum conſularibus comitiis fecit, quam cenſoriis fuerat.

XXIII. M. Popillius Lænas, à plebe conſul, à Patribus L. Cornelius Scipio datus. Fortuna quoque illuſtriorem plebejum conſulem fecit. Nam quum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino caſtra poſuiſſe

NOTÆ.

cante, haberi Conſularia Comitia poterant? Niſi jam Conſules Magiſtratu abjerant, cum Dictatura ſe abdicavit C. Julius, quod ſuadet verbum *perduxit*.

2. *Cenſuram quoque in partem vocari.*] Legi fortè non incommodè poſſet *Cenſura quoque in partem vocari*, plebem nimirum, de qua hic Sermo. Verùm elegantior vulgata Lectio. Et propriè quidem perſonæ in partem vocari dicuntur, cum eis pars bonorum, hæreditatis, aut rerum quarumvis aſſignatur. Sed & figuratè dicitur de rebus, ut hoc loco: eſtque revocare ad diviſionem tanquàm rem quæ communis eſſet plebejis & patriciis, quo plures alicujus rei participes fiant. Nam & inanimata vocare dicimur ad aliquid, id eſt trahere, adducere, impellere, Cic. 2. Catil. *Vitam omnium, Italiamque totam ad exitium vaſtitatemque vocas*. Alio ſenſu dicitur vocari quis ad partes: apud Juvenal. *Ecce iterùm Criſpinus, & eſt mihi ſæpè vocandus ad partes*. Hoc eſt; producendus in ſcenam, ad partes & perſonam ſuſtinendam, quemadmodùm actores, quorum alii primarum, alii ſecundarum partium.

3. *Cum Manlio Cnæo.*] Aliàs, *Manlio Nevio*: rectum erat, *cum Cnejo Manlio*; Sed hæc & noſter & Tacitus ſæpè invertunt. Eſt igitur idem Manlius imperioſus, qui anteà Conſul fuerat. Certè cum conſtet *Marcium* primùm è plebe Cenſorem factum: non eſt quòd ambigamus, quin Manlius hic ejus Collega Patricius fuerit: ut enim obſervat Sigon. Serò admodùm factum eſt, ut ambo Cenſores è plebe crearentur.

4. *Sed ne Licinia lex.*] Significat M. Fabium non rei gerendæ, ſed habendorum Comitiorum causà creatum Dictatorem; ne in Comitiis ſervatâ lege Licinii Stolonis (de qua lib. 6.) Conſulum alter è plebe fieret: ſed ambo è Patriciis crearentur veteri more. Verùm fruſtra fuit hoc patrum inventum.

nunciatum eſſet; Scipione gravi morbo implicito, Gallicum bellum Popillio [1] extra ordinem datum. Is impigre exercitu ſcripto, quum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem [2] convenire armatos juniores juſſiſſet, [3] ſignaque eodem quæſtores ex ærario deferre; quatuor expletis legionibus, quod ſuperfuit militum, P. Valerio Poplicolæ prætori tradidit: auctor Patribus ſcribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli eventus ſubſidium reipublicæ eſſet. Ipſe jam ſatis omnibus inſtructis comparatiſque, ad hoſtem pergit: cujus ut prius noſceret vires, quam periculo ultimo tentaret; in tumulo, quem proximum caſtris Gallorum capere potuit, vallum ducere cepit. Gens ferox, & ingenii avidi ad pugnam, quum, procul viſis Romanorum ſignis, extemplo prælium initura explicuiſſet aciem; poſtquam neque in æquum dimitti agmen vidit, & quum loci altitudine, tum vallo etiam tegi Romanos: perculſos pavore rata, ſimul opportuniores, quod intenti tum maxime operi eſſent, trucí clamore aggreditur. Ab Romanis nec opus intermiſſum, [4] (triarii erant, qui muniebant) & ab haſtatis principibuſque, qui pro munitoribus intenti armatique ſteterat, prælium initum. Præter virtutem locus quoque ſuperior adjuvit, ut pila omnia haſtæque, non tanquam ex æquo miſſa, vana (quod plerumque fit) caderent; ſed [5] omnia librata ponderibus figerentur, oneratique telis Galli, quibus aut corpora transfixa, aut prægravata inhærentibus gerebant ſcuta, quum curſu pene in adverſum ſubiſſent, [a] primo incerti reſtitêre: dein quum ipſa cun-

Urb. Cond. an. 403. Coſſ. M. Popil. & L. Cornel. Scip.

INTERPRETATIO.

[a] *Dubii an* ultrà progrediendum eſſet, *manſerunt* in clivo.

NOTÆ.

1. *Extra ordinem datum.*] Sine ſortitione & comparatione, quem morem ſervari Collegæ morbus non patiebatur.

2. *Convenire armatos.*] Eo tempore, quo delectus fiebat, proponebatur belli ſignum ex arce, ſive potiùs ſigna, ut Dionyſ. lib. 8. narrat. Quod Servius in 8. Æneid. fieri ſolitum in tumultu, ut ſc. duplex vexillum proponeretur, ruſſeum ad pedites, Cæruleum ad equites convocandos. Et niſi res urgeret, juſti dies triginta ſervabantur, cum exercitus imperatus, & vexillum in arce propoſitum eſſet; auctore Feſto. Fiebat autem Delectus in Capitolio: nec niſi poſt triginta dies exercitus educebatur. At in re ſubita, ſtatim delectus, & à delectu ſtatim in hoſtes ibatur. Hæc nunc de cauſa non in Capitolium, ſed ad portam Capenam hoſti propiorem convenire juſſi.

3. *Signaque eodem Quæſtores.*] Rebus pacatis in ærario Aquilæ, aliaque ſigna militaria ſervari ſolita.

4. *Triarii erant.*] De *Triariis*, Principibus, Haſtatis ſuò agendum erit l. 8.

5. *Omnia librata ponderibus figerentur.*] Q. Claudius Quadrigarius apud A. Gell. lib. 9. cap. 1. cenſebat telum non poſſe deorſum verſum rectè mitti, ſed ſurſùm optimè. Quod ita ibi Antonius Julianus Rhetor explicat, ut facilior quidem jactus ſit è loco ſuperiore in prona; Directio tamen pondere cadentis teli corrumpatur. Magius autem lib. 2. miſcellan. cap. 16. Livium & Tacitum aliter ſentientes, cum Quadrigario conciliat, diſtinctione: ait enim aliam ſagittæ ac lapidis, aliam pili haſtæque rationem eſſe: eorum enim quæ citra machinæ, vel arcus aut fundæ adjumentum ja-

ctatio & his animos minuiſſet & auxiſſet hoſti, impulſi retro ruere alii ſuper alios, ſtragemque inter ſe cæde ipſa fœdiorem dare. adeo præcipiti turba obtriti plures, quam ferro necati.

Urb. cond. an. 403. Coſſ. M. Popil. & L. Cornel. Scip.

XXIV. Necdum certa Romanis victoria erat, alia in campum degreſſis ſupererat moles. Namque multitudo Gallorum ſenſum omnem talis damni exſuperans, velut nova rurſus exoriente acie, integrum militem adverſus victorem hoſtem ciebat. ſteteruntque ſupreſſo impetu Romani; & quia iterum feſſis ſubeunda dimicatio erat, & quod conſul, dum inter primores incautus agitat, lævo humero [1] matari prope trajecto, ceſſerat parumper ex acie. Jamque omiſſa cunctando victoria erat, quum conſul [2] vulnere alligato revectus ad prima ſigna: *Quid ſtas miles?* inquit. *Non cum Latino Sabinoque hoſte res eſt, quem, victum armis, ſocium ex hoſte facias. In belluas ſtrinximus ferrum. hauriendus aut dandus eſt ſanguis. Pepulistis à caſtris, [a] ſupina valle præcipites egiſtis, ſtratis corporibus hoſtium ſuperſtatis. Complete eadem ſtrage campos, quà montes repleſtis. [b] Nolite expectare dum ſtantes vos fugiant. inferenda ſunt ſigna, & vadendum in hoſtem.* His adhortationibus iterum coorti, pellunt loco primos manipulos Gallorum: [3] cuneis deinde in medium agmen perrumpunt. Inde barbari diſſipati, quibus nec certa imperia, nec duces eſſent, [4] vertunt impetum in ſuos: fuſique per campos, & præter caſtra etiam ſua fugâ prælati, quod editiſſimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt. Conſul non ultra caſtra inſecutus, [5] quia & vulnus degravabat, & ſubjicere exercitum

INTERPRETATIO.

a *Per declive*, quà *collis in vallem deſinit*,

b *Non eſt vobis ſperandum, ut à vobis aufugiant, quandiu hîc ſegnes ſtabitis.*

NOTÆ.

ciantur, faciliorem certioremque ex edito jaculationem; quæ tormentis emittantur eorum directiores gravioreſque ex inferioribus in ſuperna ictus eſſe.

1. *Matari propè trajecto.*] Jaculi genus ex Strab. eſt *Materis* (ſic enim legendum pro *Matari*), quod Gallis velut proprium telum tribuitur, lanceâ brevius. Siſenna vetus ſcriptor apud Nonium, *Galli materibus; Suevi lanceis configunt*. Auctor lib. ad Herenn. lib. 4. *Nec tam facilè ex Italia Materis Tranſalpina depulſa eſt*. Manſere nominis veſtigia in ſagittis capitatis, ac longioribus, quæ vulgò *Materas*.

2. *Vulnere alligato.*] Tritum hodie magis *obligare vulnus*. Non tamen minùs elegans *alligare* Gronov. demonſtrat ex Cic. Sen. Plin. Juſt. Ità 2. Tuſculan. quæſt. *Quieſce igitur, & vulnus alliga*.

3. *Cuneis deinde.*] Cuneus eſt agminis forma, in Cunei ſeu trigoni modum. Veget. ſic deſcribit lib. 2. cap. 19. *Multitudo peditum, quæ primo angiſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit. Quam rem milites caput porcinum appellant*.

4. *Vertunt impetum in ſuos.*] Primi enim in fugam converſi, ruebant præcipites in eos, qui priùs à tergo, nunc fugientibus obſtabant.

5. *Quia & vulnus degravabat.*] Totum hunc locum malè affectum ex editione Tarviſina eſſe metuit Gronov. eumque ex melioribus libris ſic refingit. *Conſul non ultra caſtra inſequutus, (quia & vulnus degravabat, & ſubji-*

pugnâ feſſum novo labori nolebat, à perſequendo hoſte continuit, tumulis ab hoſte occupatis. Præda omni caſtrorum militi data, victorem exercitum, opulentumque Gallicis ſpoliis, Romam reduxit. Moram triumpho vulnus conſulis attulit. eademque cauſa dictatoris deſiderium ſenatui fecit, ut eſſet qui ægris conſulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magiſtro equitum P. Cornelio Scipione, reddidit patribus poſſeſſionem priſtinam conſulatus. ipſe ob id meritum ingenti Patrum ſtudio creatus conſul, collegam Ap. Claudium Craſſum dixit. Urb. cond. an. 403. Coſſ. M. Popil. & L. Corn. Scip.

XXV. Priuſquam inirent novi conſules magiſtratum, triumphus à Popillio de Gallis actus magno favore plebis: muſſanteſque inter ſe rogitabant, *nam quem plebeji conſulis pœniteret?* Simul dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ ſpretæ mercedem conſulatum privata cupiditate, quam publica injuria fœdiorem, cepiſſet, ut ſe ipſe conſulem dictator crearet. Annus multis variiſque motibus fuit inſignis. Galli ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. Mare infeſtum [1] claſſibus Græcorum erat; oraque littoris Antiatis, Laurenſque tractus, & Tiberis oſtia: ut prædones maritimi cum terreſtribus congreſſi, anceſpiti ſemel prælio decertarint, dubiique diſceſſerint in caſtra Galli, Græci retro ad naves, victos ſe an victores putarent. Inter hæc longe maximus exitit terror, concilia populorum Latinorum [2] ad lucum Ferentinæ habita; reſponſumque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum. *abſiſterent imperare iis, quorum auxilio egerent. Latinos pro ſua libertate potius, quam pro alieno imperio laturos arma.* Inter duo ſimul bella externa, defectione etiam ſociorum ſenatus anxius, quum cerneret metu tenendos, quos fides non tenuiſſet; extendere omnes imperii vires conſules delectu habendo juſſit. [3] civili quippe ſtandum exercitu eſſe, Urb. cond. an. 404. Coſſ. L. Furius Cam. & Ap. Claud.

NOTÆ.

cere exercitum tumulis ab hoſte occupatis nolebat) *prædâ omni Caſtrorum militi datâ, victorem exercitum, opulentumque Gallorum ſpoliis Romam reduxit*. Hæc ipſi lectio magis Liviana videtur. Cæterum ſenſus parùm diverſus.

6. *Reddidit patribus poſſeſſionem priſtinam Conſulatus*.] Hic Dictator L. Furius Camillus, M. Fabio conſtantior aut pertinacior, adverſus legem Liciniam, in Comitiis Conſularibus, nullius plebeji rationem haberi paſſus, pervicit ut ambo Conſules crearentur è numero Patricionum.

1. *Claſſibus Græcorum*.] Vide infra cap. 26.

2. *Ad lucum Ferentinæ*.] Ad caput aquæ Ferentinæ lib. 1. cap. 50. ibi enim Latini ſolenni more gentis ſuæ Comitia habebant.

3. *Civili quippe ſtandum exercitu eſſe*.] Deficientibus ſociis neceſſe Romanis erat ut res ſuas propriis viribus tuerentur: & exercitu ex ſolis Civibus conflato ſtent ſive conſiſtant. Poteſt & *ſtandi* verbum ſumi pro contentum eſſe re aliqua, inhærere alicui rei: ut cum dicimus ſtare conventis, ſtare judicio alicujus: quomodo Cic. pro Cluent. *Ne uterque Cenſor cenſoris opinione ſtandum non putavit*. Quod non male ſic Gallicè expreſſeris: *il en falloit demeurer là, il ſe falloit tenir à une Armée de Citoyens ſeuls*.

Urb.Cond. an. 404. Coſſ. L. Fur. Cam. & Ap. Claud.

quándo 4 ſocialis cœtus deſereret. Undique, non urbana tantum, ſed etiam agreſti juventute, decem legiones ſcriptæ dicuntur, 5 quaternûm millium & ducenorum peditum, equitumque trecenorum. 6 quem nunc novum exercitum, ſi qua externa vis ingruat, hæ vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, a contractæ in unum haud facile efficiant: a ADEO IN QUÆ laboramus ſola crevimus, divitias, luxuriamque. Inter cætera triſtia ejus anni, conſul alter Ap. Claudius in ipſo belli apparatu moritur. redierantque res ad Camillum: 6 cui unico conſuli, vel ob aliam dignationem haud ſubjiciendam dictaturæ, 7 vel ob omen fauſtum ad Gallicum tumultum cognominis, 8 dictatorem arrogari haud ſatis decorum vi-

INTERPRETATIO.

a *Ita iis tantùm rebus auctì ſumus, & florentes evaſimus, in quas enixè* jamdiu *incumbimus.*

b *Cui ſoli* jam *Conſuli adjici*, & quaſi imponi *dictatorem, Senatus minùs honeſtum cenſuit: tum ob dignitatem* quæ homini *aliunde* quàm ex Conſulatu *inerat; nec videbatur Dictatura ſubmittenda; tum ob cognominis*, (Camilli) *fauſtum ad bellum Gallicum, omen.*

NOTÆ.

4. *Socialis cœtus.*] Non conceſſit Gron. *Socialem cœtum*: exercitum enim ſocialem ſolet dicere Livius: ſatis commodè legi poſſe putat: *fœdus*, pro, *cœtus*: ita *Civili ſtudium exercitu eſſe, quando ſocialis fœdus deſereret.* Nempe *Socialis exercitus.* Aliud tamen vult auctor meâ ſententiâ: neque enim *Cœtus* nomine exercitum intelligit, qui cum nullus eſſet, deſerere non poterat. *Socialis cœtus* eſt concilium Sociorum, ipſa nempe Latinorum Comitia: ab his enim deſerebantur Romani: apud M. certè Senecam, citante ipſo Gronovio, *Cœtus eſt multitudinis magnæ nomen coëuntis ex conſenſu quodam.* Livius l. 4. c. 13. *Quòd eas largitiones cœtuſque plebis privatâ in domo paſſi eſſent fieri.* Cic. de Somn. Scip. *Concilia & cœtus hominum jure ſociati.*

5. *Quaternûm millium & ducenorum peditum.*] Variavit pro diverſis temporibus militum in Legionem ſcriptorum numerus. Conſuetus numerus ex Polybio, & noſtro hic, quatuor millium ac ducentorum peditum, fuit; qui rotundiore numero, quater milleni vocabantur: unde Quadrata legio dicta ex Feſto. A Livio lib. 8. cap. 8. Quinûm millium fuiſſe memorantur ſub T. Manlio, pagique numero lib. 26. poſteà etiam ſenûm millium & ducenorum, quod ſecutus eſt C. Marius. In Equitum numero minùs variatum.

6. *Quem nunc novum exercitum.*] Adeone contractæ ſub Auguſti tempora Romanorum vires, ut legiones decem, id eſt peditum, duo & quadraginta, equitum tria millia vix efficere poſſent? At Auguſtum tres, aut ſecundùm alios quinque ſuprà viginti Legiones habuiſſe Dio refert lib. 55. & viginti quinque ſub Tiberio quoque numerat Tacit. 4. Annal. præter urbanas & prætorias cohortes. Verùm Livius de ſcribendo in re ſubita exercitu agit, idque ex urbe aut ſuburbano agro: illi de copiis longo tempore atque ex univerſo imperio collectis.

7. *Vel ob omen fauſtum.*] Quærit hic Gronov. an nomen *Furius* minùs fauſtum præberet omen adverſus Gallos quàm cognomen *Camillus*: malletque in adjutaret Codex, *vel ob nomen Fauſti ad Gallicum tumultum ominis. Vel ob omen Fauſti ad Gallicum tumultum nominis.* Mihi ſatis utrumvis horum arrideret. Sed tamen verum eſt, Camilli cognomine, magis quàm Furii nomine inclaruiſſe hujus Patrem.

8. *Dictatorem arrogari.*] Gronov. ſcriptum à Livio conjicit, *irrogari*: quia

ſum

ſum eſt Patribus. Conſul duabus legionibus urbi præpoſitis, octo cum L. Pinario prætore diviſis, memor paternæ virtutis, Gallicum ſibi bellum 9 extra ſortem ſumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcoſque arcere littoribus juſſit. & quum in agrum Pomptinum deſcendiſſet, quia neque in campis congredi nulla cogente re volebat, & prohibendo populationibus, quos rapto vivere neceſſitas cogeret, ſatis domari credebat hoſtem locum idoneum ſtativis delegit. Urb. cond. an. 04. Coſſ. L. Fur. Cam. & M. Popil.

XXVI. Ubi quum ſtationibus quieti tempus tererent, Gallus proceſſit magnitudine atque armis inſignis: quatienſque ſcutum haſtâ, quum ſilentium feciſſet, [1] provocat, per interpretem, unum ex Romanis, qui ſecum ferro decernat. [2] M. erat Valerius tribunus militum, adoleſcens, qui haud indigniorem eo decore ſe quam T. Manlium ratus, prius ſciſcitatus conſulis voluntatem, in medium armatus proceſſit. Minus inſigne certamen humanum, numine interpoſito Deorum, factum. namque conſerenti jam manum Romano corvus repente in galea conſedit, in hoſtem verſus: quod primo ut augurium cœlo miſſum lætus accepit tribunus. precatus deinde; *Si divus, ſi diva eſſet, quiſibi præpetem miſiſset, volens propitius adeſset.* [3] Dictu mirabile, tenuit non ſolum ales captam ſemel ſedem, ſed [a] quotieſcumque certamen initum eſt, levans ſe alis, os oculoſque hoſtis roſtro & unguibus appetiit: donec territum prodigii talis viſu, oculiſque ſimul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. corvus è conſpectu elatus orientem petit. Hactenus quietæ utrinque ſtationes fuêre. poſtquam ſpoliare corpus cæſi hoſtis tribunus cœpit; nec Galli ſe ſtatione tenuerunt, & Romanorum curſus ad victorem etiam ocyor fuit. Ibi circa jacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox

INTERPRETATIO.

[a] *Quoties collato pede congreſſi ſunt.*

NOTÆ.

non tam adjungebatur, quàm imponebatur Conſuli Dictator. Ego legem, multam, mortem etiam *irrogari* video: hominem homini irrogari, nec me legere memini; ac ne figuratè quidem, niſi durâ admodum metaphorâ dici poſſe arbitror. *Arrogari* autem tam de perſonis, quàm de rebus dicitur. Et *arrogari* dicimus patremfamilias, cùm in filium aſciſcitur: quia id lege ſeu rogatione olim fiebat. Qui ratione *arrogari* Dictatorem dixeris, eum qui Conſuli jam ſuffragiis & rogatione populi conſtituto, adjiciatur novâ rogatione.

9. *Extra ſortem.*] Neque enim Collega ſupererat, cum quo ſortiretur.

1. *Provocat, per interpretem.*] Hic Gallus per *interpretem* loquitur, inquit Glar. at qui cum T. Manlio pugnavit, Latinè ſcilicet ſcivit. Si Herodotus talia ſcripſiſſet, quàm clamaſſet Juvenalis, *& quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria.* Hunc quoque Ducem Gallorum nominat Gellius, quod de aliquo minorum ducum accipiendum.

2. *M. erat Valerius Tribunus militum.*] Atnepos M. Valerii Voluſi Dictatoris, & nunc Tribunus militum legionis, non Conſulari poteſtate. Flor. perperam *Lucium* vocat pro *Marco*. Hoc ejus certamen, & Corvinum auxilium deſcribit veteris ut videtur ſcriptoris ſtylo A. Gell. 9. 11.

Urb. Cond. an. 404. Coſſ. L. Fur. Cam. & M. Popil.

concitatur. Jam non manipulis proximarum ſtationum, ſed legionibus utrinque effuſis res geritur. Camillus lætum militem victoria tribuni, lætum tam præſentibus ac ſecundis Diis, ire in prælium jubet: oſtentanſque inſignem ſpoliis tribunum, *Hunc imitare miles*, ajebat, *& circa jacentem ducem ſterne Gallorum catervas*. Dii hominesque illi affuere pugnæ; depugnatumque haudquàquam certamine ambiguo cum Gallis eſt. adeo duorum militum eventum, inter quos pugnatum erat, 3 utraque acies animis præceperat. Inter primos, quorum concurſus alios exciverat, atrox prælium fuit: alia multitudo, priuſquam ad conjectum teli veniret, terga vertit. Primo per Volſcos 4 Falernumque agrum diſſipati ſunt: inde Apuliam 5 ac mare ſuperum petierunt. Conſul, concione advocata, laudatum tribunum, decem bobus aureaque corona donat. ipſe juſſus ab ſenatu bellum maritimum curare, cum prætore junxit caſtra. ibi, quia res trahi ſegnitia Græcorum non committentium ſe in aciem videbatur, dictatorem comitiorum cauſa T. Manlium Torquatum ex auctoritate ſenatus dixit. Dictator, magiſtro equitum A. Cornelio Coſſo dicto, conſularia comitia habuit, æmulumque decoris ſui abſentem 6 M. Valerium *Corvum* (id enim illi deinde cognominis fuit) ſummo favore populi, tres

NOTÆ.

3. *Utraque acies animis præceperat.*] Negat Gronov. convenire huic loco verbum *præcipere*: quod eſt *ante-capere*, *præſumere*. Hic enim non agitur de ſtatu animorum, ante ſingulare illud certamen: ſed de prælio inter exercitus commiſſo poſt Gallum à Valerio proſtratum. Reponit ergo ex editionibus Aldi & Junctæ *perceperat*: docetque exemplis ex Plauto, Terentio, Lucretio adductis eam eſſe vim in *percipere*, ut ſignificet *penitus capere*, & quaſi imbibere. Sed non video quid obſtet quin *præcipiendi* verbum auctoris menti congruat: licèt enim duorum pugnam, nec Romanorum erecti, nec Gallorum animi demiſſi fuerint: potuere ex eventu ſingularis illius pugnæ capto omine, ſucceſſum prælii, mox inter utrumque exercitum committendi, animo *præcipere*.

4. *Falernumque agrum.*] *Ager Falernus*, ex quo vinum celebratiſſimum apud veteres Romanos, (nunc *vino Razzeſe*) in aditu Campaniæ eſt ultrà Lirim, ultrà Maſſicum montem, quem nonnulli *Falernum* quoque vocant; inter Savonem maximè amnem, & Vulturnum fluvium; interque Cales ad Septentrionem, ac Sinueſſam ad Meridiem, Capuæ ad Occaſum.

5. *Ac mare ſuperum.*] Mare Inferum eſt Tyrrhenum, ſive Tuſcum, quo Volſcus & Falernus agri alluuntur. At eò non pertinet Apulia, Supero ſive Hadriatico ſinui extremo imminens. Non abs re itaque Glar. eos reprehendit qui pro *ſuperum* emendarunt *inferum*, vel potiùs corruperunt: eique adhæret meritò Sigon.

6. *M. Valerium Corvum.*] Sigon. ità pro *Corvino* ſcribi jubet ex Tabulis Capitolinis, & pleriſque veteribus libris. Ratio quam addit, parùm me movet: *ut enim*, inquit, *Albus, Rufus, Craſſus, Longus, cognomina primùm inventa ſunt*: poſt *autem Albinus, Rufinus*, &c. ſubſequuta: *ſic qui primus cognomen hoc tulit, Corvus; poſteri Corvini appellati ſunt*. Longè diverſa eſt horum ratio. Nam hominem *Album* à colore; *longum*, à ſtatura cognominari vulgare eſt; nec aliter ea res exprimi poteſt: ut autem homo, *Corvus*, appelletur, extra uſum omnino. Magis moveor auctoritate, tum librorum, (ſi quidem ex vero proferatur) tum Valerii Max. qui de hoc ipſo Tribuno ſic ſcribit lib. 8. cap. 13. *M. Valerius Corvus centeſimum annum comple-*

& vigínti natum annos, conſúlem renunciavit. collega Corvo de plebe M. Popillius Lænas, quartum conſul futurus, datus eſt. Cum Græcis à Camillo nulla memorabilis geſta res: nec illi terrâ, nec Romanus mari bellator erat. Poſtremò quum littoribus arcerentur, aquâ etiam præter cætera neceſſaria uſui deficiente, Italiam reliquere. Cujus populi ea, cujuſque gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt. maxime 7 Siciliæ fuiſſe tyrannos crediderim. nam 8 ulterior Græcia eâ tempeſtate inteſtino feſſa bello, jam 9 Macedonum opes horrebat. Urb. cond. an. 404. aliàs 405. Dictat. T. Manl.

XXVII. Exercitibus dimiſſis, quùm & foris pax & domi concordiâ ordinum otium eſſet; ne nimis lætæ res eſſent, peſtilentia civitatem adorta, coëgit ſenatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inſpicerent, eorumque monitu lectiſternium fuit. Eodem anno Satricum ab Antiatibus colonia deducta, reſtitutaque urbs, quam Latini diruerant. & 1 cum Carthaginenſibus legatis Romæ fœdus ictum, quum amicitiam ac ſocietatem petentes veniſſent. Idem otium domi foriſque manſit T. Manlio Torquato, C. Plautio conſulibus 2 ſemunciarium tantum ex unciario fœnus factum, & 3 in penſiones æquas triennii, ita ut quarta Urb. cond. an. 405. Coſſ. T. Manl. & C. Plaut.

NOTÆ.

vit: cujus inter primum & ſextum Conſulatum quadraginta ſeptem anni interceſſerunt. Suffecitque integris viribus corporis, non ſolùm ſpecioſiſſimis reip. miniſteriis; ſed etiam exactiſſimæ agrorum cultura: & civis & patris familias optabile exemplum.

7. Siciliæ fuiſſe tyrannos.] Veretur Sigonne ea claſſis Timoleontis Corinthii fuerit: qui priore anno Dionyſium Syracuſanum regno ejecit, legeſque Siciliæ dedit, ut ſcribit Diod. lib. 16. Idem tamen Diodor. Poſtumii Tyranni prædonis, aliorumque meminit, qui à Timoleonte ſublati.

8. *Ulterior Græcia.*] Duplex fuit Græcia *in Europa*: altera ultra Hadriaticum & Jonium mare, quæ verè & proprie Græcia; altera in Italiæ parte, magna Græcia dicta, atque in vicina Sicilia, quas regiones Pelaſgi aliique Græci Coloniis ſuis occupaverant. Illa ulterior, hæc Romanis propior & citerior dici potuit.

9. *Macedonum opes horrebat.*] Jam enim Philippus Alexandri magni pater, xv. fermè annum regnabat; atque hoc ipſo tempore Phocenſibus exciſis, Olynthum expugnabat Athenienſium urbem in Macedoniæ, Thraciæque confinio: cujus urbis oppugnatio cauſam præbuit Olynthiacis Demoſthenis Orationibus.

1. *Cum Carthaginenſibus Legatis.*] Priſci ſenis ſyllabis *Carthaginienſes*, dixere, formato nomine ex gignendi caſu, abjectâ ultimâ literâ. Poſteri Carthagineníes quoque dixerunt à Carthagine, quæ urbs Africæ facilè princeps, ab Eliſa ſeu Didone Tyria Pygmalionis regis ſorore, 65 annis ante Romam ex Vellejo, vel 72. ex Juſtino in littore condita, poſt Uticam in Africano quoq; littore ab iiſdem Phœnicibus ſtatutâ. Græcis Καρχηδών: incolis linguâ ſua Punica קרתא חדתה *Carthada*: ſive *Cartha hadath*, id eſt, *Civitas nova*. Hodie in ruinis jacet 15. millibus ab urbe Tuneto, loco incolis *Cartin* dicto, & *Berſak* (forte à Byrſa quæ arx fuit veteris Carthaginis): quanquam montem, qui urbis mœnibus incluſus fuiſſe creditur, Afris ſeu Arabibus *Almenara*, Chriſtianis *Roca de Maſtinaces* appellari, Marmol teſtatur, qui de Africa hodierna ſcripſit. Vide lib. 4. cap. 29. in fine.

2. *Semunciarium tantùm ex unciario fœnus factum.*] Ita ut in ſingulos annos pro ducentis nummis unus, pro centum dimidius præſtaretur. *Demy pour cent par an*, Vide ſupra cap. 16.

3. *In penſiones æquas triennii.*] Sigon. obſervat legi in veteribus libris *in trien-*

Urb. cond. an. 405. Dictat. T. Manl.

præſens eſſet, ſolutio æris alieni diſpenſata eſt. & [a] ſic quoque parte plebis affectâ, fides tamen publica privatis difficultatibus potior ad curam ſenatui fuit. Levatæ maximè res, quia [4] tributo ac delectu ſuperſeſſum. Tertio anno poſt Satricum reſtitutum à Volſcis, M. Valerius Corvus ſecundum conſul cum C. Pœtilio factus, quum ex Latio nunciatum eſſet, legatos ab Antio circumire populos Latinorum ad concitandum bellum; priuſquam plus hoſtium fieret, Volſcis arma inferre juſſus, ad Satricum exercitu infeſto pergit. quò quum Antiates aliique Volſci præparatis jam ante, ſi quid ab Roma moveretur, copiis, occurriſſent; nulla mora inter infenſos diutino odio dimicandi facta eſt. Volſci, ferocior ad rebellandum quam ad bellandum gens, certamine victi, fuga effuſa Satrici mœnia petunt. & ne in muris quidem ſatis firma ſpe, quum coronâ militum cincta jam ſcalis caperetur urbs, ad quatuor millia, præter multitudinem imbellem, ſeſe dedidêre. Oppidum dirutum atque incenſum: ab æde tantum [5] Matris Matutæ abſtinuere ignem. Præda omnis militi data. Extra prædam quatuor millia deditorum habita. eos vinctos conſul ante currum triumphans egit: venditis deinde magnam pecuniam in ærarium redegit. Sunt qui hanc multitudinem captivam ſervorum fuiſſe ſoribant: idque magis veriſimile eſt, quam deditos veniiſſe,

Urb. cond. an. 407. Coſſ. M. Valer. II & C. Pœtel.

Urb. Cond. an. 408. Coſſ. M. Fab. & Ser. Sulpic.

XXVIII. Hos conſules ſecuti ſunt M. Fabius Dorſo, Ser. Sulpicius Camerinus. [1] Auruncum inde bellum ab repentina populatione cœptum. metuque ne id [2] factum populi unius, conſilium omnis nominis Latini eſſet, dictator velut adverſus armatum jam Latium L. Furius creatus, magiſtrum equitum Cn. Manlium Capitolinum dixit. & quum (quod

INTERPRETATIO.

a *Et cum ità nihilominùs plebis pars afflicta eſſet;*

NOTÆ.

nium. Nec aliud vel ipſe, vel alii addunt, quaſi in re cuivis obvia. Sed ſi penſiones æquæ triennii tunc ſunt, cum tribus æquis per tres annos penſionibus totum debitum exhauritur, quod non aliter quàm præſenti pecuniâ fit: quid eſt quod quartæ penſionis mentio fiat? Vult auctor, reverà quatuor penſionibus diſſolvi juſſum æs alienum; ita ut quarta cujuſque debiti pars ſtatim repræſentaretur (hoc eſt enim *præſens*): quartæ aliæ partes ſub finem primi, ſecundi, ac tertii anni, omnes intra triennium numerandæ fuerint. Qua de cauſa legi mallem, vel *in triennium*, vel potiùs *triennio*: ut ſcilicet æquis penſionibus *triennio* fieret ſolutio: *en quatre payemens dans trois ans*.

4. *Tributo ac delectu ſuperſeſſum.*] Quia nempe otium domi foriſque manſit: delectus autem ac tributum belli causâ indici ſolent.

5. *Matris Matutæ.*] Leucothea, quæ antè Ino: vel potius Aurora, quæ Leucothea id eſt, Alba Dea, & Matuta quaſi Matutina. Vide ſuprà.

1. *Auruncum.*] De Aurunci antè dictum lib. 2. cap. 16.

2. *Factum populi unius, conſilium omnis nominis Latini.*] Non tamen Latinorum veterum pars Aurunci, ac ne Volſci quidem: ſed exigua Auruncorum natio, credebatur cum Latinis omnibus, (quorum fuere populi minores 60.) conſpiraſſe.

per magnos tumultus fieri ſolitum erat) juſtitio indicto, delectus 3 ſine vocationibus habitus eſſet; legiones, quantum maturari potuit, in Auruncos ductæ. ibi prædonum magis, quam hoſtium animi inventi. Prima itaque acie debellatum. Dictator tamen, quia & ultro bellum intulerant, & ſine detrectatione ſe certamini offerebant; Deorum quoque opes adhibendas ratus, inter ipſam dimicationem, ædem 4 Junoni Monetæ vovit: [a] cujus damnatus voti quum victor Romam revertiſſet, dictatura ſe abdicavit. Senatus 5 duumviros ad eandem ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari juſſit. locus in arce deſtinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat. Conſules dictatoris exercitu ad bellum Volſcum uſi, 6 Soram ex hoſtibus, incautos adorti, ceperunt. Anno poſtquam vota erat, ædes Monetæ dedicatur, C. Marcio Rutilo tertiùm, T. Manlio Torquato ſecundùm conſulibus. Prodigium extemplo dedicationem ſecutum, ſimile [c] vetuſto montis Albani prodigio. namque & lapidibus pluit, & nox interdiu viſa intendi: libriſque inſpectis, quum plena religione civitas eſſet, ſenatui placuit, *dictatorem feriarum conſtituendarum cauſa dici*. Dictus P. Valerius Poplicola. magiſter equitum ei Q. Fabius Ambuſtus datus eſt. [b] Non tribus tantum ſupplicatum ire placuit, ſed finitimos etiam populos: ordoque iis, quo quiſque die ſupplicarent, ſtatuens. Judicia eo anno populi Romani triſtia in fœneratores facta, quibus ab ædilibus dicta dies eſſet,

Urb. Cond. an. 408. Coſſ. M. Fab. Ser. Sulpic.

Urb. cond. an. 409. Coſſ. C. Marc. III. & T. Manl. II.

INTERPRETATIO.

[a] *Quâ re* impetratâ *obſtrictus voto præſtando.*

[b] *Decretum eſt ut non ſolùm à Tribubus* urbanis ruſticiſque *ſupplicationes obirentur, ſed etiam ab oppidis* vicinis.

NOTÆ.

3. *Sine vocationibus.*] Ut in tumultu Gallico, cui non abſimilis Italicus. Itaque nemo ab militia nunc immunis.

4. *Junoni Monetæ.*] Cùm paulò ante urbem captam terræ motus factus eſſet, ſcriptum à multis tradit Cic. lib. 1. de Divin. vocem ab Æde Junonis ex arce extitiſſe, ut ſuæ plenâ procuratio fieret: quocirca Junonem appellatam *Monetam*, à monendo ſcilicet: ei nunc Junoni ædem, vovet L. Furius, quæ intra annum in arce quoque eſt ædificata, ubi anteà ædes M. Manlii. In ædes Junonis hujus Monetæ ſervabantur libri Lintei, in quibus imperii Romani fata ſeu monimenta continebantur: de quibus ſuo loco jam egimus. Ibidem cudendæ Monetæ officina. Hæc omnia in 8. poſteà urbis regione, Fori ſcilicet Romani.

5. *Duumviros.*] Duumviri Ædis ſacræ locandæ, faciundæ, dedicandæ, proprius erat magiſtratus, eam in rem tributis comitiis creari ſolitus, uti ex A. Gell. liquet, lib. 5. cap. 17.

6. *Soram ex hoſtibus.*] *Sora* Volſcorum oppidum fuit ad dextram Liris fluvii ripam, in finibus Hernicorum Marſorumque, ſupra Arpinam Ciceronis villam, & Fibreni confluentem. Stephani epitomatori Κωρα. Nomen priſcum adhuc retinet, eſtque urbs epiſcopalis in aditu hodiè regni Neapolitani, Ducatus titulo parens, genti *Boncompagno*.

Urb. Cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

traduntur. Et res, haud ulla inſigni ad memoriam cauſa, ad interregnum rediit. Ex interregno, ut id actum videri poſſet, ambo patricii conſules creati ſunt, M. Valerius Corvus tertiùm, A. Cornelius Coſſus.

XXIX. Majora jam hinc bella, & viribus hoſtium, [1] & longinquitate, vel regionum, vel temporum ſpatio, quibus bellatum eſt, dicentur. namque eo anno adverſus [2] Samnites, gentem opibus armiſque validam, mota arma. Samnitium bellum, ancipiti Marte geſtum, Pyrrhus hoſtis, Pyrrhum Pœni ſecuti. Quanta rerum mole, quoties in extrema periculorum ventum, ut in hanc magnitudinem, quæ vix ſuſtinetur, erigi imperium poſſet? Belli autem cauſa cum Samnitibus, Romanis, quum ſocietate amicitiaque juncti eſſent, extrinſecus venit, non orta inter ipſos eſt. Samnites [3] Sidicinis injuſta arma, quia viribus plus poterant, quum intuliſſent; coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis ſeſe conjungunt. [4] Campani magis nomen ac præſidium ſociorum quam vires quum attuliſſent, fluentes luxu, ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro, in ſe deinde molem omnem belli verterunt. namque Samnites, omiſſis Sidicinis, ipſam arcem finitimorum Campanos adorti; unde æque facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus eſſet; [5] Tifata, *imminentes* [6] Capuæ colles, quum præſidio firmo occupaſſent; deſcendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. ibi rurſus acie dimicatum: adverſoque prælio Campani intra mœnia compulſi. Quum robore juventutis ſuæ acciſo, nulla propinqua ſpes eſſet, coacti ſunt ab Romanis petere auxilium.

XXX. Legati introducti in ſenatum, maxime in hanc ſententiam locuti ſunt: [1] *Populus nos Campanus legatos ad vos, Patres conſcripti,*

NOTÆ.

1. *Et longinquitate, vel regionum, vel temporum ſpatio.*] Suſpectum Gronov. vocabulum *ſpatio*: neque injuriâ, *longinquitatem* enim non minùs de tempore quàm de locis dici extra dubium. Itaque aut illa vox delenda, aut certè priùs *vel*.

2. *Samnites.*] Ab Auſonibus, qui poſteà *Opici*, ſive *Oſci*, orti feruntur Sabini; horum ſoboles Varrone ac Strabone teſtibus, vel (ut alii vocant) pars *Samnites*, Græcis Σαυνῖται, quibuſdam Σαυνῖται, qui & communi cum Sabinis nomine *Sabelli* vocitati. Nam & *Samnites*, Sabinitas primùm dictos, ſunt qui exiſtiment.

3. *Sidicinis.*] Auſonum pars *Sidicini*, ultra Lirim cis Vulturnum ſiti; clauſi Auruncorum (qui Auſonum quoque pars), Volſcorumque agro ad Occidentem, reliqua ex parte Campanis & mari Tyrrheno; aliquatenus etiam Samnitibus vicini. Hic ager pars nunc eſt occidua terræ Laboris, circa Teanum.

4. *Campani.*] Hoc nomine propriè apud priſcos intelliguntur Capuæ Cives, agerque Capuanus.

5. *Tifata.*] Montium jugum, quod antiquæ Capuæ imminebat, à Vulturno amne in ortum tendens, atque eâ parte Campanos ferè dividens à Samnitibus, *Tifata* plurali numero dicitur. Hannibalis caſtris, & Syllæ Dictatoris ex eo monte deſcendentis de Norbano Conſule victoria ac Dianæ Templo nobilitatur. *Hodie monti di Capoa e di Caſerta*. Pars Capuam verſus procurrens, *la Montagnola*.

6. *Capuæ.*] De hac urbe lib. 4. cap. 34.

1. *Populus nos Campanus.*] Hanc Campanorum orationem Sigonius expreſſam eſſe obſervat ex 1. lib. Thucydidis, ubi Corcyræi auxilium ab Athenienſibus petunt adverſùs Corinthios.

miſit, amicitiam in perpetuum, auxilium præſens à vobis petitum. quam ſi ſecundis rebus noſtris petiſſemus, ſicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta eſſet. tunc enim, ut qui ex æquo nos veniſſe in amicitiam meminiſſemus, amici forſitan pariter ac nunc, ſubjecti atque obnoxii vobis minus eſſemus. nunc miſericordia veſtra conciliati, auxilioque in dubiis rebus defenſi, beneficium quoque acceptum colamus oportet, ne ingrati, atque omni ope divina humanaque indigni videamur. Neque Hercule, quod Samnites priores amici ſociique vobis facti ſunt, ad id valere arbitror ne nos in amicitiam accipiamur: ſed ut vetuſtate & gradu honoris nos præſtent. neque enim fœdere Samnitium, ne qua nova jungeretis fœdera, cautum eſt. Fuit quidem apud vos ſemper ſatis juſta cauſa amicitiæ, velle eum vobis amicum eſſe, qui vos appeteret. Campani, etſi fortuna præſens magnifice loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate, ulli populo præterquam vobis cedentes, haud parva (ut arbitror) acceſſio bonis rebus veſtris, in amicitiam venimus veſtram. Æquis Volſciſque æternis hoſtibus hujus urbis, quandocunque ſe moverint, ab tergo erimus: & quod vos pro ſalute noſtra priores feceritis; id nos pro imperio veſtro & gloria ſemper faciemus. 2 Subactis iis gentibus, quæ inter nos voſque ſunt, quod propediem futurum ſpondet & virtus & fortuna veſtra, a continens imperium uſque ad nos habebitis. Acerbum & miſerum eſt, quod fateri nos fortuna noſtra cogit. Eo ventum eſt, Patres conſcripti, ut aut amicorum aut inimicorum Campani ſimus. Si defenditis, veſtri: ſi deſeritis, Samnitium erimus. Capuam ergo, & Campaniam omnem veſtris an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem, Romani, veſtram miſericordiam, veſtrumque auxilium æquum eſt patere, b iis tamen maxime, qui eam implorantibus aliis, auxilium dum ſupra vires ſuas præſtant, omnes ipſi in hanc neceſſitatem venerunt. quanquam pugnavimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, quum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & ubi conflagraſſent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium eſſe. Nec enim nunc, quia dolent injuriam acceptam Samnites, ſed quia gaudent 3 oblatam ſibi eſſe cauſam, oppugnatum nos veniunt: An ſi ultio iræ hæc, & non occaſio cupiditatis explendæ eſſet, parum fuit, quod ſemel in Sidi-

Urb. Cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

INTERPRETATIO.

a *Poſſidebitis ditionem continuam* nullis aliorum intermediis terris diviſam.

b *Sed præſertim illis qui adducti ſunt ad eam neceſſitatem* (implorandi auxilii veſtri) *eò quòd aliis* (ut nos Campani Sidicinis) *opem ſupplicantibus prebere voluerint ultra* id quod ferebant *eorum vires*.

NOTÆ.

2. *Subactis iis gentibus.*] Inter Campanos & Romanos erant Latini veteres, tum Æqui, Hernici, Rutuli, Volſci, Aurunci, Latio poſteà omnes contributi: atque ultra Lirim Sidicini, Campanorum clientes, ac velut portio. Priorum pleraque loca jam in Romanorum erant ditione.

3. *Oblatam ſibi eſſe cauſam.*] Ejus rei occaſionem, nimirum nos oppugnandi: id enim intelligendum eſt ex eo quod ſequitur, *oppugnatum nos veniunt*.

Urb. Cond. an. 410 Coss. M. Valer. III. & A. Cornel.

cino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere? Quæ est ista tam infesta ira, quam per duas acies fusus sanguis explere non potuerit? Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum actas, incendia villarum ac ruinas, omnia ferro ignique vastata. Hiscene ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda est. ea ad oppugnandum Capuam rapit. aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed vos potius, Romani, beneficio vestro occupate eam, quam illos habere per maleficium sinatis. Non loquor apud recusantem justa bella populum: 4 sed tamen si ostenderitis auxilia vestra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. Usque ad nos contemptus Samnitium pervenit, 5 supra non ascendit. Itaq; umbrâ vestri auxilii, Romani, tegi possumus; quicquid deinde habuerimus, quicquid ipsi fuerimus; vestrum id omne existimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur: conditorum, parentum, Deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia vestra erit, quæ nos obsequio erga vos fideque superet. Annuite, Patres Conscripti, 6 nutum nomenque vestrum invictum Campanis, & jubete sperare incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis prosequente creditis nos illinc profectos? quam omnia votorum lacrymarumque plena reliquisse? in qua nunc exspectatione senatum populumque Campanum, conjuges, liberosq; nostros esse? stare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem prospectantes, certum habeo, quid illis nos, Patres Conscripti, solicitis ac 7 pendentibus animi renuntiare jubeatis. Alterum responsum salutem, victoriam, lucem ac libertatem: Alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde ut aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam ullis futuris nobis, consulite.

XXXI. Summotis deinde legatis, quum consultus senatus esset, etsi magnæ parti urbs maxima opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager marique propinquus ad varietates annonæ horrendum populi Romani fore videbatur: tamen tanta 1 utilitate fides antiquior fuit, respondituque ita ex auctoritate senatus Consul: *Auxilio vos, Campani,*

NOTÆ.

4. *Sed tamen si ostenderitis.*] Glarenus non videbat quomodo illud *tamen* ad præcedentia cohæreret: conjiciebatque subdubitans legendum, *sed tantùm*. Melius Sigon. Correctionem hanc oratoriam esse ait. Cum enim dixisset legatus, *Non loquor apud recusantem justa bella populum?* addit, *sed bello opus non erit*.

5. *Suprà non ascendit.*] Non ad vos usque pertingit, ò Romani, quorum excelsus nomen & fama.

6. *Nutum nomenque vestrum.*] Antiqui libri & editiones, ex Gron. *numenque vestrum invictum*. Sed satis est, opinor, semel ab his legatis *numen* dici Romanorum in extrema nempe oratione. Hic verò rectè *nutum* tantùm *nomenque Romanorum*: quasi sufficeret demonstratio solùm quædam, & nudum *nomen* sine re, sive, ut paulò antè dictum, *umbra* auxilii.

7. *Pendentibus animi.*] Gronovii sententiam prorsus amplector, ut *animi*, potiùs scribendum sit, quàm *animis*: cui enim arrideat hæc phrasis: *illis pendentibus animis renunciare*? Quam elegantiùs longè: *illis pendentibus animi*, id est, animo suspensis, *renunciare*. Cic. 1. de Legibus. *Ego animi pendere soleo*.

1. *Utilitate fides antiquior fuit.*] Et verò *lucrum cum infamia, damnum potiùs est appellandum*. Vide Cic. lib. 3. de Offic.

dignos

dignos censet senatus : sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt. itaque arma, Deos prius quam homines violatura, adversus Samnites vobis negamus. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat. Ad ea princeps legationis (sic enim domo mandatum attulerant) *Quandoquidem*, inquit, *nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis; vestra certe defendetis. Itaque* 2 *populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia in vestram, Patres Conscripti, populique Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dediticii vestri passuri.* Sub hæc dicta, omnes manus ad Coss. tendentes, pleni lacrymarum in vestibulo curiæ procubuerunt : Commoti Patres vice FORTUNARUM HUMANARUM : si ille præpotens opibus populus, luxuria superbiaque clarus, à quo paulo ante auxilium finitimi petissent, adeò infractos gereret animos, ut se ipse suaque omnia potestatis alienæ faceret; tum jam fides agi visa, deditos non prodi; nec facturum æqua Samnitium populum censebant, si agrum urbemque per deditionem factam populi Romani, oppugnarent. Legatos itaque extemplo mitti ad Samnites placuit. data mandata, *ut preces Campanorum,* 3 *responsum senatus amicitiæ Samnitium memor, deditionem postremo factam, Samnitibus exponerent. Peterent pro societate amicitiaque, ut dediticiis suis parcerent : neque in eum agrum, qui populi Romani factus esset, hostilia arma inferrent, Si leniter agendo parum proficerent, denunciarent Samnitibus populi Romani senatusque verbis, ut Capua urbe Campanoque agro abstinerent.* Hæc legatis agentibus in concilio Samnitium, adeo est ferociter responsum, ut non solum *gesturos se esse* dicerent *id bellum*: sed magistratus eorum è curia egressi, stantibus legatis præfectos cohortium vocarent; iisque clara voce imperarent, *ut prædatum in agrum Campanum extemplo proficiscerentur.*

Urb. Cond. an. 410. Coss. M. Valer. III. & A. Cornel.

XXXII. Hac legatione Romam relata, positis omnium aliarum rerum curis, Patres fecialibus ad res repetendas missis, belloque, quia non redderentur, solenni more indicto, decreverunt, ut primo quoque tempore de ea re ad populum ferretur : jussuque populi consules ambo cum duobus ab urbe exercitibus profecti, 1 Valerius

INTERPRETATIO.

2 *Apparebat futuram Romanis pro horreo contra frugum inæqualem proventum & mutationes.*

NOTÆ.

2. *Populum Campanum.*] Formula deditionis, non absimilis ei, qua se Collatini dediderunt, lib. 1. cap. 38.

3. *Responsum Senatus amicitiæ Samnitium memor.*] Tolerari potest *responsum memor*, ut figuratè facto Senatus ascribatur, quod Senatui conveniebat. Melius tamen, Gronovii, meoque judicio, ex Buslidiano Cod. mss. *memoris* : quod rectà referetur ad *Senatus* : ut appareat ex responso eum memorem fuisse initæ cum Samnitibus amicitiæ.

1. *Valerius in Campaniam.*] Campania à *Campestribus* locis, aut à *Capua* urbe principe nomen accepit. Felix cognominata ob miram rerum omnium

Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

in Campaniam, 2 Cornelius in Samnium, ille 3 ad montem Gaurum, hic ad 4 Saticulam caſtra ponunt. Priori Valerio Samnitium legiones (eo namque omnem belli molem inclinaturam cenſebant) occurrunt. ſimul in Campanos ſtimulabat ira, tam promptos nunc ad ferenda, nunc ad arceſſenda adverſus ſe auxilia. Ut vero caſtra Romana 5 derunt, ferociter pro ſe quiſque a ſignum duces poſcere, affirmare, *eadem fortuna Romanum Campano laturum opem, qua Campanus Sidicino tulerit.* Valerius levibus certaminibus, tentandi hoſtis cauſa haud ita multos moratus dies, ſignum pugnæ propoſuit; paucis ſuos adhortatus: *Ne novum bellum eos, novuſque hoſtis terreret.* b *quidquid ab urbe* 10 *longius proferrent arma, magis magiſque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æſtimarent virtutem. qualeſcunque inter ſe certaverint, neceſſe fuiſſe alteram partem vinci. Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus, mollitiaque ſua, quam vi hoſtium victos eſſe. Quid autem eſſe, duo proſpera in tot ſæculis bella Samnitium; adverſus tot decora populi Romani, qui triumphos* 15 *penè plures quam annos ab urbe condita numeret? qui omnia circa ſe, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volſcos, Auruncos, domita armis habeat; qui Gallos tot præliis cæſos, poſtremo* 5 *in mare ac na-*

INTERPRETATIO.

a Samnites: *unuſquiſque, quod ad ipſum attinebat, à ducibus ſuis flagitabant, ut ſignum pugnæ daretur.*

b *Quantò longiùs ab urbe promoverent bellum.*

NOTÆ.

fertilitatem. Olim Vulturno flumine ad Occidentem ſolem finiebatur: poſt ad Lirim uſque termini ab ea parte promoti. Nunc maximam partem vocatur *Terra di Lavoro*, à Campis opinor Laborinis, quorum Plinius meminit, quique inter Capuam & Puteolos: Græcis Phlegræi. Vid. lib. 4. cap. 37.

2. *Cornelius in Samnium.*] Italorum bellicoſiſſimi *Samnites*, de quorum origine dixi ſuprà cap. 29. per annos 80. adverſus Romanos pari fere Marte bellarunt. Samnio veteri ſtrictè ſumpto reſpondent hodie, *Abruzzo Citra, Contado di Moliſe, Ducato di Benevento*, intra Neapolitani regni limites.

3. *Ad Montem Gaurum.*] *Mons Gaurus* medio itinere inter Puteolos, & Lucrinum lacum, ceiſo vertice, à mari paulùm remotus, generoſi vini ferax fuit. Plin. lib. 14. cap. 6. *Certant Maſſica* (vina) *æquè ex monte Gaurano, Puteolos Bajaſque proſpectantia*: ubi lubens legerim, *Maſſica, æque monte Gaurano* non toto; ſed, *ab eo* montis *latere, quod Puteolos Bajaſque proſpectat*. Hodie ſteriliis magna ex parte eſt, diciturque vulgò *Monte Barbaro*.

4. *Saticulam.*] Malè in quibuſdam exemplaribus *Satricula* appellatur: ſed fieri poteſt, ut Satricum Volſcorum, cujus ſæpe auctor meminit, literam *r*, induxerit in *Saticulam*. Campaniæ oppidum fuit, ſub Tifatis monte, medio itinere inter Capuam & Suellulam, ubi nunc *Caſerta* In Samnitum confinio erat, quorum tunc ſocii *Saticulani*. ideoq; Samnio attribuuntur: poſteà Colonia fuit Romanorum.

5. *In mare ac naves fugâ compulerit.*] Quando continente pulſi à Romanis Galli naves conſcendere ſint coacti, non alibi, quòd ſciam, ſcribit Livius. Fortè omiſſum quid: & ejuſmodi aliquid ab auctore ſcriptum fuerit. *Qui Gallos tot præliis cæſos* in extremam Apuliam, Græcos *poſtremo in mare ac naves fugâ compulerit.*

ves, fuga compulerit? Quam gloria belli ac virtute ſua quemque fretos ire in aciem debere; tum etiam intueri, cujus ductu auſpicioque incunda pugna ſit. [6] *utrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator ſit, verbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui & ipſe tela tractare, procedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ ſciat? Facta mea, non dicta vos, milites*, inquit, *ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam à me petere. Non factionibus modo, nec per coitiones uſitatas nobilibus, ſed hac dextra mihi tres conſulatus ſummamque laudem peperi. Fuit, quum hoc dici poterat: Patricius enim eras, & à liberatoribus patriæ ortus: & eodem anno* [7] *familia iſta conſulatum, quo urbs hæc conſulem habuit. Nunc jam nobis Patribus, vobiſque plebeiis promiſcuus conſulatus patet; nec generis, ut antè, ſed virtutis eſt præmium. proinde* [c] *ſummum quodque ſpectate, milites, decus. Non ſi mihi novum hoc Corvi cognomen Diis auctoribus homines dediſtis*, Poplicolarum *vetuſtum familiæ noſtræ cognomen memoria exceſſit. Semper ego plebem Romanam militiæ domique, privatus, in magiſtratibus parvis magniſque, æque tribunus ac conſul, eodem tenore per omnes deinceps conſulatus, colo atque colui; nunc quod inſtat, Diis bene juvantibus, novum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.*

Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

XXXIII. Non alias militi familiarior dux fuit; omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo. In ludo præterea militari, quum velocitatis viriumque inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis, vincere ac vinci vultu eodem; [a] nec quemquam aſpernari parem qui ſe offerret; [b] factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quam ſuæ dignitatis memor: & quo nihil popularius eſt: quibus artibus petierat magiſtratus, iiſdem gerebat. Itaque univerſus exercitus, incredibili alacritate adhortationem proſecutus ducis, caſtris egreditur. Prælium, ut quod maxime unquam, pari ſpe, utrinque æquis viribus cum fiducia ſui, ſine contemptu hoſtium, commiſſum eſt. Samnitibus ferociam augebant novæ res geſtæ, & paucos ante dies geminata victoria. Romanis contra, [1] quadringentorum an-

INTERPRETATIO.

c *Milites reſpicite ac ſperate ſupremam gloriam, & ſupremum quemvis magiſtratum.*

a *Et neminem contemnebat, qui ſocius eſſe vellet certaminis, & ſecum contendere.*

b *Quod ad facta attinet, humanus quatenùs res ipſa*, perſonarum ſcilicet ac temporum ratio, *patiebatur*: quantùm ad verba æquè *libertatem aliorum; ſummque decorem ſervabat.*

NOTÆ.

6. *Utrum qui audiendus.*] Tolerari poteſt hoc ſenſu, utrùm is, cujus auſpicio pugnandum, magnificus adhortator ſit; ſed audiendus tantùm, non imitandus. Glarean. ordine vocum inverſo, utrùm *audiendus, qui* &c. Sigonius, *qui audiendus*, explicat, *cui obediendum ſit*. Eſt enim *audire*, & Græcè ἀκούειν, ut Hebraïcè שמע idem ſæpenumerò quod præcipienti parere. Enucleatior tamen oratio erit, ſi Freinshemii emendationem ſequamur: *qui audendi duntaxat magnificus adhortator ſit*. Ut apud Virg. *Auctor ego audendi*.

7. *Familia iſta Conſulatum.*] In P. Valerio Poplicola.

1. *Quadringentorum annorum.*] Annus hic quidem CDX. ab urbe cond. nec belli

Urb. Cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

norum decora, & conditæ urbi æqualis victoria. c Utriſque tamen novus hoſtis curam addebat: pugna indicio fuit, quos geſſerint animos. namque ita conflixerunt, ut aliquandiu in neutram partem inclinarent acies. Tum conſul, trepidationem injiciendam ratus, quando vi pelli non poterant: equitibus immiſſis turbare prima ſigna hoſtium conatur; quos ubi nequicquam tumultuantes in ſpatio exiguo volvere turmas vidit, nec poſſe aperire in hoſtes viam; revectus ad anteſignanos legionum, quum deſiluiſſet ex equo: *Noſtrum*, inquit, *peditum illud, milites, eſt opus: agitedum, ut me videritis quacumque inceſſero, in aciem hoſtium ferro viam facientem, ſic pro ſe quiſque obvios ſternite. Illa omnia, qua nunc erectæ micant haſtæ, patefacta ſtrage vaſta cernetis.* Hæc dicta dederat, quum equites conſulis juſſu diſcurrunt in cornua, legionibus in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium conſul invadit hoſtem: d & cum quo fortè contulit gradum, obtruncat. Hoc ſpectaculo accenſi, dextra lævaque ante ſe quiſque memorandum prælium ciet. Stant obnixi Samnites, quamquam plura accipiunt quam inferunt vulnera. Aliquandiu jam pugnatum erat: atrox cædes circa ſigna Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat. adeo morte ſola vinci deſtinaverant animis. Itaque Romani quum effluere jam laſſitudine vires ſentirent & diei haud multum ſupereſſe, accenſi ira concitant ſe in hoſtem. Tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit; tum capi, occidi Samnis. nec ſuperfuiſſent multi, ni nox victoriam magis quam prælium diremiſſet. Et Romani fatebantur, numquam cum pertinaciore hoſte conflictum. & Samnites, quum quæreretur quænam prima cauſa tam obſtinatos moviſſet in fugam? *oculos ſibi Romanorum ardere viſos*, ajebant, *veſanoſque vultus & furentia ora: inde pluſquam ex alia ulla re terroris ortum.* quem terrorem non pugnæ ſolum eventu, ſed nocturna profectione confeſſi ſunt. Poſtero die vacuis hoſtium caſtris, Romanus potitur: quo ſe omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit.

XXXIV. Cæterum hoc gaudium magna prope clade f in Samnio fœdatum eſt. nam ab Saticula profectus Cornelius conſul exercitum inconſulte in ſaltum cava valle pervium, circaque inſeſſum ab hoſte induxit: nec prius quam recipi tuto ſigna non poterant, imminentem ca-

INTERPRETATIO.

c Sed utriſque (& Romanis, & Samnitibus) *ſolicitudinem afferebat* ſolito *majorem*, quod *res* erat *futura cum hoſte inuſitato*, & nondum experto.

d Et *cum interfecit, cum quo* primùm *caſu congreſſus eſt*.

NOTÆ.

decora ſtatim ab ipſo urbis conditu coepere: cui æqualis victoria quod dicitur, intelligi debet propè æqualis.

2. *Ante ſe prælium ciet*.] Unoquoque ſibi oppoſitos urgente.

1. *In Samnio*.] In confinio Samnii, ubi Saticula Campaniæ finibus incluſa, ut diximus, ſed ſocia Samnitum.

piti hoſtem vidit. Dum id moræ Samnitibus eſt, quoad totum in vallem infimam [2] demitterent agmen, [3] P. Decius tribunus militum, conſpicit unum editum in ſaltu collem, imminentem hoſtium caſtris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. Itaque conſuli territo animi, *Videſne tu*, inquit, *A. Corneli, eacumen illud ſuprà hoſtem? Arx illa eſt ſpei ſalutiſque noſtræ, ſi eam, quam cæci relinquent Samnites, impigrè capimus. Nec tu mihi plus quam unus legionis principes haſtatoſque dederis. cum quibus ubi evaſero in ſummum: perge hinc omni liber metu: teque & exercitum ſerva. neque enim moveri hoſtis, ſubjectus nobis ad omnes ictus, ſine ſua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna populi Romani, aut noſtra virtus expediet.* Collaudatus ab conſule, accepto præſidio vadit occultus per ſaltum; nec prius ab hoſte eſt viſus, quam loco quem petebat appropinquavit. Inde [4] admiratione paventibus cunctis, quum omnium in ſe vertiſſet oculos; & ſpatium conſuli dedit ad ſubducendum agmen in æquiorem locum, & ipſe in ſummo conſtitit vertice. Samnites dum huc illuc ſigna vertunt, utriuſque rei amiſſa occaſione, neque inſequi conſulem, niſi per eandem vallem, in qua paulo ante ſubjectum eum telis ſuis habuerant, poſſunt: nec erigere agmen in captum ſuper ſe ab Decio tumulum. Sed quum ira in hos magis, qui fortunam gerendæ rei eripuerant; tum propinquitas loci, atque ipſa paucitas incitat: & nunc circumdare undique collem armatis volunt, ut à conſule Decium intercludant: nunc viam patefacere, ut degreſſos in vallem adoriantur. incertos quid agerent, nox oppreſſit. Decium primum ſpes tenuit, cum ſubeuntibus in adverſum collem ex ſuperiore loco ſe pugnaturum: deinde admiratio inceſſit, quod nec pugnam inirent, nec ſi ab eo conſilio iniquitate loci deterrerentur, opere ſe valloque circumdarent. Tum centurionibus ad ſe vocatis, *Quænam illa inſcitia belli ac pigritia eſt? aut quonam modo iſti ex Sidicinis Campaniſque victoriam pepererunt? Huc atque illuc ſigna moveri, ac modo in unum conferri, modo educi videtis. opus quidem incipit nemo: cum jam circumdati vallo potuerimus eſſe. Tum verò nos ſimiles iſtorum ſimus, ſi diutius hic moremur, quam com-*

Urb. Cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

NOTÆ.

2. *Demitterent agmen.*] Variant exemplaria: plerique in ſingulari numero *habent dimitteret*; nonnulli in numero multitudinis, *dimitterent*. Hoc Gronov. probat, refertque ad Samnites. Mihi vulgata magis arridet, ut ad Cornelium Conſulem Romanum referatur. Vult enim Livius, ni fallor, expectaſſe Samnites, donec Romanus exercitus in infima vallis deſcendiſſet, quo ei ex locis editioribus ſuperveniret. Nam ut ipſi deſcenderent, non multum erat moræ interponendum; atque ita tempus Decio non fuiſſet ſuperiorem hoſtium Caſtris collem occupandi.

3. *P. Decius Tribunus militum.*] Cognomento, *Mus*, qui tunc Legionis Tribunus, poſteà Conſul ſe pro patria devovit.

4. *Admiratione paventibus cunctis cum omnium in ſe vertiſſet oculos.*] Horum duorum videtur alterum ſufficere; nec Livianum ſatis videtur poſt, *cunctis*, addere *omnium*: aliudque admiratio, aliud pavor. Illud itaque *admiratione paventibus cunctis*, libens reſecem.

Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

modum ſit. Agitedum, ite mecum, ut dum lucis aliquid ſupereſt, quibus locis præſidia ponant, qua pateat hinc exitus, exploremus. Hæc omnia ſagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hoſtes notarent, perluſtravit.

XXXV. Vigiliis deinde diſpoſitis, cæteris omnibus [1] teſſeram dari jubet: ubi ſecundæ vigiliæ [2] buccina datum ſignum eſſet, armati cum ſilentio ad ſe venirent. Quo ubi, ſicut edictum erat, taciti convenerunt, *Hoc ſilentium, milites*, inquit, [3] *omiſſo militari aſſenſu, in me audiendo ſervandum eſt. ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis:* [4] *quæ pars major erit, eo ſtabitur conſilio. Nunc quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumvenit hoſtis. virtute cepiſtis locum, virtute hinc oportet evadatis. Veniendo huc, exercitum egregium populi Romani ſervaſtis: erumpendo hinc, voſmet ipſos ſervate. digni eſtis qui pauci pluribus opem tuleritis, ipſi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoſte res eſt, qui heſterno die delendi omnis exercitus fortuna per ſocordiam uſus non ſit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti ſuo non ante viderit, quam captum à nobis: nos tam paucos tot ipſi millibus hominum nec aſcenſu arcuerint; nec tenentes locum, quum diei tantum ſupereſſet, vallo circumdederint. quem videntem ac vigilantem ſic eluſeritis, ſopitum oportet fallatis. imma neceſſe eſt. In eo enim loco res ſunt noſtræ, ut ego vobis magis neceſſitatis veſtræ index, quam conſilii auctor ſim. neque enim maneatis, an abeatis hinc, deliberari poteſt; quum, præter arma & animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit. fame & ſiti moriundum ſit, ſi plus quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una eſt ſalus, erumpere hinc atque abire. id aut interdiu aut nocte faciamus oportet.*

NOTÆ.

1. *Teſſeram dari jubet.*] *Teſſera* in militia erat tabella, quam ab Imperatore acceptam Tribuni ad Centurionem mittebant, per quem cæteris Centurionibus mitteretur, atque ab his ſignificaretur militibus: deinde ante noctem reditura ad Imperatorem. Hic non imperator, ſed Tribunus legionis teſſeram dedit; verbo, an ſcripto parùm refert.

2. *Buccinâ datum ſignum eſſet.*] Mirum hic Glareano videtur, quomodò taciti ad Decium venerint legionarii, cum his buccina ſignum datum fuerit. Verùm cum hi milites viſi hoſtibus eſſent, nihil erat quòd dando Vigiliarum ſigno abſtinerent, quaſi ſic latêre poſſent: imò id ad fallendos Samnites valebat, qui ſic facilè in animum inducerent hanc Romanorum manum eodem loco pernoctaturam. In motu & congreſſu ad Tribunum ſervari ſilentium ſufficiebat: quod ut imperatum, ità & factum. Poſſet tamen ſubtilior quis ſuſpicari, tacentibus Romanorum buccinis, potuiſſe hos milites, ad cantum hoſtilis buccinæ ſecundam vigiliam notantis, tacitos ad conductum venire.

3. *Omiſſo militari aſſenſu.*] Sine acclamatione militari, aut verbis quæ aſſenſum teſtentur, quæque ab hoſtibus audiri poſſent.

4. *Quæ pars major erit, eò ſtabitur conſilio.*] Sigon. & Juretus in Symmachum, *ejus ſtabitur conſilio*; ſed vetus ſcriptura, *eo ſtabitur conſilio*, Gronovio arridet, tanquàm venuſtior: quaſi dicas, quod *conſilium major pars approbabit, ei adhærebimus.*

Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

5 *Ecce autem aliud minus dubium. quippe ſi lux exſpectetur, quæ ſpes eſt, non vallo perpetuo foſſaque nos ſepturum hoſtem? qui nunc* 6 *corporibus ſuis ſubjectis undique cinxerit, ut videtis, collem. Atqui ſi nox opportuna eſt eruptioni, ſicut eſt; hæc profecto noctis aptiſſima hora eſt.* 7 *Signo ſecundæ vigiliæ conveniſtis, quod tempus mortales ſomno altiſſimo premit. per corpora ſopita vadetis; vel ſilentio incautos fallentes, vel ſentientibus clamore ſubito pavorem injecturi. Me modo ſequimini, quem ſecutis eſtis. ego eandem, quæ duxit huc, ſequar fortunam. Quibus hæc ſalutaria videntur, agitedum, in dextram partem pedibus tranſite.*

XXXVI. Omnes tranſierunt, vadentemque per intermiſſa cuſtodiis loca, Decium ſecuti ſunt. Jam evaſerant media caſtra, quum ſuperſcandens vigilum ſtrata ſomno corpora miles, [a] offenſo ſcuto præbuit ſonitum: quo excitatus vigil, quum proximum moviſſet, erectique alios concitarent, ignari cives an hoſtes eſſent, præſidium erumperet, an conſul caſtra cepiſſet; Decius, quum non fallerent, clamorem tollere juſſis militibus, torpidos ſomno, inſuper pavore exanimat; quo præpediti, nec arma impigre capere, nec obſiſtere, nec inſequi poterant. Inter trepidationem tumultumque Samnitium, [1] præſidium Romanum, obviis cuſtodibus cæſis, ad caſtra conſulis pervadit. Aliquantum ſupererat noctis: jamque in tuto videbatur eſſe, quum Decius, *Macti virtute*, inquit, *milites Romani eſte. veſtrum iter ac reditum omnia ſæcula laudibus ferent. Sed ad conſpiciendam tanta m virtutem, luce ac die opus eſt. nec vos digni eſtis, quos cum tanta gloria in caſtra reduces ſilentium ac nox tegat. hic lucem quieti opperiamur.* Dictis obtemperatum. atque ubi primum illuxit, [2] præmiſſo nuncio ad conſulem in caſtra, ingenti gaudio concitantur: [b] & teſſera data, incolumes reverti, qui ſua cor-

INTERPRETATIO.

a *In ſcutum* Samnitis *impingens, ſtrepitum edidit.*

b *Sparsâ per teſſeram famâ, eos ſalvos redire.*

NOTÆ.

5. *Ecce autem aliud minus dubium.*] Vult haud dubiè minùs periculoſum eſſe conſilium poſterius, nempe erumpendi de nocte. Perſpicuum magis eſſet, *Hocce autem illo minus dubium.*

6. *Corporibus ſuis ſubjectis.*] Mavult Gronov. *objectis*: ſed idem valet hìc, *ſubjectis*, id eſt oppoſitis ab inferiori loco.

7. *Signo ſecundæ vigiliæ.*] Quartâ ſc. horâ noctis. Etenim teſte Veget. l. 3. c. 8. *In quatuor partes ad Clepſydram ſunt diviſa vigiliæ, ut* cuique non *ampliùs quàm tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare.*

1. *Præſidium Romanum.*] Decianì illi milites, qui in collis vertice, velut in præſidio locati, verè præſidium reliqui exercitus fuerant. Idem cap. ſequenti dicuntur Decii præſidium.

2. *Præmiſſo nuncio ad Conſulem in caſtra.*] Hac ſervatâ lectione non erit quo regatur verbum, *concitantur*, quod mox ſequitur: facilè tamen intellexerimus milites qui in Caſtris. Verùm rotundiùs res explicabitur, ſi ſcribamus cum Gron. *Præmiſſo nuncio ad Conſulem, Caſtra ingenti gaudio concitantur*: demptâ nimirum præpoſitione, *in*, quæ ad ſententiam nihil confert quàm ut id exprimatur, quod per ſe ſatis patet. Quò enim nuncius ad Conſulem bellum gerentem mitteretur, niſi in caſtra?

Urb. cond. an. 401. Coss. M. Valer. III. & A. Cornel.

pora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent, pro se quisque obviam effusi laudant, gratulantur, singulos universosque servatores suos vocant: Diis laudes gratesque agunt, Decium in cœlum ferunt. Hic Decii 3 castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, & omni honore tribunum consuli æquantibus. Ubi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem convocat: orsusque meritas Decii laudes, interfante ipso Decio, distulit concionem: qui auctor omnia posthabendi, dum occasio in manibus esset, perpulit consulem, ut hostes, & nocturno pavore attonitos, & circa collem castellatim dissipatos, aggrederetur. credere etiam aliquos ad se sequendum emissos, per saltum vagari. Jussæ legiones arma capere: egressæque castris, quum per exploratores notior jam saltus esset, via patentiore ad hostem ducuntur. quem incautum improviso adortæ, quum palati passim Samnitium milites, plerique inermes, nec coire in unum, nec arma capere, nec recipere intra vallum se possent, paventem primum intra castra compellunt: deinde castra ipsa turbatis stationibus capiunt. Perfertur circa collem clamor: 4 fugatque ex suis quemque præsidiis. ita magna pars absenti hosti cessit. quos intra vallum egerat pavor (fuêre autem ad triginta millia) omnes cæsi. castra direpta.

XXXVII. Ita rebus gestis, consul, advocata concione, P. Decii non cœptas solum antè, sed cumulatas nova virtute laudes peragit; & præter militaria alia dona, aurea corona eum, & centum bobus, 1 eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat. milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bobus, 2 binisque privis tunicis donati. Secundum consulis donationem, 2 legiones gramineam coronam obsidionalem, clamore donum

INTERPRETATIO.

2 *Et duabus in singulos tunicis.*

NOTÆ.

3. *Castrensis triumphus.*] Species Triumphi hæc fuit, quem non ut Imperatores in urbe, sed tanquàm Tribunus Legionis in castris egit Decius.

4. *Fugatque ex suis quemque præsidiis.*] Et Samnites quicunque circa saltum in præsidiis erant, terrore per circumlatum clamorem injecto compelluntur in fugam.

1. *Eximioque uno albo.*] Apud Macrob. à Sigonio laudatum, *eximii nomen sacrificale est*: additurque *eximias dictas hostias quæ ad sacrificium destinatæ eximantur à grege.* Vel, *quod eximiè specie, quasi offerendæ numinibus eligantur.* Et hic itaque Taurus albus auratis cornibus datus, ne Decio deesset victima conveniens; quâ Diis grates persolveret.

2. *Legiones gramineam coronam.*] *Corona Graminea*, quæ & obsidionalis, ea est auctore Gell. lib. 5. cap. 6. *Quam qui obsidione liberati sunt, dant ei duci qui liberavit*; ut enim Plinius quoque testatur lib. 22. cap. 4. *Cæteras imperatores dedere, hanc solam miles imperatori.* Festus Coronam nullam fuisse Gramineâ nobiliorem, eamque majori in pretio habitam, quàm Civicam ipsam: quòd nempe hæc ob Civem unum, illa ob universum exercitum servatum daretur. Plin. lib. 16. cap. 4. Decium narrat frondeâ, id est, civicâ donatum ab exercitu, quem servaverat.

appro-

approbantes, Decio imponunt. altera corona ejuſdem honoris index à præſidio ſuo impoſita eſt. His decoratus inſignibus, bovem eximium Marti immolavit, centum boves militibus dono dedit, qui ſecum in expeditione fuerant. iiſdem militibus legiones libras farris & 3 ſextarios vini contulerunt; omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium aſſenſus, gerebantur. Tertia pugna 4 ad Sueſſulam commiſſa eſt, qua fugatus à M. Valerio Samnitium exercitus, omni robore juventutis domo accito, certamine ultimo fortunam experiri ſtatuit. Ab Sueſſula nuncii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium conſulem, opem oratum veniunt. Confeſtim ſigna mota, [b] relictiſque impedimentis caſtrorum valido præſidio, raptim agitur agmen: nec procul ab hoſte locum perexiguum (c ut quibus præter equos cæterorum jumentorum calonumque turba abeſſet) caſtris cepit. Samnitium exercitus, velut haud ulla mora pugnæ futura eſſet, aciem inſtruit; deinde poſtquam nemo obvius ibat, infeſtis ſignis ad caſtra hoſtium ſuccedit. ibi ut militem in vallo vidit, miſſique ab omni parte exploratum, quàm in exiguum orbem contracta caſtra eſſent, paucitatem inde hoſtium colligentes, retulerunt: fremere omnis acies, complendas eſſe foſſas, ſcindendumque vallum, & in caſtra irrumpendum. tranſactumque ea temeritate bellum foret, ni duces continuiſſent impetum militum. Cæterum, quia multitudo ſua commeatibus gravis, & prius ſedendo ad Sueſſulam, & tunc certaminis morâ, haud procul ab rerum omnium inopia eſſet; placuit dum incluſus paveret hoſtis, frumentatum per agros militem duci. interim & Romano, qui expeditus, quantum humeris inter arma geri poſſet, frumenti ſecum attuliſſet, defutura omnia. Conſul palatos per agros quum vidiſſet hoſtes, ſtationes infrequentes relictas, paucis milites adhortatus, ad caſtra oppugnanda ducit. quæ quum primo clamore atque impetu cepiſſet, pluribus hoſtium in tentoriis ſuis, quam in portis valloque cæſis, ſigna captiva in unum locum conferri juſſit; relictiſque duabus legionibus, cuſtodiæ & præſidii cauſa, gravi edicto monitis, *ut donec ipſe*

Urb. Cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

INTERPRETATIO.

b *Et firma militum manu, relicta ad ſarcinas Caſtrorum cuſtodiendas,*

c *Utpotè qui jumentis (præter equos ad prælium neceſſarios.) & lixarum multitudine carerent,*

NOTÆ.

3. *Sextarios vini.*] Reliqui milites pro ſe quiſque ſingulas frumenti libras, ſinguloſque vini Sextarios contulerunt: continebat autem *Sextarius* heminas duas, ſive cyathos duodecim: id eſt, aquæ libram cum ſemiſſe.

4. *Ad Sueſſulam.*] Medio Capuam inter & Nolam ſpatio, novem ab utraque paſſuum millibus, non procul Clani ſive Literno amne fuit *Sueſſula*, Campaniæ oppidum: Coloniam poſteà Romanorum accepit. Jacet in ruinis, eo loco ubi *Caſtello di Seſſola*.

Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

revertiſſet, præda abſtinerent; profectus agmine inſtructo quum præmiſſus eques 5 velut indagine diſſipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit. nam neque quo ſigno coirent inter ſe, neque utrum caſtra peterent, an longiorem intenderent fugam, territis conſtare poterat. Tantumque fugæ ac formidinis fuit, ut ad quadraginta millia ſcutorum, nequaquam tot cæſis, & ſigna militaria cum iis, quæ in caſtris capta erant, ad centum ſeptuaginta ad conſulem deferrentur. Tum in caſtra hoſtium reditum: ibique omnis præda militi data.

XXXVIII. Hujus certaminis fortuna, & Faliſcos, quum in induciis eſſent, fœdus petere ab ſenatu coëgit: & Latinos jam exercitibus comparatis, ab Romano 1 in Pelignum vertit bellum. Neque ita rei geſtæ famâ Italiæ ſe finibus tenuit: ſed Carthaginenſes quoque legatos gratulatum Romam miſere, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Jovis cella poneretur. fuit pondo viginti quinque. conſules ambo de Samnitibus triumpharunt; ſequente Decio inſigni cum laude, doniſque: quum incondito militari joco, haud minus tribuni celebre nomen, quam conſulum eſſet. Campanorum deinde, 2 Sueſſanorumque auditæ legationes: precantibuſque datum, ut præſidium eo in hiberna mitteretur, quo Samnitium excurſiones arcerentur. Jam tum minime ſalubris militari diſciplinæ Capua, inſtrumento omnium voluptatum delinitos militum animos avertit à memoria patriæ: inibanturque conſilia in hibernis eodem ſcelere adimendæ Campanis Capuæ, 3 per quod illi eam antiquis cultoribus ademiſſent: *neque immerito ſuum ipſorum exemplum in eos verſurum. Cur autem potius Campani agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem, qui nec ſe, nec ſua tutari poſſint; quam victor exercitus haberet, qui ſuo ſudore ac ſanguine inde Samnites depulſſet? An æquum eſſe, dediticios ſuos illa fertilitate atque amœnitate perfrui; ſe, militando feſſos in peſtilenti atque arido circa*

NOTÆ.

5. *Velut indagine.*] *Indaginis* nomine propriè intelligitur plagarum, ſeu retium longa ſeries, quibus à venatoribus feras indagantibus ſaltus nemorave cinguntur, ne quà feris pateat effugium. Hoc exemplo Samnites palantes atque diſperſos egit nunc Valerius.

1. *In Pelignum.*] Inter minores Italiæ gentes fuere *Peligni*, qui à Sabinis orti in Samnitum ferè nomen cum vicinis aliis tranſiere, qui nunc Aprutiani. Pelignorum oppida præcipua Corfinium, & Sulmo.

2. *Sueſſanorumque.*] Duæ fuere hoc terrarum tractu oppida Sueſſæ nomine, *Pometia* Volſcorum, quæ à Tarquinii Superbi temporibus everſa; & Aruncæ, quæ inter Lirim & Savonem ſub Maſſico monte, ſimplici *Sueſſæ* nomine intelligi, & aliquo poſt hæc tempore Colonia Romanorum eſſe cœpit. Hodie *Seſſa* in terra Laboris, regnique Neapolitani limine. Sigonius *Sueſſulanorum* putat legendum à *Sueſſula*, ad quam pugnatum eſt. Sed *Sueſſula* in Campanorum agro, præſidium, opinor, cum Capua accepit. Sueſſa paulò remotior, nec minùs excurſionibus Samnitum opportuna, poſt ſubactos ab illis Sidicinos.

3. *Per quod illi eam antiquis cultoribus ademiſſent.*] Novi ex Samnitibus Campani, antiquis civibus Etruſcis. Vide ſupra lib. 4. cap. 37.

urbem ſolo luctari, aut in urbe 4 *inſidentem tabem treſcentis in dies fœnoris pati?* Hæc agitata occultis conjurationibus, nec dum vulgatâ in omnes conſilia, invenit novus conſul C. Marcius Rutilus, cui Campania ſorte provincia evenerat; Q. Servilio collega ad urbem relicto. Itaque quum omnia ea, ſicut geſta erant, per tribunos comperta haberet, & ætate & uſu doctus (quippe qui jam quartùm conſul eſſet, dictatorque & cenſor fuiſſet); optimum ratus, 1 differendo ſpem quandocunque vellent conſilii exequendi, militarem impetum fruſtrari; rumorem diſſipat, in iiſdem oppidis & anno poſt præſidia hibernatura. diviſa enim erant per Campaniæ urbes, manaverantque à Capua conſilia in exercitum omnem. Eo laxamento cogitationibus dato quievit in præſentia ſeditio. Urb. cond. an. 410. Coſſ. M. Valer. III. & A. Cornel.

XXXIX. Conſul, educto in æſtiva milite, dum quietos Samnites habebat, 1 exercitum purgare miſſionibus turbulentorum hominum inſtituit; *aliis emerita* dicendo *ſtipendia eſſe; alios graves jam ætate, aut viribus parum validos.* 2 quidam in commeatus mittebantur, ſinguli primo, deinde & cohortes quædam quia procul ab domo ac rebus ſuis hibernaſſent. Per ſpeciem etiam militarium uſuum quum alii alio mitterentur, magna pars ablegati. quam multitudinem conſul alter Romæ, prætorque, alias ex aliis fingendo moras, retinebat. Et primo quidem ignari ludificationis, minime inviti domos reviſebant. poſtquam neque reverti ad ſigna primos, nec fermè alium quam qui in Campania hibernaſſent, præcipueque ex iis ſeditionis auctores mitti viderunt; primum admiratio, Urb. cond. an. 411. Coſſ. C. Marc. IV. & Q. Servil. III.

INTERPRETATIO.

a *Arbitratus utiliſſimum fore, ſi eludentur militum vis præſens, protrahendo* ipſis *ſpem perficiendi propoſitum* alio tempore, *quotieſcunque luberet.*

NOTÆ.

4. *Inſidentem tabem*] Ut tabes viſceribus, ſic fœnebre malum facultatibus debitoris ita inhæret, ut eas paulatim exedat.

1. *Exercitum purgare miſſionibus.*] Militaris *miſſio* quadruplex fuit, honeſta, cauſaria, gratioſa, ignominioſa. Priorum ferè generum miſſionibus exercitum purgare ſeditioſis inſtituit hic Marcius; perinde ut corpus miſſione ſanguinis purgari ſolet.

2. *Quidam in Commeatus mittebantur.*] Nomen *Commeatus* duo præſertim ſignificat, modò commeandi, ſive eundi, & abeundi facultatem alicui publicâ auctoritate datam: modò cibaria ſive annonam, ſine quibus commeari nequit. Utro ſenſu hic ſumatur, ambigi poteſt. Primum quidem magis huic loco convenire ſuadet ſubdita ratio, vel potiùs color, quia *procul ab domo ac rebus ſuis hibernaſſent.* Hæc enim gratioſæ miſſionis non improbabilis occaſio. Sed hoc ſenſu Commeatum dari aut obtineri dixeris, non aliquem in Commeatum mitti. Niſi fortè id auctor velit *in Commeatus*, id eſt ad tempus per Commeatus, ſive ſpecie Commeatuum, mittebantur. Nam ad annonam ſi miſſos velimus, jam extra rem erit addita ex longinquis hibernis ratio. Sed hæc cauſa ad alias miſſionum ſpecies referri poteſt. Itaque hoc loco commeatum pro re frumentaria, ſeu viatico dici puto, quo facilè deſtituuntur, qui diu domo abfuere. Sic Tridui tantùm Commeatum quis habere dicitur, ut indicetur inſtare paupertatem extremam.

Urb. Cond. an. 411. Coſſ. C. Marc. IV. & P. Servi. III.

deinde haud dubius timor ineeſſit animos, [2] conſilia ſua emanaſſe: *jam quæſtiones, jam* [3] *judicia, jam occulta ſingulorum ſupplicia, impotenſque & crudele conſulum ac Patrum in ſe regnum paſſuros*. Hæc qui in caſtris erant, occultis ſermonibus ferunt; [4] nervos conjurationis ejectos arte conſulis cernentes. Cohors una, quum haud procul Anxure eſſet, [5] ad Lautulas ſaltu anguſto inter mare ac montes conſedit, ad excipiendos, quos conſul aliis atque aliis (ut ante dictum eſt) cauſis mittebat. Jam valida admodum numero manus erat, nec quiequam ad juſti exercitus formam, præter ducem, deerat. incompoſiti itaque prædantes in agrum Albanum perveniunt, & ſub jugo Albæ Longæ caſtra vallo cingunt. Perfecto inde opere, reliquum diei, de imperatore ſumendo, ſententiis decertant; nulli ex præſentibus ſatis fidentes. *Quem autem ab Roma poſſe exciri? quem Patrum aut plebis eſſe, qui aut ſe tanto periculo ſciens offerat, aut cui* [6] *ex injuria inſanientis exercitus cauſa recte committatur?* Poſtero die quum eadem deliberatio tenere. ex prædatoribus vagis quidam compertum attulerunt, *T. Quintium in Tuſculano agrum colere; urbis honorumque immemorem.* Patriciæ hic vir gentis erat, cui quum militiæ magna cum gloria actæ finem pes alter ex vulnere claudus feciſſet, ruri agere vitam procul ambitione ac foro conſtituit. Nomine audito, extemplo agnovere virum: & quod bene verteret, acciri juſſerunt. Sed parum ſpei erat, voluntate quicquam facturum. vim adhiberi ac metum placuit. Itaque ſilentio noctis, quum tectum villæ, qui ad id miſſi erant, intraſſent; ſomno gravi Quintium oppreſſum, *nihil medium,* [7] *aut imperium at-*

INTERPRETATIO.

[2] *Divulgata* indicio alicujus *incepta ſua.*

NOTÆ.

3. *Judicia.*] Alii *indicia*, nempe à Conſciis: ſed plus aliquid judiciorum nomine ſignificatur, unde major præſentiorque metus.

4. *Nervos conjurationis ejectos.*] Puteanus conjicit *exfectos*. Quod malim, quàm Gebhardi *electos*. Metaphora eſt qua ſeditionis duces, quibus univerſum velut corpus conjurationis continebatur, *nervi* appellabantur: quâ metaphorâ ſiquidem contentus eſſe auctor voluit; rectè dicere potuit *ejectos*, ut ad homines ea vox referatur: ſin allegoriæ quadam ſpecie continuare ejuſmodi figuram placuit, melius erit *exfectos* dixiſſe, ut nervi intelligantur.

5. *Ad Lautulas.*] Locus fuit in Pomtini agri finibus, paulò ſupra *Tarracinam*, non longè ab Ufente fl. *Lautulæ*, ſive *Lautolæ à lavando dictæ* ſecundùm Varr. l. 4. de Ling. Lat. *Quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerunt*. Fuit hic locus in ſaltu anguſto, non procul mari, ipſæque anguſtiæ eo nomine appellatæ videntur.

6. *Ex injuria inſanientis exercitus.*] Verba ſunt ipſorum militum, ſatentium ſe, illatâ ſibi injuriâ ad inſaniam, furorem, deſperationemque actos.

7. *Aut imperium atque honorem.*] Vidit Gronov. vulgatæ editionis vitium, ubi eſt *nihil medium, aut imperium atque honorem; aut ubi reſtitaret, mortem, ni ſequeretur, denunciantes*. In priori membro deeſſe aliquid, in altero ſupereſſe. Itaque ſic reſtituit: ut habetur in contextu. Sed quoniam, & ordinem verborum invertit, & *ſi* legit pro *ni ſequeretur*, quod nihil aliud eſt quàm *ubi reſtitaret*: prius illud tanquàm ſuperfluum,

que honorem, aut ubi reſtitaret, mortem, ni ſequeretur, denunciantes, in caſtra pertraxerunt. Imperator extemplo adveniens appellatus: inſignia que honoris exterrito ſubitæ rei miraculo deferunt, & ad urbem ducere jubent. Suo magis inde impetu, quam conſilio ducis, convulſis ſignis infeſto agmine, ad lapidem octavum viæ, quæ nunc Appia eſt, perveniunt: iſſentque confeſtim ad urbem, ni venire contrà exercitum, dictatoremque adverſus ſe M. Valerium Corvum dictum, audiſſent, & magiſtrum equitum L. Æmilium Mamercinum. Urb. Cond. an. 411. Coſſ. C. Marc. IV. & Q. Serv. III.

XL. 1 Ubi primùm in conſpectum ventum eſt, arma, ſignaque agnovere; extemplo 2 omnibus memoria patriæ iras permulſit. Nondum erant 2 tam fortes ad ſanguinem civilem, nec præter externa noverant bella: ultimaque rabies ſeceſſio ab ſuis habebatur. itaque jam duces, jam milites utrinque, congreſsûs quærere ad colloquia. Quintius, quem armorum etiam pro patria ſatietas teneret, nedum adverſus patriam; Corvus omnes charitate cives, præcipue milites, & ante alios ſuum exercitum complexus ad colloquium proceſſit. Cognito ei extemplo b haud minor ab adverſariis verecundia, quam ab ſuis ſilentium datum: *Deos*, inquit, *immortales, milites, veſtros, publicos, meoſque, ab urbe proficiſcens ita adoravi, veniamque ſupplex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam, darent. Satis fuit eritque, unde belli decus pariatur: 3 hinc pax petenda eſt. Quod Deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, ejus me compotem voti vos facere poteſtis; ſi meminiſſe vultis, non vos in Samnio, nec in Volſcis, ſed in Romano ſolo caſtra habere. 4 ſi illos colles, quos cernitis, patriæ veſtræ eſſe; ſi hunc exercitum civium veſtrorum: ſi me conſulem veſtrum, cujus ductu auſpicioque priore anno bis legiones Sammitium fudiſtis, bis caſtra vi cepiſtis. Ego ſum M. Valerius Corvus, milites: cujus vos nobilitatem beneficiis erga vos, 5 non injuriis, ſenſiſtis, nullius ſuperbæ in vos legis, nullius crudelis Senatusconſulti auctor: in omnibus meis imperiis in me ſeverior, quam in vos. Ac ſi cui genus, ſi cui ſua virtus, ſi cui etiam majeſtas, ſi cui honores ſub-*

INTERPRETATIO.

a *Nondum* Romani *eò ſævitiæ pervenerant, ut Civium ſanguinem ſine horrore effunderent: nec bellis niſi adverſis externos imbuti erant*, & exerciti.

b *Non minùs reverentia atque obſervantia exhibitum ab adverſæ partis exercitu: quàm ſilentii factum à proprio. O milites, ait, ego excedens urbe, veſtra publica, meaque familiaria numina, &c.*

NOTÆ.

& explicando alteri ad marginem inſertum, volens deleverim. Sufficit enim participium *denunciantes* ad utrumque membrum explicandum; nempe *nihil medium*, ſed, *aut imperium & honorem; aut, ſi reſiſteret, mortem denunciantes.*

1. *Ubi in conſpectum ventum eſt, arma ſignaque.*] Non abeo à Gronovii lectione; *ubi in conſpectum ventum, & arma ſignaque &c.*

2. *Omnibus.*] Utrique exercitui tam Româ, quàm è Volſcis venienti.

3. *Hinc pax petenda eſt.*] Ex vobis, Civibus, ſcilicet Romanis.

4. *Si illos colles, &c.*] Repete ex ſuperioribus, *meminiſſe vultis.*

5. *Non injuriis.*] Quales à pleriſque cæterorum nobilium.

Urb. Cond. an. 411. Coss. C. Marc. IV. & Q. Servi. III.

dere ſpiritus potuerunt: 6 iis eram natus; id ſpecimen mei dederam, ea ætate conſulatum adeptus eram, ut potuerim, tres & viginti annos natus, conſul c Patribus quoque ferox eſſe, non ſolum plebi. Quod meum factum dictumve d conſulis gravius quam tribuni audiſtis? eodem tempore duo inſequentes conſulatus geſſi, eodem 7 hæc imperioſa dictatura geretur: ut neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior, quam in vos, horreo dicere, hoſtes. Ergo vos prius in me ſtrinxeritis ferrum, quam in vos ego. e iſtinc ſigna canent, iſtinc clamor prius incipiet atque impetus, ſi dimicandum eſt. Inducite in animum, quod non induxerunt patres avique veſtri: non illi, 8 qui in Sacrum montem ſeceſſerunt; non hi, qui poſtea Aventinum inſederunt. Exſpectate dum vobis ſingulis, ut olim Coriolano, matres, conjugeſque crinibus paſſis obviæ ab urbe veniant. Tum Volſcorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quievere: vos Romanus exercitus non deſiteritis impio bello? T. Quinti, f quocunque iſtic loco, ſeu volens ſeu invitus conſtitiſti, ſi dimicandum erit, tum tu in noviſſimos te recipito: fugeris etiam honeſtius, tergumque civi dederis, quam pugnaveris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atque honeſte inter primos ſtabis, & colloquii huius ſalutaris interpres fueris. Poſtulate æqua, g & ferte, quanquam vel iniquis ſtandum eſt potius, quam impias inter nos conſeramus manus. T. Quintius plenus lacrymarum, ad ſuos verſus, Me quoque, inquit, milites, ſi quis uſus mei eſt, meliorem pacis quam belli habetis ducem. Non enim illa modo Volſcus aut Samnis, ſed Romanus verba fecit: veſter conſul, veſter imperator, milites, cujus auſpicia pro vobis experti nolite adverſus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiſcum infeſtius, & alios duces ſenatus habuit; qui maxime vobis militibus parceret, cui plurimum vos imperatori veſtro crederitis, eum elegit. Pacem, etiam qui vincere poſſunt, volunt. quid nos velle oportet? quin, omiſſis ira & ſpe, fallacibus auctoribus, nos ipſos noſtraque omnia cognitæ permittimus fidei?

XLI Approbantibus clamore cunctis, T. Quintius ante ſigna progreſſus, in poteſtate dictatoris milites fore dixit: oravitque, ut cauſam miſerorum civium ſuſciperet: ſuſceptamque eadem fide, qua rempublicam

INTERPRETATIO.

c *In Conſulatu non ſolùm in plebejos, ſed adversùs ipſum etiam Senatum* ſuperbè me gerere, ac *vehementior videri*.

d *Quodnam factum meum in Conſulatu durius quàm in tribunatu* Legionis *auditum à vobis eſt?*

e Veſtra ex *parte* tubæ *cantu*, cornuve *ſignum* pugnæ *dabitur*.

f *Quocunque munere ibi ſeu ſponte, ſeu coactus* fungeris.

g *Juſta petite*, ac proponite. *Licet iniqua etiam conditiones accipiendæ ſint*,

NOTÆ.

6. *Iis eram natus*.] Genere, virtute, &c. An potiùs *is eram natus*: atque hoc ad genus; nam quæ ſequuntur, *id ſpecimen* &c. ad virtutem, honoreſque ſpectant.

7. *Hæc imperioſa Dictatura*.] Magiſtratus ſuoptè ingenio impotens.

8. *Qui in ſacrum Montem*.] De prima plebis ſeceſſione pro libertate in montem Cruſtumerinum, qui Sacer dictus, lib. 2. cap. 32. de ſecunda in Aventinum pro pudicitia, lib. 3. cap. 50.

Digitized by Google

adminiſtrare ſolitus eſſet, tueretur. Sibi ſe privatim nihil cavere: nolle alibi, quam in innocentia ſpem habere. Militibus cavendum, [a] *quod apud Patres ſemel plebi, iterum legionibus cautum ſit, ne fraudi ſeceſſio eſſet.* Quintio collaudato, cæteris bonum animum habere juſſis, dictator equo citato ad urbem revectus, auctoribus Patribus tulit ad populum [1] in luco Petelino, *ne cui militum fraudi ſeceſſio eſſet.* oravit etiam bonâ veniâ Quirites, *ne quis eam rem joco ſeriove cuiquam exprobraret.* [2] Lex quoque ſacrata militaris lata eſt, *ne cujus militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente,* [3] *deleretur,* additumque legi, *ne quis, ubi tribunus militum fuiſſet, poſtea* [b] *ordinum ductor eſſet.* Id propter P. Salonium poſtulatum eſt ab conjuratis: qui alternis prope annis, & tribunus militum, & [c] primus centurio erat, quem nunc primipili apellant. Huic infenſi milites erant, quod ſemper adverſatus novis conſiliis fuiſſet, nec particeps eorum eſſet, [4] qui ab Lautulis fugiſſent. Itaque quum hoc unum propter Salonium ab ſenatu non impetraretur; tum Salonius, obteſtatus Patres Conſcriptos *ne ſuam honorem pluris quam concordiam civitatis æſtimarent,* perpulit, ut [c] id quoque ferretur. Æque impotens poſtulatum fuit, *ut de ſtipendio equitum* ([d] merebant autem triplex ea tempeſtate) *æra demerentur,* quod adverſati conjurationi fuiſſent. Urb. Cond. an. 411. Coſſ. C. Marc. IV. & Q. Serv. III.

XLII. Præter hæc inuenio apud quosdam, L. Genucium tribunum plebis, tuliſſe ad populum, *ne fœnerare liceret.* item aliis plebiſcitis cautum, *ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet: neu duos magiſtratus uno anno gereret; utique liceret* [1] *conſules ambos plebejos creari,* quæ ſi omnia conceſſa ſunt plebi, apparet haud

INTERPRETATIO.

a *Proſpiciatur* nunc *ſecuritati* horum militum *legionariorum ut* illorum *nemo detrimentum patiatur ex ſeditione; quemadmodum bis olim* univerſæ *plebi proviſum eſt.*

b *Centurio.*

c *Ut ea etiam clauſula legi adderetur:*

d *Stipendium verò equitum triplum erat,* ejus quod peditibus dabatur.

NOTÆ.

1. *In luco Petelino.*] Extra ordinem in hoc *luco Petilino* habita nunc Comitia, ut in M. Manlii judicio lib. 6. cap. 20.

2. *Lex quoque ſacrata militaris.*] Haud abſimilis legibus latis in gratiam Tribunorum plebis, de quibus lib. 2. cap. 33.

3. *Deleretur.*] E numeris opinor ſive catalogo militum, ne militaret.

4. *Qui ab Lautulis fugiſſent.*] Certum eſt apud Lautulas adoleviſſe conjurationem: ſed per eos qui inde fugerant, non minùs intelligi poſſent ſeditioſi, qui ibi in præſidio collocati, ſtationem deſeruerant, & Romam armati petierant; quàm qui ne cum conjuratis ſentirent, eo ab loco, atque ab eorum conſortio receſſerant, de quibus ſolis patet hanc fugam accipi debere. Expeditior tamen res videtur futura ex allata ab Gronov. lectione: *Quòd ſemper adverſatus eorum conſiliis fuiſſet: & ne particeps eorum eſſet* (prout habent Mſſ. & ante Sigon. editi) *ab Lautulis fugiſſet.*

1. *Conſules ambos plebejos creari.*] Hactenus præclarè ſecum actum plebs credebat, ſi unum Conſulem è ſuo corpore haberet, ſed certo ac neceſſario jure, quod ægrè patricii ferebant. Nunc de eo actum, an etiam ambo Conſules, ſi ita videretur, è plebe creari liceret: quod vel nunc, vel poſteà admiſſum,

Urb. cond. an. 411. Coſſ. C. Marc. I v. & Q. Servil. III.

parvas vires defectionem habuiſſe. Aliis annalibus proditum eſt, neque dictatorem Valerium dictum, ſed per conſules omnem rem actam: neque antequam Romam veniretur, ſed Romæ, eam multitudinem conjuratorum 2 ad arma conſternatam eſſe: nec in T. Quintii villam, ſed in ædes C. Manlii nocte impetum factum; eumque à conjuratis comprehenſum, ut dux fieret: inde ad quartum lapidem profectos loco munito conſediſſe: nec ab ducibus mentionem concordiæ ortam; ſed repente, quum in aciem armati exercitus proceſſiſſent, ſalutationem factam, & permixtos dextras jungere, ac complecti inter ſe lacrymantes milites cœpiſſe; coactoſque conſules, quum viderent averſos a dimicatione militum animos, retuliſſe ad Patres de concordia reconcilianda. adeo nihil, præterquam ſeditionem fuiſſe, eamque compoſitam, inter antiquos rerum auctores conſtat. Et hujus fama ſeditionis, & ſuſceptum cum Samnitibus grave bellum, aliquot populos ab Romana ſocietate avertit; & præter Latinorum infidum jam diu fœdus, Privernates etiam 3 Norbam 4 atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incurſione ſubita depopulati ſunt.

NOTÆ.

2. *Ad arma conſternatam eſſe.*] Hic *conſternari*; eſt perturbari & concuti: licèt vulgatâ acceptione ſignificet *dejici* animo, & terreri. Nam & *conſternatio* apud Feſtum eſt concitatio quædam ſubita ex metu: aliquando tamen ſignificat *protervè loqui*; imò & *erigi* cum quadam nimirum perturbatione: ut Nonius Marcellus cap. 4. ex Pacuvio. Unde & noſter, ut Sigon. obſervat lib. 8. *Tumultu ſanos etiam conſternante animos*, id eſt, *concitante*.

3. *Norbam.*] De hac apud Volſcos Romanorum colonia dixi, libr. cap. 34.

4. *Atque Setiam.*] Fuit etiam hæc Romanorum Colonia in Volſcorum agro Pomtino apud Amaſenum fl. Privernum inter & Norbam. Nunc vulgò *Sezza* vocatur.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

TITI

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA LIBER OCTAVUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

LATINI cum Campanis defecerunt, & missis legatis ad senatum conditionem tulerunt, ut, si pacem habere vellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium, quod contra edictum adversum Latinos, quamvis prospere, pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie Romanis, P. Decius tunc consul cum Manlio, devovit se pro exercitu: & concitato equo quum in medios hostes se intulisset, interfectus, morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in urbem reverso, nemo ex juventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis, incesti damnata est. Ausonibus victis, in oppidum ex iis captum Cales 1] *colonia deducta est. Item Fregellæ colonia deductæ sunt. Veneficium complurium matronarum deprehensum: quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de veneficio tunc primum constituta. Privernatibus, quum rebellassent, victis civitas data est. Palæpolitani, bello & obsidione victi, in deditionem venerunt. Q. Publilio, qui eos obsederat, primo, & imperium prolatum, & pro consule decretus triumphus. Plebs nexu liberata est, propter Lucii Papirii creditoris libidinem, qui C. Publilio debitori suo stuprum inferre voluerat. Quum L. Papirius dictator reversus in urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius magister equitum, occasione rei bene gerendæ invitatus, contra edictum ejus prospere adversus Samnites pugnavit. Ob eam causam quum dictator de magistro equitum supplicium sumpturus videretur, Fabius Romam profugit: &, quum causâ parum proficeret, populi precibus donatus est. Res præterea contra Samnites prospere gestas continet.*

NOTÆ.

1. *Colonia deducta est.*] Hæc dele cum Gron. tanquàm ab interprete addita.

Urb. cond. an. 412. Coſſ. C. Plaut. II. & Æmil. Mamerc.

I. JAM conſules erant 1 C. Plautius ſecundùm, L. Æmilius Mamercinus, quum Setini Norbanique Romam, nuncii defectionis Privernatium cum querimoniis acceptæ cladis venerunt. Volſcorum item exercitum duce Antiati populo conſediſſe ad Satricum, allatum eſt. utrumque bellum Plautio ſorte evenit. 2 Prius ad Privernum profectus, extemplo acie conflixit. haud magno certamine devicti hoſtes: oppidum captum, redditumque Privernatibus, præſidio valido impoſito: agri partes duæ ademptæ. Inde victor exercitus Satricum contra Antiates ductus. ibi magna utrinque cæde atrox prælium fuit, & quum tempeſtas eos neutro inclinatâ ſpe dimicantes, diremiſſet, Romani nihil eo certamine tam ambiguo feſſi in poſterum diem prælium parant. Volſcis recenſentibus quos viros in acie amiſiſſent, haudquaquam idem animus ad iterandum periculum fuit. nocte pro victis Antium agmine trepido, ſauciis ac parte impedimentorum relicta, abjerunt. Armorum magna vis tum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inventa eſt. 3 *Ea Luæ matri dare ſe* conſul dixit; fineſque hoſtium uſque ad oram maritimam eſt depopulatus. Alteri conſuli *Æmilio* 4 *ingreſſo Sabellum agrum*, non caſtra Samnitium, non legiones uſquam oppoſitæ, ferro ignique vaſtantem agros legati Samnitium pacem orantes adeunt, à quo rejecti ad ſe-

NOTÆ.

1. *C. Plautius iterum.*] Tertiùm legit Glareanus, atque hunc *C. Plautium Venocem* eſſe putat. Sed duplicis erroris in eo arguitur à Sigonio. Primum, quòd C. Plautii Conſulatum anno 397. geſtum, *Venoci* tribuit, qui Proculi fuit: tum quòd Venocem hunc cognominat; cum Hypſæus dictus fuerit, ut ex nummis argenteis colligi poteſt, in quibus legitur *C. Hypſæus Cos. Priv. cepit*. At qui Privernum cepit, eſt hujus anni Conſul.

2. *Prius ad Privernum profectus.*] Delevit Sigonius præpoſitionem *ad*: Gron. ad *Privernas*, ſupple *bellum*.

3. *Ea Luæ matri.*] Quæ *Lucia Saturni* legitur vulgò apud Gellium, lib. 13. cap. 21. in veteribus ſcriptis *Lua* legitur, teſtibus antiquariis à Turnebo citatis Adverſar. lib. 19. cap. 11. qui eam Saturni vel uxorem vel potiùs filiam intelligit. *Lua* porro nomen ſeu cognomen à *luendo*, id eſt expiando, quòd luſtrationibus præeſſet, ac purgationibus, cujuſmodi poſt cædem hoſtium antiqui adhibebant. Quò ſpectat illud 2. Æneid.

Me bello è tanto digreſſum & cæde Pelaſga,
Attrectare nefas, donec me flumine puro
Abluero.

Et genus quoddam luſtrationis erat, ſi igni abolerentur arma ex hoſtibus capta, ſive Vulcano, ſive Marti, ſive Minervæ; aut etiam, ut nunc, *Luæ* matri ſacrarentur, quæ apud noſtrum lib. 45. *Luna* dicitur, errore Librariorum, ut quidem Turnebus cenſet. Ego ſi quidem veteres Gellii Codices *Luam Saturni* habent, uxorem intelligi arbitror, ut ibidem *Salaciam Neptuni*, *Horam Quirini* accipere oportet. Ea igitur Ops erit, ſive Rheam quis, aut Cybelen appellare maluerit: quibus nominibus Terram deſignari conſtat. Hæc autem communis omnium parens, poſt fuſum hoſtium ſanguinem meritò placanda videtur. Facit quod habetur infrà cap. 6. *Ex una acie imperatorem, ex altera exercitum Diis manibus, matrique Terræ deberi.*

4. *Ingreſſo Sabellum agrum, non caſtra Samnitium.*] *Sabelli* Ergo non minùs Samnites, quàm Sabini.

natum, poteſtate facta dicendi, poſitis ferocibus animis, pacem ſibi ab Romanis, bellique jus adverſus Sidicinos petierunt. *quæ ſe eo juſtius petere, quod in amicitiam populi Romani ſecundis ſuis rebus, non adverſis, ut Campani, veniſſent: & adverſus Sidicinos ſumerent arma, ſuos ſemper hoſtes, populi Romani numquam amicos. qui nec, ut Samnites, in pace amicitiam, nec, ut Campani, auxilium in bello petiſſent, nec in fide populi Romani nec ditione eſſent.* Urb. cond. an. 412. Coſſ. C. Plaut. 11. & L. Papir. Mas.

II. Quum de poſtulatis Samnitium Tib. Æmilius prætor ſenatum conſuluiſſet, reddendumque his fœdus Patres cenſuiſſent, prætor Samnitibus reſpondit: *Nec quo minus perpetua cum eis amicitia eſſet, per populum Romanum ſtetiſſe: nec contradici, quin quoniam ipſos belli culpa ſua contracti tædium ceperit, amicitia de integro reconcilietur. Quod ad Sidicinos attinet, nihil intercedi, quo minus Samniti populo pacis bellique liberum arbitrium ſit.* Fœdere icto quum domum revertiſſent, extemplo inde exercitus Romanus deductus, annuo ſtipendio, & trium menſium frumento accepto; quod pepigerat conſul ut tempus induciis daret, quoad legati rediſſent. Samnites, copiis iiſdem, quibus uſi adverſus Romanum bellum fuerant, contra Sidicinos profecti, haud in dubia ſpe erant mature urbis hoſtium potiundæ. Tum ab Sidicinis deditio prius ad Romanos cœpta fieri; deinde, poſtquam Patres, ut ſeram eam, ultimaque tandem neceſſitate expreſſam, aſpernabantur, ad Latinos jam ſua ſponte in arma motos facta eſt. ne Campani quidem (adeo injuriæ Samnitium, quam beneficii Romanorum memoria præſentior erat) his ſe armis abſtinuêre. Ex his tot populis, unus ingens exercitus, duce Latino, fines Samnitium ingreſſus, plus populationibus quam prœliis cladium fecit. & quanquam ſuperiores certaminibus Latini erant, haud inviti,[1] ne ſæpius dimicandum foret, agro hoſtium exceſsêre. Id ſpatium Samnitibus datum eſt Romam legatos mittendi, qui quum adiiſſent ſenatum, conqueſti eadem ſe fœderatos pati, quæ hoſtes eſſent paſſi, precibus infimis petiêre, *ut ſatis ducerent Romani victoriam, quam Samnitibus ex Campano Sidicinoque hoſte eripuiſſent: ne vinci etiam ſe ab ignaviſſimis populis ſinerent. Latinos Campanoſque ſi ſub ditione populi Romani eſſent, pro imperio arcerent Samniti agro; ſin imperium abnuerent, armis coercerent.* Adverſus hæc reſponſum anceps datum, quia fateri pigebat in poteſtate ſua Latinos jam non eſſe, timebantque ne arguendo abalienarent, *Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent. itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos. & in fœdere Latino nihil eſſe, quo bellare cum quibus ipſi velint, prohibeantur.*

III. Quod reſponſum, ſicut dubios Samnites, quidnam facturum Ro-

NOTÆ.

1. *Ne ſæpius dimicandum foret.* Tædium ex eo naſci potuit, ſi levioribus paucis certaminibus inferiores Samnites, ſe muris oppidorum clauſerant; & juſto prœlio ſummam rerum committere detrectabant.

Urb. Cond. an. 412. Coſſ. C. Plaut. II. & L. Æmil.

manum cenſerent, dimiſit; ita Campanos metu abalienavit: Latinos, velut nihil jam non concedentibus Romanis, ferociores fecit. Itaque per ſpeciem adverſus Samnites belli parandi, crebra concilia indicentes, omnibus conſultationibus inter ſe principes occulte Romanum coquebant bellum. huic quoque adverſus ſervatores ſuos bello Campanus aderat. Sed quanquam omnia de induſtria celabantur, priuſque quam moverentur Romani, tolli ab tergo Samnitem hoſtem volebant; tamen per quoſdam, privatis hoſpitiis neceſſitudinibuſque conjunctos, indicia conjurationis ejus Romam emanarunt. juſſiſque ante tempus conſulibus abdicare ſe magiſtratu, quo maturius novi conſules adverſus tantam molem belli crearentur; religio inceſſit [1] ab eis quorum imminutum imperium eſſet, comitia haberi. Itaque interregnum initum. duo interreges fuerunt, M. Valerius ac M. Fabius. Is creavit conſules, T. Manlium Torquatum tertium, P. Decium Murem. Eo anno [2] Alexandrum, Epiri regem, [3] in Italiam claſſem appuliſſe conſtat. quod bellum, [4] ſi prima ſatis proſpera fuiſſent, haud dubie ad Romanos perveniſſet. [5] Eadem ætas rerum Magni Alexandri eſt, quem, ſorore hujus ortum, [6] in alio tractu orbis invictum bellis juvenem fortuna

NOTÆ.

1. *Ab eis quorum imminutum imperium eſſet.*] A Conſulibus qui ante finem anni fui jam abdicare juſſi erant, Comitia creandorum magiſtratuum novorum haberi ominoſum Senatui ac populo viſum eſt.

2. *Alexandrum Epiri Regem.*] Hic Molloſſorum Rex XVIII. à Pyrrho Achillis filio fuit; Neoptolemo patre natus, qui cum minore fratre Arybba regnum Epiri dividere coactus fuerat. Olympiadem majorem natu ſororem habuit, Philippo Macedoni nuptam: ex quo matrimonio natam Cleopatram uxorem duxit Alexandri magni ſororem: atque ope Philippi partem regni ab Arybba ſeu Arymba patruo occupatam recepit, pulſo Æacida Arymbæ filio, uti ex Diodoro lib. 16. & Juſt. l. 8. c. ult. conſtat. Poſt interfectum Archidamum Lacedæmoniorum Regem pro Tarentinis adverſus Lucanos dimicantem, hic Alexander Epiri rex à Tarentinis vocatus adverſus eoſdem Lucanos, circa Philippi ſoceri mortem, in Italiam tranſiit.

3. *In Italiam claſſem appuliſſe.*] Probat Sigon. ex libris *claſſem*, pro *claſſe*. Non enim appellere navi, ſed navim Latinè dici. Sic lib. 10. *Claſſis Romana cum appulſa Pompejos eſſet.*

4. *Si prima ſatis proſpera fuiſſent.*] Prima quidem non improſpera huic Alexandro Epirotæ in Italia fuerant. Appulis enim, quos primùm aggreſſus fuerat, datâ pace, multas Lucanorum Brutiorumque urbes cepit; cum Metapontinis, Pediculis, & Romanis fœdus amicitiamque fecit.

5. *Eadem ætas rerum magni Alexandri.*] Biennio circiter poſt Epirotæ in Italiam adventum, regnare Macedo cœpit. Circa ſextum autem ſeptimumvè annum ex quo Macedo regnabat, qui Aſiæ magnam partem jam ſubjecerat, occubuit Alexander Epirota ejus avunculus.

6. *In alio tractu orbis.*] Speraverat Alexander rex Epiri, quaſi in diviſione orbis terrarum, Alexandro ſororis ſuæ filio Oriens, ſibi Occidens ſorte contigiſſet, non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque ſe habiturum, quàm ille in Aſia & in Perſas haberet. ex eodem Juſt. lib. 12. cap. 2. Sed verum tandem eſſe experimento didicit, quod ipſe dictitabat, ſe quidem ad Italos ire quaſi in ἀνδρῶνα in virorum ſedem: Macedonem iſſe ad Perſas, quaſi in γυναικωνίτιν ſeu Gynecæum: ut eſt apud Gell. lib. 17. cap. 21. quos ei ſenſus

morbo extinxit. Cæterum Romani, etsi defectio sociorum nominisque Latini haud dubia erat: tamen, tanquam de Samnitibus, non de se, curam agerent; decem principes Latinorum Romam evocaverunt, quibus imperarent quæ vellent. Prætores tum duos Latini habebant, L. Annium Setinum, & L. Numicium Circejensem; ambo ex coloniis Romanis: per quos præter Signiam Velitrasque, & ipsas colonias Romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant. eos nominatim evocari placuit. Haud cuiquam dubium erat super qua re accirentur. itaque concilio prius habito prætores, quam Romam proficiscerentur, evocatos se ab senatu docent Romano, & quæ actum iri secum credant, quidnam ad ea responderi placeat, referunt. Urb. cond. an. 413. Coss. T. Manl. III. & P. Dec.

IV. Quum alium alii censerent, tum Annius: *Quanquam ipse ego retuli quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quam quid loquendum sit. facile erit, explicatis consiliis, accommodare rebus verba. Nam si etiam nunc sub umbra fœderis æqui servitutem pati possumus; quid abest, quin proditis Sidicinis, [1] non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si fœdus est, [2] si societas æquatio juris est, si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pude-*

NOTÆ.

qui expeditionis initio ascribunt, hi procul dubio in tempore hallucinantur, ut ex antè dictis liquet.

1. *Non Romanorum solùm, sed Samnitium quoque dicto pareamus.*] Vult Gronov. licet invitis libris omnibus scriptis, *non Romanis solùm, sed Samnitibus* &c. Est enim, inquit, *alicui dicto parere* ut *alicui audientem*, vel *obedientem* esse. Quod etsi non inficior: barbarum tamen haud putem *dicto alicujus parere*. Cicero certè *obedire & parere voluntati architecti*, dixit 1. de Nat. Deor. Terent quoque in Hecyra. *Sed ego stultior meis dictis parere hanc qui postulem*. Quid est autem *meis* nisi *suo*. Virg. quoque. *Paret Amor dictis carae genitricis*. Itaque *dictum* hic pro *jussu* accipitur, seu verbis jubentis: Livius autem quibusdam loquendi formis uti amat, quæ alibi raro inveniuntur. Quæ omnia eò dicta velim, ut constantem hujus loci scripturam defendi aliquomodo posse appareat. Inter hæc tamen duo *dicto alicui parere*, & *dicto alicujus parere*, nonnihil discriminis dispicere mihi videor: ut prius sit *alicui ad dictum & quasi ad nutum obsemperare*: posterius simpliciter, *jussa exequi*.

2. *Si societas æquatio juris.*] Falsam hanc *societatis* definitionem Grono. recte arguit; nam nec privatæ societates æquo lucri damnive jure omnes sunt, ut disputant Jurisconsulti: nec Publica fœdera æquis semper legibus ineuntur, ut legati Antiochi dixerunt lib. 34. c. 57. Alia sanè conditio est eorum, qui se suaque dediderunt; alia hostium qui bello pares in pacem, redditis utrinque, vel ex utriusque pactis commodo compositis rebus, veniunt; alia eorum, qui cum hostes nunquam fuerint, societatem amicitiamque jungunt. Addi potest quartum genus eorum, qui inter se inæquales ita sociantur, ut utrique suis legibus vivant; sed inferior sub clientela majoris agat, ejus majestatem comiter conservet, subsidiaque ex pacto conferat. Ejusmodi ferè Latinorum cum Romanis fœdus fuisse intelligitur ex lib. 1. cap. 45. & 52. lib. 2. cap. 22. aliisque locis. Verùm L. Annius Setinus causæ serviens fœdus hoc Latinorum pro æquo jactat: atque ita non insubtilis videtur. Gronovio emendatio; ut sit, *si societas* (nostra scilicet) *æquati juris est*,

Urb. cond. an. 413. Coss. T. Manl. III. & P. Dec.

bat, nunc gloriari licet, si ſocialis illis exercitus is eſt, 3 quo adjuncto duplicent vires ſuas, quem ſecernere ab ſe Coss. *bellis propriis ponendis ſumendiſque nolint; cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis conſul datur? ubi pars virium, ibi & imperii pars eſt? Eſt quidem nobis hoc per ſe haud nimis amplum: quippe concedentibus Romam caput Latio eſſe. ſed ut amplum videri poſſet, diuturna patientia fecimus. Atqui ſi quando unquam conſociandi imperii, 4 uſurpandæ libertatis tempus optaſtis; en hoc tempus adeſt, & virtute veſtra, & Deûm benignitate vobis datum. Tentaſtis patientiam negando militem. quis dubitat exarſiſſe eos, quam 5 plus ducentorum annorum morem ſolveremus? pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellum noſtro nomine cum Pelignis geſſimus: qui ne noſtrorum quidem finium nobis per nos tuendorum jus antea dabant, nihil interceſſerunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab ſe ad nos deſciſſe, exercitus nos parare adverſus Samnites fœderatos ſuos audierunt, nec moverunt ſe ab urbe. Unde hæc illis tanta modeſtia, niſi à conſcientia virium & noſtrarum & ſuarum? Idoneos auctores habeo, quærentibus de nobis Samnitibus, ita reſponſum ab ſenatu Romano eſſe, ut facile appareret, ne ipſos quidem jam poſtulare, ut Latium ſub Romano imperio ſit. Uſurpate modo poſtulando eo, quod illi vobis taciti concedunt. Si quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipſe, audiente, non populo Romano modo ſenatuque, ſed Jove ipſo qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut ſi nos in fœdere ac ſocietate eſſe velint, conſulem alterum ab nobis ſenatuſque partem accipiant.* Hæc ferociter non ſuadenti ſolum, ſed pollicenti, clamore & aſſenſu omnes permiſerunt, ut ageret diceretque, quæ è republica nominis Latini fideque ſua viderentur.

V. Ubi eſt Romam ventum, in Capitolio ei ſenatus datus eſt. Ibi quum T. Manlius conſul egiſſet cum eis ex auctoritate Patrum ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent; Annius, tamquam victor armis Capitolium cepiſſet, non legatus, jure gentium tutus, loqueretur: *Tempus erat*, inquit. *T. Manli, voſque Patres Conſcripti, tandem jam vos nobiſcum nihil pro imperio agere, quam florentiſſimum Deûm benignitate, nunc Latium armis viriſque, Samnitibus bello victis, Sidicinis*

NOTÆ.

3. *Quo adjuncto duplicent vires ſuas.*] Revera pars dimidia Romanarum virium ſocii, ſive milites ex Italicis civitatibus, quæ liberæ manebant, ſuis legibus pleræque & magiſtratibus. Hi quippe, ut ex cap. 3. hujus libri patet, pari peditum, duplici equitum numero legionibus, quæ civium Romanorum, erant, juncti, gratis, civitatum ſcilicet ſuarum ſumptu, ſub præfectis per Conſules datis diſtincti militabant, niſi quod in caſtris frumentum accipiebant.

4. *Uſurpandæ libertatis.*] Juriſconſultis *uſurpare* eſt utendo jus retinere, & ſic alterius uſucapionem interrumpere. Eoque ſenſu auctor hoc loco, hoc verbo utitur: quemadmodùm Cic. 2. contra Rull. 17. *Paucas tribus, &c. ad uſurpandam libertatem vocare.* Et apud A. Gell. lib. 3. cap. 10. Mulier ne uſu fieret uxor, trinoctium *uſurpandi causâ* à viro abeſſe debebat ex lege 12. Tabul.

5. *Plus ducentorum annorum morem.*] Pauci huic numero anni deerunt, ſi initium repetatur à fœdere, quod Tarquinius Superbus circa regni primordia, cum Latinis percuſſit, de quo lib. 1. cap. 52.

Campaniſque ſociis, nunc etiam Volſcis adjunctis, videretis: colonias quo- Urb. cond.
que veſtras Latinum Romano prætuliſſe imperium. Sed quoniam vos re- an. 413.
gno impotenti finem ut imponatis, non inducitis in animum; nos, quan- Coſſ. T.
quam armis poſſumus aſſerere Latium in libertatem, conſanguinitati ta- Manl. III.
men hoc dabimus, ut conditiones pacis feramus æquas utriſque: quoniam & P. Dec.
vires quoque æquari Diis immortalibus placuit. Conſulem alterum Româ, al-
terum ex Latio creari oportet: ſenatus partem æquam ex utraque gente eſſe:
unum populum, unam rempublicam fieri: & ut imperii eadem ſedes ſit
idemque omnibus nomen, quoniam ab alterutra parte concedi neceſſe eſt,
quod utriſque bene vertat, ſit hæc ſane patria potior, & Romani omnes voce-
mur. Forte ita accidit, ut parem ferociæ hujus & Romani Conſulem T. Manlium haberent: qui adeo non tenuit iram, *ut ſi tanta dementia Patres Conſcriptos cepiſſet, ut ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in ſenatum venturum ſe eſſe* palam diceret; *& quemcumque in curia Latinum*
vidiſſet, ſua manu interempturum: & converſus ad ſimulachrum Jovis, *Audi Jupiter hæc ſcelera*, inquit, *Audite jus faſque! Peregrinos Conſules & peregrinum ſenatum in tuo, Jupiter, augurato templo, captus, atque ipſe oppreſſus, viſurus es? Hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis Patribus veſtris, Latini, hæc L. Tarquinius vobiſcum poſtea fecit? Non*
venit in mentem[1] pugna apud Regillum lacum? adeo & cladium veterum veſtrarum, & beneficiorum noſtrorum erga vos obliti eſtis?

VI. Quum conſulis vocem ſubſecuta patrum indignatio eſſet, proditur memoriæ, adverſus crebram imploracionem Deum, quos teſtes fœderum ſæpius invocabant Conſules, vocem Annii ſpernentis numina Jovis Romana auditam. certe quum commotus ira ſe ab veſtibulo templi citato gradu proriperet, lapſus per gradus, capite graviter offenſo, a impactus imo ita eſt ſaxo, ut ſopiretur. Exanimatum auctores quoniam non omnes ſunt, mihi quoque in incerto relictum ſit: ſicut inter

INTERPRETATIO.

a *Ea caput ipſi illiſum eſt ad infimum lapidem, ut ſenſum amiſerit. Anſtatim extinctus ſit, in dubio à me relinquetur;* *quoniam ita ſcriptores* aliqui tantùm, *non omnes tradiderunt.*

NOTÆ.

1. *Pugna apud Regillum.*] Commiſſa ad lacum ejus nominis an. 257. de quâ lib. 2. cap. 19. & 20. Porro quod hic quærit Gronov. annon *pugna*? Video apud Cic. in mentem venire non minùs jucundum cum nominandi, quàm quod ille exemplis probat, cum gignendi caſu, 2. de Nat. Deor. *Hæc mihi in mentem veniebant*. Tum ad Att. lib. 12. cap. 36. *Numquàm ea res mihi tam bellè in mentem venire potuiſſet*. Et 2. de Divin. 75. *Quid tibi in mentem venit*. Agnoſco tamen inter hæc diverſam nonnihil ſignificationem. Nam cum nominativo cogitatio dumtaxat indicatur: ut de Aruſp. reſp. 55. niſi exiſtimatis illi hanc *averſionem civitatis in mentem ſubitò nec cogitanti venire potuiſſe*. Cum genitivo autem indicatur præteritæ rei recordatio. Epiſt. lib. 7. ep. 3. *Mihi ſolet in mentem venire illius temporis*. Supple, *memoria*.

Urb. Cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. III. & P. Dec.

fœderum ruptorum teſtationem ingenti fragore cœli procellam effuſam: nam & vera eſſe, & apte ad repræſentandam iram Deûm fictâ poſſunt. Torquatus, miſſus ab ſenatu ad dimittendos legatos, quum jacentem Annium vidiſſet, exclamat, ita ut populo Patribuſque audita vox pariter ſit, *Bene habet. Dii, piam movete bellum. Eſt cœleſte numen! es magne Jupiter! haud fruſtra te patrem Deûm hominumque hac ſede ſacravimus. Quid ceſſatis, Quirites; voſque Patres Conſcripti, arma capere diis ducibus? Sic ſtratas legiones Latinorum dabo, quemadmodum legatum jacentem videtis.* Aſſenſu populi excepta vox conſulis, tantum ardoris animis fecit, ut legatos proficiſcentes cura magiſtratuum magis, qui juſſu conſulis proſequebantur, quam jus gentium ab ira impetuque hominum tegeret. [1] Conſenſit & ſenatus bellum: conſuleſque duobus ſcriptis exercitibus per Marſos Pelignoſque profecti, adjuncto Samnitium exercitu, [2] ad Capuam, quò jam Latini ſociique convenerant, caſtra locant. Ibi in quiete utrique conſuli eadem dicitur viſa ſpecies viri majoris, quam pro humano habitu, auguſtioriſque; dicentis: *Ex una acie imperatorem, ex altera exercitum diis manibus matrique Terræ deberi: utrius exercitus imperator legiones hoſtium, ſuperque eas ſe devoviſſet, ejus populi partiſque victoriam fore.* Hos ubi nocturnos viſus inter ſe conſules contulerunt, placuit [3] averruncandæ Deûm iræ victimas cædi: ſimul, ut, ſi extis eadem quæ ſomno viſa fuerant, portenderentur, alteruter conſulum fata impleret. Ubi reſponſa aruſpicum inſidenti jam animo tacitæ religioni congruerunt; tum adhibitis legatis tribuniſque, & imperiis Deûm propalam expoſitis, ne mors voluntaria conſulis exercitum in acie terreret; comparant inter ſe, ut ab utra parte cedere Romanus exercitus cœpiſſet, inde ſe conſul devoveret pro populo Romano, Quiritibuſque. Agitatum etiam in conſilio eſt, ut ſi quando unquam ſevero ullum imperio bellum adminiſtratum eſſet, tunc uti diſciplina militaris ad priſcos rèdigeretur mores. Curam acuebat, quod adverſus Latinos bellandum erat, lingua, moribus, armorum genere, inſtitutis ante omnia militaribus congruentes, milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis compares, collegæque iiſdem præſidiis, ſæpe iiſdem mani-

NOTÆ.

1. *Conſenſit & Senatus bellum.*] Ante Comitia opinor. His enim temporibus præcedere jam ſolebat auctoritas Senatus, quam juſſus populi ſequebatur. Cæterum *conſentire bellum* dicit, pro, bellum conſenſu ſuo approbare, ſive in bellum conſentire.

2. *Ad Capuam.*] Caſtris non procul à Veſuvii Montis radicibus poſitis, ut ſcribit Valer. Max. lib. 1. cap. 7. ubi & utriuſque Conſulis ſomnium narrat.

3. *Averruncandæ Deûm iræ.*] Veteres Ethnici Deos quoſdam, ut prodeſſent; colebant, veluti Jovem: quoſdam, ne obeſſent, placabant, ut Vejovem, aliaque numina læva. In his autem, quos placari oportet, uti mala à nobis, vel à frugibus natis amoveantur, *Averruncus* quoque habetur ex A. Gell. lib. 5. cap. 12. Unde *Averruncare*, eſt avertere malum.

pulis

pulis permixti fuerant ; per hæc ne quo errore milites caperentur, edicunt conſules, *ne quis extra ordinem in hoſtem pugnaret.*

VII. Forte inter cæteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes dimiſſi erant, T. Manlius Conſulis filius ſuper caſtra hoſtium cum ſuis turmalibus evaſit ; ita ut vix teli jactu ab ſtatione proxima abeſſet. ibi Tuſculani erant equites ; præerat Geminius Metius, vir tum genere inter ſuos, tum factis, clarus. Is ubi Romanos equites inſignemque inter eos præcedentem conſulis filium (nam omnes inter ſe, utique illuſtres viri, noti erant) cognovit, *Unane*, ait, *turma Romani cum Latinis ſociiſque bellum geſturi eſtis ? quid interea conſules, quid duo exercitus conſulares agent ? Aderunt in tempore*, Manlius inquit, *& cum illis aderit Jupiter ipſe fœderum à vobis violatorum teſtis, qui plus poteſt polletque. Si ad Regillum lacum, ad ſatietatem veſtram pugnavimus ; hic quoque efficiemus profecto*, [a] *ne nimis acies vobis & collata ſigna nobiſcum cordi ſint.* Ad ea Geminius paululum ab ſuis equo provectus : *Viſne igitur, dum dies iſta venit, qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipſe congredi mecum, ut noſtro duorum jam hinc eventu cernatur quantum eques Latinus Romano præſtet ?* Movet ferocem animum juvenis ſeu ira, ſeu detrectandi certaminis pudor, ſeu inexſuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii, conſulumque edicti, præceps ad id certamen agitur : quo vinceret an vinceretur, haud multum intereſſet. Equitibus cæteris velut ad ſpectaculum ſummotis, ſpatio quod vacui interjacebat campi adverſos concitant equos : & cum infeſtis cuſpidibus concurriſſent, Manlii cuſpis ſuper galeam hoſtis Metii trans cervicem equi elapſa eſt. circumactis deinde equis, cùm prior ad iterandum ictum Manlius conſurrexiſſet, ſpiculum inter aures equi fixit. ad cujus vulneris ſenſum cùm equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excuſſit equitem : quem cuſpide parmâque innixum attollentem ſe gravi caſu, Manlius ab jugulo, ita ut per coſtas ferrum emineret, terræ affixit, ſpoliiſque lectis ad ſuos revectus, cum ovante gaudio turma in caſtra, atque inde ad prætorium ad patrem tendit, [a] ignarus facti, futurique, laus an pœna merita eſſet. *Ut me omnes*,

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. III. & P. Dec.

INTERPRETATIO.

[a] *Et non ita placeat certamen adversùs nos iniisse.*

NOTÆ.

1. *Quo vinceret an vinceretur haud multùm intereſſet.*] Si enim eo certamine victus eſſet, cecidiſſet hoſtili manu : quod ſi vinceret, paterno conſulari imperio nihilominus pereundum ipſi erat.

2. *Ignarus facti futurique.*] Hanc veterem ex libris lectionem cum Gelenio antepono Sigonianæ, ubi *fati*, pro, *facti*. Quid enim diſtat *fatum* à futuro ? At factum futuro rectè opponitur. Vult enim Manlium filium ignoraſſe & factum ſuum quale habendum eſſet, & quid deinde eſſet futurum ; utpote quod ex patris judicio penderet : dubium quippe, an laudem fortiter proſpereque pugnando, an pœnam, pugnando contra edictum Conſulum moreretur.

Urb. cond. an. 413. Coss. T. Manl. III. & P. Dec.

inquit, *pater*, *tuo sanguine ortum verè ferrent*, *provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porro*. Quod ubi audivit consul, extemplo filium aversatus, concionem classico advocari jussit. quæ ubi frequens convenit: *Quandoquidem*, inquit, *tu T. Manli neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti, & quantum in te fuit, disciplinam militarem, quæ stetit ad hanc diem Romana res, solvisti: meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reip. mihi, aut mei meorumque oblivisscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quàm respub. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem cum ingenita charitas liberûm, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris* [b] *in te movet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam, pœna restituas. I lictor, deliga ad palum.* Exanimati omnes tam atroci imperio: nec aliter quàm in se quisque districtam cernentes securim, metu magis quàm modestia quievere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent, repentè postquam cervice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur: spoliisque contectum juvenis corpus quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur: 3 Manlianaque imperia non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.

VIII. Fecit tamen atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem: & præterquàm quòd custodiæ vigiliæque & ordo stationum intentioris ubique curæ erant, in ultimo etiam certamine, cùm descensum in aciem est, ea severitas profuit. fuit enim civili maximè bello pugna similis. adeò nihil apud Latinos dissonum ab Romana republ. præter animos, erat. 1 7 Clypeis antea Romani usi sunt: deinde 2 postquam stipendiarii facti

INTERPRETATIO.

b *Commovet in tui gratiam.*

NOTÆ.

3. *Manlianaque imperia.*] Proverbio celebrata sunt Manliana imperia, produris atque atrocibus, ut & *Postumiana*, à Postumio, de quo lib. 4. cap. 29. Valer. Max. lib. 2. cap. 7. *Urbem* Romam ait, *imperatorum sanguine manantes secures, (ne turbato militia ordine vindicta deesset) à castris, publicè speciosas, privatim lugubres, duplici vultu recepisse: incertam gratulandi prius, an obloquendi*: (sic enim legendum, non *alloquendi*) *officio fungeretur*. Hor. non inelegantèr in hanc rem, *quasi plus in imperio esset, quàm in victoria*.

1. *Clypeis antea Romani usi.*] Non solis, sed partim clypeis, partim scutis, ut patebit ex lib. 1. cap. 43. ubi de censu: posteà non nisi scutis.

2. *Postquàm stipendiarii facti sunt.*] Initio Romani suo quisque ære sumptuque privato militabant: donec anno 347. à Senatu decretum est, ut stipendium miles de publico acciperet: qua de re suprà lib. 4. cap. 59. & 60. & lib. 5. cap. 2.

ſunt, ſcuta pro clypeis fecere; & 3 quod antea phalanges ſimiles Macedonicis, 4 hoc poſtea manipulatim ſtructa acies cœpit eſſe. 5 Poſtremo in plures ordines inſtruebantur. 6 Ordo ſexagenos milites & duos, centurionem & vexillarium unum habebat. 7 Prima acies haſtati erant, 8 manipuli

Ol. ann. an. 413. Coſſ. T. Manl. III & P. Dec.

NOTÆ.

3. *Quod antea Phalanges.*] Ordinandæ aciei rationem Pan primus invenit, ſi Polyæno fides lib. 1. Stratagem. Ille enim cum Bacchii dux in militia eſſet, reperit ordinem, ac nominavit *Phalangem*; cornu inſtituit dextrum & lævum; ex quo etiam Pana cornutum finxere. Phalanx autem Macedonica, Philippi inſtitutum, peditum gravis armaturæ agmen ſtabile fuit, ac diu invictum. Ea ſexdecim millibus militum conſtabat, in quadrum ità diſpoſitis, ut conferti piſcorum cuneum imitarentur, quem deſcripſit Homerus, Iliad. v.

Ἀσπὶς ἀσπίδ' ἐρύκοι, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Cum nempe ſcutum ſcuto firmiter adhæret, galea galea, viro vir. Hæc certaminis forma συναγωνία dicebatur: quâ Galli quoque & Germani uſi leguntur apud Cæſ. lib. 1. bell. Gall. Huic autem militiæ pugnæque generi reſpondebant apud Romanos Legiones. Quod ait antea *Phalanges*, Romanis *fuiſſe* ſimiles Macedonicis: id ita Lipſius accipit, ut voluerit auctor eos per totas legiones concurriſſe, nondum diviſis in acie manipulis.

4. *Hoc poſteà manipulatim ſtructa acies.*] Uſus *Manipulorum* ipſa urbe antiquior, atque hoc primum belli tyrocinium Romulo fuit, cum eripiendo fratri Remo paſtorum manum collegit, centenûm ſcilicet hominum; quibus manipulus fœni perticæ impoſitus ſignum erat, uti obſervatum in collectaneis de Orig. gent. Rom. Etſi verò Manipuli ab initio in uſu: attamen in acie non ſatis diſtincti intervallis ſtabant pugnabantque; quod poſteriorum temporum inventum. In ipſa quoque Macedonum Phalange diſcrimina ſua erant, uſque ad centurias ac decurias: ſed in acie omnia apta inter ſe atque connexa. At verò Athenæus lib. 6. auctor eſt Romanos morem φαλαγγῖον, pugnandi à Tyrrhenis accepiſſe.

5. *Poſtremò in plures ordines inſtruebantur.*] Primò itaque in Phalanges, deinde in Manipulos, tandem in Ordines diviſa acies. Unde apparet aliud eſſe Ordinem: aliud Manipulum: quanquàm ordo nonnunquàm pro manipulo ſumatur.

6. *Ordo ſexagenos milites.*] Legit Lipſius, *Ordo ſexagenos milites & duos, Centurionem & vexillarium unum habebat.* Quod enim duos Centuriones antea ſcriptum erat, ſtare nullatenus poteſt, ſic quippe Centurioni cuique triginta tantùm milites paruiſſent. Quamvis autem Polybii tempore Ordo nonniſi ſexaginta militibus conſtaret; vetuſtiori tamen uſu, quem hìc deſcribit Livius, ſexagenos duos milites habuerat. Idque inde evincitur, quod poſtea noſter in tribus vexillis, ſive, quod idem eſt, in tribus Ordinibus ponit *centum ſexaginta ſex milites*. Illi igitur *ſex* ſupra rotundum numerum, à duobus iſtis qui redundant. Ita Lipſius philoſophatur lib. de Milit. Rom. cap. 3.

7. *Prima acies Haſtati erant.*] Ita dicti, quod olim haſtis jaculatoriis pugnarent. Poſtea Pilis & gladiis dimicare juſſi, manente nomine. Hi mille ducenti erant in legione quatuor millium ex Polyb. Si plures milites in legione, tunc augebatur pro ratâ numerus Haſtatorum, qui è junioribus delecti.

8. *Manipuli quindecim.*] Lipſius eod. l. 2. de Milit. Rom. (quem Gron. ſequitur), hìc inque ſequentibus numeris & verbis, vix ſani quidquam putat eſſe. Igitur pro *Manipuli quindecim* reponit, *manipulique decem*. Quod in ſingulis corporibus nonniſi decem manipuli eſſet. Ovidius de Romulo:

——*Haſtatos inſtituitque decem.*
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat.

Corpora. ——

Ideoque poſteà ubi de Haſtatis & Principibus ſimul junctis, legendum. *Hoc triginti manipulorum agmen*, non *triginta*.

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. III. & P. Dec.

quindecim, diſtantes inter ſe modicum ſpatium: 9 manipulus leves vicenos milites, 10 aliam turbam ſcutatorum habebat. leves autem qui 11 Haſtam tantùm 12 Gæſaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubeſcentium ad militiam habebat. Robuſtior inde ætas, totidem manipulorum, quibus *principibus* eſt nomen; hos ſequebantur, 13 ſcutati omnes, inſignibus maxime armis. 14 hoc triginta manipulorum agmen 15 antepilanos appellabant, quia 16 ſub ſignis jam 17 alii quindecim ordines locabantur: 18 ex quibus ordo unuſquiſque tres partes habebat. 19 earum unamquamque primum Pilum

NOTÆ.

Conſentiunt enim veteres in legione, connumeratis etiam Triariis, fuiſſe tantùm manipulos triginta.

9. *Manipulus leves vicenos.*] Leviter armatos pedites indicat ſeu velites, qui ſingulis manipulis inſerti.

10. *Aliam turbam ſcutatorum.*] Manipulus ex ſententia Lipſii 124. militibus conſtabat. Fuére igitur in manipulo leviùs armati pedites 20, haſtati 102. qui olim clypeis atque haſtis, poſt ſcutis piliſque armati, præter enſem ac ſcutum.

11. *Haſtam tantùm.*] Hinc apparet eos qui *Haſtati* inſpectâ origine vocabantur, Haſtis levioribus non uſos poſteriori ævo; quandoquidem diſtinguuntur ab his qui haſtas gererent.

12. *Gæſaque.*] *Gæſa* Gallicum eſt vocabulum, ut Sariſſa Macedonicum, Framea Germanicum. Horum juniorum armaturam Polyb. tradit tegendo quidem corpori Parmam rotundam tripedalem, Galeam lupinam; in hoſtes verò gladium brevem & Haſtas longitudine duorum ferè cubitorum, craſſitie unius digiti, præfixo ferro unius Spithamæ, adeo extenuato, & in aciem producto, ut neceſſariò à primo ictu inflecteretur, ne poſſent hoſtes retorquere. Hæc tela Polyb. γίσσα, noſter *Gæſorum* nomine intelligit; alibi Haſtas Velitares appellat, quales unuſquiſque ſeptem geſtabat.

13. *Scutati omnes.*] Et graviter armati: ſic Principibus nulli erant admixti adjective levis armaturæ milites, quaſi ad horum juvandum impetum leves ex priori agmine ſufficerent.

14. *Hoc triginta, &c.*] Totum hunc contextum ſic emendat Lipſius. *Hoc viginti Manipulorum agmen Antepilanos appellabant, quia ſub ſignis jam alii decem locabantur, ex quibus unuſquiſque tres partes habebat. Earum unamquamque primam, Pilum vocabant.*

15. *Antepilanos appellabant,*] Haſtati & Principes *Antepilani* dicti ſunt, quod initio haſtis inſtructi, Triarios, qui piliis utebantur, præcederent. Varro 4. de Lin. Lat. hos ordines ſive claſſes ſic diſtinguit. *Haſtati dicti, qui primi Haſtis pugnabant: Pilani, qui pilis: Principes, qui à principio gladiis, & poſt commutata re militari minus illuſtres ſumuntur* (ubi error eſt manifeſtus, legendum fortè, *non minus Pilis utuntur*). *Pilani Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine, extremis ſubſidio deponebantur.*

16. *Sub ſignis.*] Hi Triarii ſeu Pilani, omni ævo ſubſignani. Non quòd non ſuperiores quoque ſub ſignis: ſed ad diſcrimen levis armaturæ, quam ſub nullis ſignis, ſparſim, in fronte, ad latera, aut per intervalla pugnaſſe conſtat.

17. *Alii quindecim ordines.*] Scribit Lipſius, *alii decem ordine locabantur*: decem nempe *manipuli*: ut tot eſſent Triariorum, quot Principum, quot Haſtatorum manipuli.

18. *Ex quibus ordo unuſquiſque tres partes habebat.*] Tollit idem Lipſius vocem, *ordo*, quaſi ex repetitione pravè inſertam: legiturque, *ex quibus unuſquiſque*, nempe *manipulus*.

19. *Earum unamquamque primum Pilum vocabant.*] Corrige ex Lipſii ſententia: *Earum unamquamque primam Pilum vocabant.* Cum enim, inquit, manipuli cujuſque in hoc tertio corpore, non duæ, ut in prioribus, ſed tres partes eſſent, prima quæque earum Pilus dicebatur.

vocabant, 20 Tribus ex vexillis conſtabat. 21 vexillum centum octoginta ſex homines erant. Primum vexillum Triarios ducebat; veteranum militem ſpectatæ virtutis: 22 ſecundum Rorarios; minus roboris ætate factiſque. 23 tertium Accenſos; minimæ fiduciæ manum. eò & in poſtremam aciem rejiciebantur. Ubi his ordinibus exercitus inſtructus eſſet; haſtati omnium primi pugnam inibant. ſi haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes 24 in intervalla ordinum principes recipiebant. tum principum pugna erat; haſtati ſequebantur. triarii ſub vexillis conſidebant, ſiniſtro crure por- Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. III & P. Dec.

NOTÆ.

20. *Tribus ex vexillis conſtabat.*] Tres enim erant cujuſq; manipuli partes, ſive ordines: cuique autem ordini ſuum vexillum. Totum hunc locum Turn. 11. adverſ. 37. ita reſtituendum ſuſpicatur, *ſub ſignis jam alii novem ordines locabantur: ex quibus ordo unus qui tres partes habebat. Earum una, quam primum Pilum vocabant, tribus ex vexillis conſtabat.*

21. *Vexillum centum octoginta ſex homines erant.*] At ſi decem manipuli in extrema acie, & cujuſque manipuli tres partes totidemque vexilla, quorum in unoquoque homines 186. erunt in hac ſola acie 5580. milites: quot vix unquam in tota legione, vetuſtis præſertim temporibus. Neceſſariò igitur rejectâ voce *vexillum*, legendum cum Lipſio. *Tribus ex vexillis conſtabat: centum octoginta ſex homines erant.* Nam quiſque ordo, ut ante dictum, ſexaginta duos homines complectebatur. Concludit itaque Lipſius manipulos in legione fuiſſe omnino triginta: quorum priores viginti faciunt homines 2480. poſteriores verò decem manipuli continent milites 1860. Quibus numeris junctis Legio fiet peditum 4340. Idque congruere vult cum Polybii rationibus: niſi quòd apud hunc levis armatura ſeorſim & extra ordines; hìc in ordinibus & conjuncta Pilanis ſeu Triariis. In numero tamen nihil diſcriminis. Sunt enim hìc Rorarii 620. totidem Accenſi, ergo ſimul 1240. quot in Polybio velites. Quadraginta tantùm redundant ex duobus qui ſingulis ordinibus additi ſupra ſexagenos.

22. *Secundum Rorarios.*] Levis armaturæ ſeu velitum (latè ſumpto nomine non unum genus: alii Rorarii, alii Accenſi, alii verò Velites ſic propriè dicti. Priora duo genera in veteri militia: poſtremum in nova: inſtituti quippe anno u. 542. bello Punico 2. poſt obſidionem Capuæ, ut noſter lib. 26. docet. Et Rorarii quidem ſic dicti quòd primi prælium committebant, & ut ros ferè ante imbrem, ita illi ante gravem armaturam prodibant. Videntur iidem poſteà *Ferentarii* appellati, cum ex auxiliaribus delecti ſunt. Dictos enim à *ferendo* auxilio vult poſt Varronem Feſtus: à quibus hæc quoque nominis ratio adducitur, quòd fundis & lapidibus pugnarent, quæ tela *feruntur*, non tenentur. Sed Varro equites Ferentarios memorat.

23. *Tertio Accenſos.*] Variè ſumitur *Accenſorum* nomen. Quidam magiſtratibus miniſtrabant, atque ad eos acciebant, ſi qui privatim vocandi; quemadmodum Præcones publica eorum juſſa pronunciabant. Sed in militaribus quoque muniis *Accenſorum* duplex genus fuit. Sic enim primò vocabantur, qui adjutores dabantur Centurionibus à Tribuno militum: qui poſteà Optiones appellati, ex quo Centurionibus permiſſum, quem vellent ſibi adjutorem ſeu ſuccenturionem optare. Præterea Accenſi, de quibus nunc agimus, ii erant, quos Feſtus dicit ad cenſum Legionum adſcriptos: ſupplendis nempe legionibus, ut in locum demortuorum militum ſuccederent; interim jaculis aut ſagittis pugnaturi: quæ arma ferè velitum fuere. Sed hi equitibus immixti: Accenſi defeſſis aliis procedebant, quod docet cap. 10. noſter.

24. *In intervalla Ordinum.*] Viæ fuerunt patentes inter Manipulos Anteſignanorum, ſive ſpatia ad effugium comparata; ne pulſis ac recedentibus primis,

Digitized by Google

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. III. & P. Dec.

recto, ſcuta innixa humeris, 25 haſtas 26 ſubrecta cuſpide in terrâ fixas, haud ſecus quam vallo ſepta inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud ſatis proſpere eſſet pugnatum, à prima acie ad triarios ſenſim referebantur. inde rem ad Triarios rediſſe, quum laboratur, proverbio increbuit. Triarii conſurgentes, ubi in intervalla ordinum ſuorum principes & haſtatos recepiſſent, extemplo compreſſis ordinibus velut claudebant vias: unoque continente agmine, jam nulla ſpe poſt relicta, in hoſtem incidebant: id erat formidoloſiſſimum hoſti, quum velut victos inſecuti, novam repente aciem exſurgentem, auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor fere legiones 27. ſ quinis millibus peditum, equitibus in ſingu-

NOTÆ.

ſequentes turbarentur impellerenturque.

25. *Haſtas.*] Imò verò Pila, quæ propria Legionariorum miſſilia. Sed generali haſtarum nomine Pila quoque continentur.

26. *Subrectâ cuſpide.*] Vide cap. 10. *Cuſpis ſurrecta* idem eſt quòd erecta, à verbo ſurrigere, quod activum eſt, quemadmodùm arrigere. Virg.

——*tot ſurrigit aures.*

27. *Quinis ferè millibus Peditum.*] Hactenus quatuor militum Legionem, pro Lipſii arbitrio inſtructam, factâ inter Polybium, & Livium ab eo variè diſcerptum comparatione inſpeximus. Sed auctor ipſe hoc loco Quinque millium Legiones à ſe deſcriptas profitetur; nec ſpectato more Militiæ qui à Scipione ſervatus Punico bello 2. juxta Polybium, ſed eo qui circa hujus cum Latinis belli tempora obtinebat ante annos fermè 130. Quo diſcrimine obſervato, neſcio quid mihi in mentem venit, quod huic ioco, ſervatis, maxima ex parte Livii verbis explicando, non pro certo proferam; verùm eruditis hominibus offeram examinandum. Itaque etſi, & ante, & poſt hoc bellum, Legiones Quatuor circiter militum ut plurimum ſcriberentur: quia tamen ad Quinque millium Legionem reſpexit hìc noſter; quidni, ampliato militum numero, Manipulos etiam, Ordines, Duceſque multiplicatos credamus? Nam ſi quis velit non Ordinum, Ducumque numerum auctum, ſed plures unicuique Ordini, ſub unoquoque Ductore milites aſſignatos: is facilè vel ex Tacito refelletur; apud quem, in quinque aut ampliùs militum Legione(quales haud dubiè Cæſaris, & ſequenti ætate) priſtinum in unoquoque ordine retentum numerum liquet, ſexagenorum nempe. Lib. quippe Annal. 1. de ſeditione Legionum inferioris ad Rhenum exercitûs agens: *repentè lymphati*, inquit, *diſtrictis gladiis in Centuriones invadunt*. Tum, *proſtratos, verberibus mulcant, ſexageni ſingulos, ut numerum Centurionum adæquarent*. Unde eſt quod Lipſius coarguatur; qui cum vulgo legatur apud noſtrum, *Ordo ſexagenos milites, duos Centuriones, vexillarium unum habebat*: rectè quidem emendat, *& duos Centurionem & vexillarium*: at in eo, ni fallor, hallucinatur, quòd illud *& duos* ad *milites* refert; cum meâ ſententiâ referendum ſit *ad Centurionem & vexillarium*, deleto τῷ *unum*, quod videtur ex ultimis literis anterioris vocis *vexillarium* irrepſiſſe: Qua ratione duo hi quorum alter ductor, alter quaſi ductor, extra numerum habebuntur. His ita Conſtitutis, ſi unicuique Ordini Milites 60. attribuantur, duo in Manipulo quolibet Ordines efficient numerum 120. Militum. Sic Haſtatorum Manipuli quindecim, (quot numerantur à Livio) peditum 1800. numerum dabunt. In quibus ſi per ſingulos manipulos viceni leviter armati computentur (prout pronuntiat ab auctore) fient Leves 300. ſuppererunt Haſtati gravis armaturæ 1500. principum deinde, qui omnes ſcutati, & gravis armaturæ, nullo admixto ve-

las legiones trecenis. alterum tantum [28] ex Latino delectu adjiciebatur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem: nec vexilla cum vexillis tantum, universi hastati cum hastatis, principes cum principibus; sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse scie- Urb. cond. an. 413. Coss. T. Manl. III. & P. Dec.

NOTÆ.

lite, quindecim Manipuli reddent milites 1800. ita ut Antepilani triginta Manipulis suis impleant numerum 3600. peditum. Jam Subsignatorum, (qui generali nomine Pilani & Triarii) quindecim Ordines numero cum Livio. Verùm ex ejus narratione, tanquam intrusum, ac perperam iteratum nomen *Vexillum* expungo post Lipsium, propter evidentissimas rationes ex hoc ante adductas. Et in singulis hujus tertiæ Classis Ordinibus tres quidem partes admitto: sed cum Turnebo de primo tantùm puto intelligendum quod subjicitur, *tribus ex vexillis constabat*; 186. *homines erant*: ubi auctor, custoditè *homines* dixit, non milites, aut pedites; ut indicaret hoc numero includi Centuriones, signiferosque; Milites autem 180. dumtaxat fuisse. Pro eo ergo quod vulgò scribitur, insulsè planè, meritoque rejicitur à Lipsio, ut vidimus, *Eorum* (*partium* supplet idem Lips.) *unamquamque Primum Pilum vocabant*: rescribo levi mutatione, *Eorum* (nempe *Ordinum*) *unus, quem Primum Pilum vocabant*; *tribus ex vexillis constabat*. Revera enim Primus Centurio Triariorum Primipilus propriè, sive Primi Pili Centurio appellabatur. Itaque in Primo ordine Tertii hujus Corporis cui à Triariis nomen, fuerunt, opinor ex Livii mente Triarii propriè dicti 60. sub suo vexillo, Rorarii totidem, atque Accensi, sub vexillis quique suis. Verùm hic Ordo cæteris ejusdem tertii agminis ordinibus numerosior erat, quòd in re trepida primus ad certandum consurgere deberet. Et in hoc toto agmine unum cuique Velitum generi vexillum sufficisse, colligi ex Polybio potest, qui proprios ipsis duces nullos assignat, quia sparsim procurrendo dimicabant, & gravis armaturæ Centurionibus, inter præliandum parebant, prout cuique manipulo aut ordini applicabantur. Cæteros autem hujusce tertii corporis ordines, quamvis in tres partes, sive genera, distributi essent; non tamen receptum manipulorum numerum excessisse suadet quod sæpius in hac re laudatus, laudandusque Polybius, affirmat Triariorum, qui præcipui in hoc agmine, minorem semper quam Hastatorum, aut Principum numerum fuisse; ut ne aucto quidem Legionariorum reliquorum numero, ultra solitum sexcentorum numerum crescerent: à quo adjunctos Triariis sive Rorarios, sive Accensos non abhorruisse, nemini non credibile, ut spero, videbitur. Sic in unaquaque tertia horum quatuordecim tertiæ Classis Ordinum parte erunt pedites 40. atque in his omnibus Triarii 560. parique numero tum Rorarii, tum Accensi: in totum pedites diversi generis 1680. qui si cum 186. Militibus primi Ordinis conjungantur, efficient milites 1860. Hi verò adjecti ad 3600. Antepilanos, dabunt servatâ Polybiana proportione, Peditum 5460. Legionem. Quæ tamen Quinque Millium non male dicitur à nostro; si quidem, quam Lipsius Quatuor Millium appellat, ex ipsiusmet accurata computatione, minor 4340. non fuit. Quòd si admixti Hastatis Velites 300. dicantur ex Rorariis Accensisque, Corpori Triariorum insertis, detracti sub initium prælii, uti non improbabiliter dici possunt: jam Legio hæc Quinque millenaria dicta, major non erit 5160. Peditibus. Ex quibus adhuc nihil vetat deduci vicenos, ut indicatus à Polybio, tanquam perpetuus Triariorum 600. numerus adunguem servetur.

28. *Ex latino delectu.*] Sociorum qui & ipsi suas in Legiones distributi, par numerus erat peditum, equitum duplò, aliquando etiam triplò major.

Urb. cond. an. 413. Coss. T. Manl. III. & P. Dec.

bat. 29 Duo Primipili ex utraque acie inter triarios erant: Romanus, corpore haud quaquam satis validus, cæterum strenuus vir perituſque militiæ: Latinus, viribus ingens, bellatorque primus: notissimi inter se, quia semper pares ordines duxerant, Romano haud satis fidenti viribus, jam Romæ permissum erat ab consulibus, ut subcenturionem sibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab uno destinato hoste. isque juvenis, in acie oblatus, ex centurione Latino victoriam tulit. Pugnatum est haud procul radicibus 30 Vesuvii montis, quà via 31 ad Veserim ferebat.

IX. Romani consules prius quam educerent in aciem, immolaverunt. Decio 1 caput jecinoris à familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam Diis hostiam esse; Manlium egregie litasse. *Atqui bene habet*, inquit Decius, 2 *si ab collega litatum est*. Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Decius lævo cornu præerat. primo utrinque æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab lævo cornu hastati Romani, non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. In hac trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat: *Deorum*, inquit, *ope, Valeri, opus est. agedum pontifex publicus populi Romani prai verba, quibus me pro legionibus devoveam*. Pontifex cum togam prætextam sumere jussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super telum subjectum pedibus, stantem sic dicere: 3 *Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares,*

NOTÆ.

29. *Duo Primipili.*] Unus in uno quoque exercitu, duo in adversis duobus.

30. *Vesuvii Montis.*] Mons *Vesuvius*, qui prius *Vesevus*, & Græcis posterioribus Βέσβις, circa quē ager Phlegræus ex Diod. l. 4. in Campania est, quæ nunc Terra Laboris, ad ortum Neapolitanæ civitatis: agris vineisque olim cultus excepto vertice; hodie sterilis ob crebra incendia, quæ flammas cineresque Ætnæ instar eructando, identidem spargit. Itali vulgò vocant *Monte di Somma*, à proximo ejus nominis oppido: nostri veterem appellationem retinent, *Le Vesuve*.

31. *Ad Veserim.*] Castellum fuit aut oppidum sub Vesuvii montis radicibus, quo via publica ducebat ab urbe Capua. Auctor de Viris Illustribus fluvium facit, sed solus. Ex nostro hic, & lib. 10. itemque ex Cic. ac Valerio Max. perspicuum est loci nomen fuisse. Nec Capuam inter, & Vesuvium amnis alius præter *Clanium*, ac Sebethum veteribus cognitos. Cluverius locat non procul eo loco, ubi hodie *Somma*: Memoratur quidem veteribus amnis *Veresis*, sed in Latio.

1. *Caput jecinoris à familiari parte.*] Verba sunt aruspicinæ, quæ jecur victimæ in duas partes dividebat, familiarem & hostilem: ut ex illa eventus suos, ex hac hostiis fata colligerent. Caput autem, initium fibrarum in jecore fuisse conjicit Turnebus l. 11 c. 27. Adv. Huc spectat illud Lucani l. 1.

Ecce videt capiti fibrarum increscere molem:
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet;
Pars micat. ——

2. *Si ab Collega litatum est.*] Quid sibi voluit Sigonius, cum *prosperè* inseruit, contra fidem meliorum Codicum, quasi non ipsum per se *litandi* verbum prosperum sacrificium significaret: quod Græcis est κατὰ λιτάς, ut Gron. notat.

3. *Jane, Jupiter.*] In formulam sese pro patria devovendi.

Divi

4 *Divi Novenſiles, Dii indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque, Diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto* 5 *feroque, uti populo Romano Quiritium vim victoriamque proſperetis: hoſteſque populi Romani Quiritium, terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita* 6 *pro republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium, mecum, Diis Manibus Tellurique devoveo.* Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet: matureque collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctus 7 cinctu Gabino, armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit. Conſpectus ab utraque acie aliquanto 8 auguſtior humano viſu, ſicut cœlo miſſus piaculum omnis Deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret. Ita omnis terror, pavorque cum illo latus, ſigna primo Latinorum turbavit: deinde in totam penitus aciem pervaſit. Evidentiſſimum id fuit, quod quacunque equo invectus eſt, ibi haud ſecus quam peſtifero ſidere icti pavebant: ubi vero corruit obrutus telis, inde jam haud dubie conſternatæ cohortes Latinorum, 9 fugam ac vaſtitatem late fecerunt. Simul Romani exſolutis religione animis, velut tum primum ſigno dato coorti, pugnam integram ediderunt. nam & Rorarii procurrebant inter Antepilanos, addiderantque vires Haſtatis ac Principibus: & Triarii genu dextero innixi, nutum conſulis ad conſurgendum exſpectabant.

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

NOTÆ.

4. *Divi Novenſiles.*] Romam à Sabinis deducti hi *Novenſiles*, iiſque à Tatio rege dicatæ ædes creduntur. Alii *Novenſides* vocant, ſive quòd Novem, ſive quòd Novè inter Deos reliquos, iis poſtremum additi, ſederent. Piſo apud Arnob. *Novem Deos eſſe credit in Sabinis apud Trebiam conſtitutos.* Granius *Muſas putat*, ibidem. Varro *Novenſilium* hæc nomina videtur edere, *Laram, Veſtam, Salutem, Fortem, Fortunam, Fidem*; eodemque etiam referre, *Feroniam, Minervam*, itemque *Concordiam*. Cornificius ex eo nominis rationem petit, quod *novitatum* ſint præſides.

5. *Feroque.*] Sumitur *ferendi* verbum pro eo quod eſt, requirere ac poſtulare. Ut *quid res, quid tempus, quid cauſa ferat: tu perſpicies.* Cic. ad Famil. lib. ep. 7. idem in Piſon. *Ita exiſtimabam tempora reip. ferre. Veniam ferre*, eſt gratiam & beneficium poſcere, vel certè habere: ut Decius ex quadam animi fiducia loqui videatur, quaſi dicat gratiam hanc jam acceptam habeo.

6 *Pro rep. Quiritium.*] Putat Gronov. aliquid excidiſſe hac formulæ parte; legendumque hic etiam *pro rep. populi Romani Quiritium.*

7. *Cinctu Gabino.*] Eo cinctu Romanos magiſtratus atque Pontifices uſos, cum belli cauſâ ſacris operarentur, anteà obſervavi lib. 5. cap. 46.

8. *Auguſtior humano viſu.*] Gronov. vellet *auguſtior humano*, quâ loquendi formâ uſi boni auctores, pro *auguſtior homine*: velut Ovid. 2. Faſt. [*decorus*
Pulcher & humano major, trabeaque
Romulus: ——————
aut ſaltem quoniam vox *viſu* in optimis quibuſque Codicibus reperitur; potiùs duceret, *auguſtior humano viſus*, id eſt, apparuit major.

9. *Fugam ac vaſtitatem late fecerunt.*] Ambigua phraſis: poſſet enim intelligi Latinos fugam & vaſtitatem intuliſſe Romanis, ſeu fugæ ac vaſtitatis cauſam eis dediſſe: Cic. pro do. ſua. *Quas iſte tum cades, quas lapidationes, quas fugas fecerit.* Contrà tamen in fugam conjectos hoſtes, vaſtum ac deſertum pugnæ locum reliquiſſe vult Livius.

Urb. Cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

X. Procedente deinde certamine, quum aliis partibus multitudo ſuperaret Latinorum, Manlius conſul, audito eventu collegæ, quum, ut jus faſque erat, lacrymis non minus quam laudibus debitis proſecutus tam memorabilem mortem eſſet; pauliſper addubitavit, an conſurgendi jam Triariis tempus eſſet: deinde melius ratus integros eos ad ultimum diſcrimen ſervari, Accenſos ab noviſſimâ acie [1] ante ſigna procedere jubet. Qui ubi ſubiêre, extemplo Latini, tanquam idem adverſarii feciſſent, Triarios ſuos excitaverunt: qui aliquandiu pugna atroci quum & ſemetipſi fatigaſſent, & haſtas aut præfregiſſent, aut hebetaſſent, pellerent vi tamen hoſtem, debellatum jam rati, perventumque ad extremam aciem: tum conſul Triariis, *Conſurgite nunc*, inquit, *integri adverſus ſeſſos, memores patriæ parentumque & conjugum ac liberorum: memores conſulis pro veſtra victoria morte occumbentis*. Ubi Triarii conſurrexerunt integri, refulgentibus armis, nova ex improviſo exorta acies, receptis in intervalla ordinum Antepilanis, clamore ſublato [2] principia Latinorum perturbant: [2] haſtiſque ora fodientes, primo robore virorum cæſo, per alios manipulos velut inermes prope intacti evaſere: tantaque cæde [3] perrupere cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hoſtium. Samnites quoque ſub radicibus montis procul inſtructi præbuêre terrorem Latinis. Cæterum inter omnes cives ſocioſque præcipua laus ejus belli penes conſules fuit: quorum alter omnes minas periculaque [4] ab Diis ſuperis inferiſque [5] in ſe unum vertit: alter ea virtute eoque conſilio in prælio fuit, ut facile convenerit inter Romanos Latinoſque, qui ejus pugnæ memoriam poſteris tradiderunt, utrius partis T. Manlius dux fuiſſet, ejus futuram haud dubie fuiſſe victoriam. Latini ex fuga ſe [6] Minturnas contulerunt. caſtra ſecundum

INTERPRETATIO.

[2] *Turbarunt eos qui Principes* ſive primi erant *inter Latinos* in pugna proſequenda.

NOTÆ.

1. *Ante ſigna procedere.*] Per intervalla Principum atque Haſtatorum.

2. *Haſtiſque ora fodientes.*] Meliùs meo judicio in editione Bechartii, *Haſtatiſque ora fodientes*: Triarii ſcilicet Romani Pilis ora fodiebant Haſtatorum Latinorum, qui primi oppoſiti.

3. *Perrupere cuneos.*] *Cuneus* propriè in militia eſt agmen ita inſtructum, ut anguſtum in fronte, paulatim ſe pandat trigoni ſeu cunèi formâ: ut ſuprà obſervatum. Aliàs Roſtrum & Græcè ἔμβολον appellatur. Sed hic mallem *perrupere cuneo*. Eſt enim maximè idonea hæc ad perrumpendum hoſtem forma aciei, lib 2. cap. 50. *rupere cuneo viam*. Niſi forte generali nomine Cuneos pro agminibus ſeu manipulis dixerit Liv.

4. *Ab Diis ſuperis inferiſque.*] Diis Manibus ità ſe devovebant, ut Superorum iram averti à ſuis putarent.

5. *In ſe unum vertit.*] Eleganter Florus lib. 4. cap. 14. de hoc Decio. *Diis Manibus ſe devovit, ut in confertiſſima ſe hoſtium tela jaculatus, novum ad victoriam iter ſanguinis ſui ſemitâ aperiret.*

6. *Minturnas.*] Vide infrà lib. 10. c. 21.

Digitized by Google

prælium capta, 7 multique mortales ibi vivi oppreſſi, maxime Campani. b Decii corpus ne eo die inveniretur, nox quærentes oppreſſit. poſtero die inventum inter maximam hoſtium ſtragem coopertum telis : funuſque ei par morti, celebrante collega, factum'. Illud adjiciendum videtur, licere conſuli, dictatorique, & prætori, quum 8 legiones hoſtium devoveant, 9 non utique ſe, ſed quem velint 10 ex legione Romana ſcripta civem devovere: *ſi is homo, qui devotus eſt, moritur, probe factum videri: ni moritur, tum* 11 *ſignum ſeptem pedes altum, aut majus in terram defodi,* 12 *& piaculum hoſtia cædi. Ubi illud ſignum defoſſum erit, eo magiſtratum Romanum deſcendere fas non eſſe.* Sin autem ſeſe devovere volet, ſicuti Decius devovit: *ni moritur,* 13 *neque ſuum, neque publicum divinum pure faciet. qui ſeſe devoverit; Vulcano arma, ſive cui alii divo devovere volet, ſive hoſtia, ſive quo alio volet, jus eſto. Telo, ſuper quod ſtans conſul precatus eſt, hoſtem potiri, fas non eſt: ſi potiatur, Marti* 14 *ſuovetaurilibus piaculum fieri.*

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

XI. Hæc (etſi omnis divini humanique moris 1 memoria abolevit,

INTERPRETATIO.

b *Eos, qui Decii cadaver inveſtigabant, nox prevenit;* unde factum eſt, *ne tunc repertum fuerit.*

NOTÆ.

7. *Multique mortales ibi vivi oppreſſi.*] Multitudinem hoſtium indicat, qui irruentibus in caſtra Romanis; dum alter alterum fugientes urgent, obruti turbâ interierunt.

8. *Cum Legiones hoſtium devoveant.*] Id Romanis ſolenne, ut hoſtes devoverent, & voto quaſi addicerent Diis inferis, aliquo è ſuis certæ morti devoto. Hujus devotionis formulam Macrobius refert lib. 3. Saturn. cap. 9.

9. *Non utique ſe.*] Qui ergo Decius hîc, ejuſque exemplo filius ſe devovêre? Scilicet quaſi Deorum monitu, proût cap. 6. ſuprà narratur.

10 *Ex Legione Romana ſcripta civem.*] Aliàs, *ſcriptum*, non peregrinum ex Legione Latinâ. Quod autem Legionem *ſcriptam* deſignat, vult, opinor, tumultuarios, ſive ſubitarios milites excludi.

11. *Signum ſeptem pedes altum.*] Per *ſignum* exiſtimat Sigonius intelligi hominis ejus imaginem verâ majorem, qui devotus, nec mortuus eſt. Mortem enim ejus, defoſſo ſimulacro, cæſâque hoſtiâ ſuppleri putabant. Galli ejuſmodi ſimulacra comburebant, cum humanæ victimæ deeſſent.

12. *Piaculum hoſtia cædi.*] Vult haud dubiè piaculum hoſtiâ cæsâ fieri. Verùm quid ni *piaculo hoſtiam cædi*, id eſt, ad piaculum, ſeu expiandi causâ? Certè *piaculum cadere*, non facilè alibi, opinor, occurrit.

13. *Neque .... divinum purè faciet.*] Hebræorum more immunda habebantur cadavera, eorumque tactu pollui homines cenſebantur: ut & terra cruore innocentis occiſi. Sic apud Romanos funere pollui domus credebatur; quò ſpectat illud Poetæ: *Totamque infeſtat funere claſſem.* Idem in Devotis morti locum habebat: unde à quovis ſacrificio, & re divina, ſive privatim, ſive publicè facienda arcebantur, niſi prævia expiatione.

14. *Suovetaurilibus.*] Immolatis Sue, Ove, Tauro. Vide lib. 1. cap. 44.

1. *Memoria abolevit.*] Non omnino improbabilis emendatio Tan. Fabri, qui legendum cenſet, *incuria abolevit*, & *id memoriæ* natum eſſe ex *rei moris*: nilque certius putat. Sed tamen ſi *abolevit* ab abolesco, ita accipias, ut exolevit; nihil erit quòd ad correctionem confugias; Mens quippe auctoris hæc ſatis aperta

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

nova peregrinaque omnia priſcis ac patriis præferendo) haud ab re duxi verbis quoque ipſis, ut tradita nuncupataque ſunt, referre. Romanis poſt prælium demum factum Samnites veniſſe ſubſidio, exſpectato eventu pugnæ, apud quoſdam actores invenio. Latinis quoque ab Lavinio auxilium, 2 dum deliberando terunt tempus, victis demum ferri cœptum, & cum jam portis prima ſigna, & pars agminis eſſet egreſſa, nuncio allato de clade Latinorum, quum converſis ſignis retro in urbem rediretur; prætorem eorum nomine Millionium dixiſſe ferunt, 3 *pro paullula via magnam mercedem Romanis eſſe ſolvendam*. Qui Latinorum pugnæ ſuperfuerant, multis itineribus diſſipati, quum ſe in unum conglobaſſent, 4 Veſcia urbs receptáculum fuit. Ibi in conciliis Numiſius imperator eorum, affirmando *communem vere Martem belli utrangue aciem pari cæde proſtraviſſe; victoriæque nomen tantum penes Romanos eſſe; a cæteram pro victis fortunam & illos gerere: funeſta duo conſulum prætoria, alterum parricidio filii, alterum conſulis devoti cæde: trucidatum exercitum omnem: cæſos Haſtatos Principeſque; ſtragem 5 & ante ſigna & poſt ſigna factam: Triarios poſtremo rem reſtituiſſe. Latinorum etſi pariter acciſæ copiæ ſint, tamen ſupplemento vel Latium proprius eſſe, vel Volſcos, quam Romam. Itaque, ſi videatur eis, ſe ex Latinis & ex Volſcis populis juventute propere excita, redituram infeſtâ exercitu Capuam eſſe: Romanoſque nihil tum minus quam prælium exſpectantes, nec opinato adventu perculſurum*. Fallacibus literis circa Latium nomenque Volſcum miſſis, quia qui non interfuerant pugnæ, ad credendum temere faciliores erant, tumultuarius undique exercitus raptim conſcriptus convenit. Huic agmini Torquatus

INTERPRETATIO.

a Ipſos quoque Romanos *quoad reliqua*, (extra victoriæ nudum titulum) ea *ſorte* eſſe, ut ſe *tanquam victos* habeant.

NOTÆ.

erit, dum nova & externa priſcis & patriis præferuntur, factum eſſe ut memoria omnis divini humanique moris extincta, atque ad nihilum redacta fuerit. Sic apud Virgil. *Tantique aboleſcet gratia facti*.

2. *Dum deliberando terunt tempus.*] Auxiliares è Lavinio.

3. *Pro paullula via.*] Pœnam ſcilicet gravioris ſervitutis ſub Romanis ſubeundam eſſe; quòd tantillùm progreſſi eſſent animo ferendi Latinis adverſus eos auxilii.

4. *Veſcia urbs.*] Aurunconum, ſive Auſonum oppidum fuit *Veſcia* circa Lirim fluvium, & citra Maſſicum Montem, qui nunc *Monte Marſico*. Inde ager Veſcinus ad utranque Liris ripam, Agrum Falernum ab Ortu contingens. Longè diverſus à Veſtinis Samnii latiùs ſumpti populis. In eo agro fuit *Sinueſſa*: cui urbs *Veſcia* ad Occaſum, haud procul Minturnis.

5. *Et ante ſigna & poſt ſigna.*] Legionis *ſignum*, Aquila; Manipulorum Perticæ cum ligno tranſverſo in modum ferè crucis, adjecto ſuprà ornamento aliquo. Equitibus vexilla ſua, ſive quadri ad haſtas pannuli. Hæc in agmine anteibant; in prælio poſt primam aciem, locabantur. Qui antecedebant Aquilas, Haſtati, ni fallor, Anteſignani, & Proſignani; qui ſequebantur, Triarii nempe, Poſtſignani dicebantur.

conſul 6 ad Trifanum (inter 7 Sinueſſam 8 Minturnaſque is locus eſt) occurrit, prius quam caſtris locus caperetur, ſarcinis utrinque in acervum conjectis, pugnatum debellatumque eſt. adeo enim acilæ res ſunt, ut conſuli victorem exercitum ad depopulandos agros eorum ducenti dederent ſe omnes Latini: deditionemque eam Campani ſequerentur. Latium Capuaque agro mulctati. Latinus ager Privernati addito agro: & 9 Falernus, qui populi Campani fuerat, 10 uſque ad Vulturnum flumen, plebi Romanæ dividitur. bina in Latino jugera, ita 11 ut dodrantem 12 ex Privernati complerent, data: terna in Falerno, quadrantibus etiam 13 pro longinquitate Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

NOTÆ.

6. *Ad Trifanum.*] Locus fuit, fortè à tribus fanis, aut à trium Deorum fano dictus, in Auruncorum regione, quæ Volſcos inter & Campanos media. Erat hic locus ultra Lirim, Sinueſſæ quàm Minturnis, propior, eodem tractu quo urbs *Veſcia*.

7. *Inter Sinueſſam.*] *Sinueſſa*, alias Sinope in Auſonum finibus: nunc *Rocca di Mondragone*: Ducatus titulo clarum oppidum maritimum, in Terra Laboris. Notat hìc Sigonius errorem, qui apud Diodorum lib. 16. irrepſit: ubi dicuntur Latini & Campani à Romanis duce Manlio devicti ad *Sueſſam*: cum ſit ſcribendum ad *Sinueſſam*; nam Sueſſa à mari, & loco pugnæ remotior.

8. *Minturnaſque.*] Paulò ſupra Liris oſtium fuere *Minturnæ*, paludibus ſuis notæ, ubi Marius delituit. Nunc ejus urbis vix veſtigia ſuperſunt, ad locum ubi Liris Scaphâ trajicitur. Vulgò, *La Barca di Garigliano*.

9. *Falernus.*] In Auruncorum Campanorumque confinio à Maſſico Monte, ad Vulturnum fluvium fuit ager *Falernus*, fertilitate ſuâ, & præſertim generoſo vino nobilis.

10 *Uſque ad Vulturnum.*] *Vulturno* flumini, an ab urbe Vulturno, quæ poſt Capua, nomen inditum, an contrà, parùm conſtat. Oritur ex Apennino, in Samnitium finibus, ſupra Æſerniam: hinc Allifas, Venafrum; inde recepto Sabato, Caſilinum Capuæ vicinum alluit: atque infra Vulturnum caſtellum ſeu oppidum, Tyrrheno mari miſcetur, vul. *Volturno*.

11. *Dodrantem.*] Dodrans ex duodecim uncis, quibus conſtat libra Romana, novem continet, ſive aſſis totius tres quartas partes.

12. *Ex Privernati complerent.*] Quæ huic loco explanando Glareanus affert, eorum vix quicquam ſtare meo judicio poteſt. Neque enim Colonos in Latium Campaniamve deductos Livius ſcribit: nec ſi deducti eſſent, ita videntur aſſignari agri potuiſſe, ut viritim darentur jugera duo in Latinorum regione, dodrans verò in Privernate: nec denique ex agro Privernate acceptus quadrans, dodrantem ex Latino acceptum explere facilè potuit. Cum enim Privernum Volſcorum Urbs, à proximis Latii veteris finibus non minùs quindecim millibus paſſuum abeſſet, qui potuere quadrantes, qui duobus jugeribus deerant ex tam diſtantibus locis compleri? Complementum itaque, ex agro Privernate, non in ſingulorum portionibus intelligendum, ut unuſquiſque, hìc jugerum cum ſemiſſe, alibi dimidiatum jugerum (totius agri ſui quadrantem) haberet: ſed in portionibus integris eorum, quibus ager Latinus ad duo jugera capienda non ſufficeret. Ità ſcilicet, ut ſi fortè quaternis Civium millibus agri hac in parte aſſignandi forent: ter milleni in Latinorum, milleni in Privernatium regione ſua quiſque duo jugera integra acceperint.

13. *Pro longinquitate.*] Quòd longiùs ab urbe Româ diſtaret Falernus ager, quàm Latinus: idcirco non tantùm tria jugera in Falerno ſingulis aſſignatà, pro binis in Latino; ſed præterea quarta pars jugeri,

Urb. cond. an. 413. Coſſ. T. Manl. Torq. III. & P. Dec.

adjectis. b Extra pœnam fuere Latinorum, Laurentes, Campanorumque equites, qui non defciverant. Cum Laurentibus renovari fœdus juſſum. renovaturque ex eo quotannis 14 poſt diem decimum Latinarum. Equitibus Campanis civitas data: monumentoque ut eſſet, æneam tabulam in æde Caſtoris Romæ fixerunt. vectigal quoque eis Campanus populus juſſus pendere in ſingulos quotannis (fuêre autem mille & ſexcenti) 15 denarios nummos quadringenos quinquagenos.

Urb. cond. an. 414. Coſſ. T. Æmil. & Q. Publil.

XII. Ita bello geſto, præmiis pœnaque pro cujuſque merito perſolutis, T. Manlius Romam rediit, venienti ſeniores tantum obviam exiſſe conſtat: juventutem, & tunc, & omni vita deinde, averſatam eum execratamque. Antiates in agrum 1 Oſtienſem, Ardeatem, Solonium incurſiones fecerunt. Manlius conſul, quia ipſe per valetudinem id bellum exſequi nequierat, dictatorem L. Papirium Craſſum, qui tum forte erat prætor, dixit: ab eo magiſter equitum L. Papirius Curſor dictus. Nihil memorabile adverſus Antiates ab dictatore geſtum eſt, quum aliquot menſes ſtativa in agro Antiati habuiſſet. Anno inſigni victoria de tot ac tam potentibus populis, ad hoc conſulum alterius nobili morte, alterius ſicut truci, ita claro ad memoriam, imperio, ſucceſſere conſules Ti. Æmilius Mamercinus, & Q. Publilius Philo: neque in ſimilem materiam rerum, & ipſi aut

INTERPRETATIO.

b *Inter Latinos incola oppidi Laurenti, inter Campanos ſoli equites ab ea multa immunes fuerunt.*

NOTÆ.

14. *Poſt diem decimum Latinarum.*] Feriæ Latinæ celebrabantur VII. Calend. Majas, id eſt, 27. Aprilis, ex inſtituto Tarquinii Superbi, ut eſſet communis 50. Latii populorumque in fœdus receptorum mercatus, ubi annuatim, ſacris communibus fruerentur, ac ſimul epularentur. Qua de re Dionyſ. lib. 4. Hîs feriis dies tantùm unus à Tarquinio dicatus fuerat: alter eo pulſo à populo additus; tertius ex Senatusconſulto ob reconciliatam plebem: deinde quartus quoque adjectus. An hic decimus renovandi cum Laurentibus fœderis dies, à primo, an à poſtremo Feriarum numerandus ſit, non ſatis explicat Livius.

15. *Denarios nummos quadringenos quinquagenos.*] Nondum ſignatum erat Romæ argentum. Fortè apud Campanos jam tum in uſu denarii: quorum, opinor, pretium Livius ad temporis ſui rationem retulit: quo denarius ſexdecim aſſibus ſemuncialibus æſtimabatur, reſpondebatque ferè drachmæ Atticæ: nec multum Regales Hiſpanicos pondere ſuperabat, ut noſtræ monetæ octo circiter aſſes penſaret. Hac ratione erit hæc ſumma 180. libris noſtratibus haud multùm inferior: ſic mille ſexcentis equitibus pendendæ fuerint à Campanis 288000. libræ annuæ. Glareanus in ſingulos equites nonniſi quadragenos quinos denarios imperatos in pluribus codicibus legi teſtatur, quod & Becharius ſequitur. Qua ratione ad decimam partem redigetur ſumma illa annua. Sed ad unumquemque equitem exiguum quid ſubſidii ex ejuſmodi vectigali redibit: vel ſi cum Budæo decem denarios pro ſingulis aureis hodierno pretio numeremus. Fiet enim equiti cuique penſio librarum viginti quinque cum triente aſſibus.

1. *Oſtienſem, Ardeatem, Solonium.*] Hæc omnia in Latio, Viciniſve Rutulis: & alibi ſingula explicui.

[2] ſuarum rerum, aut partium in republica magis quam pātriæ memores. Latinos ob iram agri amiſſi rebellantes [3] in campis Fenectanis fuderunt, caſtriſque exuerunt. Ibi Publilio, cujus ductu auſpicioque res geſtæ erant, in deditionem accipiente Latinos populos, quorum ibi jugum cæſa erat; Æmilius [4] ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebantur Tiburs, Prænestinus, Veliternuſque populus: venerant & ab Lavinio Antioque auxilia. Ubi eum prœliis quidem ſuperior Romanus eſſet, ad urbem ipſam Pedum, caſtraque ſociorum populorum, quæ urbi adjuncta erant, integer labor reſtaret: bello infecto repente omiſſo, conſul, quia collegæ decretum triumphum audivit, ipſe quoque triumphi ante victoriam flagitator Romam rediit. Qua cupiditate offenſis Patribus, negantibuſque, niſi Pedo capto aut dedito, triumphum: hinc alienatus ab ſenatu Æmilius, ſeditioſis tribunatibus ſimilem deinde conſulatum geſſit. Nam neque quoad fuit conſul, criminari apud populum Patres deſtitit, collega haudquaquam adverſante, quia & ipſe de plebe erat: (materiam autem præbebat criminibus [5] ager in Latino Falernoque agro maligne plebi diviſus.) & poſtquam ſenatus finire imperium conſulibus cupiens, dictatorem adverſus rebellantes Latinos dici juſſit: Æmilius, [6] cujus tum faſces erant, collegam dictatorem dixit: ab eo magiſter equitum [7] Junius Brutus dictus. Dictatura popularis, & orationibus in Patres criminoſis fuit, & quod tres leges ſeeundiſſimas plebi, adverſas nobilitati tulit: unam, [8] ut plebiſcita omnes

Urb. cond. an. 414. Coſſ. Tib. Æmil. & Q. Publ.

NOTÆ.

2. *Suarum rerum ac partium.*] Æmilius nobilitatis, Publilius plebis partes amplexi; ſui quiſque commodi, potiùs quam publici ſtudioſos ſe præbuerunt.

3. *In Campis Fenectanis.*] Aliàs, *Senectanis*: utrumque ſibi ignotum profitetur Glareanus. Cogitabam num legendum eſſet *Fauſtianis*, qui agri Falerni pars; aut *Fregellanis*, vel *Setinis*, qui in Volſcis, & Priverno proximi: ſed hæc loca extra Latium vetus, & nomina à *Fenectanis* ſive *Senectanis* nimiùm differunt. *Ferentini* & regione & literis minùs diſtant, ſi ab aqua & luco Ferentinæ, ubi Latinorum Comitia habebantur, (de quibus lib. 1. cap. 31.) Campos Ferentinos legeremus.

4. *Ad Pedum.*] Vide lib. 2. c. 39.

5. *Ager in Latino Falernoque agro.*] Illud *agro* facilè abſque ſenſus diſpendio abeſſe poſſe agnoſco cum Gronovio & Fabro; ſic enim dicitur *in Hoſtico*, & in *Hernico*; & intelligitur, *ſolo*, vel, *agro*: quod eò magis hìc valeret, quòd agri nomen præcedit. Quia tamen ſatente ipſo Gr. neque veteres libri excludunt, & priore loco intelligitur pars illa agri, quæ cuique aſſignata; poſteriore univerſum illorum populorum territorium, nihil vetat retineri.

6. *Cujus tum faſces erant.*] Lib. 2. c. 1. dictum eſt *faſces* ſive ſecures inſignia imperii, penes unum è Conſulibus per vices fuiſſe ab ipſo Bruti tempore.

7. *Junius Brutus.*] *Scæva* cognomine, non à Bruto primo Conſule, ejuſve ex ſtirpe; ſed plebejus, ut & cæteri qui poſthac eo nomine: quamvis M. Brutum Cic. per adulationem ab eo Conſule deducat.

8. *Ut Plebiſcita omnes Quirites tenerent.*] Quæ plebs ſola per Tribunum ſuum ſciverat, ea ſolam plebem obſtrictam initio tenebant: hinc diſcordiæ ſemina; quibus extinguendis cautum, ut ab omnibus civibus, nec minùs à Patriciis quàm à plebejis ea ſervarentur. Id Livius Publilio Philoni Dictatori de plebe nunc adſcribit. Verùm id jam an-

Urb. cond. an. 414. Coſſ. Tib. Æmil. & Q. Publil.

Quirites tenerent: alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, 9 ante initum ſuffragium Patres auctores fierent: tertiam, ut alter utique ex plebe, quum eo ventum ſit 10 ut utrumque plebejum conſulem fieri liceret, cenſor crearetur. Plus eo anno domi acceptum clădis ab conſulibus, ac dictatore, quam ex victoria eorum belliciſque rebus foris, auctum imperium Patres credebant.

Urb. cond. an. 415. Coſſ. L. Fur. & C. Mæn.

XIII. Anno inſequenti L. Furio Camillo, C. Mænio conſulibus, quo inſignitius omiſſa res Æmilio ſuperioris anni conſuli exprobraretur, Pedum armis, viriſque, & omni vi expugnandum ac delendum, [a] ſenatus fremit: coactique novi conſules [b] omnibus eam rem præverti, proficiſcuntur. Jam Latio is ſtatus erat rerum, ut neque bellum neque pacem pati poſſent. ad bellum opes deerant: pacem ob agri adempti dolorem aſpernabantur. Mediis conſiliis ſtandum videbatur, ut oppidis ſe tenerent; nec laceſſitus Romanus cauſam belli haberet: & ſi cujus oppidi obſidio nunciata eſſet, undique ex omnibus populis auxilium obſeſſis ferretur. Neque tamen niſi admodum à paucis populis Pedani adjuti ſunt. Tiburtes, Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenere. Aricinos, [1] Lavinioſque, & Veliternos Antiatibus Volſcis ſe conjungentes [2] ad Aſturæ flumen Mænius improviſo adortus fudit. Camillus ad Pedum cum Tiburtibus, maxime valido exercitu, [c] majore mole, quanquam æque proſpero eventu, pugnat. Tumultum maxime repentina inter prælium eruptio oppidanorum fecit: in quos parte exercitus converſa Camillus non compulit ſolum eos intra mœnia, ſed eodem etiam die,

INTERPRETATIO.

a *Senatus cenſet cum fremitu.*
b *Hoc negotium anteponere cæteris omnibus.*
c *Vi atque apparatu majori.*

NOTÆ.

teà ſanxerat M. Horatius Conſul, ſedandæ ſeceſſioni in Aventinum an. 303. ut vidimus lib. 3. cap. 55. Id nova lege firmavit poſteà Q. Hortenſius Dictator ſeceſſione in Janiculum an. 467.

9. *Ante initum ſuffragium Patres auctores fierent.*] Anteà leges in populi Comitiis latæ ita valebant, ſi accederet Senatus auctoritas; unde apparebat Senatum potiorem eſſe: nunc conſtitutum, ut auctoritas Senatus legem præcederet, quam deinde populus jubere, aut rejicere poſſet.

10. *Ut utrumque Plebejum Conſulem fieri liceret.*] De utroque Conſule Plebejo lata lex an. 414. ſupra lib. 7. cap. 42.

1. *Lavinioſque.*] Cum anteà eſſet, *Lanuvinoſque*, ita ex Capitolinis lapidibus (ubi de triumpho Mœnii) reſtituit Sigonius, qui plura inter *Lavinium* & *Lanuvium* diſcrimina obſervat: de quibus nos lib. 1. cap. 1.

2. *Ad Aſturæ flumen.*] Non aliud huic fluvio nomen quærendum. *Sturæ* corruptè quibuſdam: aliis cum *Satura* palude confunditur. Volſcorum agrum Pomtinum irrigat: à Verrugine, per Sueſſam Pometiam, ac tres Tabernas influens in mare Tuſcum ſex fere millibus ultra Antium Promontorium. In oſtio eſt Inſula, cum vico; ibique olim Cicero villam habuit: ubi à M. Antonii ſatellitibus eſt interfectus. Locus fluviuſque nomen retinent in Campania Romana.

quum

quum ipſos auxiliaque eorum perculiſſet, oppidum ſcalis cepit. Placuit inde jam majore conatu animoque ab unius expugnatione urbis ad perdomandum Latium victorem circumducere exercitum; nec quievere ante, quam expugnando, aut in deditionem accipiendo ſingulas urbes, Latium omne ſubegere. Præſidiis ante diſpoſitis, per recepta oppida, Romam ad deſtinatum omnium conſenſu triumphum deceſſere. additus triumpho honos, ut ſtatuæ equeſtres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Prius quam comitiis in inſequentem annum conſules rogarent, Camillus de Latinis populis ad ſenatum retulit, atque ita diſſeruit: *Patres Conſcripti, quod bello armiſque in Latio agendum fuit, id jam Deûm benignitate ac virtute militum ad finem venit: cæſi ad Pedum Aſturamque ſunt exercitus hoſtium: oppida Latina omnia, & Antium ex Volſcis, aut vi capta, aut recepta in deditionem, præſidiis tenentur veſtris. Reliqua conſultatio eſt, quoniam rebellando ſæpius nos ſolicitant, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dii immortales, ita vos potentes hujus conſilii fecerunt, ut ſi Latium deinde, an non ſit, in veſtra manu poſuerint. Itaque paccm vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel ſæviendo, vel ignoſcendo, poteſtis. Vultis crudeliter conſulere in deditos, victoſque? licet delere omne Latium? vaſtas inde ſolitudines facere, unde ſociali egregio exercitu per multa bella magnaque ſæpe uſi eſtis. Vultis exemplo majorum augere rem Romanam, victos in civitatem accipiendo? materia creſcendi per ſummam gloriam ſuppeditat. certe id firmiſſimum longe imperium eſt, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus eſt, quicquid ſtatuere placet: tot populos inter ſpem metumque ſuſpenſos animis habetis. Et veſtram itaque de eis curam quam primum abſolvi, & illorum animos, dum exſpectatione ſtupent, ſeu pœna, ſeu beneficio, præoccupari oportet. Noſtrum enim fuit efficere, ut omnium rerum vobis ad conſulendum poteſtas eſſet. veſtrum eſt decernere quod optimum vobis reique publicæ ſit.*

Urb. cond. an. 415. Coſſ. L. Fur. & C. Mæn.

XIV. Principes ſenatus relationem conſulis de ſumma rerum laudare. ſed quum aliorum cauſa alia eſſet, ita expediri poſſe conſilium dicere, ut pro merito cujuſque ſtatueretur, ſi de ſingulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de ſingulis, decretumque. [1] Lanuvinis civitas data, ſacraque ſua reddita cum eo, ut ædes lucuſque Soſpitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet. Aricini, Nomentanique, & Pedani, eodem jure, quo Lanuvini in civitatem accepti. [2] Tuſculanis ſervata civitas, quam habebant: crimenque rebellionis [a] à publica fraude

INTERPRETATIO.

a *Perduellionis crimen paucis auctoribus fuit imputatum, ne in publicum fraudi ac damno eſſet.*

NOTÆ.

1. *Lanuvinis.*] De his & ſequentibus populis, aut oppidis dictum ſuis locis.

2. *Tuſculanis ſervata civitas.*] Data eis civitas fuerat an. 375. ex Sigon. poſt Camilli Tribunatum militum 6. Vide ſuprà, lib. 6. cap. 26.

Urb. cond. an. 415. Coss. L. Fur. & C. Mæn.

in paucos auctores versum: In 3 Veliternos, veteres cives Romanos, quod toties rebellassent, graviter sævitum: & muri dejecti, & senatus inde abductus: jussique 4 trans Tiberim habitare: ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, 5 usque ad mille pondo 6 clarigatio esset: nec priusquam ære persoluto, is qui cepisset, extra vincula captum haberet. 7 In agrum senatorum coloni missi: quibus adscriptis, speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt. Et 8 Antium nova colonia missa, [b] cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi coloni vellent. naves inde longæ abactæ: interdictumque mari Antiati populo est, & civitas data. Tiburtes, Prænestinique agro mulctati: neque ob recens tantum rebellionis, commune cum aliis Latinis, crimen; sed quod, tædio imperii Romani, cum Gallis gente efferata, arma quondam consociassent. Cæteris Latinis populis 9 connubia commerciaque &

INTERPRETATIO.

b *Hoc addito, ut liceret veteribus incolis, cum recentibus* nomen dare, & *in Colonorum numerum referri.*

NOTÆ.

3. *Veliternos veteres Cives Romanos.*] Velitras Coloni ab urbe missi fuerant an. 259. A. Virginio, T. Veturio Coss. suprà lib. 2. cap. 31. Auctus biennio post eorum numerus Coss. T. Geganio, & P. Minucio; eod. lib. c. 34.

4. *Trans Tiberim habitare.*] Exilii hoc genus fuit cum quadam infamiæ specie, ut observat Turn. lib. 24. Adverss. cap. 43.

5. *Usque ad mille pondo.*] Æris mille libræ Romano pondere quid sunt nisi mille asses æris gravis, nostro nunc pretio libræ Turonicæ ferè 673. Sed non pauca exemplaria, pro usque *ad mille pondo*, habent *usque ad mille passuum*: quò notaretur spatium cis vel ad Tiberim, ultra quod versari Veliternis non licuerit: pecuniæ taxatione prætermissâ, quasi re satis notâ.

6. *Clarigatio esset.*] *Clarigandi* verbum propriè significat res clarâ voce repetere, & non redditis bellum indicere. Quo facto res corporaque hostium capere jus fasque est: *on a droit de repressailles*. Hic autem *Clarigatio* accipi videtur pro denunciatione Veliternis factâ, fore ut eos ubicunque eis Tiberim reperti essent, comprehendere cuivis liceret, indictâ mulctâ mille pondo in comprehensos. Budæus posterioribus annotationibus in Pandectas, & Turneb. in Adv. nomine Clarigationis intelligi ostendunt jus hominis prehendendi abducendique, quod ἀνδραπόδισιν Græci vocant. Hanc *Clarigationem* plerique idem cum Pigneratione esse volunt: alii Pignerationem rerum, Clarigationem magis Personarum prehensionem respicere; quæ tamen soluta pecuniâ seu pœnâ indictâ cessaret: ita ut hæc ἀνδραποδισία sit respectu hominis capti; & nihilominùs respectu redemptionis & solutæ pecuniæ *pignoratio* dici possit.

7. *In agrum Senatorum.*] Senatoribus Veliternis exulare jussis, eorum agri vacui, divisi civibus Rom. nunc tertiùm in eam Coloniam missis.

8. *Antium nova Colonia.*] Jam ab anno u. 286. deducta in hanc Volscorum urbem Colonia fuerat, Tib. Æmilio, Q. Fabio Coss. lib. 3. cap. 1.

9. *Connubia, commerciaque & Concilia inter se ademerunt.*] Latinis interdici facilè potuit ne concilia inter se haberent, quibus de totius Latii rebus in commune consulterent. At nè inter se commercium, id est emendi vendendique invicem Ius haberent vicini, qua ratione prohiberi potuerint, non satis capio: nisi commercii nomine intelligamus jus Romano more contrahendi, per nexum puta; mancipationem, stipulationem

concilia inter ſe ademerunt. 10 Campanis equitibus, honoris causâ, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, 11 Fundaniſque, & 12 Formianis, quod per fines eorum tuta pacataque ſemper fuiſſet via, 13 civitas ſine ſuffragio data. 14 Cumanos, Sueſſulanoſque 15 ejuſdem juris conditioniſque cujus Capuam eſſe placuit. Naves Antiatium, partim in navalia Romæ ſubductæ, partim inconſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum, in foro exſtructum, adornari placuit: 16 *Roſtraque* id templum appellatum. Urb. cond. an. 415. Coſſ. L. Fur. & C. Mæn.

XV. C. Sulpicio Longo, P. Ælio Pæto, conſulibus, quum omnia non opes magis Romanæ, quam beneficiis parta gratia bonâ pace obti- a Urb. cond. an. 416. Coſſ. Sulpic. & P. Æl.

INTERPRETATIO.

a *Cum optabili pace cuncta tenerentur, non minùs ex amore per beneficentiam comparato, quàm ex populi Romani potentia.*

NOTÆ.

aliaque Quiritium juris propria; quæ Latinorum aliquibus anteà conceſſa cum Civitate, nunc iiſdem adempta in pœnam fuerint. Nec aliud de Jure Connubii adempto cenſuerim.

10. *Campanis equitibus.*] Jam dixerat his datam civitatem; nunc addit ſine ſuffragio.

11. *Fundaniſque.*] In agro Auruncorum Cæcubo, inter Tarracinam & Formias, fluvioſque Ufentem & Liris, *Fundi* oppidum ſitum eſt viâ Appiâ; unde Lacus *Fundanus* in mare ſe exonerans. Primus hic regni Neapolitani locus occurrit Româ Neapolin petentibus. Vulgò, *Fondi*.

12. *Et Formianis.*] Fundos inter & Minturnas, relictâ ad dextram Cajetâ, ſe offerebant *Formiæ*, ſive Hormiæ, & ipſæ in Auruncis, ubi fabuloſus Læſtrigonum rex Antiphates ſedem habuiſſe ſcribitur ab Homero. Everſa eſt hæc urbs à Saracenis, ejuſque loco ſucceſſit pagus elegans, nunc *Mola* dictus. Hinc Formiani colles, & Formianum Ciceronis nomen habuere.

13. *Civitas ſine ſuffragio data.*] Civium Romanorum, qui extra urbem in municipiis coloniiſve, duo genera erant: alii jure Civium utebantur, niſi quod ſuffragium in Comitiis non ferebant, præterquàm ſi à Magiſtratibus extra ordinem pro ſocietate invitarentur. Alii etiam jus ſuffragii habebant cum civitate. Hi ab urbanis hoc tantùm differebant, quòd cum in Curias Romanas deſcripti non eſſent, Comitiis Curiatis intereſſe non poterant. Sed hæc Comitia minoris momenti fuere, poſtquàm invecta ſunt à Servio Tullio Centuriata. Cur autem Curiis non adſcriberentur, ea cauſa erat, quòd municipalia domi ſuæ ſacra habebant, quibus tenerentur; nec iis aliter cogerentur renunciare, quàm ſi Romam migrarent.

14. *Cumanos, Sueſſulanoſque.*] De Cumis cap. 44. lib. 4. de Sueſſula lib. 7. c. 37.

15. *Ejuſdem juris conditioniſque.*] Id eſt pro deditiis eſſe, & agro mulctari. Ita enim cum Capuæ incolis actum ſuprà capite 11.

16. *Roſtraque id Templum appellatum.*] Per metaphoram ob ſimilitudinem cum Roſtris avium, in navi *Roſtrum* dicitur proræ pars prominentior, in cunei modum acuminata, ex ære aut ferro, vulgò apud nos *l'Eſperon*: quo genere armatæ naves, *Roſtratæ* appellantur. Ex Roſtris igitur, & proris quæ Antiatum navibus detractæ, ſuggeſtum in foro exſtructum ornatumve *Roſtra* vocarunt Romani. Ex hoc ſuggeſtu Conciones ad populum habebantur à Magiſtratibus: eoque in loco benè de rep. meritorum ſtatuæ plerunque collocabantur. Fuere autem Roſtra, alia Vetera, ante Curiam Hoſtiliam in Comitio, quod à Palatii porta incipiebat, (de quibus hic): alia nova, ad Palatii radicem. Quia verò locus erat auguratus, ideirco *Templum* dicitur, tum à Livio hic, tum à Cicerone in Vat. *in Roſtris, in illo*, inquam, *augurato Templo ac loco.*

Urb. cond. an. 416. Coss. C. Sulpic. & P. Ælio,

nerent, inter [1] Sidicinos, Auruncoſque bellum ortum. Aurunci à T. Manlio conſule [2] in deditionem accepti, nihil deinde moverant: eo petendi auxilii ab Romanis cauſa juſtior fuit. Sed prius quam conſules ab urbe (juſſerat enim ſenatus defendi Auruncos) exercitum educerent, fama affertur: [3] Auruncos metu oppidum deſeruiſſe, profugoſque cum conjugibus ac liberis, Sueſſam communiſſe (quæ nunc Aurunca appellata) mœnia antiqua eorum, urbemque ab Sidicinis deletam. Ob ea infenſus conſulibus ſenatus, quorum cunctatione proditi ſocii eſſent, dictatorem dici juſſit. dictus C. Claudius Regillenſis, magiſtrum equitum C. Claudium Hortatorem dixit. Religio inde injecta de dictatore: & quum augures vitio creatum videri dixiſſent, dictator magiſterque equitum ſe magiſtratu abdicarunt. Eo anno Minucia Veſtalis, ſuſpecta primo propter mundiorem juſto cultum, inſimulata deinde apud Pontifices ab indice ſervo; quum decreto eorum juſſa eſſet ſacris abſtinere, [4] familiamque in poteſtate habere; facto judicio, viva ſub terram, ad portam Collinam [5] dextrâ viâ ſtratâ deſoſſa [6] Sceleratо campo. credo ab inceſto id ei loco nomen factum. Eodem anno Q. Publilius Philo prætor primum de plebe, adverſante Sulpicio conſule, [b] qui

INTERPRETATIO.

b *Qui ajebat ſe nomen ejus in Comitiis prætoriis inter candidatos recepturum non eſſe; Senatus autem, cum in majoribus magiſtratibus pervincere nequiviſſet,* ne plebejorum ratio haberetur: *non admodùm de prætura pugnavit,* utpote minore magiſtratu.

NOTÆ.

1. *Sidicinos Auruncoſque.*] Vide infrà cap. prox. ubi de Auſonibus.

2. *In deditionem accepti.*] Ante triennium.

3. *Aurunces metu oppidum deſeruiſſe.*] Quod & quo loco illud Auruncorum oppidum fuerit, nec Livius aperit, nec facile eſt divinare. Conjectura eò fert, ut *Aurunca* dictum fuerit, quo nomine ab Auſone conditam fuiſſe urbem Feſtus ſcriptum reliquit. Videtur autem ea urbs Sidicinorum verſus Teanum finibus proxima fuiſſe: cum eâ deſertâ, *Sueſſam* confugerint, velut in locum paulò, ni fallor, ab hoſtibus remotiorem; & *Sueſſa*, quò confugerant, cognomen *Aurunca* indiderint.

4. *Familiamque in poteſtate habere.*] *De ſervis nulla quæſtio eſt in dominum niſi de inceſtu*, ex Cic. pro Mil. Sed & perduellionis cauſâ quæſtio de ſervis in dominum habebatur; ideoque Milo ſervos ſuos, poſt interfectum Clodium Tribunum plebis, manumiſit, ne torqueri poſſent jam cives effecti manumiſſione. Id ne à Minucia nunc fieret, juſſa eſt ſervos in poteſtate retinere.

5. *Dextrâ viâ ſtratâ.*] Sigon. *Stratam*, ut referatur *ad terram*; quod ex Plutarcho in Hypogæo in quo defodiebantur *Veſtales*, lectus ſtratus fuerit: ſive potiùs quòd ubi eſt Hypogæum, ibi terra, lapide, ſeu alio pavimento ſterni ſoleat: ut cum opus fuerit, faciliùs aperiatur.

6. *Sceleratо campo.*] Nominis ratio perſpicua eſt. *Sceleratus* enim non tantùm pro flagitioſo, ſed pro nefario & impuro, aut etiam infauſto ſumitur: nec de hominibus modò, ſed de rebus quoque dicitur: & ſic *ſceleratus Campus*, ut *ſceleratus vicus*, lib. 1. cap. 46. & *porta ſceleratа*, qua egreſſi trecenti Fabii adversùs Vejentes. Ovid. in Faſtis:

Porta vocat culpâ, ſed tamen omen habet.

negabat, rationem ejus ſe habiturum, eſt factus; ſenatu, 7 quum is ſummis imperiis id non obtinuiſſet, minus in prætura tendente.

XVI. Inſequens annus, L. Papirio Craſſo, Cæſone Duilio conſulibus, Urb. cond. an. 417. Coſſ. L. Papir. & C. Duil.

1 Auſonum magis novo quam magno bello fuit inſignis. ea gens 2 Cales urbem incolebat. Sidicinis finitimis arma conjunxerat: unoque prælio haud ſane memorabili duorum populorum exercitus fuſus, propinquitate urbium & ad fugam pronior, & in fuga ipſa tutior fuit. nec tamen omiſſa ejus belli cura Patribus, quia toties jam Sidicini, ut ipſi moverant bellum, aut moventibus auxilium tulerant, aut cauſa armorum fuerant. Itaque omni ope annixi ſunt, ut maximum ea tempeſtate imperatorem M. Valerium Corvum conſulem quartùm facerent: collega additus Corvo M. Atilius Regulus. & ne forte caſu erraretur, 3 petitum ab conſulibus, ut extra ſortem Corvi ea provincia eſſet. Exercitu victore à ſuperioribus conſulibus accepto, ad Cales, unde bellum ortum erat, profectus, quum hoſtes ab ſuperioris etiam certaminis memoria pavidos clamore atque impetu primo fudiſſet; mœnia ipſa oppugnare eſt aggreſſus. & militum quidem is erat ardor, ut jam inde cum ſcalis ſuccedere ad muros vellent, evaſuroſque contenderent. Corvus, quia id arduum factu erat, labore militum potius quam periculo, peragere incœptum voluit. itaque 4 aggerem 5 & vineas egit, turreſque Urb. cond. an. 418. Coſſ. M. Valer. IV. & M. Atil.

NOTÆ.

7. *Quum in ſummis imperiis id non obtinuiſſet.*] In Conſulatu, Tribunatu militum, Conſulari poteſtate, Dictatura, ad quas dignitates, quæ ſummæ erant, & quibus inerat merum imperium, ſeu jus gladii, plebs jam admiſſa fuerat. Adde & Cenſuram, paulò ſuprà.

1. *Auſonum.*] A Volſcorum finibus ad fretum uſque Siculum Italiam cis tranſque Apenninum tenuere vetuſtiſſimis temporibus *Auſones*, à quibus univerſa regio Auſonia dicta. Neque ab Auſone Ulyſſis & Calypſus filio, nomen, ut Poetæ volunt, mutuari potuere, ut potè antiquiores bello Trojano, quemadmodum ex Dionyſ. conſtat: ſed hi ab OEnotris aut Japygibus Apuliâ vicinoque omni tractu pulſi, in ſuperiores regiones conceſſere, quæ poſt Campania & Samnium; inde ad Uſentem uſque progreſſi, habitarunt inter hunc fluvium, qui poſt totus Volſcorum fuit, & Liternum, qui Campanorum; ità ut poſteà anguſtioribus cis & ultra Lirim finibus incluſi, ſeu Opicorum ſeu Oſcorum nomine, tandem in tres populos diviſi fuiſſe videantur, *Auruncos*, qui ad mare: *Sidicinos*, & *Auſones*, propriè dictos, qui ambo in Mediterraneis; illi ad Occaſum, hi ad Ortum coluerint. In Auruncis, præter Auruncam, Fundi, Cajeta, Formiæ, Minturnæ, Sinueſſa fuerunt: in Sidicinis, Teanum, Caſinum, Atina, Fregellæ: Auſonum ſtrictiùs ſumptorum fuere Cales.

2. *Cales urbem.*] Teanum inter & Capuam urbs eſt *Cales*, ad Septentrionem Caliculæ montis, quo Caſenus ager à Stellate disjungitur; nunc vulgò *Calvi*, Epiſcopatus titulo in Terra Laboris.

3. *Petitum ab Conſulibus.*] Cum provincias ſortiri, aut inter ſe comparare & convenire Conſules ſoliti eſſent, uter utram adminiſtraret: nunc Senatus ab his poſtulavit, ut ſine ſorte Valerius Corvus bellum Sidicinum gereret.

4. *Aggerem.*] *Agger* eſt ex lignis, lapidibus, aggeſtuque terræ exſtructa moles, quam paulatim verſus urbem obſeſſam promovebant & attollebant; ut ex alto pugnarent, turreſque ibi, aut etiam tormenta conſtituerent. *Une eſpece de Cavalier, ou de Batterie.*

5. *Et vineas.*] Militaris hæc *vinea*.

Urb. cond. an. 418. Coſſ. M. Valer. IV. & M. Atil.

muro admovit: quarum uſum forte oblata opportunitas prævertit. namque M. Fabius, captivus Romanus, quum per negligentiam cuſtodum eſto die vinculis ruptis, per murum inter opera Romanorum, religatu ad pinnam muri reſte ſuſpenſus manibus ſe demiſiſſet; perpulit imperatorem ut vino epuliſque ſopitos hoſtes aggrederetur, nec majore certamine capti cum urbe Auſones ſunt, quam acie fuſi erant. Præda capta ingens eſt. præſidioque impoſito Calibus, reductæ Romam legiones, Conſul ex Senatuſconſulto triumphavit: &, ne Atilius expers gloriæ eſſet, juſſi ambo conſules adverſus Sidicinos ducere exercitum. Dictatorem ante ex ſenatuſconſulto comitiorum habendorum cauſa dixerunt L. Æmilium Mamercinum. is magiſtrum equitum Q. Publilium Philonem dixit. Dictatore comitia habente, conſules creati ſunt T. Veturius, Sp. Poſtumius. Etſi belli pars cum Sidicinis reſtabat; tamen ut beneficio prævenirent deſiderium plebis, de colonia deducenda Cales retulerunt: factoque ſenatuſconſulto, ut duo millia quingenti homines eo ſcriberentur, triumviros coloniæ deducendæ, agroque dividundo creaverunt Cæſonem Duilium, T. Quintium, M. Fabium.

Urb. Cond. an. 419. Coſſ. T. Vetur. & Sp. Poſtum.

XVII. Novi deinde conſules, à veteribus exercitu accepto, ingreſſi hoſtium fines, populando uſque ad mœnia atque urbem pervenerunt. Ibi, quia ingenti exercitu comparato Sidicini, & ipſi pro extrema ſpe dimicaturi enixe videbantur, & Samnium fama erat conciri ad bellum; dictator ab conſulibus ex auctoritate ſenatus dictus P. Cornelius Rufinus: magiſter equitum M. Antonius. Religio deinde inceſſit, vitio eos creatos: magiſtratuque ſe abdicaverunt: & quia peſtilentia inſecuta eſt, velut omnibus eo vitio contactis auſpiciis; res ad interregnum rediit. ab interregno inito per quintum demum interregem M. Valerium Corvum: creati conſules 1 A. Cornelius iterum, & Cn. Domitius. Tranquillis rebus, fama Gallici belli 2 pro tumultu valuit, ut dictatorem dici placeret. Dictus M.

NOTÆ.

ſecundùm Veget. eſt machina è lignis levioribus, alta pedibus octo, lata ſeptem, longa ſexdecim, cujus tectum duplici munitione, tabulatis, cratibuſque contexitur. Latera quoque vimine ſepiuntur, ne ſaxorum telorumque impetu penetrentur; extrinſecus autem, ne immiſſo concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Cum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem; ſub quibus ſubſidentes tuti ad ſubruenda murorum penetrant fundamenta. *C'eſtoit une eſpece de Galerie.*

1. *A. Cornelius iterum.*] Inter T. Veturii, Sp. Poſt. interque A. Corn. Cn. Domitii Conſulatus, vacuum Conſulibus annum Sigonius interponit an. 420. ut rationem habeat ſummæ annorum in Capitolinis tabulis (quas ſequitur) inſtitutæ. Pighius eo anno Conſules fuiſſe conjicit L. Papirium Curſorem, & C. Pætelium Libonem, quorum ſecundi poſteà Conſulatus numerantur, nullâ primi eorum Conſulatus habitâ alibi mentione.

2. *Pro tumultu valuit.*] Cur illud, *pro tumultu* gloſſema Tan. Fabro viſum ſit, non equidem video. Vult enim auctor ſolam tumultus Gallici famam, veri tumultus loco fuiſſe; eaque de cauſa tanquàm Gallis bellum revera moventibus, creatum Dictatorem.

Papirius Craſſus, & magiſter equitum P. Valerius Poplicola. à quibus dum delectus intentius quam adverſus finitima bella haberetur, explo-ratores miſſi attulerunt, quieta omnia apud Gallos eſſe. Samnium quo-que jam alterum annum turbari novis conſiliis ſuſpectum erat. [a] eo ex agro Sidicino exercitus Romanus non eſt deductus. Cæterum Samnites bellum Alexandri Epirenſis [b] in Lucanos traxit, qui duo populi, ad-verſus regem [3] excenſionem [4] à Pæſto facientem ſignis collatis pugna-verunt. eo certamine ſuperior Alexander: [c] incertum qua fide cultu-rus, ſi perinde cætera proceſſiſſent, pacem eum Romanis fecit. Eodem anno cenſus actus [5] novique cives cenſi: tribus propter eos additæ, [6] Mæcia [7] & Scaptia: cenſores addiderunt, Q. Publilius Philo, Sp. Poſtumius. Romani facti [8] Acerrani, lege ab L. Papirio prætore lata, qua civitas ſine ſuffragio data. hæc eo anno domi militiæque geſta.

Urb. Cond. an. 421. Coſſ. A. Cornel. II. & Cn. Domit.

XVIII. Fœdus inſequens annus ſeu intemperie cœli, ſeu humana

INTERPRETATIO.

a *Idcirco revocata non ſunt copiæ ex Sidicinorum regione.*

b *Impulit Samnites ut in Lucaniam proficiſcerentur.*

c *Fœdus iniit cum populo Romano* Alexander Epirota: *quod quàm religiosè ſervaturus fuiſſet, ſi ejus expeditio in reliquis pari fortunâ ſucceſſiſſet*, valde *dubium.*

NOTÆ.

3. *Excenſionem à Paſto facientem.*] Quando ſic ſcriptum in omnibus libris veteribus, nihil attinet cum Sigonio legere *Excurſionem*, pro *excenſione*; aut *ad Paſtum* pro, *à Paſto*: quicquid contrà nitatur Faber, qui pro nugis habet vulgatam lectionem, interrogatque quid ſit *excendere à Paſto*. Eſt enim, ut optimè Gronov. explicat, *Excenſionem ab Paſto facere*, deſcendere è navibus in Lucaniam ea parte ubi Pæſtum. Id magis mirum, cur Alexander à Tarentinis vocatus, non ſtatim ſuperato Bradano, in Lucaniam terreſtri itinere impreſſionem fecerit, prætuleritque longam per fretum Siculum navigationem: niſi improviſus ſupervenire voluit imparatis. Hic Alexandro iſti annus eſt Italicæ expeditionis fermè 7.

4. *A Paſto.*] *Paſtum*, Græcis *Poſidonia*, Paterculo *Neptunia*: (eſt enim Ποσειδὼν Neptunus) oppidum eſt à Sybaritis conditum ad ſinum qui inde *Paſtanus*, nunc *Golfo di Salerno*, ſexto milliari ultra oſtia Silari. Id Lucani poſteà occuparunt. Biferis roſariis nobilis locus: nomen adhuc ſervat. Vulgo *Peſti* in Principatu ulteriori, Neapolitani regni Provincia: ſed in formam vici redactus, ex quo Saraceni excidere.

5. *Novique Cives cenſi.*] Lanuvini putà, Aricini, Nomentani, Pedani, quibus nuper data civitas.

6. *Mæcia.*] Hæc 28. Tribus à Caſtro Mæcio non procul Lanuvio dicta putatur.

7. *Et Scaptia.*] Tribus 29. ab urbe, ejus nominis in Latio, cujus meminit Plinius, & quam Pedani incolebant auctore Feſto. Fuit igitur haud procul Pedo: & ex conjectura Cluver. eo loco ubi nunc vicus *Paſerano*, inter Tibur & Prænesſte. Kircherus eo loco ponit ubi hodie Villa Stroſſiorum, vulgò *Longhezza*, proxima Anieni cernitur, quatuor à Pedo milliaribus.

8. *Acerrani.*] Hi *Acerrani*, quibus nunc data Civitas Romana, dicti ab oppido *Acerris*, quæ Græcis Ἄχερραι, ad Clanium ſeu Literaum fluvium in Campania, inter Capuam & Nolam. Hodie quoque *Acerra*, aut ut vulgus pronunciat *Cerra*.

Urb. Cond. an. 422. Coss. M. Claud. Marcel. & C. Valer.

fraude fuit, M. Claudio Marcello, C. Valerio consulibus. [1] Flaccum Potitumque, varie in annalibus cognomen consulis invenio: cæterum in eo, parvi refert, quid veri sit: illud pervelim (a nec omnes auctores sunt) proditum falso esse, venenis ablumptos, quorum mors infamem annum pestilentiâ fecerit. sicut proditur tamen res, ne cui auctorum fidem abrogaverim, exponenda est. Quum primores civitatis similibus morbis, eodemque ferme omnes eventu morerentur; ancilla quædam ad [2] Q. Fabium Maximum, ædilem curulem, *indicaturam se causam publicæ pestis* professa est; *si ab eo fides sibi data esset, haud futurum noxæ indicium*. Fabius confestim rem ad consules, consules ad senatum referunt: consensuque ordinis fides indici data. Tum patefactum, *muliebri fraude civitatem premi: matronasque ea venena coquere; & si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse*. Secuti indicem, & coquentes quasdam [3] medicamenta, & recondita alia, invenerunt. quibus in forum delatis, & viginti matronis apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis, duæ ex eis, Cornelia ac Sergia, patriciæ utraque gentis, quum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice, bibere jussæ, ut se fallum commentam arguerent; spatio ad colloquendum sumpto, quum summoto populo in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent: haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento, suamet ipsæ fraude omnes interjerunt. comprehensæ extemplo earum comites, magnum numerum matronarum indicaverunt; ex quibus ad centum septuaginta damnatæ. Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est, prodigii ea res loco habita; [b] captisque magis mentibus quam consceleratis, similis visa. Itaque memoria ex annalibus repetita, [4] in secessionibus plebis

INTERPRETATIO.

a *Neque* enim *scriptores cuncti* ita *tradunt*.

b *Creditaque est convenire* animis potiùs à ratione alienatis, atque *in dementiam lapsis, quàm* consulto *flagitium* ausis.

NOTÆ.

1. *Flaccum, Potitumque*.] *Valerium Flaccum* edit Orosius: utrumque cognomen Sigonius retinuit, ut *Potito*, quod est vetus Valeriæ gentis cognomen, novum *Flacci* additum videatur.

2. *Ad Q. Fabium Maximum Æddem Curulem*.] Nondum quidem Maximi cognomen acceperat Fabius, & Valerius Max. l. 2. c. 2. eum Rutilianum vocat in Dictatura Papirii. Verùm idem hic erat qui *Maximi* titulo postea notus fuit, indito in Censura post annum ab hinc 27. Dictus ergo nunc *Maximus κατὰ πρόληψιν*.

3. *Medicamenta, & recondita alia*.] Legit Tan. Faber *Conditanea*. Quid est enim, inquit, *coquere reconditas*? quasi verò *recondita* apud Livium eadem sint cum iis quæ coquebantur; ac non dicerètur *alia recondita* dicantur, videlicet jam anteà cocta. Nihil igitur attinebat ex eo quòd *Conditaneam urnam* dixerat Varro, etiam *Conditanei* nomen ad venenum trahere.

4. *In secessionibus plebis*.] Nunc primum ab auctore mentio hujusce moris fit Clavi figendi in his secessionibus. Pestilentiæ sedandæ id usurpatum scripsit l. 7. c. 3. ut Glar. observat & Sigonius

ſionibus quondam plebis, Clavum ab dictatore fixum, alienatasque diſcordia mentes hominum eo piaculo compotes ſui feciſſe, Dictatorem Clavi figendi cauſa creari placuit. creatus Cn. Quintilius magiſtrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo Clavo magiſtratu ſe abdicarunt.

1 XIX. «Creati Conſules L. Papirius Craſſus iterum, 1 L. Plautius Venno. cujus principio anni legati ex Volſcis 2 Fabraterni, & 3 Lucani Romam venerunt; orantes ut in fidem reciperentur: ſi à Samnitium armis defenſi eſſent, ſe ſub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros. Miſſi tum ab ſenatu legati: denunciatumque Samnitibus, ut eorum populorum finibus vim abſtinerent. valuitque ea legatio, non tam quia pacem volebant Samnites, quam quia nondum parati erant ad bellum. Eodem anno Privernas bellum initum: cujus ſocii Fundani, dux etiam Fundanus fuit, Vitruvius Vaccus; vir non domi ſolum, ſed etiam Romæ clarus. a ædes fuêre 4 in Palatio ejus; quæ *Vacci prata*, diruto ædificio publicatoque ſolo appellata. Adverſus hunc, vaſtantem effuſo Setinum Norbanumque & Corahum agrum, L. Papirius profectus, haud procul caſtris ejus conſedit.

Urb. Cond. an. 423. Coſſ. L. Papir. II. & L. Plaut.

INTERPRETATIO.

a *Domus illi* Romæ *fuit in monte Palatino*.

NOTÆ.

1. *L. Plautius Venno.*] Scribendum *Venno*, non *Venox* ex ejuſdem ſecundo Conſulatu Capitolino Sigonius notat; additque eum, qui *Venox* eſt dictus, & Caji prænomen tulit, multis poſt annis in Cenſura id cognomen inveniſſe. Eſſe autem duo cognomina diverſa, *Venno*, & *Venox*, utrunque Plautiorum.

2. *Fabraterni.*] Alias *Sidicini*. Eſt autem *Fabraterna* Volſcorum oppidũ viâ Latinâ, ad Trerum fluvium, qui paulò infrà influit in Lirim. Hodie *Falvatera* in finibus Campaniæ Romanæ, verſus regnum Neapolitanum. Plinius *Fabraternos* duplices facit lib. 3. cap. 5. *Veteres* & *novos*. Sed, quòd in agro Falerno locat, fallor, aut ultra verum fines hujus agri producit.

3. *Et Lucani.*] Suſpectum hìc Sigonio *Lucanorum* nomen, tum quòd *Lucani*, nec ex Volſcis fuerint, nec Volſcis vicini; tum quòd per ſe ſatis validi, nec à Samnitibus quicquam timere potuerint, cum quibus & pugnaverant paulo anteà contra Epiri Regem: denique quòd quinto poſt anno, cum dicuntur Lucani & Appuli in fidem veniſſe, addit Livius *quibus gentibus nihil ad eum diem cum Romano populo fuerat*; infrà cap. 25. Reponit ad hæc Gronov. componi à Sigonio quæ dividenda ſunt. Ad Fabraternos enim tantùm referri illud, *ex Volſcis*: non ad Lucanos, quorum legati quidem Romam venerint, ſed ſeorſim, non ex Volſcis. Mutari præterea parvis momentis gentium fortunam. Quòd verò nihil anteà illis fuerit cum populo Romano, de bellis, ac diffidiis accipiendum eſſe: qualia inter illos nulla interceſſerant. Cæterùm accepto per Legatos in Samnium miſſos beneficio, gratiam deinde remiſiſſe. Verùm nihil horum objici poſſet, ſi ex conjectura Alb. Rubenii, quam Gronov. indicat, pro *Lucani* ſcriberentur *Poluſcani*. Fuit enim *Poluſca* Volſcorum oppidum, cujus noſter meminit lib. 2. cap. 39. & Dionyſ. lib. 8.

4. *In Palatio ejus, qua Vacci prata.*] Num potiùs, *Ædes fuere in Palatio; ejuſque Vacci Prata diruto ædificio, publicatoque ſolo, appellata*. Conſtructio certè illa mihi haud ſatis arridet, *Ædes fuere in Palatio ejus*: & *ejus* has ædes fuiſſe ſatis ex ante & poſt dictis intelligitur;

Urb. Cond. an. 423. Coſſ. L. Papir. et. & L. Plaut.

Vitruvio, nec ut vallo ſe teneret adverſus validiorem hoſtem, ſana conſtare mens; nec ut longius à caſtris dimicaret, animus ſuppetere. vix tota extrà portam caſtrorum explicata acie, fugam magis retro quam prælium aut hoſtem ſpectante milite, ſine conſilio, ſine audacia depugnat: & ut levi momento, nec ambigue eſt victus; ita brevitate ipſa loci, facilique receptu in tam propinqua caſtra, haud ægre militem à multa cæde eſt tutatus: nec fere quiſquam in ipſo certamine, pauci in turba fugæ extremæ, quum in caſtra ruerent, cæſi; primiſque tenebris Privernum inde petitum agmine trepido, ut muris potius quam vallo ſe tutarentur. A Priverno Plautius, alter conſul, pervaſtatis paſſim agris prædaque abacta, in agrum Fundanum exercitum inducit. Ingredienti fines Senatus Fundanorum occurrit; *negant ſe pro Vitruvio ſectamque ejus ſecutis precatum veniſſe; ſed pro Fundano populo, quem extra culpam belli eſſe ipſum Vitruvium judicaſſe, quum receptaculum fugæ Privernum habuerit, non patriam Fundos. Priverni igitur hoſtes populi Romani quærendos perſequendoſque eſſe, qui ſimul à Fundanis ac Romanis, utriuſque patriæ immemores defecerint. 6 Fundanis pacem eſſe, & animos Romanos, & gratam memoriam acceptæ civitatis. Orare ſe conſulem, ut bellum ab innoxio populo abſtineat: agros, urbem, corpora ipſorum conjugumque ac liberorum ſuorum, in poteſtate populi Romani eſſe, futuraque.* Collaudatis Fundanis, conſul, literiſque Romam miſſis in officio Fundanos eſſe, ad Privernum flexit iter. Prius animadverſum in eos, qui capita conjurationis fuerant, à conſule ſcribit Claudius, ad trecentos quinquaginta ex conjuratis vinctos Romam miſſos: eamque deditionem ab ſenatu non acceptam; quod egentium atque humilium pœna defungi velle Fundanum populum cenſuerint.

XX. Privernum duobus conſularibus exercitibus quum obſideretur, alter conſul comitiorum cauſa Romam revocatus: [1] Carceres eo anno [2] in Cir-

NOTÆ.

5. *Sana conſtare mens.*] Sigonius ex ſuo non optimo codice *ſanè*. Credidit haud dubiè, ſufficere ſi diceretur, aut *ſana eſſe*, aut *conſtare mens*. Sed utrumque rectè conjungitur, & firmat Gronovius, præſertim ex Ovid. 8. Metam.

Vix ſua, vix ſana Virgo Niſeja mentis
Compos erat.

6. *Fundanis pacem eſſe & animos.*] Audacter ſuo more Tan. Faber, nullo codice laudato, ſive ſcripto, ſive typis edito, *iſtud*, ait, *Pacem, nihil eſt*. Lege, *Fundanis autem eſſe*; & ſine interpunctione omni, & *animos Romanos*, &c. Quid tamen eſt, cur improbet? *Pacem*? An non *Fundanis Pacem eſſe* Latinè dicitur: id eſt Fundanos pacem colere? Annon huic loco maximè convenit ea Senatus Fundani conteſtatio? De Fundis oppido, anteà, & de Priverno, cæteriſque locis hic memoratis.

1. *Carceres eo anno.*] Servius ab arcendo *Carcerem* deducit: additque, quando locum, in quo ſervantur noxii ſignificamus, *Carcerem* tantùm dici numero ſingulari: *Carceres* autem numero plurali, unde erumpunt Quadrigæ: niſi quod Poëtæ plerunque numero ſingulari uſurpant. Hos *Carceres* ſic deſcribit Varro lib. 4. de Ling. Lat. *In Circo primo* (id eſt initio Circi) *unde mittuntur equi, Carceres dicuntur*. Deinde *Carceres dicti*, quod *coërcentur equi, ne inde exeant, antequàm Magiſtratus ſignum miſit*.

2. *In Circo.*] *Circus* eſt locus ubi Ludi

co primum ſtatuti. Nondum perfunctos cura Priverhatis belli, tumultus Gallici fama atrox invaſit; haud ferme unquam neglecta Patribus. Extemplo igitur conſules novi, L. Æmilius Mamercinus, & C. Plautius, eo ipſo die, 3 Calendis Quintilibus, quo magiſtratus inierunt, comparare inter ſe provincias juſſi: & Mamercinus, cui Gallicum bellum evenerat, ſcribere exercitum ſine ulla vacationis venia. quin opificum quoque vulgus, & 4 ſellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Vejoſque ingens exercitus contractus, ut inde obviam Gallis iretur. longius diſcedi, ne alio itinere hoſtis falleret ad urbem incedens, non placuit. Paucos deinde poſt dies, ſatis [2] explorata temporis ejus quiete à Gallis, Privernum omnis converſa vis. Duplex inde fama eſt, alii vi captam urbem, Vitruviumque vivum in poteſtatem veniſſe: alii, priuſquam ultima adhiberetur vis, ipſos ſe in deditionem conſulis [6] caduceum præferentes permiſiſſe, auctores ſunt; Vitruviumque ab ſuis traditum. Senatus de Vitruvio Privernatibuſque conſultus, conſulem Plautium, diruto Priverno muris, præſidioque valido impoſito, ad triumphum arceſſit; Vitruvium in carcerem aſſervari juſſit, quoad conſul rediſſet; tum verberatum necari. ædes ejus quæ eſſent in Palatio, diruendas, bona [7] Semoni Sanco conſecrarunt.

Urb. Cond. an. 424. Coſſ. L. Æmil. & C. Plaut.

INTERPRETATIO.

2 Cum conſtaret eo tempore nihil moveri à Gallis.

NOTÆ.

Equeſtres ſunt: ſic dictus ex eodem Varrone, quòd *Circùm* ſpectaculis ædificatus ſit: & quòd ibi *Circum* metas ſertur pompa, & equi currunt.

3. *Calendis Quintilibus.*] Primò Julii tunc magiſtratum ineibant: anteà ſextili, ut ad Conſulatum Sp. Servilii. A. Virginii an. 276. obſervat Dionyſ. lib. 9.

4. *Sellularii.*] Viliores ſunt opifices, qui ſedentes in ſellulis opus faciunt: cujuſmodi ſordidas artes profiteri Romani Cives priſcis temporibus vetabantur, teſte Hallican. non ſentel: quòd cum corpora non exercerent, minus idonei ad bellum efficerentur.

5. *Se in deditionem Conſulis permiſiſſe.*] Mavult Gronov. *in ditionem*, id eſt, *in poteſtatem*. Ego malim *Conſuli*, *Caduceum præferentes*, *permiſiſſe*: verùm *in deditionem*. neque enim in ditionem Conſulis veniebant, ſed populi Romani.

6. *Caduceum præferentes.*] Uſum Caducei ab Ægyptiis arceſſere videtur Macrobius Saturn. libr. cap. 19. qui eum Mercurio tribuerunt. Baculus eſt, quem dracones conjuncti atque in nodum convoluti ambiunt; ornatuſque alis à capulo naſcentibus. Adjicit Plinius lib. 29. cap. 3. complexum anguium & efferatorum concordiam, cauſam videri eſſe, quare exteræ gentes Caduceum in pacis argumentis, circumdatâ effigie anguium, fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in Caduceo mos eſt: quia ſcilicet Criſta galearum ornamentum eſt, bellique potius quàm pacis indicium. Caduceo muniti Caduceatores ſeu legati, qui pacis cauſâ mittuntur, jure gentium tuti habentur atque inviolabiles.

7. *Semoni Sanco.*] *Semones*, quaſi *Semihominer*, ſunt Heroes, ſive Semidei, ex hominibus in Deorum numerum relati. Qui *Sancus*, ſive *Sangus* à Sabinis, à Romanis *Sanctus* appellabatur. Hunc D. Auguſt. Janum interpretatur. Alii Herculem putant. Dionyſius lib. 4. Templum Jovis fidei præſidis Romæ fuiſſe ait, quem ipſi *Sangum* dicerent. Erit ergo

Urb. cond. an. 424. Coſſ. L. Æmil. & C. Plaut.

conſecranda: quodque æris ex eis redactum eſt, ex eo ænei orbes facti, poſiti in ſacello Sanci adverſus ædem Quirini. De ſenatu Privernate ita decretum, ut qui ſenator Priverni poſt defectionem ab Romanis manſiſſet, trans Tiberim, lege eadem qua Veliterni, habitaret. His ita decretis, uſque ad triumphum Plautii ſilentium de Privernatibus fuit: poſt triumphum conſul, necato Vitruvio ſociiſque ejus noxæ, apud ſatiatos jam ſuppliciis nocentium, tutam mentionem de Privernatibus ratus: *Quoniam auctores defectionis*, inquit, *meritas pœnas, & ab Diis immortalibus & à vobis habent, Patres Conſcripti, quid placet de innoxia multitudine fieri? Equidem etſi meæ partes exquirendæ magis ſententiæ, quam dandæ ſunt, tamen, quum videam Privernates vicinos Samnitibus eſſe, unde nunc nobis incertiſſima pax eſt; quam minimum irarum inter nos illoſque relinqui vtlim.*

XXI. Quum ipſa per ſe res anceps eſſet; prout cujuſque ingenium erat, atrocius mitiuſve ſuadentibus: tum ineertiora omnia unus ex Privernatibus legatis fecit; magis conditionis in qua natus eſſet, quam præſentis neceſſitatis memor: qui interrogatus à quodam triſtioris ſententiæ auctore, *quam pœnam meritos Privernates cenſeret? eam*, inquit, *quam merentur qui ſe libertate dignos cenſent*. cujus quum feroci reſponſo infeſtiores factos videret conſul eos, qui ante Privernatium cauſam impugnabant; ut ipſe benigna interrogatione mitius reſponſum eliceret, *Quid, ſi pœnam*, inquit, *remittimus vobis, qualem nos pacem vobiſcum habituros ſperemus? Si bonam dederitis*, inquit, *& fidam, & perpetuam: ſi malam, haud diuturnam.* Tum vero minari, nec id ambigue, [1] Privernatem, quidam, & illis vocibus ad rebellandum incitari pacatos populos. [2] Pars melior ſenatus ad meliora reſponſa trahere, & dicere, *Viri, & liberi, vocem auditam. an credi poſſe ullum populum, aut hominem denique, in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quam neceſſe ſit, manſurum?* IBI PACEM ESSE *fidam, ubi voluntarii pacati ſint: neque eo loco, ubi ſervitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe.* In hanc ſententiam maxime conſul ipſe inclinavit animos, identidem ad principes ſententiarum conſulares, uti exaudiri poſſet à pluribus, dicendo, *Eos demum, qui nihil præterquam de libertate cogitant, dignos eſſe qui Romani fiant.* Itaque & in ſenatu cauſam obtinuere, & ex auctoritate Patrum latum ad populum eſt, ut Privernatibus civitas daretur. Eodem anno Anxur trecenti in coloniam miſſi ſunt: bina jugera agri acceperunt.

NOTÆ.

Dius, ſeu Medius Fidius. In 7. regione urbis ex deſcriptione Auguſti, fuit ſacellum genii *Sangi*, Templum novum Quitinai. De hoc Sacello hic loqui Livium verisimile eſt.

1. *Privernatem, quidam.*] Ajebant nempe aliqui ex Senatoribus hunc Privernatē, &c.

2. *Pars melior Senatus ad meliora.*] Poteſt explicari, *in meliorem partem*: Non diſplicet tamen Gronovii conjectura, *ad meliora reſponſum trahere.*

3. *Ubi voluntarii pacati ſint.*] Satis apparet ſignificari eos qui ultro ac ſponte ſua paci ſtudeant: ſed novè ſatis dictum *voluntarii Pacati*, quemadmodum *voluntarii milites*, pro voluntariè pacificis.

XXII. Secutus eſt annus nulla re belli domive inſignis, P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula conſulibus; præterquam quod [1] Fregellas (Sidicinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat) colonia deducta: & populo [2] viſceratio data à M. Flavio in funere matris. Erant qui per ſpeciem honorandæ parentis, meritam meritedem populo ſolutam interpretarentur, quod eum die dicta ab ædilibus, crimine ſtupratæ matris familiæ abſolviſſet. Data viſceratio in præteritam judicii gratiam, honoris etiam ei cauſa fuit: [3] tribunatumque plebei, proximis comitiis, abſens, petentibus præfertur. [4] Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt. duabus urbibus populus idem habitabat. [5] Cumis erant oriundi. Cumani [6] ab Chalcide Euboica originem trahunt. Claſſe, qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuêre. Primo in inſulas [7] Ænariam & Pithecuſas egreſſi,

Urb. cond. an. 425. Coſſ. P. Plaut. & P. Cornel.

NOTÆ.

1. *Fregellas.*] *Fregella*, ſive *Fregella* oppidum ad dextram Liris ripam, Opicorum prius, quorum pars Sidicini; poſt Volſcorum: a Samnitibus deinde captum atque exciſum; nunc à Colonis Româ miſſis reſtitutum; tandem dirutum ab Opimio Conſule an. 630. Locus hodie *Ceperano*, ex Cluverii & Holſtenii ſententia, ubi Epiſcopus Aquinas reſidet in Terra Laboris, regnoque Neapolitano.

2. *Viſceratio data.*] Inter ea quæ in honorem defunctorum apud veteres in uſu, non modò ab hæredibus epulum domi amicis & cognatis, ſed aliquando populo dabatur, aut certè crudæ carnis diſtributio, quam *Viſcerationem* appellabant.

3. *Tribunatumque plebei, proximis Comitiis, abſens petentibus præfertur.*] Sic optimi Codices: alii *Tribunatuque & præſentibus*. De vera lectione faciendam nemini controverſiam puto. Sive enim dixeris, *præfertur petentibus Tribunatum*, ſive *præſentibus abſens præfertur Tribunatu*, id eſt, in Tribuni munere, parum refert. Licet enim cum dicimus aliquem Tribunatu ſuo quid feciſſe, intelligamus eum qui jam adeptus ſit Tribunatum; non inde ſequitur, quod vult Gronovius, *Tribunatu præferri* eodem modo eſſe accipiendum.

4. *Palæpolis.*] Neapolin inter & Herculaneum, quod nunc *Torre di Greco*, trans Sebetum amnem ad littus fuit *Palæpolis*, Veſuvio propior. Locus hodie *Poggio Reale* Ambroſio Leoni. Holſtenius in Cluverium, ait antiquiſſimum hoc oppidum, haud dubiè fuiſſe, uni nunc S. *Jovanni Attreduccio*: qui locus ultra Neapolin duobus millibus paſſuum.

5. *Cumis erant oriundi.*] De Cumis jam diximus, lib. 4. cap. 44.

6. *Ab Chalcide Euboica.*] Eamdem Cumanis originem tribuit inter cæteros Vellejus: qui Chalcidem ipſam in Eubœa inſula, anteà colonis cum Eretria occupatam ab Athenienſibus ſcribit lib. 1. Et nunc Inſula hæc maris Ægæi, Bœotiæ Atticæque objacens, & hæc ejus urbs præcipua, communi nomine dicitur vulgò *Negroponte*.

7. *Ænariam & Pithecuſas.*] Duæ ad Miſenum promontorium inſulæ ſunt, quarum major atque à continenti remotior *Ænaria*, hodiè *Iſchia* dicitur: minor *Prochyta*, & parùm mutato nomine nunc *Procida*. *Græcis Pithecuſa: non à Simiarum multitudine, ut quidam exiſtimavere, ſed à figulis doliariorum.* Πίθος enim Græcè dolium eſt, ſive cadus. *Ænariam* Virg. aliique Latini Poetæ, ipſeque Plinius *Inarimen* vocant, quaſi ex Homero. At Homerus & Heſiodus quoque dixere duplici vocabulo Ἀρίμους, apud Arimos. Sub hujus inſulæ mole conditum Typhonem ſeu Typhœum gigantem, flammas interdum eructare ferunt, fabulâ ex natura Epopei montis deductâ. Quam fabulam ex Strabone lib. 13. alii in Ciliciam, in Syriam alii rejiciunt;

deinde in continentem [8] ausi sedes transferre. Hæc civitas, quum suis viribus, tum Samnitium infidi adversus Romanos societate freta; sive pestilentiæ, quæ Romanam urbem adorta nunciabatur, fidens; multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecit. Igitur, L. Cornelio Lentulo, Q. Publilio Philone iterum consulibus, fecialibus Palæpolin ad res repetendas missis, quum relatum essent à Græcis, gente lingua magis strenua, quam factis, ferox responsum: ex auctoritate Patrum populus Palæpolitanis bellum fieri jussit: Inter consules provinciis comparatis, bello Græci persequendi Publilio evenerunt, Cornelius altero exercitu Samnitibus, si quà se moverent, oppositus. Fama autem erat, [a] defectioni Campanorum imminentes, admoturos castra. Ibi optimum visum Cornelio stativa habere. Ab utroque consule exiguam spem pacis cum Samnitibus esse, certior fit senatus. [b] Publilius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus quam voluntate Græcorum, [9] recepta Palæpoli [10] miserat: Cornelius, delectum [11] indictum à magistratibus; universum Samnium erectum; ac vicinos populos, Privernatem Fundanumque & Formianum, haud ambigue solicitari. Ob hæc quum legatos mitti placuisset prius ad Samnites, quàm bellum fieret; responsum redditur à Samnitibus ferox. Ultro inculabant injurias Romanorum; neque eo negligentius ea quæ ipsis objicerentur, purgabant. *Haud ullo*

Urb. cond. an. 426. Coss. L. Cornel. & Q. Publil.

INTERPRETATIO.

a *Fore ut ad Capuæ rebellionem parati Samnites, adjungerent exercitum.*

b. *Publilius* ad Senatum *scripserat susceptæ esse apud Palæpolin, militum Nolanorum millia duo, Samnitium quatuor millia, idque potiùs coactis per Nolanos, quàm volentibus ipsis* Palæpolitanis.

NOTÆ.

alii in Pithecusas, qui etiam affirmant *Ænos Sonios* Etrusca linguâ *Arimos* dici. *Pithecusa* autem sive *Pithecusa*, insula est non alia ab *Ænaria*, etsi noster cum Ovidio, & Mela distinguant. Sed cum *Prochyte* ab Ænaria avulsa credatur, ambæ initio *Pithecusæ* communi nomine dictæ videntur, quod postea quidam soli Ænariæ, alii soli Prochytæ tribuerunt.

8. *Ausi sedes transferre.*] An potiùs coacti? Strabo certè lib. 5. ab Eretriensibus & Chalcidensibus eò classe delatis & ejectis, habitatas scribit *Pithecusas*; sed eos partim seditione, partim terræ motibus, igniſque & maris, & calidarum aquarum eruptione, in continentem trajecisse.

9. *Recepta Palæpoli.*] Id est, apud Palæpolin. Manuscripti quidam habent *Palæpolin*, quod defendit Sigonius ex Cic. pro Arch. *Luculli eum domum suam receperunt.*

10. *Miserat.*] Supple literas hoc nuncio. Sic lib. 36. *Is extemplo ad M. Rabium misit, Antiochum in Thessaliam impetum fecisse.* Adde ex cap. prox. seq. *litera missa, ut Dictatorem Comitiorum causâ diceret.* Illud autem *miserat*, sive scripserat, ad utrumque Consulem refertur.

11. *Indictum à magistratibus.*] Scripserat nempe Cornelius à Magistratibus Samnitum indictum, &c. fuisse delectum.

publico consilio auxiliove juvari Græcos: nec Fundanum Formianumve à se solicitatos. quippe minime pœnitere se virium suarum, si bellum placeat. Cæterùm non posse dissimulare, ægre pati civitatem Samnitium, quod Fregellas, 1 ex Volscis captas dirutasque ab se, restituerit Romanus populus, coloniamque in Samnitium agro imposuerit, 2 quam coloni eorum Fregellas appellent. Eam se contumeliam injuriamque, ni sibi ab iis qui fecerint, dematur, 3 ipsos omni vi depulsuros esse. Quum Romanus legatus ad disceptandum eos ad communes socios atque amicos vocaret: 4 *Quid perplexe agimus?* inquit: *nostra certamina, Romani, non verba legatorum, nec hominum quisquam disceptator, sed campus Campanus, in quo concurrendum est, & arma, & communis Mars belli decernet. Proinde inter Capuam Suessulamque castra castris conferamus: & Samnis Romanusne imperio Italiam regat, decernamus.* Legati Romanorum quum *se non quo hostis vocasset, sed quo imperatores sui duxissent, ituros esse* respondissent; jam Publilius inter Palæpolin Neapolinque loco opportune capto, diremerat hostibus societatem auxilii mutui: qua ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant. Itaque quum & comitiorum dies instaret, & Publilium imminentem hostium muris, avocari ab spe capiendæ in dies urbis, haud è republica esset; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut quum Publilius Philo consulatu abisset, pro consule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset. L. Cornelio (quia ne eum quidem in Samnium jam ingressum revocari ab impetu belli placebat) literæ missæ, ut dictatorem comitiorum causa diceret. dixit M. Claudium Marcellum. ab eo magister equitum dictus Sp. Postumius. Nec tamen ab dictatore comitia sunt habita, quia vitione creatus esset, in disquisitionem venit. consulti augures, vitiosum videri dictatorem, pronunciaverunt. Eam rem tribuni suspectam infamemque criminando fecerunt. *Nam neque facile fuisse id vitium nosci, 5 quum consul, oriente nocte silentio diceret dictatorem: neque ab consule cuiquam*

Urb. cond. an. 426. Coll. L. Cornel. & Q. Publil.

NOTÆ.

1. *Ex Volscis captas.*] Verisimile est Fregellas à Samnitibus post victos Sidicinos lib. 7. cap. 29. tanquam veterem horum possessionem repetitas; & quòd longiùs à Samnio abessent, dirutas.

2. *Quam Coloni eorum Fregellas appellent.*] Hinc non sequitur, opinor, quod infert Cluver. anteà nomen aliud habuisse. Sed cum destructa urbs esset, & locus sine nomine, jam sub eodem Fregellarum nomine restitutum fuisse à Romanis.

3. *Ipsos omni vi depulsuros.*] Redundare videtur vel hic *ipsos*, vel paulò suprà, *se*, nisi unica vox sit, *seipsos*, in duas, longiore paulò intervallo, distracta.

4. *Quid perplexè agimus? inquit.*] Hactenus *Samnites incusabant, purgabant.* Nunc vero quo refertur *ti inquit?* Novum Livio non est à plurali numero ad singularem transgredi, & contrà. *Inquit* ergo Prætor sive alius Samnitium Magistratus, qui eorum nomine Legatis populi Romani respondebat.

5. *Quum Consul oriente nocte, silentio diceret Dictatorem.*] Nox æquè ac dies *oriri* dicitur. Ovid. 6. Fast.

Humida cum pulso, nox erit orta, die.

Sed quoniam post mediam noctem, non eâ ineunte, silentio surgere soliti qui auspicabantur, auctore Festo, in voce *silentio*: idcirco Alb. Rubenius citante Gronov. scribendum putabat; *Cum Con-*

Urb. cond. an. 426. Coſſ. L. Cornel. & Q. Publil.

publice privatimve de ea re ſcriptum eſſe: nec quemquam mortalium exſtare, qui ſe vidiſſe aut audiviſſe quid dicat, quod auſpicium dirimeret: neque augures divinare Romæ ſedentes potuiſſe, quid in caſtris conſuli vitii obveniſſet. Cui non apparere, quod plebejus dictator ſit, id vitium auguribus viſum. Hæc, aliaque ab tribunis nequicquam jactata: tamen ad interregnum res redit: dilatiſque alia atque alia de cauſa comitiis, quartuſdecimus demum interrex Lucius Æmilius conſules creat, C. Pœtelium, L. Papirium Mugillanum. Curſorem in aliis annalibus invenio.

Urb. Cond. an. 427. Coſſ. C. Pœtel. & L. Papir.

XXIV. [1] Eodem anno Alexandriam in Ægypto proditum conditam: [2] Alexandrumque Epiri regem, ab exule Lucano interfectum, [3] ſortes [4] Dodonæi Jovis eventu affirmaſſe. Accito ab Tarentis in Italiam, [5] data di-

NOTÆ.

ſul oriens nocte, ſilentio diceret Dictatorem. Nam ut obſervat Velius Longus de orthographia: *oriri apud antiquos frequenter ſurgere ſignificabat, ut appareret in eo quod dicitur*: CONSUL ORIENS MAGISTRUM *Populi dicat*. Unde videtur *Conſul oriens* ex formula dici.

1. *Eodem anno Alexandriam in Ægypto.*] Quòd nunc Alexandria condita narratur ab Alexandro, quem ſuprà c. 3. extinctum dixit auctor, non idcirco ſibi adverſari credendus. Neque enim ibi animus fuit tempus quo is mortuus erat; ſed in juvenili ætate extinctum annotare. Sic Alexandri Epirotæ caſum eodem loco memorare antevertit à Coſſ. T. Manlio Torquato III. & P. Decio anno U. 416. Alexandria verò ex Diod. Siculi calculo anno Alexandri Magni quinto condita eſt Archonte Athenis Ariſtophane, Olympiadis 112. an. 2. Coſſ. Sp. Poſtumio, T. Veturio, anno ferè ante hunc nono. Euſebius in annum 3. ejuſdem Olympiadis Alexandriæ initium confert. Solinus in L. Papirium, C. Pœtelium Conſules: quod ſi accipiatur de primo eorum Conſulatu, cujus nec Livius nec Caſſiodorus meminit; ab Euſebio non abhorrebit. Ipſe Alexander Macedo obiit juxta eumdem Diod. anno regni 12. qui primus eſt Olympiadis 114. Archonte Ægeſia, Coſſ. C. Pompilio & Papirio. Sed error in prioris Conſulis nomen irrepſit: indicatur enim ipſe hujus anni Conſulatus, L. nimirum Papirii Curſoris, & C. Pœtelli Libonis.

2. *Alexandrumque Epiri Regem.*] A Conſulatu T. Manlii Torquati cum P. Decio Mure, quo in Italiam tranſgreſſus hic Alexander memoratur cap. 3. hujus libri, hic annus eſt decimus quartus. Tanto igitur tempore in Italia bellavit.

3. *Sortes.*] *Sortes* pro oraculis accipi tritum. Apud Virg.

Hoc Lycia ſortes.

Et apud Cic. 2. de Divinat. *Sors illa edita eſt Craſo: Craſus Halyn ſuperans*, &c. Differunt tamen *ſortes* ab oraculis: Hæc enim propriè ſunt vaticinationes, quæ ore funduntur, quæ & Reſponſa appellantur: *Sortes* autem ſunt dicta literis conſignata, quæ pueri manu miſcentur, & educuntur ex urna ſeu vaſe, in quod conjecta ſunt. Hujus generis Oracula apud Dodonam in uſu fuiſſe diſcimus ex eodem Tullio lib. 1. laudati paulò antè operis.

4. *Dodonæi Jovis.*] *Dodona* Epiri urbs in Moloſſia ex Plinio, ex Strabone in Theſprotia, verſus Theſſaliæ confinia, ad fluvium ejuſdem nominis qui in Acherontem labitur. Ibi vetuſtiſſimum Jovis Templum Oraculis illuſtre, ac nemus ingens, in quo fabulantur duas olim columbas è quercu futura prænunciaſſe: quarum deinde altera Delphos, altera ad Templum Jovis Hammonis evolaverit. Columbarum nomine intelligi potuere vetulæ Sacerdotes, per quas oracula edebantur. Videtur hic locus in ea Epiri parte fuiſſe, ubi nunc *Joannina*.

5. *Data dictio erat.*] Cenſet Turnebus *dictionem* pro Oraculo ſumi, quòd à Græcis oracula interdum Λόγια vocentur, ut apud Pacuvium: *Flexa, non falſa autumnare dictio Delphis ſolet*: quibus ver-

ctio

dictio erat, *caveret* [6] *Acherusiam aquam*, [7] *Pandosiamque urbem: ibi fatis ejus terminum dari*. Eoque ociùs transmisit in Italiam, ut quam maximè procul abesset urbe Pandosia in Epiro & Acheronte amni, [8] quem ex Molosside fluentem [9] in stagna inferna, accipit [10] Thesprotius sinus. Cæterum (ut ferme fugiendo in media fata ruitur) quum sæpe Brutias Lucanasque legiones fudisset, [11] Heracleam Tarentinorum coloniam, [12] Consentiam [13] ex Lucanis, Sipontumque, Urb. cond. an. 417. Coss. C. Pœtel. & L. Papir.

NOTÆ.

bis significatur Oracula Delphica nunquam falsa esse, utcunque tortuosa sint: unde Apollo λοξίας dictus, quasi vocem habens obliquam. Oraculum porro huic Alexandro redditum ita vulgo referunt ut undam Acherusinam, Pandosiamque vitare juberetur, inde quippe mortem ei paratam. At Strabo sic recitat dictionem hanc. Πανδοσία τριέλυτι, πολὺν τότε λαὸν ὀλέσσεις: id est, *Pandosia ingentem ob populum exstinctura trivertex*. Unde ait in eam opinionem venisse hunc Alexandrum, ut existimaret, non suorum, sed hostium cladem prædici; quâ ratione Cræsus quoque delusus fuerat.

6. *Acherusiam aquam*.] Lacus est Thesprotiæ in Epiro, unde Acheron profluens, passuum inde 36. millibus in sinum Ambracium defluit: quem fluvium mille passuum ponte mirabilem, omnia sua mirantibus Græcis Plinius ait. Eodem nomine palus in Italia Cumis vicina; non Brutiorum regione, ubi Epiri hunc regem Veruto interemptum esse constat. Quare cautè Livius non Acherusiam paludem dixit, sed *Acherusiam aquam*. Et Justinus l. 12. c. 1. *Acherusium flumen*: Strabo clariùs *Acherontem*, quod verum ei fluvio nomen. Quod autem Acherontinum, quasi ab eo amne dictum oppidum in Brutiis locat Plinius, in eo neminem habet suffragatorem. Est enim Acherontia Apulorum in Lucaniæ Confinio ad Bradanum fl. hod. *Cirenza*.

7. *Pandosiamque urbem*.] Hoc nomine duplex quoque oppidum fuit, utrumque ad suum Acherontem: alterum in Molossorum aut Thesprotiorum; alterum in Brutiorum Lucanorumque confinio: illud Epiri, hoc magnæ Græciæ in Italia, quæ urbs vetustis temporibus Oenotrorum regia fuerat: postea Castellum validum, paulùm supra Consentiam versus Septentrionem, quod tres habebat vertices. Barrius Pandosiæ loco ponit oppidulum, quod hodie *Castelfranco* vocant, in Calabria Citeriore regni Neapolitani Provincia. Prosper Parisius putat ibi fuisse ubi nunc *Mendicino*.

8. *Quem ex Molosside fluentem*.] *Molossis*, seu *Molossia* regio Molossorum in Epiro, nunc ex Pineto *Pandosia*. Hinc Molossi Canes venatici eximiæ magnitudinis.

9. *In stagna inferna*.] Paludes inferioris regionis intellige. An etiam ad fabulam allusit Livius, quæ hunc fluvium Canemque Cerberum ex Epiro in inferos transtulit, Aidoneumque regem ejus regionis Plutonem seu Ditem, uxorem ipsius Proserpinam fecit; odio fortè Pirithoi interfecti, conjectique in vincula Thesei.

10. *Thesprotius sinus*.] A *Thesprotide*, seu *Thesprotia* Epiri Provincia dictus: qui & Ambracius ab Ambracia urbe Thesprotorum primaria: nunc *Golfo di Larta*.

11. *Heracleam*.] Hæc *Heraclea* in Lucaniæ ora à Tarentinis condita est, inter Sirin & Acirin amnes, qui nunc *Seno*, & *Agri*, tribus à mari passuum millibus. Ad Siris ostium urbs fuerat Trojanorum opus, de fluvii nomine dicta; quæ priscis cultoribus aliò translatis, Heracleensium navale facta est. Non procul abfuit ab oppido, quod nunc *Amendolara* in Basilicata.

12. *Consentiam*.] Brutiorum olim ex Strabone, nunc Calabriæ Citerioris caput, vulgò *Cosenza*, ad Cratim fluvium: Alarici Gothorum regis interitu, & nunc Archiepiscopatus titulo nobilis urbs cum Castro.

13. *Ex Lucanis, Sipontumque*.] Non magis Sipontus quàm Consentia Lucano-

Urb. cond. an. 427. Coſſ. C. Pœtel. & L. Papir.

14 Brutiorum Terinam; 15 alias inde Meſſapiorum ac Lucanorum cepiſſet urbes; & trecentas familias illuſtres in Epirum, quas obſidum numero haberet, miſiſſet: haud procul Pandoſia urbe imminentes Lucanis ac Brutiis finibus 16 tres tumulos aliquantum inter ſe diſtantes inſedit, ex quibus incurſiones in omnem partem agri hoſtilis faceret. & ducentos fere Lucanorum exules circa ſe pro fidis habebat; ut pleraque ejus generis ingenia ſunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Imbres continui campis omnibus inundantes, quum interclufiſſent trifariam exercitum à mutuo inter ſe auxilio: duo præſidia, quæ ſine rege erant, improviſo hoſtium adventu opprimuntur; deletiſque eis, ad ipſius obſidionem omnes converſi. Inde ab Lucanis exſulibus ad ſuos nuncii miſſi ſunt: pactoque reditu, promiſſum eſt, *regem, aut vivum, aut mortuum, in poteſtatem daturos*. Cæterum cum delectis ipſe egregium facinus auſus, per medios

NOTÆ.

rum fuere. Hanc Strabo; Plinius, Ptolomæus, ipſe Livius lib. 29. cap. 38. & lib. 30. cap. 19. Brutiis adſcribunt. *Sipontum*, quod Græci Σιποῦντα vocant, Apulorum eſt, auctoribus paulò antè nominatis, ad ſinum maris Hadriatici Uriatem, oſtiumque Cerbali fluminis, ubi vetus adhuc retinet nomen: nec cum Lucanis quicquam habet commune. Exiſtimabam poſſe defendi tanquàm Lucani devictis Apulis Sipontum eo tempore tenuiſſent: ſed de Lucanorum cum Apulis bello, nulla hic aut alibi per ea tempora mentio: & in Apulis hæc urbs à Lucanorum finibus maximè remota. Confugiendum ergo ad Cluverii emendationem: eatenus ut pro *Siponto* legamus *Metapontum*. Fuit enim hæc clara magnæ Græciæ urbs in ora Lucaniæ: à Caſventi amnis oſtio tribus milliaribus, ubi nunc *Torre di mare*. Nec obſtat quod apud Juſtinum lib. 2. cap. 2. dicitur fœdus cum Metapontinis feciſſe Alexander Epirota: potuit enim ea lege fœdus cum eis inire, ut præſidium imponeret. Cætera ſic conciliari poterunt, ſi ampliores eo tempore fines Lucanorum dicamus, & Conſentiam uſque protenſos: aut certè Lucanorum nomine contineri Brutios, utpote earumdem partium, & Lucanorum progeniem. Legerim itaque non invitus: *Heracleam Tarentinorum Colonium, Conſentiam ex Lucanis, Metapontumque*. Videndum tamen ne pro *Conſentiam*, legendum ſit *Potentiam*, quæ Lucanorum haud dubiè urbs.

14. *Brutiorum Terinam*.] Legebatur aliàs *Brutiorum Coloniam Acerinam*: ſed vocem *Coloniam* ex fide veterum aliquot codicum delevit Gronovius; & pro *Acerinam*, cujus nominis nullum extat oppidum, repoſuit ex Glareani & Sigonii conjectura, *Terinam*: quæ Crotoniatarum in Brutiis urbs inter Temeſam & Clampetiam, ad ſinum Tuſci maris Terrinæum, qui & Vibonenſis, nunc *Golfo di Santa Eufemia*, haud procul Ocinari fluvii oſtio, hodie *Savato*. Ejus ruinis proxima hodie *Nuceria*, auctore Gabr. Barrio. Cluv. mutato verborum Livii ordine, legit ex *Lucanis coloniam Acerinam*: nec quid ea ſit, aperit. Poſſet fortè intelligi Colonia ad Acirim fl. vulgò *Agri*, ſed jam Heracleam nominavit auctor, quæ Colonia Tarentinorum eo tractu.

15. *Alia inde Meſſapiorum*.] Meſſapii eam Japygiæ partem incoluerunt, quæ peninſulæ formâ à Tarento ad Brunduſium in maria Jonium Auſoniumque procurrit. Ea Calabria quoque olim dicta, & in Calabros propriè dictos ac Salentinos diviſa fuit. Hodiè *Terra d'Otranto*.

16. *Tres tumulos*.] Hinc Pandoſia τριλόφος dicta oraculo apud Strabonem, quaſi tricollis.

erumpit hoſtes, & ducem Lucanorum cominus congreſſum obtruncat: contrahenſque ſuos ex fuga palatos, pervenit ad amnem ruinis recentibus pontis, quem vis aquæ abſtulerat, 17 indicantem iter. quem quum incerto vado tranſiret agmen, feſſus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis, 18 *Jure Acheros vocaris*, inquit. quod ubi ad aures accidit regis; adjecit extemplo animum fatis ſuis: ſubſtitit-que dubius, an tranſiret. Tum Sotimus miniſter ex regiis pueris, quid in tanto diſcrimine periculi cunctaretur interrogans; indicat Lucanos inſidiis quærere locum. Quos ubi reſpexit rex procul grege facto venientes, ſtringit gladium, & per medium amnem tranſmittit equum. Jamque in vadum egreſſum, eminus veruto Lucanus exul transfigit. lapſum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hoſtium præſidia. Ibi fœda laceratio corporis facta. namque, [a] præciſo medio, partem Conſentiam miſere; pars ipſis retenta ad ludibrium. quæ, quum jaculis ſaxiſque procul inceſſeretur: mulier una, [b] 19 ultra humanarum irarum fidem ſævienti turbæ immixta, ut parumper ſuſtinerent precata, flens ait, virum ſibi liberoſque captos apud hoſtes eſſe. ſperare, corpore regio uteumque mulcato, ſe ſuos redempturam. Is finis lacerationi fuit. ſepultumque Conſentiæ, quod membrorum reliquum fuit, curâ mulieris unius: oſſaque Metapontum ad hoſtes remiſſa: inde Epirum devecta ad Cleopatram uxorem, ſororemque Olympiadem: quarum mater Magni Alexandri altera, ſoror altera fuit. Hæc de Alexandri Epirenſis triſti eventu, quanquam Romano bello [c] fortuna eum abſtinuit, tamen quia in Italia bella geſſit, paucis dixiſſe ſatis ſit.

Urb. cond. an. 427. Coſſ. C. Pœtel. & L. Papir.

XXV. Eodem anno lectiſternium Romæ quinto poſt conditam urbem, iiſdem, quibus ante, placandis habitum eſt Diis. Novi deinde conſules juſſu populi quum miſiſſent, qui indicerent Samnitibus bellum; & ipſi majore conatu quam adverſus Græcos cuncta parabant; & alia nova nihil tum animo tale agitantibus acceſſerunt auxilia. [1] Lucani

INTERPRETATIO.

a *Cum medium corpus ſecuiſſent.*
b *Crudelitatem exercentibus ultra quam credibile videatur hominum iram extendi poſſe.*
c *Illum fors arcuit.*

NOTÆ.

17. *Indicantem iter.*] Imò *negantem*, aut *denegantem*, ait Tan. Faber. Imò *indicantem*, ajo ego cum Livio. Per ruinas enim, & veſtigia pontis cognoſcitur quà ſit eundum.

18. *Jure Acheros vocaris.*] *Acheronta* dictum volunt, quaſi ἀχηρόντα, doloribus fluentem, vel παρὰ τὸ στερεῖσθαι χαρᾶς, quòd gaudio careat.

15. *Ultra humanarum irarum fidem.*] Placeret Gronovii correctio, *ultra humanarum irarum finem*, ſi ſcriptus aliquis liber ſuffragaretur.

1. *Lucani.*] Lucanos à Samnitibus ortos duce Lucio teſtatur Plinius; Græcis, Ἀυκανοί. Eam regionem quæ magna Græcia dicta, occuparunt pulſis Oenotris & Chonibus ex Strab. coluerunt-que hinc ad mare Tuſcum, inde ad Siculum ejuſve partem ſinum Tarentinum,

Urb. Cond. an. 427. Coss. C. Pœtel. & L. Papir.

atque Apuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem venerunt: arma virosque ad bellum pollicentes. fœdere ergo in amicitiam accepti. Eodem tempore etiam in Samnio res prospere gesta, tria oppida in potestatem venerunt. Allifæ, Callifæ, Rufrium: aliusque ager primo adventu consulum longe lateque est pervastatus. Hoc bello tam prospere commisso, alteri quoque bello, quo Græci obsidebantur, jam finis aderat. nam præterquam quod interseptis munimentis, hostium pars parti absciſſa erat; fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat, patiebantur: & velut capti à suismet-ipsis præsidiis, indigna jam liberis quoque ac conjugibus, & quæ captarum urbium extrema sunt, patiebantur. Itaque, quum à Tarento & à Samnitibus fama esset nova auxilia ventura; Samnitium plus quam vellent, intra mœnia esse rebantur: Tarentinorum juventutem Græci Græcos, haud minus per quos Samniti Nolanoque, quam ut Romanis hostibus resisterent, exspectabant. Postremo levissimum malorum deditio ad Romanos visa. Charilaus & Nymphius principes civitatis, communi-

NOTÆ:

A Picentinis atque Hirpinis Silaro fluvio, à Brutiis Lao divisi, ab Apulis Bradano. Nunc ille tractus magna ex parte *Basilicata* vocatur: reliqua ad occasum æstivum pars, in Principatus nomen transiit; ad meridiem, Calabriæ citerioris pars est, quæ Neapolitani regni provinciæ.

2. *Atque Apuli.*] Antiquis Græcis *Japygia* ab Japyge Lycaonis filio, dicebatur extrema illa Italiæ regio, extremo mari Hadriatico imminens, quam Romani in tria nomina distinxere *Apuliam*, Calabriam, & Salentinos. *Apulia* ipsa in Dauniam & Peucetiam divisa fuit. Illa à Frentone fluvio ad Aufidum; hæc ab Aufido hinc Brundusium usque, inde ad Galesum amnem protensa: Daunia Frentanis, Samnitibus, Hirpinis olim contermina, nunc *Puglia piana*, & *Capitanata* appellatur: Peucetia, quam ex parte Hirpini, cætera Lucani ambiebant, hodie vocatur *Terra di Bari*.

3. *Quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat.*] Nullum quidem illis bellum cum Romanis intercesserat. Sed *Lucani* haud omnino ignoti. Legatos certè, eodem tempore quo Latini mississe dicuntur suprà.

4. *Allifæ.*] Ad lævam Vulturni ripam infra Æsernia m est Samnitum opp. Allifæ, vulgò nunc *Alisi*: in confinio Campaniæ, quæ nunc Terra Laboris medio propè itinere inter Casinum & Beneventum.

5. *Callifæ.*] Hirpinorum fuit: sed illi tunc Samnitibus, opinor, junctí; oppidulum est, nunc *Carife* dictum sub Apennino, in Principatu Ulteriore.

6. *Rufrium.*] Silius *Rufras* appellat, *Rufas* Virgil. Oppidum in Hirpinorum quoque finibus. His enim nominibus eundem significari locum putat Cluv. iisque respondere nunc episcopale oppidum, quod vulgò *Ruvo*. Holstenius *Rufrium* & *Rufras* diversa omnino loca fuisse censet; & *Rufras* nunc dici *Presenzano*, cujus ager *la Costa Rufaria*, in Campania & Diœcesi Teanensi, ubi *Taberna* S. Felicis ad Rufas.

7. *Indigna jam liberis quoque & conjugibus.*] *Liberis*, id est f. *per liberos*, &c. Sed libens scribetem inserta præpositione, *indigna jam in liberis quoque ac conjugibus*, &c. *patiebantur*. Cujus verbi repetitio jure displicet Gronovio: sed semel tantùm in fine positum, sententiam ultra modum suspendit.

8. *Græci Græcos.*] Palæpolitani Chalcidensium Coloni, Tarentinos Lacedæmoniorum progeniem.

cato inter ſe conſilio, partes ad rem agendam diviſere, ut alter ad imperatorem Romanorum transfugeret, alter ſubſiſteret [a] ad præbendam opportunam conſilio urbem. Charilaus fuit, qui ad Publilium Philonem venit: &, *quod bonum, fauſtum, felixque Palæpolitanis, populoque Romano eſſet, tradere ſe* ait *mœnia ſtatuiſſe. Eo facto, utrum ab ſe prodita an ſervata patria videatur, in fide Romana poſitum eſſe. ſibi privatim nec paciſci quicquam, nec petere: publice petere quam paciſci magis, ut ſi ſucceſſiſſet incœptum, cogitaret populus Romanus, potius cum quanto ſtudio periculoque reditum in amicitiam ſuam eſſet, quam quæ ſtultitia & temeritate de officio deceſſum.* Collaudatus ab imperatore, tria millia militum ad occupandam eam partem urbis, quam Samnites inſidebant, accepit: 9 præſidio ei L. Quintius tribunus militum præpoſitus. Urb. cond. an. 427. Coſſ. C. Pœtel. & L. Papir.

XXVI. Eodem tempore & Nymphius prætorem Samnitium arte aggreſſus, perpulerat ut, quoniam omnis Romanus exercitus, aut circa Palæpolim aut in Samnio eſſet, ſineret ſe claſſe circumvehi ad Romanum agrum; non oram modo maris, ſed ipſi urbi propinqua loca depopulaturum. Sed ut falleret, nocte proficiſcendum eſſe, [a] extemploque naves deducendas. quod quo maturius fieret, omnis juventus Samnitium, præter neceſſarium urbis præſidium, ad littus miſſa. ubi dum Nymphius, in tenebris & multitudine ſemetipſa impediente, [b] ſedulo aliis alia imperia turbans, terit tempus: Charilaus ex compoſito [c] ab ſociis, in urbem receptus; quum ſumma urbis Romano milite impleſſet, tolli clamorem juſſit. ad quem Græci, ſigno accepto à principibus, quievêre. Nolani per adverſam partem urbis via Nolam ferente effugiunt. Samnitibus excluſis ab urbe, ut expeditior in præſentia fuga, ita fœdior, poſtquam periculo evaſerunt, viſa: quippe qui inermes nulla rerum ſuarum non relicta inter hoſtes, ludibrium non externis modo, ſed etiam popularibus, ſpoliati atque egentes domos rediere. [d] Haud ignarus opinionis alterius, qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur, quum auctoribus hoc dedi, quibus dignius credi eſt, tum fœdus Neapolitanum (eo enim deinde ſumma rei Græcorum venit) ſimilius vero facit, ipſos in amicitiam rediſſe. Publilio triumphus decretus:

INTERPRETATIO.

a *Ut in urbe faciliorem præſtaret effectum conſilii* inter ambos iniit.

a *Illico oportere naves è portu* in altum *trahere.*

b *Modò hoc, modò illud jubendo* cuncta *perturbat.*

c *A conſciis conſilii.*

d *Non me latet* à quibuſdam *aliam opinionem traditam eſſe*, nempe *hujus proditionis auctores fuiſſe Samnites.* Verùm ut Palæpolitanis ducibus factam eſſe potiùs credam, duo me movent: *hinc ſcriptorum*, qui ita narrarunt *auctoritas potior*: inde *fœdus* cum Romanis *initum à Neapolitanis, ad quos tranſlatum eſt Græcorum* in eo tractu *imperium*: unde *probabilius ſit ipſos* ſponte *reverſos ad ſocietatem* Romanorum.

NOTA.

9. *Præſidio ei.*] Illis tribus militum millibus.

quod satis credebatur obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primum contigêre: prorogatio imperii non ante in ullo facta [2] & acto honore triumphus.

Urb. cond. an. 427. Coss. Q. Pœtel. & L. Papir.

XXVII. Aliud subinde bellum cum alterius oræ Græcis exortum. namque quum Tarentini rem Palæpolitanam vana spe auxilii aliquandiu sustinuissent; postquam Romanos urbe potitos accepere, velut destituti, ac non qui ipsi destituissent, increpare Palæpolitanos, irâ atque invidiâ in Romanos furere: eo etiam quod Lucanos & Apulos (nam utraque eo anno societas cœpta est) in fidem populi Romani venisse allatum est. *quippe propinquorum pervenisse ad se esse: jamque in eo rem fore, ut Romani aut hostes, aut domini habendi sint. Discrimen profecto rerum suarum in bello Samnitium eventuque ejus verti. eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis validam, quando Lucanus defecerit. quem revocari adhuc, impellique ad abolendam societatem Romanam posse, si qua ars ferendis discordiis adhibeatur.* Hæc consilia quum apud cupidos rerum novandarum valuissent; ex juventute quidam Lucanorum pretio asciti, clari magis inter populares quam honesti, inter se mulcati ipsi virgis, quum corpora nuda intulissent in civium cœtum, vociferati sunt, se, quod castra Romana ingredi ausi essent, à consule virgis cæsos, ac prope securi percussos esse. Deformis suapte natura res, quum [a] speciem injuriæ magis quam doli præ se ferret; concitati homines cogunt clamore suo magistratus senatum vocare: & alii circumstantes concilium, bellum in Romanos poscunt: alii ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt: tumultuque, etiam sanos consternante animos, decernitur, ut societas cum Samnitibus renovetur, legatique ad eam rem mittantur. Repentina res, [b] quia quam causam nullam, tam ne fidem quidem habebat; coacti à Samnitibus & obsides dare, & præsidia in loca munita accipere. cæci fraude & irâ nihil recusarunt. Dilucere deinde brevi fraus cœpit, postquam

INTERPRETATIO.

a *Cum res* ipsa, qui passi virgarum adornari: plagas dicebantur, *per se turpis, verisimilem potiùs faceret injuriam* illis à Romanis illatam *esse, quàm ab ipsis fraudem*

b *Quoniam ea res tanto minùs credibilis erat, quantò nullâ niteretur ratione.*

NOTÆ.

1. *Quod satis credebatur.*] Etsi conditionibus in Romanorum ditionem Palæpolitani redierant: facilè tamen credidunt Romæ eo compulsos belli & obsidionis malis à Publilio Philone illatis.

2. *Et acto honore triumphus.*] Hoc singulare non erat Romæ, ut post administratum honorem quis triumpharet. Sed hoc novum in Philone, quod non ex summo honore, Consulatu nempe, Tribunatu militum, aut Dictaturæ triumpharet: sed gesto tantùm Proconsulatu; qui novus tunc quoque honor, nec summus, neque ullam in urbe potestatem tribuebat: ideò in Capitolinis lapidibus meritò notatum, ut refert Sigonius, *Q. Publilius, Q. F. Q. N. Philo II. Primus Proconsul de Samnitibus, Palæpolitaneis.*

criminum falſorum auctores Tarentum commigravere : ſed 3 amiſſa omni de ſe poteſtate, nihil ultra quam ut pœniteret fruſtra, reſtabat.

XXVIII. Eo anno plebi Romanæ, velut aliud 1 initium libertatis factum eſt, 2 quod necti deſierunt : mutatum autem jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem. 3 L. Papirius is fuit, cui quum ſe C. Publilius 4 ob æs alienum paternum nexum dediſſet ; quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt : & florem ætatis ejus 5 fructum adven-

Urb. cond. an. 427. Coſſ. Q. Pœtel. & L. Papir.

INTERPRETATIO.

5 *Emolumentum acceſſorium pecunia credita*, & extrinſecus adveniens.

NOTÆ.

3. *Amiſſâ omni de ſe poteſtate.*] Latinum eſſe negat Tan. Faber: ſenſum Livii eſſe putat : *ſed amiſſâ omni ſpe rei perficiendæ*. Mihi verò videtur illud prius non modò Latinum, non modò elegantius : ſed ad ſententiam haud paulò accommodatius. Cum enim Samnitibus Lucani & obſides dediſſent, & præſidia eorum munitis locis accepiſſent ; non ampliùs in Lucanorum arbitrio erat, ut à fœdere cum ipſis inito diſcedetent : quia ſcilicet jam *ſua poteſtatis non erant* ; poteſtatem de ſe deque re ſua publica liberè conſulendi amiſerant. Porro *ſua poteſtatis eſſe* pro eo quod eſt nō eſſe in poteſtate alterius, perinde ac *ſui juris, ſui arbitrii eſſe*, Juriſconſultis utitatum ; nec aliis Scriptoribus incognitum. *Sui arbitrii homo* apud Sueton. in Tib. c. 17. & in Claud. c. 2. apud Senecam quoque Conſolat. ad Polyb. *Juris arbitriique ſui*.

1. *Initium libertatis.*] Mirum videri poteſt, quod *initium libertatis* nunc demum *plebi Romanæ* factum dicatur anno à pulſis regibus ſaltem 183. Sed nimirum libertatis nomine intelligenda eſt liberatio plebejorum à Patriciorum creditorum ſævitia ; quâ ratione plenior illis contigiſſe *libertas* dici poteſt. Facit locus ex Suida in voce Ῥωμαῖοι, adductus à Sigonio, ubi dicitur ob hoc facinus, omnes Romanos propter debita ſervituti addictos, rogatâ lege libertatem antiquam recepiſſe : omnimodam ſcilicet, qualis jure naturali fuit ante civilia jura conſtituta. Et verò non abſolutè *initium libertatis* dixit Liv. Sed *velut aliud initium*.

2. *Quod necti deſierunt.*] Non placet Sigonii correctio, quam plerique deinde ſequuti, *quod nexi ligari deſierunt*. Hoc enim actum eſt, ne omnino necterentur ; *cautum* quippe mox dicit, in poſterum *ne necterentur*, id eſt, ne per illam obligandi formam quam nexum appellabant, pro pecunia mutua corpus ipſi operaſque ſuas velut in ſervitutem creditoribus ſubjicerent. Sententiæ noſtræ favere videtur Varro lib. 1. de Lin. Lat. ab ipſo Sigon. adductus ; *liber, qui ſuas operas in ſervitutem pro pecunia quam debebat, præbet, nexus vocatur, ut ab are obæratus. Hoc C. Pœtilio Dictatore inſtitutum, ne fieret*. Pœtelius tamen hic Quintus, non Cajus : & Conſul, erat non Dictator.

3. *L. Papirius is fuit.*] Queritur Glareanus quòd omiſſum fuerit cognomen, nec conſtet, an Craſſus, Mugillanuſve fuerit, quorum trium gentis ejus cognominum hactenus meminit Livius. Ego neque hujus anni Conſulem, qui eodem nomine ac prænomine, neque alium ullum ex iis, qui magiſtratus geſſerunt, fuiſſe arbitror. Vero quippe ſimile videtur, ſi quis eorum eſſet, auctorem id neutiquam ſilentio prætermiſſurum.

4. *Ob æs alienum paternum nexum dediſſet.*] Probari non poteſt quod apud Godei. Budæus prioribus in Pandectas annotationibus mavult, *nexum iniſſet*. Quin enim ſenſus, *ſe nexum iniſſet*? Nec eſt quod expungatur pronomen *ſe* ; nam & *tradere rem alicui nexu*, Cicer. dixit in Topicis ; & *ſe nexum dare ob æs alienum paternum*, idem ferè ſonat apud noſtrum, quod apud illum ibidem, *mancipio aliquid dare*, aut quod 2. de finibus 79. *Vadem te ad mortem Tyranno dabis pro amico*.

Urb. cond. an. 427. Coſſ. Q. Pœtel. & L. Papir.

titium crediti ratus, primo perlicere adoleſcentem ſermone inceſto eſt conatus: dein poſtquam aſpernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: poſtremo, quum ingenuitatis magis, quàm præſentis conditionis memorem videret, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, quum ſe in publicum proripuiſſet, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris; ingens vis hominum quum ætatis miſeratione atque indignitate injuriæ accenſa, tum ſuæ conditionis, liberûmque ſuorum reſpectu, in forum, atque inde, agmine facto, ad curiam concurrit. & quum conſules tumultu repentino coacti ſenatum vocarent, introeuntibus in Curiam Patribus, laceratum juvenis tergum, procumbentes ad ſingulorum pedes oſtentabant. 5 Victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei: juſſique conſules ferre ad populum, *ne quis, niſi* 6 *qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. Pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet.* 7 Ita nexi ſoluti: cautumque in poſterum, *ne necterentur*.

Urb. cond. an. 428. Coſſ. L. Fur. II. & Jun. Brut.

XXIX. Eodem anno quum ſatis per ſeipſum Samnitium bellum, & defectio repens Lucanorum, auctoreſque defectionis Tarentini ſollicitos haberent Patres; acceſſit, ut & 1 Veſtinus populus Samnitibus ſeſe conjungeret. quæ res, ſicut eo anno ſermonibus magis paſſim hominum jactata, quam in publico ullo concilio eſt: ita inſequentis anni conſulibus L. Furio Camillo iterum, Junio Bruto Scævæ, nulla prior poſteriorque viſa eſt, de qua ad ſenatum referrent. & quanquam nova res erat, tamen tanta cura Patres inceſſit, ut pariter eam ſuſceptam neglectamque timerent:

NOTÆ.

5. *Victum eo die.*] Gratulor Tan. Fabro, quòd *Ruptum* hoc loco probet pro *victo*: *vinculum* enim non *vinci*, ſed *rumpi* propriè dixeris. Virg. 2. Æn.

Eripui fateor letho me & vincula rupi.

Vellem Codex aliquis correctionem firmaret. Verùm vinculi nomen hic figuratè ſumitur, pro ipſa fide publica, quâ homines ſe velut nodo quodam invicem obſtringunt: ejus autem vim facti hujus atrocitas viciſſe dici poteſt. Infrà cap. 30. *Majeſtatem Dictatoriam & diſciplinam militarem à magiſtro equitum violatam & everſam.*

6. *Qui noxam meruiſſet.*] *Noxam* vel *noxiam mereri* dicuntur (nam hæc duo promiſcuè ſumi novum non eſt) qui ob culpam damnumve illatum pœnæ obnoxios ſe ipſi reddunt. ita *noxa*, vel *noxia* pro crimine valet. Hinc apud Juriſconſultos *ſervum noxæ dedere*, eſt in pœnam pro delicto commeritam tradere. Et apud Plaut. legitur *amicum caſtigare ob meritam noxiam*: eadem ratione *multa* vel *pœna committi* dicitur. Itaque qui *noxam meruiſſet*, eſt, qui vinculis ob crimen patratum dignus eſſet.

7. *Ita nexi ſoluti:*] Duplicem interpretationem recipit hæc phraſis: ut ſcilicet qui nexu obligati, vel ſi qui jam addicti creditoribus, atque in vinculis erant, iis exempti ſint; vel ut omnes eâ obligatione, quod ad pignerationem corporis attinet, fuerint liberati.

1. *Veſtinus populus.*] Creduntur *Veſtini* generis Samnitici fuiſſe: exiguus populus Marrucinis, Pelignis, Marſis, Sabinis, Picentibus, & Hadriatico mari claudebantur. Nunc pars ſunt Aprutii ulterioris Marchiæ Anconitanæ proxima in regno Neapolitano. Urbes eorum *Pina*, quæ nunc *Civita di Penna*, & *Avia*, quæ hodie *Civita di Bagno* prope Aquilam.

ne aut

ne aut impunitas eorum laſciviâ ſuperbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo atque irâ, concirent finitimos populos. [2]Et erat genus omne abunde bello Samnitibus par [3] Marſi [4] Pelignique [5] & Marrucini: quos, ſi Veſtinus attingeretur, [6] omnes habendos hoſtes. Vicit tamen pars, quæ in præſentia videri potuit majoris animi, quam conſilii: ſed eventus docuit, FORTES FORTUNAM JUVARE. Bellum ex auctoritate Patrum populus adverſus Veſtinos juſſit. Provincia ea Bruto, Samnium Camillo ſorte evenit. Exercitus utroque ducti, & curâ tuendorum finium hoſtes prohibiti conjungere arma. Cæterum alterum conſulem L. Furium, cui major moles rerum impoſita erat, morbo gravi implicitum fortuna bello ſubtraxit: juſſuſque dictatorem dicere rei gerendæ cauſa: longe clariſſimum bello ea tempeſtate dixit [7] L. Papirium Curſorem, à quo Q. Fabius Maximus Rullianus magiſter equitum eſt dictus; par nobile rebus in magiſtratu geſtis: diſcordiâ tamen, qua prope ad ultimum dimicationis ventum eſt, nobilius. Ab altero conſule in Veſtinis multiplex bellum, nec uſquam vario eventu geſtum eſt. nam & pervaſtavit agros, & populando atque urendo tecta hoſtium, ſataque, in aciem invitos extraxit: & ita prælio uno acceſſit Veſtinorum res, (haudquaquam tamen incruento milite ſuo), ut non in caſtra ſolum refugerent hoſtes; ſed jam ne vallo quidem ac foſſis freti, dilaberentur in oppida, ſitu urbium mœnibuſque ſe defenſuri. Poſtremo, oppida quoque vi expugnare adortus, [7] primo Cutinam ingenti ardore militum, aut vulnerum [a] irâ, quod haud fere quiſquam integer prælio

Urb. cond. an. 428. Coſſ. L. Fur. 11. & Jun. Brut.

INTERPRETATIO.

a *Vel ex iracundiâ quam concitaverant* accepta ab hoſtibus *vulnera*.

NOTÆ.

2. *Et erat genus omne abundè bello Samnitibus par.*] Univerſum genus vicinorum populorum, quos mox recenſet, non minùs bellicoſum erat, quàm Samnites, ut potè qui à Samnitibus ferè originem traherent, nominibus licèt diviſi: eorumque ſimul junctorum multitudo non minor quàm Samnitum.

3. *Marſi.*] Eos Apenninus, Peligni, Veſtini, Sabini, Latini, Hernici, Volſcique cingebant. Illorum erat *Alba* Fucentis ad *Fucinum* lacum, vulgò *Albi*. Latio poſteà contributi. Nunc in Aprutio regni Neapolitani provincia.

4. *Pelignique.*] Inter Frentanos, Marrucinos, Veſtinos, Marſos, Samnitesque fuere Peligni. Urbs eorum *Sulmo*, vulgò *Sulmona*, in Aprutio Citeriori, quæ Principatus titulo gaudet.

5. *Et Marrucini.*] Hæc ex Italicis ferè minima gens, Veſtinorum, Pelignorum, Frentanorumque agris incluſa, Hadriaticum mare aliquatenus attingebat. Pars nunc Aprutii Ulterioris in regno Neapolitano. Urbium caput *Theate*, vulgò *Chieti* Archiepiſcopatus, unde *Theatinorum* ordini religioſo nomen.

6. *Omnes habendos hoſtes.*] Supple proſpiciebat Senatus.

7. *Primò Cutinam . . . . deinde Cingiliam.*] Hæc oppidorum nomina nullibi extant: nam *Cutilia* in Sabinis, non in Samnio. Suſpicatur Cluverius mendoſè ſcriptum *Cutinam*, pro, *Auſina*, quæ adhuc *Oſena*, vel *Oſeno*, inter Pinnam, Aquilam, & Populium. In hoc tractu oppidulum eſt vulgari vocabulo *Celiera*: quod fortè Cingiliæ memoriam ſervare ait.

excesserat, fœdis cepit: deinde Cingiliam. utriusque urbis prædem militibus, quod eos neque portæ, neque muri hostium arcuerant, concessit.

XXX. In Samnium, 1 incertis itum auspiciis est: cujus rei vitium non in belli eventum quod prospere gestum est; sed in rabiem atque iras imperatorum vertit. namque Papirius dictator à pullario monitus, quum ad auspicium repetendum 2 Romam proficisceretur, magistro equitum denunciavit, ut sese loco teneret, neu absente se cum hoste manum consereret. Fabius quum post profectionem dictatoris per exploratores comperisset, perinde omnia soluta apud hostes, ac si nemo Romanus in Samnio esset; seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse; seu occasione bene gerendæ rei inductus; exercitu instructo paratoque profectus ad 3 Imbrinium (ita vocant locum) acie cum Samnitibus conflixit. ea fortuna pugnæ fuit, ut nihil relictum sit, quo si affuisset dictator, res melius geri potuerit: non dux militi, non miles duci defuit. Eques etiam, auctore L. Cominio tribuno militum, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterat hostium agmen, 4 detraxit frenos equis; atque ita concitatos calcaribus permisit, ut sustinere eos nulla vis posset. per arma, per viros late stragem dedêre. Secutus pedes impetum equitum, turbatis hostibus intulit signa. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur. Auctores habeo bis cum hoste signa collata dictatore absente, bis rem egregie gestam. Apud antiquissimos scriptores, una hæc pugna invenitur: in quibusdam annalibus tota res prætermissa est. Magister equitum, ut ex tanta cæde multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit: seu votum id Deorum cuipiam fuit; 4 seu credere libet Fabio auctori, eo factum, ne suæ gloriæ fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet, aut spolia in triumpho ferret. Literæ quoque de re prospere gesta ad senatum, non ad dictatorem missæ; argumentum fuêre minimè cum eo communicantis laudem. Ita certe di-

Urb. cond. an. 428. Dictat. L. Papir.

NOTÆ.

1. *Incertis auspiciis.*] Non satis prospera fuerant auspicia, pullorum minùs alacri, vel è Cavea volatu, vel pastu. Nam hæc auspicia ex tripudio fuisse petita inde patet, quòd Dictatori religio injecta est monitu unius ex pullariis; qui pullorum hujusmodi curam gerebant.

2. *Romam proficisceretur.*] Non novum belli duces in urbem renovandorum auspiciorum causâ redire. Tanta ejus rei religio erat, ut ex Cic. in libris de Divin. & alibi observatum.

3. *Ad Imbrinium.*] Ignobilem esse locum oportet, cujus nulla apud alios mentio. Nam quòd Lipsius hic *Simbrivium*, apud Tacitum 11. Ann. *Sub Imbrivinis collibus* legit, pro *Simbruinis*; refertque ad stagnum *Simbrivium*, qui juxta Sublaqueum est XII. ab urbe mill. admitti nullo pacto potest, cum *Simbrivina* aquæ, & Sublaqueum ad Anienem, in Latio situm longiùs distent ab hoc *Imbrinio*, quem locum in Samnio Livius ponit.

4. *Seu credere libet Fabio auctori.*] Ita legendum ex primis editionibus: estque intelligendus, non Magister equitum ipse *Fabius Rullianus*; sed *Fabius Pictor* antiquus Romanæ auctor Historiæ.

ctator id factum accepit, ut lætis aliis victoria parta, præ ſe ferret iram triſtitiamque. Miſſo itaque repente ſenatu, ſe ex curia proripuit: tum vero, non Samnitium magis legiones quam majeſtatem dictatoriam & diſciplinam militarem à magiſtro equitum victam & everſam dictitans, ſi illi impune ſpretum imperium fuiſſet. Itaque plenus minarum iræque, profectus in caſtra, quum maximis itineribus iſſet, non tamen prævenire famam adventus ſui potuit. Præcurrerant enim ab urbe, qui nunciarent dictatorem avidum pœnæ venire, alternis pene verbis T. Manlii factum laudantem. Urb. cond. an. 428. Dictat. L. Papir.

XXXI. Fabius concione extemplo advocata, obteſtatus milites eſt, *ut quæ virtute rempubl. ab infeſtiſſimis hoſtibus defendiſſent, eadem ſe cujus ductu auſpicioque viciſſent, ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire amentem invidia, iratum virtuti alienæ felicitatique, furere, [1] quod ſe abſente res publica egregie geſta eſſet: malle, ſi mutare fortunam poſſet, apud Samnites, quam Romanos victoriam eſſe. Imperium dictitare ſpretum, tanquam non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum dolcat: & tunc invidia impedire virtutem alienam voluiſſe, cupidiſſimiſque arma ablaturum fuiſſe militibus, ne ſe abſente moveri poſſent: & nunc [2] id furere, id ægrè pati, quod ſine L. Papirio, non inermes, non manci milites fuerint; quod ſe Q. Fabius magiſtrum equitum duxerit, ac [3] non Accenſum dictatoris. Quid illum facturum fuiſſe, ſi, quod belli caſus ferunt, Marſque communis, adverſa pugna eveniſſet: qui ſibi devictis hoſtibus, republica bene geſta, ut non ab illo unico duce melius geri potuerit, ſupplicium magiſtro equitum minetur? Neque illum magiſtro equitum infeſtiorem, quam tribunis militum, quam centurionibus, quam militibus eſſe. Si poſſit, in omnes ſævitorum fuiſſe: quia id nequeat, in unum ſævire. Etiam* INVIDIAM *tanquam ignem ſumma petere, in caput conſilii, in ducem incurrere. ſi ſe ſimul cum gloria rei geſtæ extinxiſſet, tunc victorem velut in capto exercitu dominan-*

NOTÆ.

1. *Quòd ſe abſente res publica egregiè geſta eſſet.*] Contra ſcriptorum & priorum editionum fidem Sigon. vocem *publica* expunxerat, quaſi *rem publicam gerere* dici non poſſet de eo qui bellum geſſit. Rectè Gronov. veterem lectionem reſtituit, affirmatque aliquot exemplis ita loqui optimos auctores de iis qui quamcumque partem ad ſummam rerum pertinentem adminiſtrant. Vnus Livii locus ſufficiat, qui ſtatim hoc ipſo capite ſubjicitur de eadem re: *devictis hoſtibus, re publicâ benè geſtâ.*

2. *Id furere.*] Nova conſtructio, pro, eâ de cauſa iraſci, dolère id factum eſſe: ut apud Cic. 8. ad Fam. ep. 8. *Nunc furit Domitius tam gaviſos homines ſuum dolorem: unumque me ſtudioſiorem Antonii.*

3. *Non Accenſum Dictatoris.*] *Accenſi* fatellitum ſeu apparitorum genus, quorum miniſterio magiſtratus, ad accerſendos quos vellent, utebantur; non multùm ſuprà *lictores*. Eos enim Cic. conjungit 1. de Leg. *Utatur Accenſo atque lictoribus.* Imò ſervorum propemodùm loco erant. Idem ad Q. Fratrem lib. 1. ep. 1. *Accenſus ſit eo etiam numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris ac muneris, non temerè niſi libertis ſuis deferebant, quibus illi quidem non ſecus ac ſervis imperabant.*

Verb. cond. an. 42. Dictat. L. Papir.

tem, quicquid licuerit in magiſtro equitum, in militibus auſurum. Proinde adeſſent in ſua cauſa omnium libertati. Si conſenſum exercitus eundem, qui in prælio fuerit, in tuenda victoria videat, & ſalutem unius omnibus curæ eſſe; inclinaturum ad clementiorem ſententiam animum. Poſtremo ſe vitam, fortunaſque ſuas illorum fidei virtutique permittere.

XXXII. Clamor è tota concione ortus, *uti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum ſalvis legionibus Romanis.* Haud multo poſt dictator advenit: [a] claſſicoque extemplo ad concionem advocavit. Tum ſilentio facto, præco Q. Fabium magiſtrum equitum citavit. qui ſimul ex inferiore loco ad tribunal acceſſit, tum dictator: *Quæro*, inquit, *de te, Q. Fabi, quum ſummum imperium dictatoris ſit, pareantque ei Conſules, regia poteſtas, prætores iiſdem auſpiciis quibus Conſules creati, æquum cenſeas, necne, magiſtrum equitum dicto audientem eſſe? Itemque illud interrogo, quum ne incertis auſpiciis profectum ab domo ſcirem, utrum mihi turbatis religionibus reſpubl. in diſcrimen committenda fuerit, an auſpicia repetenda, ne quid dubiis Diis agerem? Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magiſter equitum ſolutus ac liber potuerit eſſe? Sed quid ego hæc interrogo, quam ſi ego tacitus abiiſſem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua ſententia fuerit. Quin tu reſpondes, vetuerimne te quicquam rei me abſente agere? vetuerimne ſigna cum hoſtibus conferre? [2] Quo tu imperio meo ſpreto, incertis auſpiciis, turbatis religionibus, adverſus morem militarem, diſciplinamque majorum, & numen Deorum, auſus cum hoſte confligere. Ad hæc, quæ interrogatus es, reſponde. extra ea cave vocem mittas. Accede lictor.* Adverſus quæ ſingula Q. Fabio quum reſpondere haud facile eſſet, & nunc quereretur eundem [b] accuſatorem capitis ſui, ac judicem eſſe; modo vitam ſibi eripi citius, quam gloriam rerum geſtarum poſſe, vociferaretur; purgaretque ſe invicem, atque ultro accuſaret; tunc Papirius, redintegrata ira, *ſpoliari magiſtrum equitum, ac virgas & ſecures expediri* juſſit. Fabius fidem militum implorans, lacerantibus veſtem lictoribus, ad

INTERPRETATIO.

[a] *Et ſtatim* exercitum *ſigno tuba acciri juſſit ad concionem.*

[b] *Accuſatorem ſuum capitalem;* ſive *eo judicio in quo de capite agatur.*

NOTÆ.

1. *Conſules, regia poteſtas.*] Appoſitione deſcribit jus *Conſulum*, quorum *regia poteſtas*, id eſt, qui eadem ferè poteſtate præditi, quâ prius reges; niſi quòd hi duo annui, pro uno perpetuoque. Cæterùm paribus auſpiciis creati iiſdem faſcibus atque ornamentis inſignes.

2. *Quo tu imperio meo ſpreto.*] Sigonius τὶ *quo* adverbialiter ſumi vult, pro *quid*, ſive *ad quid*: quod Græci dicunt, τὶς τί, vel τί δι: ut apud Cic. *Martis ſignum quo mihi pacis auctori?* Hic tamen revera ponitur illud *quo* relativè. Cum enim dixiſſet Papirius per interrogationem ſe vetuiſſe quicquam ſe abſente agi: mox ſubjicit affirmatè & abſque interrogatione, Fabium eo ipſius juſſu contempto auſum eſſe confligere ipſo abſente.

Triarios, 3 tumultum jam in concione miſcentes, ſeſe recepit. Inde clamor in totam concionem eſt perlatus: alibi preces, alibi minæ audiebantur. 4 qui proximi forte tribunal ſteterant, quia ſubjecti oculis imperatoris noſcitari poterant, orabant *ut parceret magiſtro equitum, neu cum eo exercitum damnaret*. Extrema concio, & circa Fabium globus increpabant inclementem dictatorem. nec procul ſeditione aberant: ne tribunal quidem ſatis quietum erat. Legati, circumſtantes ſellam, orabant, *ut rem in poſterum diem differret, & iræ ſuæ ſpatium, & conſilio tempus daret: Satis caſtigatam adoleſcentiam Fabii eſſe: ſatis deformatam victoriam: ne ad extremum finem ſupplicii tenderet: neu unico juveni, neu 5 patri ejus clariſſimo viro, neu Fabiæ genti 6 eam inureret ignominiam.* c Quum parum precibus parum causâ proficerent, *intueri ſævientem concionem jubebant. ita irritatis militum animis ſubdere ignem, ac materiam ſeditioni, non eſſe ætàtis, non prudentiæ ejus. neminem id Q. Fabio pœnam deprecanti ſuam vitio verſurum, ſed dictatori, ſi occæcatus ira infeſtam multitudinem in ſe pravo certamine moviſſet. Poſtremo, ne id ſe gratiæ dare Q. Fabii crederet, ſe jusjurandum dare paratos eſſe, non videri è republica in Q. Fabium eo tempore animadverti.*

Urb. cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

XXXIII. His vocibus quum in ſe magis incitarent dictatorem, 1 quam ma-

INTERPRETATIO.

c *Cum eis non multùm prodeſſent* nec *obſecrationes, nec rationes, aut excuſationes*, quibus Fabii cauſam tuebantur.

NOTÆ.

3. *Tumultum jam in concione miſcentes.*] Vetus lectio, *Tumultum jam in concionem miſcenses*, legit Tan. Faber, *tumultu jam concionem miſcentes*; quod ſanè Latinum. Cic. 2. cont. Rull. quia iniquis imperiis remp. *miſcerent*, id eſt, *turbarent*. Sed facilior correctio *in concione* ut *miſcere* accipiatur pro ciere, movere, excitare. Nec adeò fortè damnanda vulgaris. Cum enim *Concio* non tantùm pro cœtu ſumatur, ſed pro ipſa concionem habentis oratione: quidni dicantur *Triarii in concionem*, id eſt, vel contra dicta Papirii Dictatoris, quæ tranquillè audiri ex more debebant, *tumultum immiſcuiſſe*, & concionantem ipſum concionemque tumultu ſuo perturbaſſe: imò in ipſum quoque cœtum & multitudinem turbas ac tumultum injeciſſe?

4. *Qui proximi fortè tribunali ſteterant.*] Veteres optimi teſte Gronovio, *proximi fortè tribunal ſteterant*; id eſt, *prope tribunal*, proximè ad tribunal. Ita l. 29. *Scorpione icto, qui proximus eum fortè ſteterat*. Cæſar quoque 3. bell. Gall. *P. Craſſus adoleſcens cum legione ſeptima proximus mare Oceanum in Andegavis hiemabat*.

5. *Patri ejus clariſſimo viro.*] Hujus Q. Fabii Rulliani, qui poſteà Maximi cognomen in ea gente primus tulit, pater erat *M. Fabius Ambuſtus* Princeps Senatus, qui ter Conſul, qui Dictator fuerat & Cenſor. ut cap. ſeq. *Clariſſimi* autem titulus in rep. elogium fuit; non ut labante poſteà, dignitatis titulus.

6. *Eam inureret ignominiam.*] In optimis manuſcriptis & editis eſt *injungeret*, id eſt, adjungeret, adhiberet: quod Gronov. probatur tanquàm non incommodum loquendi genus, l. 3. *Injuriam à nobis repulſam, tanquàm aut facere, aut pati, neceſſe ſit, injungimus aliis*. Val. quoque Max. lib. 6. cap. 9. *Abdicationis injungentem notam*. Ubi tamen vulgati habent *inurentem*.

1. *Quàm Magiſtro equitum placarent.*] Quidam antiqui, *quàm in Magiſtrum equitum placarent*: idque exquiſitius Gronovii judicio. Auctores adducit, præſertim Corn. Nepotem in Pelopida. *Nunquàm is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus*.

Urb. cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

giſtro equitum placarent, juſſi de tribunali deſcendere legati: & ſilentio nequicquam per præconem tentato, quum præ ſtrepitu ac tumultu nec ipſius dictatoris, nec apparitorum ejus vox audiretur; nox, velut in prælio, certamini finem fecit. Magiſter equitum, juſſus poſtero die adeſſe; quum omnes affirmarent *infeſtius Papirium exarſurum, agitatum contentione ipſa, exacerbatumque*; clam ex caſtris Romam profugit: &, patre auctore M. Fabio, qui ter jam conſul dictatorque fuerat, vocato extemplo ſenatu, quum maxime conquereretur apud Patres vim atque injuriam dictatoris, repente ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmoventium auditur. & ipſe infenſus aderat; poſtquam comperit profectum ex caſtris, eum expedito equitatu ſecutus. Iterata deinde contentio eſt: & prehendi Papirius Fabium juſſit. Ubi quum deprecantibus primoribus Patrum, atque univerſo ſenatu [2] perſtaret in incœpto immitis animus; tum pater M. Fabius, *Quandoquidem*, inquit, *apud te nec auctoritas ſenatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitaſque magiſtri equitum à te ipſo nominati valet, nec preces, quæ ſæpe hoſtem mitigavere, quæ Deorum iras placant; tribunos plebis appello,* [3] *& provoco ad populum. eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti ſenatus judicium, judicem fero, qui certe unus* [4] *plus quam tua dictatura poteſt polletque. Videro ceſſuruſne provocationi ſis, cui Rex Romanus* [5] *Tullus Hoſtilius ceſſit.* Ex curia in concionem itur. quo cum paucis dictator, cum omni agmine principum magiſter equitum quum aſcendiſſet; deduci eum de Roſtris Papirius in partem inferiorem juſſit. Secutus pater, *Bene agis,* inquit, *quam eo nos deduci juſſiſti,* [6] *unde & privati vocem mittere poſſemus.* Ibi primo, non tam perpetuæ orationes, quam altercatio, exaudiebantur. Vicit deinde ſtrepitum vox & indignatio Fabii ſenis, increpantis ſuperbiam crudelitatemque Papirii, *Se quoque dictatorem Romæ fuiſſe, nec à ſe quemquam, ne plebis quidem hominem, non centurionem, non militem, violatum: Papirium tanquam ex hoſtium ducibus, ſic ex Romano imperatore victoriam & triumphum petere.* [7] *Quantum intereſſet*

NOTÆ.

2. *Perſtaret in incœpto.*] Apud Bechar. alioſque, *perſtaret incœpto*; aliâ loquendi formâ.

3. *Et provoco ad populum.*] In filii cauſa, licèt magiſtri equitum, Pater appellat; tanta vis patriæ poteſtatis.

4. *Plus quàm tua Dictatura.*] Nondum ullum, opinor, exemplum extabat provocationis à Dictatore: quod tamen progreſſu temporis admiſſum. Quâ de re Feſt. in *Optima lege.*

5. *Tullus Hoſtilius ceſſit.*] In cauſa Horatii, qui à Duumviris, Hoſtilio volente, imò auctore, provocaverat, lib. 1. c. 26.

6. *Unde & privati vocem mittere poſſemus.*] Pro Roſtris verba facere ad populum non poterant, niſi magiſtratus, aut qui à magiſtratibus producti. Fabius filius magiſter equitum eò aſcenderat, jure, opinor, magiſtratus; & cum eo Pater aliique primores, qui ſcilicet honores antèa geſſerant. Sed Dictatore concionante, non videtur Fabio patri, cum in magiſtratu non eſſet, inde populum alloqui licuiſſe: ex inferiore loco filium defendere non vetabatur, quod cuique privato permiſſum.

7. *Quantùm intereſſet.*] Malim cum Gronovio *intereſſe*: ut ſuperioribus, quæ infinitivo efferuntur; & hiſtorico ſtylo convenientius.

inter moderationem antiquorum, & novam ſuperbiam crudelitatemque. Dictatorem 8 *Quintium Cincinnatum, in L. Minucium conſulem, ex obſidione à ſe ereptum non ultra ſæviſſe, quam ut legatum eum ad exercitum pro conſule relinqueret. 9 M. Furium Camillum, in L. Furio, qui contempta ſua ſenectute & auctoritate, fœdiſſimo cum eventu pugnaſſet; non ſolum in præſentia moderatum iræ eſſe, ne quid de collega ſecus populo, aut ſenatui ſcriberet; ſed quum revertiſſet, potiſſimum ex tribunis conſularibus habuiſſe, quem ex collegis, optione ab ſenatu data, ſocium ſibi imperii delegerit. Nam populi quidem, penes quem poteſtas omnium rerum eſſet, ne iram quidem unquam atrociorem fuiſſe in eos, qui temeritate atque inſcitia exercitus amiſiſſent, quam ut pecunia eos multaret. capite anquiſitum ob rem bello male geſtam,* 10 *de imperatore nullo ad eam diem eſſe. Nunc ducibus populi Romani, quæ ne victis quidem bello fas fuerit, virgas & ſecures victoribus, & juſtiſſimos meritis triumphos, intentari. Quid enim tandem paſturam fuiſſe filium ſuum, ſi exercitum amiſiſſet, ſi fuſus, fugatus, caſtris exutus fuiſſet? quo ultra iram violentiamque ejus exceſſuram fuiſſe, quam ut verberaret necaretque? quam conveniens eſſe,* 11 *propter Q. Fabium civitatem in lætitia, victoria, ſupplicationibus, ac gratulationibus eſſe: eum, propter quem Deûm delubra pateant, aræ ſacrificiis fument, honore, donis cumulentur, nudatum, virgis lacerari in conſpectu populi Romani; intuentem Capitolium atque arcem, Deoſque ab ſe duobus præliis haud fruſtra advocatos? Quo id animo exercitum, qui ejus ductu auſpicioque vicisſet, laturum? quem luctum in caſtris Romanis, quam lætitiam inter hoſtes fore?* Hæc ſimul jurgans, quærens, Deûm hominumque fidem obteſtans, & complexus filium, plurimis cum lacrymis agebat.

Urb. cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

XXXIV. Stabat cum eo ſenatus majeſtas, favor populi, tribunicium auxilium, memoria abſentis exercitus. Ex parte altera, 1 *imperium invictum populi Romani, & diſciplina rei militaris, & dictatoris edictum pro numine ſemper obſervatum; & Manliana imperia, & poſthabita filii charitas publicæ utilitati*, jactabantur. *Hoc etiam L. Brutum, conditorem Ro-*

NOTÆ.

8. *Quintium Cincinnatum.*] Suprà lib. 3. cap. 29.

9. *M. Furium Camillum in L. Furio.*] Vide lib. 6. cap. 24. & 25.

10. *De Imperatore nullo.*] Apud Juntam & in quibuſdam Mſſ. eſt *nullum ad eum diem eſſe*: additque Gronov. *exemplum*, quaſi hoc nomen exciderit: quod ſupplementum nequaquam neceſſarium eſt: cum perſpicuus ſit ſenſus vulgaris editionis; nimirum, de nullo antea belli duce capitalem quæſtionem habitam fuiſſe ob rem malè geſtam, nulli eorum hac de cauſa ultimum ſupplicium irrogatum.

11. *Propter Q. Fabium Civitatem in lætitia, victoria, ſupplicationibus.*] Sigonio diſplicuit *in victoria eſſe*: ideoque maluit: *Propter Q. Fabii victoriam Civitatem in lætitia, ſupplicationibus*, &c. Verùm notante Gronov. Plinius nat. hiſt. lib. 7. cap. 7. ſcribere non dubitavit: *tu cujus ſemper in victoria mens eſt*: eadem formâ Salluſt. in Jugurth. *Semperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur?*

1. *Imperium invictum populi Romani, & diſciplina militaris.*] Si dicamus *ex diſciplina militari*, ut velit eâ ſtetiſſe, invictumque eſſe Romanum imperium; facilius conſtabit ſententia.

Urb. Cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

mana libertatis, antea in duobus liberis feciſse. nunc patres comes, & ſenex faciles, 2 *de alieno imperio ſpreto, tanquam rei parvæ, diſciplinæ militaris everſæ juventuti gratiam facere. Se tamen perſtaturum in incepto, nec ei, qui adverſus dictum ſuum turbatis religionibus, ac dubiis auſpiciis pugnaſſet, quicquam ex juſtâ pœna remiſſurum.* 3 *Majeſtas imperii perpetua ne eſſet, non eſſe in ſua poteſtate. L. Papirium nihil de ejus jure deminuturum. optare, ne poteſtas tribunicia, inviolata ipſa, violet interceſſione ſua Romanum imperium, neu populus Romanus, in ſe potiſſimum, dictatorem & jus dictaturæ extinguat. Quod ſi feciſſet, non L. Papirium, ſed tribunos, ſed pravum populi judicium nequicquam poſteros accuſaturos: quum polluta ſemel militari diſciplina, non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, non magiſter equitum dictatoris pareat imperio: nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat: non edicta imperatorum, non auſpicia obſerventur. ſine commeatu vagi milites in pacato, in hoſtico errent; immemores ſacramenti,* 4 *licentia ſola ſe, ubi velint, exauctorent; infrequentia deſerantur ſigna. neque conveniatur ad edictum, nec diſcernatur interdiu, nocte, æquo, iniquo loco, juſſu, injuſſu imperatoris pugnent: & non ſigna, non ordines ſervent. latrocinii modo cæca, & fortuita, pro ſolenni & ſacrata militia ſit. Horum criminum vos reos in omnia ſæcula offerte tribuni plebis.* 2 *veſtra obnoxia capita pro licentia Q. Fabio objicite.*

XXXV. Stupentes tribunos, & ſuam jam vicem magis anxios, quam

INTERPRETATIO.

2 *Sic addicti eſtote, ô Tribuni plebis, Q. Fabio, ut capita veſtra pro eo adversùm me opponatis, eique tuendo commodetis,* | *obnoxia futura poſterorum judiciis pro licentia & effranata libertate, quam ejus gratiâ fovetis.*

NOTÆ.

2. *De alieno imperio ſpreto.*] Tan. Faber perpetuâ ſuâ corrigendi prurigine, jubet legi, *Dictatorio imperio ſpreto*: quaſi non ſatis ejus rei mentio jam facta fuerit, cum dictum eſt, *Dictatorie edictum pro numine ſemper obſervatum*. Quis autem non videt acutiùs dici & amariùs *de alieno imperio*: ut Fabio patri aliiſque primoribus exprobretur facilitas in *alieno imperio ſpreto*, quam in ſuo *itidem ſprete* ipſi paſſuri non fuerint. Quòd autem hæc Latinitas arguitur *corrupta diſciplina gratiam tibi facio ne imperio alieno ſpreto*: meminiſſe oportet quàm ſæpe Livianæ hiſtoriæ majeſtas ſupra Grammaticorum minutias aſſurgat: neque illud *de alieno imperio* revocandum ad *gratiam facere*: ſed quaſi parentheſi dictum, ut ſi quid deſit facilè ſupplerì poſſit, veluti, (cum agitur *de alieno imperio*). Si quidem mutandum, præſtaret deletâ præpoſitione, *de*, ſcribere *alieno imperio ſpreto, diſciplina*, &c. *gratiam facere*.

3. *Majeſtas imperii perpetua ne eſſet.*] Duplex hujus loci eſſe poteſt intellectus. Alter non pendere à Papirio utrum imperantium atque imperii majeſtas ſemper intacta ſanctaque maneat, necne: alter non poſſe ipſum efficere, ut non perpetuò conſervari debeat majeſtas imperii. Poſterior ſequentibus magis congruere videtur.

4. *Licentiâ ſolâ, ſe ubi velint, exauctorent.*] Variant Mſſ. ex quorum veſtigiis quærit Gronov. nunquid rectè ſcribendum videatur *licentiâ ſolâ vagi ſe exauctorent*. Poſſet & melius fortè, *licentiâ ſolâ, quâ ſe, ubi velint, exauctorent, infrequentia deſerantur ſigna*.

ejus

ejus cui auxilium ab ſe petebatur; liberavit onere [1] conſenſus populi Romani ad preces & obteſtationem verſus, *ut ſibi pœnam magiſtri equitum dictator remitteret*. [2] Tribuni quoque inclinatam rem in preces ſubſecuti, orare dictatorem inſiſtunt, *ut veniam errori humano, veniam adoleſcentiæ Q. Fabii daret. ſatis eum pœnarum dediſſe*. Jam ipſe adoleſcens, jam pater M. Fabius, contentionis obliti, procumbere ad genua, & iram deprecari dictatoris. Tum dictator ſilentio facto: *Bene habet*, inquit, *Quirites, vicit diſciplina militaris: vicit imperii majeſtas, [a] quæ in diſcrimine fuerunt, an nulla poſt hanc diem eſſent*. [b] *Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit; ſed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribuniciæ poteſtati*, [c] *precarium non juſtum auxilium ferenti. Vive, Q. Fabi, felicior hoc conſenſu civitatis ad tuendum te, quam qua paulo ante exultabas victoria. vive, id facinus auſus, cujus tibi ne parens quidem, ſi eodem loco fuiſſet quo fuit L. Papirius, veniam dediſſet. Mecum ut voles, reverteris in gratiam: populo Romano, cui vitam debes, nihil majus præſtiteris, quam ſi hic tibi dies ſatis documenti dederit, ut bello ac pace pati legitima imperia poſſis*. Quum [3] ſe nihil morari magiſtrum equitum pronunciaſſet [4] digreſſum cum templo lætus ſenatus, lætior populus, circumfuſi, ac gratulantes hinc magiſtro equitum, hinc dictatori, proſecuti ſunt: firmatumque imperium militare haud minus periculo Q. Fabii, quam ſupplicio miſerabili adoleſcentis Manlii videbatur. Forte ita eo anno evênit, ut quotieſcunque dictator ab exercitu receſſit, hoſtes in Samnio moverentur. cæterum in oculis exemplum erat Q. Fabius M. Valerio legato, qui caſtris præerat, ne quam vim hoſtium magis, quam trucem dictatoris iram timeret. Itaque frumentatores, quum circumventi ex inſidiis, ceſſi loco iniquo eſſent, creditum vulgo eſt, ſubveniri eis ab legato potuiſſe, ni triſtia edicta exhorruiſſet. ea quoque ira alienavit à dicta-

Urb. Cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

INTERPRETATIO.

a *Quæ venerant in periculum*, ita ut dubium eſſet, *utrum ampliùs eſſent imperiùm permanſura*.

b Per me *Fabio non remittitur criminis pœna; ſed*, quaſi reus meo judicio, & *eo nomine damnatus, condonatur populi precibus*.

c *Non legitimâ intercеſſione* jure poteſtatis interpoſitâ, ſed *precibus* ſolis *opem danti*.

NOTÆ.

1. *Conſenſus populi Romani ad preces & obteſtationem verſus*.] Hypallage videri poteſt, quâ conſenſui tribuitur quod de populo intelligendum: veriùs enim *conſenſus populi ad preces verſi*: vel populus ad preces unanimi conſenſu verſus liberavit Tribunos ſolicitudine.

2. *Tribuni quoque*.] Cum Tribuni plebis viderent ita ſe rem habere, ut animi omnium non ad ferendum judicium, ſed ad interponendas pro equitum Magiſtro preces propenderent; communem hanc voluntatum inclinationem ipſi quoque ſequuti ſunt.

3. *Se nihil morari*.] Hoc loquendi genere uſos cum abſolverent, obſervat Sigon. ut lib. 4. Tribunus plebis, *Sempronium nihil moror*: ſic dabatur reo abeundi facultas.

4. *Digreſſum cum Templo*.] Id eſt, *Roſtris*. Vide ſuprà cap. 14. in f. Gronov. *degreſſum*, eodem ſenſu.

tore militum animos, jam ante infensos, quod implacabilis Q. Fabio fuisset: & quod suis precibus negasset, ejus populo Romano veniam dedisset.

Urb. cond. an. 429. Dictat. L. Papir.

XXXVI. Postquam dictator præposito in urbe L. Papirio Crasso magistro equitum, Q. Fabio vetito [1] quicquam pro magistratu agere, in castra rediit; [2] neque civibus satis lætus adventus ejus fuit, nec hostibus quicquam attulit terroris. namque postero die, seu ignari venisse dictatorem, seu, adesset an abesset, parvi facientes, instructa acie ad castra accesserunt. Cæterum tantum momenti in uno viro L. Papirio fuit, ut si ducis consilia favor subsecutus militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum sit. ita instruxit aciem 3 loco, ac subsidiis; ita omni arte bellica firmavit. cessatum à milite, ac de industria, ut obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est. Plures Samnitium cecidere: plures Romani vulnerati sunt. Sensit peritus dux, quæ res victoriæ obstaret: temperandum ingenium suum esse, & [4] severitatem miscendam comitati. Itaque adhibitis legatis ipse circum saucios milites inferens in tentoria caput, singulos ut sese haberent rogitans, curam eorum nominatim [5] legatis, tribunisque, & præfectis demandabat: rem per se popularem [a] ita dexter egit, ut medendis corporibus, animi multo prius militum imperatori reconciliarentur: nec quicquam ad salubritatem efficacius fuerit, quam quod grato animo ea cura accepta est. Refecto exercitu, cum hoste congressus, haud dubia spe sua militumque, ita fudit fugavitque Samnites, ut ille ultimus eis dies conferendi signa cum dictatore fuerit. Incessit deinde, qua duxit prædæ spes, victor exercitus: perlustravitque hostium agros; nulla arma, nullam vim nec apertam, nec insidiis expertus. Addebat alacritatem, quod dictator [6] prædam omnem edixerat militibus: nec ira magis pu-

INTERPRETATIO.

[a] *Tantâ perfecit dexteritate, ut militum mentes multò ante Dictatori pacata, quàm corpora eorum remediis curata & per sanata fuerint.*

NOTÆ.

1. *Quicquam pro magistratu agere.*] Magister quidem equitum inter magistratus: sed à Dictatoris nutu ferè pendebat. Ut ab eo dicebatur; sic ab eo abdicari ob culpam, destitui alio substituto, urbi etiam præfici potuisse, & prohiberi ne in castra Proficisceretur, hinc colligas.

2. *Neque Civibus satis lætus.*] Opponuntur cives hostibus: unde *civium* nomine apparet intelligi milites Romanos. Agitur enim de exercitu ad quem redit Dictator.

3. *Loco ac subsidiis.*] Delecto nempe loco suis commodo, adverso hostibus: & prioribus agminibus addito subsidiario milite firmatis.

4. *Severitatem miscendam comitati.*] Quin potiùs *severitati miscendam comitatem*, vel *severitatem miscendam comitate*, ut Gron. placet: quemadmodùm lib. 40. *Quum pavorem mixtum admiratione patri injecisset:* nisi dicamus tam id misceri quod affunditur, quàm id cui affunditur.

5. *Legatis, Tribunisque & Præfectis.*] Legati exercitui, Tribuni legionibus, Præfecti sociis præerant.

6. *Prædam omnè edixerat militibus.*] Edicto concesserat: quod ratum Romanis moribus; quibus pecunia ex manubiis redacta in ærarium maximam partem inferebatur.

blica, quàm privatum compendium in hoſtem acuebat.

XXXVII. His cladibus ſubacti Samnites, pacem ab dictatore petiêre: cum quo pacti, ut ſingula veſtimenta militibus, & annuum ſtipendium darent; quum ire ad ſenatum juſſi eſſent, *ſecuturos ſe dictatorem* reſpondêrunt, unius ejus fidei virtutique cauſam ſuam commendantes. ita deductus ex Samnitibus exercitus. Dictator triumphans urbem eſt ingreſſus: & quum ſe dictatura abdicare vellet, juſſu Patrum prius quam abdicaret, conſules creavit C. Sulpicium Longum iterum, [1] Q. Æmilium Cerretanum. Samnites, infecta pace, [2] quia de conditionibus agebatur, induciis annuis ab urbe retulerunt. nec earum ipſarum ſancta fides fuit: adeò poſtquam Papirium abiiſſe magiſtratu nunciatum eſt, arrecti ad bellandum animi ſunt. C. Sulpicio, Quintio Æmilio ([3] Aulium quidam annales habent) conſulibus, ad defectionem Samnitium Apulum novum bellum acceſſit. Utroque exercitus miſſi: Sulpicio Samnites, Apuli Æmilio ſorte evenêrunt. Sunt qui non ipſis Apulis bellum illatum, ſed [a] ſocios ejus gentis populos ab Samnitium vi atque injuriis defenſos ſcribant. Cæterum fortuna Samnitium vix à ſeipſis eo tempore propulſantium bellum, propius ut ſit vero facit, non Apulis ab Samnitibus arma illata, ſed eum utraque ſimul gente bellum Romanis fuiſſe. nec tamen res ulla memorabilis acta: ager Apulus, Samniumque evaſtatum: hoſtes nec hic nec illic inventi. Romæ nocturnus terror ita ex ſomno trepidam repente civitatem excivit, ut Capitolium atque arx, mœniaque & portæ plena armatorum fuerint. & quum concurſatum conclamatumque ad arma omnibus locis eſſet, prima luce nec auctor, nec cauſa terroris comparuit. Eodem anno de Tuſculanis, Flaviâ rogatione, [b] populi fuit judicium. M. Flavius Tribunus plenis tulit ad populum, *ut in Tuſculanos animadverteretur*: [4] *quorum eorum ope ac conſilio Veliterni Privernateſque*

Urb. Cond. an. 430. Coſſ. C. Sulpic. II. & Q. Æmil. vel Aullo.

INTERPRETATIO.

a *Populos Apuli nominis, qui ſocii erant populi Romani.*
b *Populus judicavit.*

NOTÆ.

1. *Q. Æmilium Cerretanum.*] Pro Æmilio; *Aulium* Sigon. & Pighius reponunt ex tabulis Capitolinis. Et lib. 9. c. 22. Mſſ. quoque habent *Aulium*, non *Æmilium*, quod nomen patriciæ gentis eſt, cum hic Conſul plebejus fuerit.

2. *Quia de conditionibus agebatur.*] Nondum omninò convenerat de legibus pacis: ſed de iis adhuc diſceptabatur. Poſſet ex Gron. ſententia legi *de conditionibus ambigebatur.*

3. *Aulium quidam Annales habent.*] Hæc verba quæ parentheſi incluſa, Pighius à ſtudioſo quodam eſſe putat, qui tamen ſcripſerit *Æmilio*, tanquàm notius nomen.

4. *Quorum eorum ope ac conſilio.*] Aliàs *quod eorum*, Codices melioris notæ teſte Gron. *Quorum eorum ope*: id eſt, quorum ex iis, ex Tuſculanis nempe: ut ſcilicet non in univerſos, ſed in ejus conſilii auctores adjutoreſque decerneretur quæſtio. Sic l. 23. c. 23. *De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannenſi eſſent.* Et apud Plaut. Trinum. act. 4. ſc. 3. *Quorum eorum unus ſurripuit currenti curſori ſolium.*

Urb. cond. an. 430. Coſſ. C. Sulpic. II & Æmil. vel Aulio.

populo Rom. bellum feciſſent. Populus Tuſculanus cum conjugibus ac liberis Romam venit: multitudo veſte mutata, & ſpecie reorum, tribus circuit, genibus ſe omnium advolvens. plus itaque miſericordiâ ad pœnæ veniam impetrandam, quam cauſa ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem. Polliæ ſententia fuit, *puberes verberatos necari; conjuges liberoſque ſub corona lege belli venire*: memoriamque ejus iræ Tuſculanis in pœnæ tam atrocis auctores manſiſſe ad patrum ætatem conſtat: nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum 5 Papiriam ferre ſolitum.

Urb. cond. an. 431. Coſſ. Q. Fab. L. Fulv. & Dictat. A. Cornel.

XXXVIII. Inſequenti anno Q. Fabio, L. Fulvio Conſulibus, A. Cornelius Arvina dictator, & M. Fabius Ambuſtus magiſter equitum, metu gravioris in Samnio belli (conducta enim pretio à finitimis juventus dicebatur) intentiore delectu habito, egregium exercitum adverſus Samnites duxerunt. Caſtra in hoſtico incurioſe ita poſita, tanquam procul abeſſet hoſtis: quum ſubito advenêre Samnitium legiones; tanta ferocia, a ut vallum uſque ad ſtationem Romanam inferrent. Nox jam appetebat: id prohibuit munimenta adoriri. nec diſſimulabant orta luce poſtero die facturos. Dictator ubi propiorem ſpe dimicationem vidit, ne militum virtuti damno locus eſſet, ignibus crebris relictis, qui conſpectum hoſtium fruſtarentur, ſilentio legiones educit: nec tamen fallere propter propinquitatem caſtrorum potuit. Eques extemplo inſecutus ita inſtitit agmini, ut donec lucesceret, prælio abſtineret. ne pedeſtres quidem copiæ ante lucem caſtris egreſſæ. Eques luce demum auſus incurſare in hoſtem, carpendo noviſſimos, premendoque iniquis ad tranſitum locis, agmen detinuit, interim pedes equitem aſſecutus, & totis jam copiis Samnis urgebat. Tum dictator, poſtquam ſine magno incommodo progredi non poterat, eum ipſum, in quo conſtiterat, locum, 1 caſtris dimetari juſſit. b id vero

INTERPRETATIO.

a *Ut vallis* inſtructi *ad Romanorum uſque præſidia accederent* caſtra munituri.

b *Sed cum hoſtium equites ex omni parte circumdarent, id effici nequibat* quod ille juſſerat, *ut* nempe *Pali conquirerentur, & munitio inchoaretur*.

NOTÆ.

5. *Papiriam ferre ſolitum*.] Candidatorum ex Pollia tribu, quæ adverſa Tuſculanis fuerat; nemo ſolebat ſuffragium obtinere Tribus Papiriæ, in quam conjecti Tuſculani: id eſt enim Tribum, vel Centuriam ferre, ejus ſuffragiis vincere ac nominari.

1. *Caſtris dimetari juſſit*.] Sigon. *Caſtris communiri*. Sed potiores libri Gelenio & Gron. viſi, habent, *dimetari*, non multùm variante ſententiâ: eo enim ſine metimur locum Caſtrorum, quod eſt propriè Caſtra metari, ut ea muniamus. Noſter lib. 44. *poſtquàm metata Caſtra, impedimentaque collocata animadvertit*. Cicer. 2. de Nat. Deorum metaphoricè de ſignis cœleſtibus, *atque ita dimetata ſigna ſunt*. Activâ quoque ſignificatione, apud eundem eodem lib. *Eorum enim curſus dimetati, maturitates temporum, & varietates mutationeſque cognovimus*;

circumfuſo undique equitatu, [2] ut vallum peteretur, opuſque ineiperet fieri, non poterat. Itaque, ubi neque eundi, neque manendi copiam eſſe videt, inſtruit aciem, impedimentis ex agmine remotis. inſtruunt contra & hoſtes, & animis & viribus pares. auxerat id maxime animos, quod [c] ignari, loco iniquo, non hoſti ceſſum, velut fugientes ac territos, terribiles ipſi ſecuti fuerant. Id aliquandiu æquavit pugnam; jam pridem deſueto Samnite clamorem Romani exercitus pari. At hercule illo die ab hora dici tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen ſtetiſſe, ut neque clamor, ut primo ſemel concurſu eſt ſublatus, iteratus ſit; neque ſigna promota loco, retrove recepta; neque recurſum ab ulla ſit parte. In ſuo quiſque gradu obnixi, urgentes ſcutis [d] ſine reſpiratione ac reſpectu pugnabant. fremitus æqualis, tenorque idem pugnæ in defatigationem ultimam [3] aut noctem ſpectabat. Jam viris vires, jam ferro ſua vis, jam conſilia ducibus deerant. quum ſubito Samnitium equites, cum turmâ unâ longius provecta, accepiſſent impedimenta Romanorum procul ab armatis ſine præſidio ſine munimento ſtare, aviditate prædæ impetum faciunt. Quod ubi dictatori trepidus nuncius attulit; *Sine modo*, inquit, *ſeſe præda præpediant*. alii deinde ſuper alios, diripi paſſim ferrique fortunas militum vociferabantur. Tum magiſtro equitum aecito, *Vides tu*, inquit, *M. Fabi, ab hoſtium equite omiſſam pugnam? hærent impediti impedimentis noſtris. Aggredere: quod inter prædandum omni multitudini evenit, diſſipatos, raros equis inſidentes, raros quibus ferrum in manu ſit, invenies: equoſque dum præda onerant, cæde inermes, cruentamque illis prædam redde. Mihi legiones, peditumque pugna curæ erunt: penes te equeſtre ſit decus.*

Urb. cond. an. 431. Coſſ. Q. Fab. & L. Fulv. Dictat. A. Cornel.

XXXIX. Equitum acies, qualis quæ eſſe inſtructiſſimâ poteſt, invecta in diſſipatos impeditoſque hoſtes, cæde omnia replet. inter ſarcinas omiſſas repente objaecntes pedibus fugientium, conſternatorumque equorum, neque pugnæ, neque fugæ ſatis potentes cæduntur. Tum, deleto prope equitatu hoſtium, M. Fabius, circumductis paullulum alis, ab tergo pedeſtrem aciem adoritur. clamor inde novus accidens, & Sa-

INTERPRETATIO.

c *Cum* Samnites ignoravent Romanum exercitum, non *fugiſſe ab hoſtibus*, ſed ab *loco infeſto* atque *incommodo receſſiſſe*, eum velut *conſternatum inſequuti fuerant, quaſi ei metuendi.*

d *Abſque intermiſſione, atque ità ut nec modo retro ſpectaret.*

NOTÆ.

2. *Ut vallum peteretur.*] Scribendum ut Gronov. monet, *ut vallus peteretur*: aut, *ut vallum peterent opuſque inciperent*. Nam *valli* ſunt pali, quibus ad muniendum Romani utebantur: *Vallum* verò eſt ipſum munimentum Caſtrorum. Id autem volebat Dictator ut ignatum irent; valloſque cæderent ac pararent.

3. *Aut noctem ſpectabat.*] Si Gron. ſequimur, legemus, *ſpectabatur*. Verùm rectè eſt *tener idem pugna ſpectabat* in defatigationem ultimam, aut noctem.

mnitium animos terruit; & dictator, ubi reſpectantes hoſtium anteſignanos, turbataque ſigna, & fluctuantem aciem vidit: tum appellare, tum adhortari milites, tribunos principeſque ordinum nominatim ad iterandam ſecum pugnam vocare. Novato clamore ſigna inferuntur: & quicquid progrediebantur, magis magiſque turbatos hoſtes cernebant. Eques ipſe jam primus erat in conſpectu: & Cornelius reſpiciens ad manipulos militum, quod manu, quod voce poterat, monſtrabat vexilla ſe ſuorum parmaſque cernere equitum. Quod ubi auditum ſimulque viſum eſt, adeo repente laboris per diem pene totum tolerati vulnerumque obliti ſunt, ut haud ſecus quam ſi tum integri è caſtris ſignum pugnæ accepiſſent, concitaverint ſe in hoſtem. nec ultra Samnis tolerare terrorem equitum peditumque vim potuit: partim in medio cæſi, partim in fugam diſſipati ſunt. 1 Pedes reſtantes, ac circumventos cecidit: ab equite fugientium ſtrages eſt facta: inter quos & ipſe imperator cecidit. Hoc demum prælium Samnitium res ita infregit, ut omnibus conciliis fremerent, *minime id quidem mirum eſſe, ſi impio bello, & contra fœdus ſuſcepto, infeſtioribus merito Diis quam hominibus, nihil proſpere agerent. expiandum id bellum magna mercede, luendumque eſſe. Id referre tantum, utrum ſupplicia, noxio paucorum, an omnium innoxio præbeant ſanguine:* audebantque jam quidam nominare auctores armorum. Unum maxime nomen per conſenſum clamantium Brutuli Papii exaudiebatur. vir nobilis, potenſque erat, haud dubie proximarum induciarum ruptor. De eo coacti referre prætores decretum fecerunt, 2 *Ut Brutulus Papius Romanis dederetur: & cum eo præda omnis Romana, captivique ut Romam mitterentur. quæque res per feciales ex fœdere repetitæ eſſent, ſecundum jus faſque reſtituerentur.* Feciales Romam, 3 ut cenſuerunt, miſſi, & corpus Brutuli exanime: ipſe, morte voluntaria, ignominiæ ſe, ac ſupplicio ſubtraxit. Placuit cum corpore bona quoque ejus dedi. nihil tamen earum rerum, præter captivos, ac ſi qua cognita ex præda ſunt, acceptum eſt: 4 cæterarum rerum irrita fuit deditio. dictator Senatuſconſulto triumphavit. Hoc bellum à Coss. bellatum quidam auctores ſunt, eoſque de Samnitibus triumphaſſe: Fabium etiam in Apuliam proceſſiſſe, atque inde magnas prædas egiſſe.

Urb. cond. an. 431. Dictat. A. Cornel.

NOTÆ.

1. *Pedes reſtantes ac circumventos cecidit.*] Significat Peditatum Romanum, eos qui ex Samnitibus ultimi reſiſtebant, circumdatos trucidaſſe. Unde apparet jure dubitatum à Gron. num τὸ, *ac*, eſſet Livii.

2. *Ut Brutulus Papius.*] Nobile per Italiam Papiorum nomen Sigon. notat: & bello Sociali Papium Mutilum inter Italicos duces inſignem fuiſſe. Credibile igitur eſt ex ea gente fuiſſe Romæ Papiæ poſteà legis auctorem.

3. *Ut cenſuerunt.*] Secundum ea quæ decreverant ipſi feciales Samnitum.

4. *Cæterarum rerum irrita fuit deditio.*] Mirum partem rerum deditarum accepiſſe Romanos, nec pacem conceſſiſſe. Nam etſi ſua tantùm recipiebant: attamen non per vim recepta, ſed à volentibus oblata recipiebant.

XL. [a] Nec discrepat, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit. id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit, an ut esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret; functusque eo [a] haud sane memorandi imperii ministerio, se dictatura abdicaret: nec facile est [3] aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiatam memoriam [4] funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis; dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque, fallente mendacio trahunt. Inde certe & singulorum gesta, & publica monimenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.

Urb. cond. an. 431. Dictat. A. Cornel.

INTERPRETATIO.

[a] *Neque in ea scriptorum discordia versatur, an A. Cornelius anno illo Dictaturam gesserit.*

NOTÆ.

1. *Signum mittendis quadrigis daret.*] Ludis Romanis præerat ut plurimùm Prætor: signum currentibus aurigis dabat aliquando Consul, ut lib. 45. cap. 1. Hanc Dictatoris creandi causam per se leviorem, necessitas absente utroque Consule, Prætore ægro, probabilem reddere potuit.

2. *Haud sanè memorando imperii ministerio.*] In mentem Tan. Fabro venit, ut legi vellet *magisterio*. Et *Magistrum* quidem populi pro Dictatore; atque ita *magisterium* pro Dictatura dici, non negem. Verùm quis *imperii magisterium* aliquando legit? At *ministerium*, id est manus parùm dignum eo, qui in summo imperio sit. quis non videt rei quæ de agitur, optimè congruere?

3. *Aut rem rei, aut auctorem auctori præferre.*] Tanta est narrationis atque auctorum æqualitas; ut difficile sit perspicere, quid sequendum sit; sive facta, quæ ab hoc aut illo memorantur; sive scriptores qui memorant, quis invicem comparet.

4. *Funebribus laudibus.*] Tritum illustres viros oratione funebri & imaginibus celebrari solitos. His duobus modis corrupta rerum gestarum veritas, dum in posterorum funeribus, falsæ laudes majoribus cujusque, falsique rerum quas non gesserant, tituli adscribuntur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

TITI

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

LIBER NONUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

TITUS Veturius & Sp. Poſtumius apud Caudinas Furcas, [1] *deducto in locum iniquum exercitu, quum nulla ſpes evadendi eſſet, fœdere cum Samnitibus facto, & ſexcentis equitibus Romanis obſidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes ſub jugum mitterentur. iidemque, auctore Sp. Poſtumio conſule, qui in ſenatu ſuaſerat ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat, publica fides liberaretur, cum duobus tribunis plebis, & omnibus qui fœdus ſpoponderant, dediti Samnitibus, non ſunt recepti. nec multo poſt ſuſis à Papirio Curſore Samnitibus, & ſub jugum miſſis, receptiſque ſexcentis equitibus Romanis, qui obſides dati erant, pudor prioris flagitii abolitus. Tribus duæ adjectæ ſunt, Uſentina & Falerina. Sueſſa & Pontia coloniæ deductæ ſunt. Ap. Claudius cenſor aquam Claudiam perduxit: viam ſtravit, quæ* Appia *vocata eſt: libertinorum filios in ſenatum legit. Ideoque quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis, ſequentis anni conſules in ſenatu legendo obſervaverunt, quemadmodum ante per proximos cenſores obſervatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Etruſcos, Umbros, Marſos, Pelignos, Æquos & Samnites, quibus fœdus erat reſtitutum, proſpere geſtas continet. Flavius Scriba, libertino patre natus, ædilis curulis fuit per forenſem factionem creatus: quæ quum comitia & campum turbaret, & in iis propter nimias vires dominaretur, à Q. Fabio cenſore in quatuor tribus redacta eſt,* [2] quas urbanas appellavit. *Eaque res Fabio Maximi nomen dedit. In hoc libro mentio Alexandri Magni, qui temporibus his fuit. & æſtimatis populi Romani viribus quæ tunc erant, colligit, ſi Alexander in Italiam trajeciſſet, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de iis gentibus quas ad Orientem imperio ſuo ſubjecerat.*

NOTÆ:

1. *Deducto in locum iniquum exercitu.*] Cod. Barb. *in locum arctum.* Nihil abludente ſententia.

2. *Quas urbanas appellavit.*] Hæc à Gronovio adjecta ex Ms. auctiore.

Sequitur

SEquitur hunc annum nobilis clade Romana Caudina pax, T. Veturio Calvino, Sp. Postumio consulibus. Samnites eo anno imperatorem Cajum Pontium Herennii filium habuerunt, patre longe prudentissimo natum, primum ipsum bellatorem ducemque. Is, ubi legati, qui ad dedendas res missi erant, pace infecta redierunt; *Ne nihil actum*, inquit, *hac legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio, quibuscumque Diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant; iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim ultra fieri ad placandos Deos, mitigandosque homines potuit, quàm quod nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli jure nostræ videbantur, remisimus: auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedidimus; bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portavimus. Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? [a] quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? Neminem neque populum, neque privatum fugio. Quid, si nihil eum potentiore juris humani relinquitur, inopi: at ego ad Deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam; & precabor, ut iras suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint: quorum sævitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, [1] non bona sequentia domini deditionem exsatient: [2] placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem laniandaque viscera nostra præbuerimus.* JUSTUM EST BELLUM, *Samnites*, QUIBUS NECESSARIUM: ET PIA ARMA, QUIBUS NULLA NISI IN ARMIS RELINQUITUR SPES. *Proinde, quam rerum humanarum maximum momentum sit, [3] quam propitiis rem, quam adversis agant Diis; pro certo habete, priora bella [a] adversos Deos magis, quam homines gessisse: hoc, quod instat, ducibus ipsis Diis gesturos.*

Urb. Cond. an. 432. Coss. T. Veturius II. & Sp. Postumius II.

II. Hæc non lætâ magis quàm vera vaticinatus, exercitu educto circa [1] Cau-

INTERPRETATIO.

[a] *Quem tibi offerre possumus arbitrum sævitiæ tuæ, nostrarumque penarum. Nullus est sive populus, sive privatus quem recusemus.*

NOTÆ.

F. *Non bona sequentia domini deditionem.*] Deditionem enim Brutuli sequuta vel comitata fuerat deditio bonorum ejusdem. Suprà lib. 8. cap. 39.

2. *Placari nequeant.*] Vel præponendum *qui*, ut hæc cum superioribus cohæreant; vel finitâ periodo in verbo *exsatient*, legendum juxta primas editiones: *Placari nequeunt*: ut advertit Gronov.

3. *Quàm propitiis rem, quàm adversis agant Diis.*] *Agant*, scilicet homines; Assentior tamen Gronovio melius futurum si vetus aliquis liber haberet. *Quàm propitiis, quàm adversis agantur Diis. Res* nempe *humanæ*, de quibus antea eadem periodo.

1. *Caudium.*] Sæpè apud auctores mendosè scribitur *Claudium*, quòd reverà *Caudium* est, oppidum inter Capuam & Beneventum. Plinius Hirpinis, Ptolomæus Samnitibus assignat. Cluverius

Urb. cond. an. 432. Coss. T. Veturr. II. & Sp. Postum. II.

dium castrâ, quàm potest occultissime, locat: inde 2 ad Calatiam, ubi jam consules Romanos, castraque esse audiebat, milites decem pastorum habitu mittit, pecoraque diversos alium alibi haud procul Romanis pascere jubet præsidiis: ubi inciderint in prædatores, ut idem omnibus sermo constet, *legiones Samnitium in Apulia esse: 3 Luceriam omnibus copiis circumsedere; nec procul abesse, quin vi capiant*. Jam is etiam rumor, ante de industria vulgatus, venerat ad Romanos: sed fidem auxere captivi; eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat. Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, 4 bonis ac fidelibus sociis; simul ne Apulia omnis ad præsentem terrorem deficeret. ea modo, qua irent, consultatio fuit. Duæ ad Luceriam ferebant viæ, 5 altera præter oram Superi maris patens apertaque; sed quanto tutior, tanto fere longior: altera per Furculas Caudinas brevior. Sed ita natus locus est: 6 saltus duo alti angusti silvosique sunt; montibus circa

NOTÆ.

vult eò loci fuisse, ubi nunc *Airola*; & furcas Caudinas, accipit pro angustiis, quas Isclerus amnis, in Vulturnum tendens, medias secat apud oppidum, cui nomen *S. Agatha*. Holstenius verò juxta communem sententiam, quam ex historia Longobardica Erchemberti, ex Leonis Ostiensis Chronico Cassin. & antiquis ibi Inscriptionibus confirmat, *Caudium* fuisse existimat, ubi nunc vicus *Arpaja*. Furculas autem Caudinas in saltu angusto locat, quò ab Arpaja descenditur *Argentium* vel *Arienzo*; præsertim sub pago, cui adhuc nomen *le Forchie*: ubi viæ Appiæ vestigia.

2. *Ad Calatiam*.] Campaniæ oppidum est *Calatia*, nunc *Gajazzo*, auctore Cluverio aliisque; qui locus Episcopatus & Comitatus titulo decoratur in Terra Laboris, cis Vulturnum. Sed Holstenius duplicem distinguit *Calatiam*. Altera fuit inter Capuam & Beneventum, medio loco inter vicum S. Petri in Strada, & Matalunum; unde IV. m. p. ad Furculas; indeque undecim milliaria Beneventum usque. Et hæc Livii Calatia est, vulgò *Galazza*. Altera Castellum quod *Galatium* veriùs dictum, sub *Caserta*, quæ ex ejus ruinis ædificata, ut Octavianus Melchioris, de antiquitate Calatiæ, observavit.

3. *Luceriam*.] Hæc *Luceria* Appula cognomento, ad discrimen aliarum ejusdem nominis in Campania, Umbria, & Gallia Cispadana, condita fertur à Diomede: infra Teanum fuit, Austrum versùs ad fl. Cerbalum. Nunc *Lucera delli Pagani*. à Saracenis à quibus restituta, & ad tempus Caroli II. Siciliæ Regis infesta. In Apulia Daunia, vulgò *Capitanata* provincia regni Neapolitani.

4. *Bonis ac fidelibus sociis*.] Nam Apuli societate inita in fidem Romanorum venerant ante quadriennium: etsi post Cladem Caudinam ad Samnites defeciisse eos apparet.

5. *Alteram prater oram Superi maris*.] Calatiâ vel Caudio Luceriam euntibus quomodò iter habendum sit per oram Superi maris, non equidem video: nisi immenso circuitu. Apenninum quidem, qui intermedius, superare viâ utrâvis necesse est. At eo superato Luceria quindecim circiter passuum millia propior occurrit, quàm mare Hadriaticum.

6. *Saltus duo alti angusti silvosique*.] Duas hic fuisse vias notat Holstenius. Alteram veteri Appiæ ductu, qui rectâ sub *Monte Sarchio* ad vicum, qui *Pino* dicitur, & inde ad Pontem Leprosum Sabati fl. ferebat: alteram, quâ nunc itur, per alias angustias, vulgò *Sferra Cavallo* dictas, juxta Serratellam fl. longioribus ambagibus: ità ut Arpajâ Beneventum, 14. aut 15. nunc sint m. p. etsi vulgò 12. tantùm computentur. Existimarem à Livio has duas vias indicari; legendùque in superiori periodo, *prater oram Sabati amnis*, vel potius *Serrati amnis*; aut forsàn *prater oram Taburni montis* qui *in proximo*; nisi quod ambæ hæ viæ angustæ: nostro autem *altera patens & aperta*.

perpetuis inter ſe juncti. jacet inter eos ſatis patens 7 clauſus in medio campus herbidus, aquoſuſque, per quem medium iter eſt. ſed ante quam venias ad eum, intrandæ primæ anguſtiæ ſunt, & aut eadem, 8 quà te inſinuaveris, retro via repetenda: aut ſi ire porro pergas, per alium ſaltum arctiorem impeditioremque evadendum. In eum campum via alia per cavam rupem Romani demiſſo agmine, quum ad alias anguſtias protinus pergerent: 9 ſeptas dejecta arborum ſaxorumque ingentium objacente mole invenêre. quum fraus hoſtilis apparuiſſet, præſidium etiam in ſummo ſaltu conſpicitur. Citati inde retro quo venerant, pergunt repetere viam. eam quoque clauſam 10 ſua obice armiſque inveniunt. ſiſtunt inde gradum ſine ullius imperio, ſtuporque omnium animos, ac velut torpor quidam inſolitus membra tenet: intuenteſque alii alios (quum alterum quiſque magis mentis compotem ac conſilii ducerent) diu immobiles ſilent. Deinde, ubi prætoria conſulum erigi videre, & expedire quoſdam utilia operi, quanquam ludibrio fore munientes perſtitis rebus ac ſpe omni ademptâ, cernebant; tamen ne culpam malis adderent, pro ſe quiſque, nec hortante ullo nec imperante ad muniendum verſi, caſtra propter aquam vallo circumdant: ſua ipſi opera, laboremque irritum (præterquam quod hoſtes ſuperbe increpabant) cum miſerabili confeſſione eludentes. Ad conſules mœſtos, 11 ne advocantes quidem in conſilium (quando nec conſilio nec auxilio locus eſſet) ſua ſponte legati, ac tribuni conveniunt; militeſque 12 in prætorium verſi, opem, quam vix Dii immortales ferre poterant, ab ducibus expoſcunt.

Urb. Cond. an. 432. Coſſ. T. Veturius & Sp. Poſtumius.

NOTÆ.

7. *Clauſus in medio Campus herbidus, aquoſuſque.*] Hunc Campum Holſtenius in valle quidem *S. Agathæ*, ponendum cenſet cum Cluverio: ſed in planicie illa, quæ eſt inter Arpajam & Montem Sarchium, in quam aditus patet per Furcas Caudinas, ſeu Arpadienſes; exitus autem per ſaltum difficilem & ſilveſum qui *Sferra Cavallo* vocatur, ut ante dictum.

8. *Quà te inſinuaveris.*] Suſpectum valde Gronovio illud, *te*, velut ſupervacaneum. Adducit Gell. lib. 3. cap. 7. *Milites Romani (uti res narrata eſt) in locum inſinuant fraudi & perniciei obnoxium.* Plerunque tamen auctores pronomen addunt. Plaut. Mil. Glor. *Inſinuat ſeſe ad aliam amicam heri mei.* Cic. 2. in Rull. *Cum familiariter me in eorum ſermonem inſinuarem.* Et paſſim. Auſon.

Inſinuat quâ ſe Sequanis Allobroges oris.

9. *Septas dejectu arborum, ſaxorumque ingentium objacente mole.*] *Objacente* mole à conjectura Sigonii eſt, ut referatur ad anguſtias *ſeptas*, & congruat cum *dejectu arborum*. Teſtatur tamen Gronov. in omnibus veteribus legi *objacentem molem*: quam lectionem probat, quòd ſaxa propriè non ſepiant, quemadmodùm pali, truncique & implexa virgulta: unde hæc diſtinguenda fuerint, dicendumque, *anguſtias ſepiri dejectu arborum, & objacere illis ſaxorum molem.*

10. *Sua obice.*] Quâ *obice*, cum illac paulo antè ingreſſi eſſent abſque impedimento? An dum ad exitum anguſtiarum progrederentur Romani, dejectæ in aditum à Samnitibus erant arbores ad hoc antè exciſæ, ſaxaque priùs parata?

11. *Ne advocantes quidem in conſilium.*] Legati, nempe ac Tribuni ultro convenerant ad Conſules, licet hi ad conſilium eos non vocarent.

12. *In prætorium verſi,*] Optimi Codices *ad prætorium*, verſus tentorium nempe conſulis, penes quem eo die imperium; Poſtumii, opinor.

V. C. cond. an. 432. Coſſ. T. Veturius. II. & Sp. Poſtum. II.

III. Quærentes magis quam conſultantes nox oppreſſit. quum pro ingenio quiſque fremerent: alius *per obices viarum*; alius *per adverſa montium, per ſilvas,* [1] *quà ferri arma poterunt, eamus. Modo ad hoſtem pervenire liceat, quem* [2] *per annos jam prope triginta vincimus, omnia æqua ac plana erunt Romano, in perfidum Samnitem pugnanti.* alius, *Quo, aut quà eamus? Num montes moliri ſede ſua paramus? Dum hæc imminebunt juga, quà tu ad hoſtem venies? Armati, inermes, fortes, ignavi, pariter omnes capti atque victi ſumus. Ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus eſt hoſtis: ſedens bellum conficiet.* His invicem ſermonibus, [3] quà cibi, quà quietis immemor nox traducta eſt. Ne Samnitibus quidem conſilium in tam lætis ſuppetebat rebus. itaque univerſi Herennium Pontium patrem imperatoris per literas conſulendum cenſent. Jam is gravis annis, non militaribus ſolum ſed civilibus quoque abſceſſerat muneribus: in corpore tamen affecto vigebat vis animi, conſiliique. Is ubi accepit, ad Furculas Caudinas inter duos ſaltus clauſos exercitus Romanos, conſultus ab nuncio filii, cenſuit *omnes inde quam primum inviolatos dimittendos.* quæ ubi ſpreta ſententia eſt, iterumque eodem remeante nuncio conſulebatur, cenſuit *ad unum omnes interficiendos.* Quæ ubi tam diſcordia inter ſe, velut ex ancipiti oraculo, reſponſa data ſunt: quanquam filius ipſe in primis jam animum quoque patris conſenuiſſe in affecto corpore rebatur; conſenſu omnium victus eſt, ut ipſum in concilium acciret. Nec gravatus ſenex, plauſtro in caſtra dicitur advectus: vocatuſque in concilium, ita ferme locutus eſſe, ut nihil ſententiæ ſuæ mutaret; cauſas tantum adjiceret: *Priore ſe conſilio, quod optimum duceret, cum potentiſſimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiamque: altero conſilio, in multas ætates, quibus amiſſis duobus exercitibus haud facile recepturâ vires Romana res eſſet, bellum differre: tertium nullum conſilium eſſe.* Quum filius aliique principes [4] percunctando exſequerentur, *Quid ſi media via conſilii caperetur? ut & dimitterentur incolumes, & leges iis jure belli victis*

NOTÆ.

1. *Quà ferri arma poterunt.*] Cum auctor non ex ſua, ſed ex militis perſona loquatur, ſic legendum *poterunt*, obſervat merito Gron. non ut vulgò *poterant.*

2. *Per annos jam propè triginta.*] Ab anno 410. quo cœpti Samnites à Romanis vinci, ad hunc annum, numerantur anni non ultra duos & viginti: negat tamen Gronov. ſcribendum *viginti*, ut volebat Glarean. addita enim particula, *propè*, indicat minorem reverà numerum quàm exprimatur.

3. *Quà cibi, quà quietis immemor.*] Qui metu aliove gravi affectu æſtuve animi agitantur, nec cibum capiunt, nec ſomnum: ne animalia quidem. Virg.

Immemor herbarum quas eſt mirata juvenca.

Sed Livio per Hyppallagen *immemor nox* dicitur, quod militi noctem inſomnem trahenti propriè conveniebat.

4. *Percunctando exſequerentur.*] In quibuſdam optimorum Codicum ita ſcriptum notat Gron. atque hanc ut propriam Livii phraſin, amplectitur. Sic lib. 8. *Itaque exſequebamur quærendo ubi tanta rei furtum occultaretur.* Lib. 25. c. 29. *Exſequentibus ſciſcitando quæ acta cum Romanis eſſent.* Gallicè, *Ils pourſuivoient, ils continuoient leurs diſcours, en demand*

imponerentur? Iſta quidem ſententia, inquit, *ea eſt, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Servate modo, quos ignominia irritaveritis. ea eſt Romana gens, quæ victa quieſcere neſciat. Vivet ſemper in pectoribus illorum a quidquid iſtuc præſens neceſſitas inuſſerit: neque eos ante multiplices pœnas expetitas à vobis quieſcere ſinet.* Neutra ſententia accepta. Urb. condit. an. 432. Coſſ. T. Vetur. & Sp. Poſtum.

IV. Herennius domum è caſtris eſt avectus. Et in caſtris Romanis, quum fruſtra multi conatus ad erumpendum capti eſſent, & jam omnium rerum inopia eſſet; victi neceſſitate legatos mittunt, qui primum pacem æquam peterent; ſi pacem non impetrarent, ut provocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum eſſe reſpondit; *& quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri ſcirent, inermes cum ſingulis veſtimentis ſub jugum miſſurum: alias conditiones pacis æquas victis à victoribus fore: agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, ſuis deinde legibus Romanum ac Samnitem æquo fœdere victurum. His conditionibus paratum ſe eſſe fœdus cum Conſulibus ferire: ſi quid eorum diſpliceat, legatos jam redire ad ſe vetuit.* Hæc quum legatio renunciaretur, tantus gemitus omnium ſubito exortus eſt, tantaque mœſtitia inceſſit, ut non gravius accepturi viderentur, ſi nunciaretur omnibus eo loco mortem opperendam eſſe. Quum diu ſilentium fuiſſet, nec conſules aut pro fœdere tam turpi, aut contra fœdus tam neceſſarium hiſcere poſſent; tum L. Lentulus, qui tum princeps legatorum virtute atque honoribus erat: *Patrem meum*, inquit, *Conſules, ſæpe audivi memorantem, ſe in Capitolio unum, non fuiſſe auctorem ſenatui redimendæ auro à Gallis civitatis, quando nec foſſa valloque ab ignaviſſimo ad opera ac muniendum hoſte clauſi eſſent: & erumpere ſi non ſine periculo magno, tamen ſine certa pernicie poſſent: Quod ſi ut illis decurrere ex Capitolio armatis in hoſtem licuit (quo ſæpe modo obſeſſi in obſidentes eruperunt) ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoſte copia eſſet, non mihi paterni animi indoles in conſilio dando deeſſet. Equidem mortem pro patria præclaram eſſe fateor: & me vel devovere pro populo Romano legionibuſque, vel in medios me immittere hoſtes paratus ſum. Sed hic patriam video: hic quicquid Romanorum legionum eſt. quæ niſi pro ſe ipſis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte ſua ſervent? Tecta urbis dicat aliquis, & mœnia & eam turbam, à qua urbs incolitur. imo hercule produntur ea omnia deleto hoc exercitu. non ſervantur. Quis enim ea tuebitur? Imbellis videlicet atque inermis multitudo. tam hercule, quam à Gallorum impetu defendit. An à Veiis exercitum; Camillumque ducem implorabunt? Hic omnes ſpes opeſque ſunt, quas ſervando, patriam ſervamus; dedendo ad*

INTERPRETATIO.

a *Hoc quodcunque impreſſerit vis præſens.*

NOTÆ;

dere, &c. Hoc enim non de prima interrogatione, ſed de ſequentibus dicitur. Vulgo legebatur; *percunctando exquirerent*;

Urb. Cond. an. 432. Coſſ. T. Vetur. & Sp. Poſtum.

necem, patriam deſerimus, ac prodimus. At fœda atque ignominioſa deditio eſt. a *ſed ea charitas patriæ eſt, ut tam ignominiâ eam quàm morte noſtra, ſi opus ſit, ſervemus. Subeatur ergo iſta quantacunque eſt indignitas: & paretur neceſſitati, quam ne Dii quidem ſuperant. Ite Conſules, redimite armis civitatem, quam auro majores veſtri redemerunt.*

V. Conſules profecti ad Pontium in colloquium, quum de fœdere victor agitaret, negarunt, injuſſu populi fœdus fieri poſſe: nec ſine fecialibus cærimoniaque alia ſolenni. Itaque, non, ut vulgo credunt, Claudiuſque etiam ſcribit, fœdere pax Caudina, 1 ſed per ſponſionem facta eſt. Quid enim aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet aut obſidibus, ubi precatione res tranſigitur? *per quem populum fiat, quo minus legibus dictis ſtetur, ut eum ita Jupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur?* Sponderunt conſules, legati, quæſtores, tribuni militum: nominaque omnium, qui ſpoponderunt, extant: ubi ſi ex fœdere acta res eſſet, præterquam duorum fecialium non extarent: & propter neceſſariam fœderis dilationem obſides etiam ſexcenti equites imperati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur: tempus inde ſtatutum tradendis obſidibus, exercituque inermi mittendo. Redintegravit luctum in caſtris, conſulum adventus, ut vix ab iis abſtinerent manus, quorum temeritate in eum locum deducti eſſent, quorum ignavia fœdius inde quam veniſſent abituri. illis non ducem locorum, non exploratorem fuiſſe: 2 belluarum modo cæcos in foveam miſſos. Alii alios intuori, contemplari arma mox tradenda, & inermes futuras dexteras, obnoxiaque corpora hoſti proponere ſibimetipſi ante oculos jugum hoſtile, & ludibria victoris, & vultus ſuperbos, & per armatos inermium iter. Inde fœdi agminis mi-

INTERPRETATIO.

a *Verùm adeò chara* nobis *patria ſit, oportet; ſive tanta pietas, in patria eſſe debet.*

NOTÆ.

1. *Sed per ſponſionem.*] Differt itaque *ſponſio*, tum à pactione, tum à *fœdere*; quamvis hæc tria generali Conventionis nomine contineantur. Sponſio, quæ inter privatos plerunque fit, eos tantùm obligat, qui pro ſe, aut pro alio ſpondent: & licet publicè fiat à Ducibus; quia tamen unius partis dumtaxat obligatio in ea vertitur, ejus firmandæ causâ obſides dantur. Pactio naturalem, non civilem inducit obligationem. Fœdus autem inter duos populos, Regeſve, auctoritate publica, eaque ſuprema ſancitur: & prece ſive imprecatione firmatur, ita ut utrique invicem obligentur.

2. *Belluarum modo cæcos in foveam miſſos.*] Tan. Faber; *quoniam* cæcitatem rebus inanimatis attribuunt non ſolùm Poëtæ, qui *cæcam noctem*, pro obſcura dicunt; ſed oratores quoque, qui *fortunam cæcam* uſurpant, hic *cæcam in foveam* legit, rejecta communi ſcripturâ. Propriè tamen cæcitas convenit animalibus quæ luminibus corporis capta: metaphoricè iis; quibus lumen rationis abſtulit furor aut cupiditas, & qui prudentiâ deſtituti non provident quæ providenda fuerant. Cic. ad Attic. *Cæciſſimus in ea re.* Et pro Plan. *Sed ego cæcum me & præcipitem ferri confiteor.* Quod, ſi cui unquam congruit, maximè nunc Romanis.

ſerabilem viam, per ſociorum urbes 3 reditum in patriam ad parentes, quo ſæpe ipſi majoreſque eorum triumphantes veniſſent. Se ſolos ſine vulnere, ſine ferro, ſine acie victos: ſibi non ſtringere licuiſſe gladios, non manum cum hoſte conferre: ſibi nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos datos. Hæc frementibus hora fatalis ignominiæ advenit; omnia triſtiora experiundo factura, quam quæ præceperant animis. Jam primum cum ſingulis veſtimentis inermes extra vallum exire juſſi: & primi traditi obſides, atque in cuſtodiam abducti. Tum à conſulibus abire lictores juſſi, paludamentaque detracta, tantam inter ipſos, qui paulo ante eos execrantes, dedendos lacerandoſque cenſuerant, 4 miſerationem fecit, ut ſuæ quiſque conditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ majeſtatis, velut ab nefando ſpectaculo, averteret oculos. Urb. condit. an. 432. Coſſ. T. Veturius & Sp. Poſtumius.

VI. Primi conſules prope ſeminudi ſub jugum miſſi: tum ut quiſque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus: tum deinceps ſingulæ legiones. circumſtabant armati hoſtes, exprobrantes, eludenteſque: gladii etiam pleriſque intentati: & vulnerati quidam, necatique, ſi vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendiſſet. ita traducti ſub jugum, &, quod penè gravius erat, per hoſtium oculos, quum ex ſaltu evaſiſſent; etſi velut ab inferis extracti tum primum lucem aſpicere viſi ſunt; tamen ipſa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte triſtior fuit. Itaque quum ante noctem Capuam pervenire poſſent, incerti de fide ſociorum, &, quod pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua 1 omnium egeni corpora humi proſtraverunt. Quod ubi eſt Capuam nunciatum, evicit miſeratio juſta ſociorum, 2 ſuperbiam ingenitam Campanis. conſeſtim inſignia ſua conſulibus, faſces, lictores; arma, equos, veſtimenta, commeatus militibus benigne mittunt: & venientibus Capuam cunctus ſenatus populuſque obviam egreſſi, juſtis omnibus hoſpitalibus privatiſque & publicis funguntur officiis: 3 neque illis ſociorum comitas, vultuſque benigni, & alloquia non modo ſermonem elicere, ſed ne ut oculos quidem attollerent, aut conſolantes amicos contra in-

NOTÆ.

3. *Reditum in patriam ad parentes.*] Non diſplicet hæc Gronovii correctio, cum vulgò ſcribatur: *reditum in patriam ac parentes*. Nam lib. 2. habet idem Liv. *Soſpites brevi in patriam ad parentes reſtituit*. Et lib. 22. *Reduces in patriam ad parentes, ad conjuges & liberos facit*. Neque verò facilè dixeris *reditum in parentes*.

4. *Miſerationem fecit.*] Niſi ſuppleas, *quæ res, quod ſpectaculum*, aut ſimile quid, recurrendum erit ad Gron. emendationem, qui legit: *à Conſulibus abire lictores juſſi. paludamentaque detracta*; &c. *miſerationem fecerunt*. *Facere* autem *miſerationem* eſt *miſericordiam excitare*, ac movere.

1. *Omnium egeni corpora humi proſtraverunt.*] Eruditior Gronov. videtur lectio, *omnium egena corpora*; atque ita explicat nullâ iis curâ adhibitâ, omnibus quibus corpora curantur, deſtituta.

2. *Superbiam ingenitam Campanis.*] Tanta fuit ut in proverbium abierit *Campana ſuperbia*. Vide Eraſm.

3. *Neque illis.*] Romanis ſcilicet.

Urb. Cond. an. 432. Coll. T. Veturi. & Sp. Postumi.

tuerentur, efficere poterant. adeo super mœrorem, 4 pudor quidam fugere colloquia & cœtus hominum, cogebat. Postero die, quum juvenes nobiles, missi à Capuâ, ut proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, revertissent; vocatique in curiam, percunctantibus majoribus natu, multo sibi 5 mœsti ores & abjectioris animi visos referrent; adeò silens, hæc prope mutum agmen incessisse. 6 *tacere indolem illam Romanam, ablatosque eam armis animos. non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quemquam præ metu potuisse; tanquam ferentibus adhuc cervicibus jugum, 7 sub quod emissi essent. Habere Samnites victoriam, non præclaram solum, sed etiam perpetuam. cœpisse enim non Romam, sicut ante Gallos, sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem, ferociamque.*

VII. Quum hæc dicerentur, audirentur, & deploratum penè Romanum nomen in concilio sociorum fidelium esset; dicitur Ofilius Calavius Ovii filius, clarus gente factisque, tum etiam a ætate verecundus, longe aliter se habere rem dixisse, *Silentium illud obstinatum, fixosque in terram oculos, & surdas ad omnia solatia aures, & pudorem intuendæ lucis,* b *ingentem* 1 *molem irarum ex alto animi cientis, indicia esse; aut se Romana ignorare ingenia, aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusque excitaturum: Caudinæque pacis aliquanto Samnitibus quam Romanis tristiorem memoriam fore. Quippe suos quemque coram animos habiturum, ubicumque congressuri sint; saltus Caudinos non ubique Samnitibus fore.* Jam & Romæ sua infamis clades erat. Obsessos primum audierunt: tristior deinde ignominiosæ pacis magis, quam periculi nuncius fuit. Ad famam obsidionis delectus haberi cœptus erat: dimissus deinde auxiliorum apparatus, postquam deditionem tam fœde factam acceperunt. extemploque sine ulla publica auctoritate

INTERPRETATIO.

a *Cui ob ætatem* provectam *debebatur reverentia*,

b Esse notas *animorum* ex imo pectore *elicientium* & *spirantium vim ira immensam*.

NOTÆ.

4. *Pudor quidam fugere colloquia.*] Sic scripti apud Gron. & meliùs quam ut vulgo *effugere colloquia*. Hoc quippe eventus, illud voluntatis.

5. *Mœstiores & abjectioris animi visos,*] Sigon. *Mœstioris, & abjectioris animi.* Gronov. *Mœstiores, & abjectioris animi:* quasi non rectè *mœstiores animi.*

6. *Tacere.*] Grut. non malè, *Jacere:* Indolem nempe, quæ suopte genio erecta. *Tacere* tamen aut silere, & muta esse dicuntur, quæ non vigent: ut *silent leges inter arma.* Et apud Cic. *Istera contiocsaune.* Noster quoque hoc ipso libro, *& Cevilia bella siloant.*

7. *Sub quod emissi essent.*] Præstiterit, vel *sub quod missi*, vel *sub quo emissi.* Sic lib. 3. *Sub quo jugo Dictator Æquos emisit*: id est, *sub jugum missos*, inde *emisit.*

1. *Molem irarum.*] Aliàs *molem minarum ex alto animo cientis.* Et *minarum* quidem, non malè; sic enim vindictæ cupiditas demonstratur. Sed quid sit *ex alto animo*, & quo referatur *cientis*, quæsierit haud absurdè Gronov. Dicimus tamen hoc vel illud esse *amantis, odio habentis*, &c. ubi intelligitur, *hominis*: eaque loquendi formâ mores hominum in genere indicantur.

consensum

2 conſenſum in omnem formam luctus eſt. Tabernæ circà forumclauſæ, juſtitiumque in foro ſua ſponte cœptum, prius quam indictum: 3 lati clavi, 4 annuli aurei poſiti, pene mœſtior exercitu ipſo civitas eſſe: nec ducibus ſolum atque auctoribus ſponſoribuſque pacis iraſci, ſed innoxios etiam milites odiſſe, & negare urbe tectiſve accipiendos. Quam concitationem animorum fregit adventus exercitus, etiam iratis miſerabilis. non enim tanquam in patria revertentes ex inſperato incolumes, ſed captorum habitu vultuque ingreſſi ſero in urbem, ita ſe in ſuis quiſque tectis abdiderunt, ut poſtero atque inſequentibus diebus, nemo eorum forum aut publicum adſpicere vellet. Conſules in privato abditi, nihil pro magiſtratu agere, niſi quod expreſſum ſenatuſconſulto eſt, ut dictatorem dicerent comitiorum cauſa. Q. Fabium Ambuſtum dixerunt, & P. Ælium Pætum, magiſtrum equitum. quibus vitio creatis, ſuffecti M. Æmilius Papus dictator, L. Valerius Flaccus magiſter equitum. Nec per eos comitia habita, & quia tædebat populum omnium magiſtratuum ejus anni, res ad interregnum rediit. Interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerius Corvus, is conſules creavit Q. Publilium Philonem, & L. Papirium Curſorem iterum: haud dubio conſenſu civitatis, quod nulli ea tempeſtate duces clariores eſſent. Urb. Cond. an. 432. Coſſ. T. Veturius & Sp. Poſtumius.

VIII. Quo creati ſunt die, eo (ſic enim placuerat Patribus) 1 magiſtratum inierunt, 2 ſolennibuſque Senatuſconſultis perfectis, de pace Caudina retulerunt. & Publilius, 3 penes quem faſces erant, *Dic Spuri Poſtumi*, inquit. Qui ubi ſurrexit, eodem illo vultu, quo ſub jugum miſſus erat, *Haud ſum ignarus*, inquit, *Conſules, ignominiæ, non honoris cauſa me primum excitatum, juſſumque dicere, non tanquam ſenatorem, ſed tanquam reum, quæ infelicis belli, quæ ignominioſæ pacis. Ego tamen, quando 3 neque de noxa noſtra neque de pœna retuliſtis, omiſſa defenſione,* Urb. cond. an. 432. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

NOTÆ.

2. *Conſenſum in omnem formam luctus.*] Sic optimi Codices, id eſt, Romani conſenſu amplexi ſunt quæcunque in luctu ſolennia. Vulgatior lectio *conceſſum*; ſive *itum* eſt in luctum.

3. *Lati clavi.*] Inſigne Senatorum fuit tunica latos clavos purpureos velut flores intertextos aut aſſutos habens: equitum veſtis ſimilibus, ſed anguſtioribus clavis ornata.

4. *Annuli aurei.*] At Plin. lib. 33. c. 1. citatus à Glar. ſcribit longo tempore inter privatos, Romæ nullos fuiſſe annulos aureos: publicè tantùm legatis datos. Quin & triumphantes ferreis uſos, atque ita triumphatum à C. Mario, nec ab eo ſumptum aureum annulum ante tertium Conſulatum. Dicendum igitur priſcis illis temporibus, matronarum ornatui ſervatos, à quibus nunc poſiti.

1. *Magiſtratum inierunt.*] Conſules non ſtatim ac creati erant, magiſtratum ineibant. Nunc extra ordinem eodem die ex Senatuſconſulto inierunt ante ſolemne ſcilicet tempus, necdum finito ſuperiorum Conſulum anno,

2. *Solennibuſque Senatuſconſultis.*] Veteres quidam libri, *ſolemnibuſque ſacris*: Sigon. tamen magis probat *Senatuſconſultis*: quanquàm parum abeſt, quin res eodem recidat. *Solennia* quippe *Senatuſconſulta*, quæ ſtatim inito Conſulatu fiebant, ad religionem, & cæremonias pertinebant: atque ut ſcribit Gell. lib. 14. cap. 7. *De rebus divinis priuſquàm humanis, ad Senatum referendum erat.*

3. *Neque de noxa noſtra, neque de pœna.*] *Noxa* hic à *pœna* diſtinguitur, & crimen

Urb. cond. an. 432. Cos. Q. Publil. & L. Papir.

quæ non difficillima esse apud haud ignaros fortunarum humanarum necessitatumque; sententiam de eo, de quo retulistis, paucis peragam. quæ sententia testis erit, mihine, an legionibus vestris pepercerim, quum me seu turpi seu necessaria sponsione obstrinxi. Qua tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus Romanus: nec quicquam ex ea, præterquam 5 *corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique. exsolvamus religione populum, si qua obligavimus; ne quid divini humanive obstet, quo minus justum piumque de integro ineatur bellum. Interea consules exercitum scribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hostium fines, quam* 4 *omnia justa in deditionem nostram perfecta erunt. Vos, Dii* 10 *immortales, precor quæsoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium, T. Veturium consules, cum Samnitibus prospere bellum gerere; at vos satis habeatis, vid sse nos sub jugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosque hostibus deditos; omnem iram hostium nostris capitibus excipientes. Novos consules legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.* Quæ ubi dixit, tanta simul admiratio miseratioque viri incessit homines, ut modo vix crederent illum eundem esse Sp. Postumium, qui auctor tam fœdæ pacis fuisset: modo miserarentur, quod vir talis, etiam præcipuum apud hostes supplicium passurus esset, ob iram diremptæ pacis. Quum omnes 5 laudibus modo prosequentes virum in sententiam ejus pedibus irent; tentata paulisper intercessio est ab L. Livio, & Q. Mælio, 6 tribunis plebis: qui *neque exsolvi religione populum*, ajebant, *deditione suâ, nisi omnia Samnitibus, 7 qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo, quod spondendo pacem, servavisent exercitum populi Romani, pœnam illam meritos esse: neque ad extremum, quum sacrosancti essent, dedi hostibus violarive posse.*

NOTÆ:

significat. Aliàs sumitur pro pœna, quam quis delicto suo meruit.

4. *Omnia justa in deditionem.*] Quæcunque in solenni deditione requiruntur ut ea jure fiat: nimirum ut quæ debentur hostibus & dedantur, & servato per Feciales ritu dedantur.

5. *Laudibus modò prosequentes.*] Deleri istud *modò*, jubet Tan. Faber, putatque huc translatum ex superiori periodo. Non tamen persuadet: nam ea vox non vacat, sed eâ demptâ enervaretur sententiæ vis, quâ innuit Livius, quanquàm admirationi esset virtus Postumii: attamen laudibus tantùm prosequentes, miserationis nullâ ratione habitâ, sententiam ejus contra seipsum datam sequutos fuisse in illius perniciem.

6. *Tribunis plebis.*] Oportet hos L. Livium, & Q. Mælium Tribunos plebis creatos esse, aut tribunatum certè iniisse post Caudinam conventionem. Alioqui neque Tribuni plebis in bellum proficiscebantur; cum ne integrum quidem diem eis ab urbe abesse liceret, teste Gell. lib. 3. c. 2. Et si jam Tribuni plebis apud Caudium fuissent, eorum inter sponsores mentio haud dubiè fieri debuisset; & tamen spopondisse memorantur duntaxat *Consules*, *Legati*, *Quæstores*, *Tribuni militum* seu *legionum*: quod rectè Sigon. notat, & Godel. Fuerant tunc fortè inter Legionum Tribunos.

7. *Qualia apud Caudium fuissent, restituerentur.*] Id sanè exigit natura restitutionis in integrum, ut omnia utrinque in pristinum statum reponantur.

IX. Tum Poſtumius: *Interea dedite*, inquit, [1] *profanos nos, quos ſalva religione poteſtis. Dedetis deinde & iſtos ſacroſanctos, quam primum magiſtratu abierint. Sed, ſi me audiatis, prius quam dedantur, hic in comitio virgis cæſos,* [2] *hanc jam ut intercalatæ pœnæ uſuram habeant. Nam quod deditione noſtra negant exſolvi religione populum, id iſtos magis ne dedantur, quam quia ita ſe res habeat, dicere, quis adeo juris fecialium expers eſt, qui ignoret? Neque ego inficias eo, Patres Conſcripti, tam ſponſiones quam fœdera ſancta eſſe apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: ſed injuſſu populi negò quicquam ſanciri poſſe, quod populum teneat. An ſi eadem ſuperbia, qua ſponſionem iſtam expreſſerunt nobis Samnites, coëgiſſent nos* [3] *verba legitima dedentium urbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis, & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas, Samnitium eſſe? Omitto deditionem, quoniam de ſponſione agitur. quid tandem, ſi ſpopondiſſemus urbem hanc relicturum populum Romanum? ſi incenſurum? ſi magiſtratus, ſi ſenatum, ſi leges non habiturum? ſi ſub regibus futurum? Dii meliora, inquis!* [2] *atqui* [4] *non indignitas rerum ſponſionis vinculum levat. Si quid eſt, in quod obligari populus poſſit, in omnia poteſt. & ne illud quidem, quod quoſdam forſitan moveat, refert, conſul an dictator, an prætor ſpoponderit. Et hoc ipſi etiam Samnites judicaverunt, quibus non fuit ſatis Conſules ſpondere, ſed legatos, quæſtores, tribunos militum ſpondere coëgerunt. Nec à me nunc quiſquam quæſiverit, quid ita ſpoponderim, quum id nec conſulis jus eſſet, nec illis ſpondere pacem, quæ mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, poſſem. Nihil ad Caudium, Patres Conſcripti, humanis conſiliis geſtum eſt. Dii immortales & veſtris & hoſtium imperatoribus mentem ade-*

Urb. cond. an. 432. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

INTERPRETATIO.

2 *Atenim obligatio ex promiſſo nata non minuitur atrocitate rei* promiſſæ;

NOTÆ.

1. *Profanos nos.*] Reſpondet Poſtumius orationi Tribunorum plebis, qui ſe ſacroſanctos dixerant, ob leges ſacratas eorum causâ conditas, non Conſulum gratiâ.

2. *Hanc jam ut intercalatæ pœnæ uſuram habeant.*] *Intercalatam* dicit pro intermiſſa, & dilata. Metaphora eſt à fœneratoribus ducta, qui ſolutionis diem ita prorogant, ſi interim uſuræ nomine aliquid augmenti præſtetur. Videtur itaque hoc loco *uſuram habeant* idem eſſe ac *ferant*, vel *ſolvendam habeant*. Nam uſuram non *habent* propriè debitores, ſed creditores qui eam quaſi ſibi debitam accipiunt: quales hic Samnites.

3. *Verba legitima dedentium urbes nuncupare.*] Apud veteres Romanos nihil eorum quæ ad jus pertinerent, niſi certâ verborum formulâ, ſeu conceptis verbis peragebatur, quæ verba *legitima* dicebantur, quod ſecundum leges nuncuparentur. Deditionis formulam habes ſupra lib. 1. cap. 38. in deditione Collatiæ.

4. *Non indignitas rerum ſponſionis vinculum levat.*] Aliter Juriſconſulti ratiocinantur, apud quos rei turpis æquè ac rei impoſſibilis ſtipulatio nullius eſt momenti. Verùm quædam indigna eſſe poſſunt, quæ tamen flagitium non contineant. Nec valet pactum niſi à Domino, qui liberam rei ſuæ adminiſtrationem habeat, ejuſve mandato initum.

Urb. cond. an. 432. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

merunt. nec nos in bello ſatis cavimus; & illi male partam victoriam malè perdiderunt: dum vix locis, quibus vicerant, credunt; diem quacunque conditione arma viris in arma natis auferre feſtinant. An ſi ſana mens fuiſſet, difficile illis fuit, dum ſenes ab domo ad conſultandum arceſſunt, mittere Romam legatos, cum ſenatu, cum populo, de pace, ac fœdere agere? Tridui iter expeditis erat. interea in induciis res fuiſſet, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem afferrent. ea demum ſponſio eſſet, quam populi juſſu ſpopondiſſemus. Sed neque vos tuliſſetis, nec nos ſpopondiſſemus: nec fas fuit alium rerum exitum eſſe, quam ut & illi velut ſomnio latiore, quam quod mentes eorum capere poſſent, nequicquam eluderentur: & noſtrum exercitum eadem quæ impedierat fortuna, expediret: vanam victoriam vanior irritam faceret pax: ſponſio interponeretur, quæ neminem præter ſponſorem obligaret. Quid enim vobiſcum, Patres Conſcripti, quid cum populo Romano actum eſt? quis vos appellare poteſt? quis ſe à vobis dicere deceptum? hoſtis? an civis? Hoſti nihil ſpopondiſtis: civem neminem ſpondere pro vobis juſſiſtis. Nihil ergo vobis, nec nobiſcum eſt, quibus nihil mandaſtis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis. Samnitibus ſponſores nos ſumus, & rei ſatis locupletes in id, quod noſtrum eſt: in id, quod præſtare poſſumus, corpora noſtra, & animos. in hæc ſæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet, conſulite, utrum præſens deditio eorum fieri poſſit, an in diem differatur. b nos interim, T. Veturi, voſque cæteri, vilia hæc capita lucndæ ſponſionis feramus, & noſtro ſupplicio liberemus Romana arma.

X. Movit Patres Conſcriptos, tum cauſa, tum auctor; [1] nec cæteros ſolum, ſed tribunos etiam plebis, ut ſe in ſenatus dicerent fore poteſtate. Magiſtratu inde ſe extemplo abdicaverunt: traditique fecialibus cum cæteris Caudium ducendi. Hoc facto ſenatuſconſulto, lux quædam affulſiſſe civitati viſa eſt. Poſtumius in ore erat: eum laudibus ad cœlum ferebant: devotioni P. Decii Conſulis, aliis claris facinoribus æquabant. emerſiſſe civitatem [a] ex obnoxia pace, illius conſilio & opera. ipſum ſe cruciatibus & hoſtium iræ offerre, piaculaque pro populo dare Romano. Arma cuncti ſpectant, & bellum. En unquam futurum, ut congredi ar-

INTERPRETATIO.

b *Interea* [1] *ad ſponſionis noſtræ fidem implendam, noſmetipſos*, qui *abjecta capita* ſumus (præ Tribunis ſcilicet) *offeramus* ac dedamus hoſtibus. *Noſtriſque pœnis expiatum exercitum Romanum, reddamus liberum ad arma capienda*, atque in hoſtes gerenda.

a *Urbem evaſiſſe ex degeneri ac ſervili pacificatione.*

NOTÆ.

[1]. *Rei ſatis locupletes.*] Intellige *reos promittendi*, id eſt, debitores ſatis idoneos, quantùm ad eos attinebat.

[1]. *Nec cæteros ſolùm, ſed etiam Tribunos plebis.*] Licèt à Patribus diverſi Tribuni, tamen in Senatu erant: ità ut velit auctor orationis Poſtumii & causâ publicæ utilitatis, tum cæteros qui intercrant, motos fuiſſe ad ejus ſententiam ſequendam; tum Tribunos ut ſe ſubjicerent Senatus poteſtati: ac Tribunatu excederent.

matis cum Samnite liceat? In civitate, ira odioque ardente, delectus omnium prope voluntariorum fuit. Rescriptæ eodem milite novæ legiones, ductusque ad Caudium exercitus. Prægressi feciales, ubi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus jubent, manus post tergum vinciri. Quum, apparitor vereeundia majestatis Postumium laxè vinciret, *Quin tu*, inquit, *adducis lorum, ut justa fiat deditio?* Tum ubi in cœtum Samnitium, & ad tribunal ventum Pontii est, A. Cornelius Arvina fecialis ita verba fecit: *Quandoque hice homines injussu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri sponderunt, atque ob eam rem* [2] *noxam nocuerunt; ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo.* Hæc dicenti feciali, Postumius genu femur, quanta maxime poterat vi, perculit, & clara voce ait, *se Samnitem civem esse, illum legatum, fecialem à se contra jus gentium violatum: eo justius bellum gesturos.* Urb. cond. an. 433. Coss. Q. Publil. & L. Papir.

XI. Tum Pontius, *Nec ego istam deditionem accipiam*, inquit, *nec Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Postumi, si Deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti populo omnes quos in potestate habuit; aut pro eis, pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum victori cum qua potes fide restituis? Populum Romanum appello, quem si sponsionis ad Furculas Caudinas factæ pœnitet, restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt. Nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in castra sua. quicquid pridie habuerunt quam in colloquium est ventum, habeant. tum bellum & fortia consilia placeant, tum sponsio & pax repudietur. Ea fortunâ, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus; geramus bellum. nec populus Romanus consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Nunquamne causa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis; furto eos subduxistis: auro civitatem à Gallis redemistis; inter accipiendum aurum cæsi sunt; pacem nobiscum pepigistis, ut legiones vobis captas restitueremus; eam pacem irritam facitis, & semper aliquam fraudi speciem juris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace legiones servatas? [1] pacem sibi habeat, legiones* Urb. cond. an. 433. Coss. Q. Publil. & L. Papir.

NOTÆ.

2. *Noxam nocuerunt.*] Sigon. *Noxa nocuerunt*; quod esset *culpâ suâ* damnum dederunt. Sed *noxam nocere* priscis legibus non est incognitum, pro *noxam inferre*. In L. pretia rerum 63. Dig. ad Leg. Falcid. quæ Pauli est, variè legitur: *alia causa est ejus servi, qui noxam nocuit*, vel *qui noxâ nocuit*.

1. *Pacem sibi habeat.*] Corrigendum Gron. censet *pacem ne habeat*. Quod hic utrisque simul habenda pax, aut non habenda; neutri poterant habere vel aspernari sine altetis. Hæc verò formulâ *sibi habeat*, utitur, qui se facilè carère testatur, eo quod non habet ipse, cum alii habeant teneantque. Mihi subtilior, quàm verior videtur hæc ratiocinatio. Habebant enim Romani pacem quantùm ad Samnites: per hos certè non stabat, quominùs haberent: eam non habebant Samnites, quando Romani rejiciebant. Itaque ostendit Pontius se eâ libenter cariturum, si omnia in priorem statum restituantur. Est ergo *pacem sibi habeat*, idem ac *recipiat sibi* populus Romanus pacem, quam per Consules cum Samnitibus pactus fuerat.

Urb. cond. an. 433. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

captas victori reſtituat: hoc fide, hoc fœderibus, hoc fecialibus cæremoniis dignum erat. Ut tu quidem, quod petiſti, per pactionem habeas, tot cives incolumes; ego pacem, [2] quam hoſti tibi remittendo pactus ſum, non habeam? hoc tu, A. Corneli, [a] hoc vos feciales juris gentibus dicitis? Ego vero iſtos, quos dedi ſimulatis, nec accipio, nec dedi arbitror, nec moror, quo minus in civitatem [3] obligatam ſponſione commiſſâ iratis omnibus Diis, quorum eluditur numen, redeant. Gerite bellum, quando Sp. Poſtumius modo legatum fecialem genu perculit. Ita Dii credent Samnitem civem Poſtumium, non civem Romanum eſſe, & à Samnite legatum Romanum violatum. eo vobis juſtum in nos factum eſſe bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre, & vix pueris dignas ambages ſenes ac conſulares fallendæ fidei exquirere? I lictor, deme vincla Romanis. moratus ſit nemo, quo minus ubi viſum fuerit, abeant. Et illi quidem, [4] forſitan & publicâ, ſuâ certe liberatâ fide, ab Caudio in caſtra Romana inviolati redierunt.

XII. Samnitibus pro ſuperba pace infeſtiſſimum cernentibus renatum bellum, omnia, quæ deinde venerunt, non in animis ſolum ſed prope in oculis eſſe: & ſerò ac nequicquam laudare ſenis Pontii utraque conſilia, [1] inter quæ ſe media lapſos, victoriæ poſſeſſionem pace incerta mutaſſe; & beneficii & maleficii occaſione amiſſa, pugnaturos cum eis, quos potuerint in perpetuum vel inimicos tollere, vel amicos facere: adeoque nullo dum certamine [2] inclinatis viribus poſt Caudinam pacem animi mutaverant, ut clariorem inter Romanos deditio Poſtumium, quam Pontium incruenta victoria inter Samnites faceret: & geri poſſe bellum Romani pro victoria certa haberent: [b] Samnites ſimul rebelaſ-

INTERPRETATIO.

[a] *Hoccine jus*, hoc *pro æquo jure, populis pronunciare audetis, ô Feciales.*

[b] *Et Samnitibus Romanis ex quo bellum reſumebant, hoc ipſo viciſſe viderentur:*

NOTÆ.

2. *Quam hoſti tibi remittendo pactus ſum.*] An intelligendum *Pacem, quam tibi concedendo, pactus ſum tecum?* An *quam* mihi *pactus ſum, remiſſo tibi Jure commodoque meo?* An verò *quam tibi dedi, remittendo* ſalvum *exercitum* tuum *in patriam?*

3. *Obligatam ſponſione commiſſâ.*] Pro *obligatam* habent alii *oblitam*, alii *obrutam*. Gron. conjicit *pollutam*: ſed quid opus mutari? *Commiſſi* rectè dicitur ſtipulatio, vel pœna apud Juriſconſultos, cum quod quis ſimpliciter, aut adjectâ pœnâ ſpopondit, non implevit: ſive cum contra id quod convenit factum eſt. Igitur Civitatem Romanam non malè ait Pontius *obligatam ſponſione commiſſâ*, cum quod ſpoponderant ejus nomine Conſules, præſtare recuſavit.

4. *Forſitan & publicâ, ſuâ certè liberatâ fide.*] Dubitat, nec immeritò, an ejuſmodi deditione, exſoluta ſit fides & religio populi Romani: privatos non ambigit à ſponſionis vinculo liberatos, quando per eos non ſtetit, quo minùs à Samnitibus acciperentur.

1. *Inter quæ ſe mediæ lapſos.*] Non *inter media*, ſed *inter duo extrema* omnes liberandi, aut omnes necandi conſilia, ſe *mediâ viâ* euntes, erraſſe.

2. *Inclinatis viribus.*] De utriſque loquitur hinc Samnitibus, inde Romanis, quorum vires non imminutas, ſed in contrarium verſas fuiſſe vult. Nam *inclinare* eſt *inflectere*, quod non ſemper in deterius ſumitur: & *temporum inclinationes* fieri dicuntur à Cic. pro converſionibus, & mutato rerum ſtatu.

ſe & viciſſe crederent Romanum. Inter hæc Satricani ad Samnites defecerunt, & Fregellæ colonia nec opinato adventu Samnitium (fuiſſe & Satricanos cum iis ſatis conſtat) nocte occupata eſt. timor inde mutuus utroſque ad lucem quietos tenuit: lux pugnæ initium fuit. quam aliquandiu æquam, & quia pro aris ac focis dimicabatur, & quia ex tectis adjuvabat imbellis multitudo, tamen Fregellani ſuſtinuerunt. [a] Fraus deinde rem inclinavit, quod vocem audiri præconis paſſi ſunt; *Incolumen abiturum qui arma poſuiſſet.* ea ſpes remiſit à certamine animos, & paſſim arma jactari cœpta. Pertinacior pars, armata per averſam portam erupit; tutiorque eis audacia fuit, quam incautus ad credendum cæteris pavor: quos circumdatos igni, nequiequam Deos fidemque invocantes, Samnites concremaverunt. Conſules inter ſe partiti provincias, Papirius in Apuliam ad Luceriam pergit, ubi equites Romani obſides ad Caudium dati cuſtodiebantur: Publilius in Samnio ſubſtitit 3 adducens Caudinas legiones. Diſtendit ea res Samnitium animos, quod nec ad Luceriam ire, ne à tergo inſtaret hoſtis; nec manere, ne Luceria interim amitteretur, ſatis audebant. Optimum viſum eſt committere rem fortunæ, & tranſigere cum Publilio certamen. Itaque in aciem copias educunt.

Urb. condit. an. 433. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

XIII. Adverſus quos Publilius conſul quum dimicaturus eſſet, prius alloquendos milites ratus, concionem advocari juſſit. cæterum ſicut ingenti alacritate ad prætorium concurſum eſt, ita præ clamore poſcentium pugnam nulla adhortatio imperatoris audita eſt. Suus cuique animus, memor ignominiæ, adhortator aderat. Vadunt igitur in prælium urgentes ſigniferos: & ne mora in concurſu pilis emittendis ſtringendiſque inde gladiis eſſet; pila velut dato ad id ſigno abjiciunt, ſtrictiſque gladiis curſu in hoſtem feruntur. Nihil illic imperatoriæ artis ordinibus aut ſubſidiis locandis fuit: omnia ira militaris prope veſano impetu egit. Itaque, non fuſi modo hoſtes ſunt, ſed [1] ne caſtris quidem ſuis fugam impedire auſi, Apuliam diſſipati petiere: Luceriam tamen coacto rurſus in unum agmine eſt perventum. Romanos ira eadem, quæ per me-

INTERPRETATIO.

[a] *Poſtea* Fregellanorum *res inferior fuit per* Samnitum *dolum, qui pronunciari à præcone juſſerunt, ſalvos fore eos,* &c.

NOTÆ.

3. *Adducens Caudinas legiones.*] Vulgò legitur, *adverſùs Caudinas legiones*: quâ lectione ſtante, Caudinæ Legiones Samnitum exercitum ad Caudium victorem ſignificabunt. Verùm arridet magis ut Sigonio, ita & mihi altera ſcriptura (quam veteres quidam libri habent) *adducens*: & ſic Caudinarum legionum nomine intelligetur vetus exercitus Romanorum apud Caudium ſub jugum miſſus, quocum in Samnium Publilius, novis legionibus Papirius in Apuliam profectus. Confirmat hac ſententiam ipſe Livius lib. 25. *Caudina legiones, quæ ſine armis redierant Romam*, &c.

1. *Ne caſtris quidem ſuis fugam impedire auſi.*] Vult non auſos præ metu caſtra ſua petere Samnites, ne ſic fuga, de qua ſola cogitabant, retardaretur, & quaſi implicaretur.

Urb. cond. an. 433. Coss. Q. Publil. & L. Papir.

diam aciem hostium tulerat, [2] & in castra pertulit. ibi plus quàm in acie sanguinis ac cædis factum, prædæque pars major irâ corrupta. Exercitus alter cum Papirio consule locis maritimis pervenerat [3] Arpos, per omnia pacata; [4] Samnitium magis injuriis & odio, quam beneficio ullo populi Romani. Nam Samnites ea tempestate in montibus vicatim habitantes, campestria & maritima loca, [a] contempto cultorum molliore, atque, ut evenit fere, loci simili genere, ipsi montani atque agrestes depopulabantur. quæ regio si fida Samnitibus fuisset, aut pervenire Arpos exercitus Romanus nequisset, [b] aut [5] interjecta [6] inter Romam & Arpos penuriâ rerum omnium, exclusos à commeatibus, absumpsissent. Tum quoque profectos inde ad Luceriam juxta obsidentes obsessosque inopia vexavit. omnia ab Arpis Romanis suppeditabantur: cæterum adeo exigue, ut [7] militi occupato stationibus vigiliisque & opere,

INTERPRETATIO.

a *Cum spernerent genus incolarum; in campestri & maritimo tractu mitiorem vitam degentium; atque ut fieri amat, regioni suæ cultiori consimilium.*

b *In regionibus Romam inter atque Arpos interjacentibus, prohibiti commeatibus* Romani *confecti fuissent, rerum omnium inopiâ.*

NOTÆ.

2. *Et in castra pertulit.*] Non in priora castra, ut pote à Samnitibus fugientibus deserta; sed in nova ad Luceriam coacta: quò nondum Papirius, alter Consul, pervenerat.

3. *Arpos.*] *Arpi*, aliquando *Argos Hippium* Diomede condente; mox *Argyrippa* dictum ex Plinio, maxima quondam urbs in Apulia fuit, inter Luceriam & Sipontum. Ejus hodie rulnæ sexto milliari à Foggia oppido visuntur, loco qui ejus tractus incolis adhuc vocitat *Arpe*.

4. *Samnitium magis injuriis & odio.*] Igitur Samnites proprium ipsi, aut certè popularium agrum vastaverant, Montani scilicet Campestrem & maritimum: quâ injuria provocati horum locorum cultores.

5. *Interjecta inter Arpos & Romam penuria rerum omnium, exclusos à commeatibus absumpsissent.*] Quærit Glar. quomodò penuria interjaceat Romæ & Arpis? Gronovius supplet *loca*, pro interjectis regionibus, quæ *Romanos absumpsissent penuriâ omnium rerum*. Quod mihi quoque probatur.

6. *Inter Romam & Arpos.*] Dubium movet Tan. Faber, qui istud *Romam*, vitiosum retur: sed quid substituendum sit non videt. Arbitratur fluvii alicujus aut urbis nomen. Et sanè, etsi ab urbe Arpos usque, quantò longius iter, tantò magis timenda fuisse videatur penuria: attamen per Latium, ac deinde aut in Samnium per Æquos, Marsos, Hernicosve; aut in Apuliam per Volscos, Campanosque, subditos omnes vel amicos populos pergentibus Romanis, non multùm nisi in Samnio ipso, Apuliaque de commeatu laborandum fuisse videtur, post trajectos scilicet Vulturnum, aut Sabatum fluvios. Venit itaque in mentem, num pro *inter Romam & Arpos* legendum esset, vel *inter Capuam & Arpos*; vel *inter Romulam & Arpos*. Fuit enim *Rómula* Antonino, Livio *Romulea*, urbs Hirpinorum in edito Apennini montis colle sita, haud procul Samnii Apuliæque confinio: cujus noster meminit lib. 10. cap. 17. Nec improbabile est hac parte in Apuliam ingressum Papirium, Samnitum Regione Publilio relictâ.

7. *Militi occupato stationibus vigiliis & opere.*] Stationes sunt militum globi

eques

c eques folliculis in castra ab Arpis frumentum veheret; interdum occursu hostium cogeretur, abjecto ex equo frumento, pugnare. & obsessis, prius quam alter Consul victore exercitu advenit, & commeatus ex montibus Samnitium invecti erant, & auxilia intromissa. d Arctiora omnia adventus Publilii fecit, qui obsidione delegata in curam collegæ, 8 vacuus per agros cuncta infesta commeatibus hostium fecerat. Itaque quum spes nulla esset diutius obsessos inopiam laturos; coacti Samnites, qui ad Luceriam castra habebant, undique contractis viribus signa cum Papirio conferre.

Urb. cond. an. 433. Cos. Q. Publil. & L. Papir.

XIV. Per id tempus parantibus utrisque se ad prælium, legati Tarentini interveniunt, denunciantes Samnitibus Romanisque, *ut bellum omitterent. per utros stetisset quo minus discederetur ab armis, adversus eos se pro alteris pugnaturos.* Ea legatione Papirius audita, perinde ac motus dictis eorum, cum collega se communicaturum respondit: accitoque eo 1 quum tempus omne in apparatu consumpsisset, collocutus de re haud dubia, 2 signum pugnæ proposuit. 3 Agentibus divina humanaque, quæ assolent quum acie dimicandum est, Consulibus, Tarentini legati occursare, responsum expectantes, quibus Papirius ait: *Auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nunciat. litatum præterea est egregie. auctoribus Diis, ut videtis, ad rem gerendam proficiscimur.* Signa inde ferri jussit, & copias eduxit, vanissimam increpans gentem, quæ suarum impotens rerum præ domesticis seditionibus discordiisque, aliis modum pacis ac belli facere æquum censeret. Samnites, ex parte altera, quum omnem curam belli remisissent, quia aut pacem vere cupiebant, aut expediebat simulare ut Tarentinos sibi conciliarent; quum instructos repente ad pugnam Romanos conspexissent, vociferari *se in auctoritate Tarentinorum manere, nec descendere in aciem, nec extra val-*

INTERPRETATIO.

c *Equites triticum Arpis in castra sacculis coriaceis inclusum deferebant.*

d *Publilius adveniens omnium rerum majorem penuriam intulit* Samnitibus.

NOTÆ.

ad eruptiones hostium cohibendas, certo loco dispositi, *les corps de garde*. *Vigilia* sunt excubiæ, quæ per noctis intervalla alternis vigilant, *les Sentinelles*, *le Guet* Opus quoque Romani milites faciebant, non solùm muniendo castra, sed fossas explendo, aggeres, vineas, aliaque machinamenta parando, quibus ad urbes expugnandas aditus fit.

8. *Vacuus per agros cuncta infesta commeatibus hostium fecerat.*] An *vagus per agros*? Vel *vacuus* omni aliâ curâ, per campos ubiq; hostium commeatus impediebat.

1. *Cum tempus omne in apparatu consumpsisset.*] In apparatu nimirum pugnæ.

2. *Signum pugnæ proposuit.*] Intellige de signo muto: ut demonstrat verbum *proposuit*. Id erat Coccinea Tunica, quam in hasta extensam Prætorii fastigio imponebant, ut momento monerentur omnes se ad arma parare. Alii vexillum appellant.

3. *Agentibus divina, humanaque.*] *Divina* sunt sacrificia & auspicia: *humana* verò imperatoris circa rationem atque ordinem pugnæ mandata.

Urb. cond. an. 433. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

lum arma ferre. Deceptos potius quodcumque caſus ferat paſsūros, quam ut ſprevisſe pacis auctores Tarentinos videantur. Accipere ſe omen, Conſules ajunt, & *eam precari mentem hoſtibus, ut ne vallum quidem defendant*. ipſi inter ſe partitis copiis ſuccedunt hoſtium munimentis, & ſimul undique adorti, quum pars foſſas explerent, pars vellerent vallum, atque in foſſas proruerent; nec virtus modo inſita, ſed ira etiam exulceratos ignominiâ ſtimularet animos: caſtra invaſere: & pro ſe quiſque, non hæc Furculas, nec Caudium, nec ſaltus invios eſſe, ubi errorem fraus ſuperbe viciſſet, ſed Romanam virtutem, quam nec vallum, nec foſſæ arcerent, memorantes; cædunt pariter reſiſtentes fuſoſque, inermes atque armatos, ſervos, liberos, puberes, impuberes, homines, jumentaque; nec ullum ſuperfuiſſet animal, ni conſules receptui ſignum dediſſent, avidoſque cædis milites è caſtris hoſtium, imperio ac minis, expuliſſent. Itaque apud infenſos, ob interpellatam dulcedinem iræ, confeſtim oratio habita eſt, ut doceretur miles, *Minime cuiquam militum conſules odio in hoſtes ceſſiſſe, aut ceſſuros. quin duces, ſicut belli, ita inſatiabilis ſupplicii futuros fuiſſe, ni 4 reſpectus equitum ſexcentorum, qui Luceriæ obſides tenerentur, præpediſſet animos, * a ne deſperata venia hoſtes cæcos in ſupplicia eorum ageret; perdere prius quam perire, optantes.* Laudare ea milites lætarique obviam itum iræ ſuæ eſſe. fateri *omnia patienda potius, quam proderetur ſalus tot principum Romanæ juventutis.*

XV. Dimiſſa concione conſilium habitum, omnibuſne copiis Luceriam premerent, an altero exercitu & duce Apuli circa, a gens dubiæ ad id voluntatis, tentarentur. Publilius conſul, ad peragrandam profectus Apuliam, aliquot expeditione una populos aut vi ſubegit, aut conditionibus in ſocietatem accepit. Papirio quoque, qui obſeſſor Luceriæ reſtiterat, brevi ad ſpem eventus reſpondit. nam infeſſis omnibus viis, per quas commeatus ex Samnio ſubvehebantur, fame domiti Samnites qui Luceriæ in præſidio erant, legatos miſere ad conſulem Romanum, ut receptis equitibus, qui cauſa belli eſſent, abſiſteret obſidione. His Papirius ita reſpondit: *Debuiſſe eos Pontium Herennii filium, quo auctore Romanos ſub jugum miſiſſent, conſulere, quid victis patiendum cenſeret. Cæterum, b quoniam ab hoſtibus in ſe æqua ſtatui, quam in ſe ipſi ferre maluerint; nunciare Luceriam juſſit, arma, ſarcinas, jumenta,*

INTERPRETATIO.

* a *Ne hoſtes deſperatione* impunitatis ac *venia excæcati, impellerentur ad illos* (obſides) *excruciandos, deſiderio perdendi* alios, *antequàm ipſi perirent.*

a *Populus, cujus* in Romanos *ad illud tempus incertus erat animus* & fides.

b *Quandoquidem ipſis potiùs viſum, ut Romani quæ juſta eſſent in illos decernerent, quàm ut ipſi ea in ſe conſtituerent: imperavit ut* Legati *referrent Lucerinis*; &c.

NOTÆ.

4. *Reſpectus equitum.*] Gallicè, *la conſideration des Chevaliers.*

multitudinem omnem imbellem, intra mœnia relinquerent. militem ſe cum singulis veſtimentis ſub jugum miſſurum; ulciſcentem illatam, non novam inferentem ignominiam. Nihil recuſatum. ſeptem millia militum ſub jugum miſſa, prædaque ingens Luceriæ capta; receptis omnibus ſignis, armiſque quæ ad Caudium amiſerant: &, quod omnia ſuperabat gaudia, equitibus recuperatis, [1] quos pignora pacis cuſtodiendos Luceriam Samnites dederant. Haud ferme [c] alia mutatione ſubita rerum clarior victoria populi Romani eſt: ſiquidem etiam (quod quibuſdam in annalibus invenitur) Pontius Herrennii filius, Samnitium imperator, ut expiaret Conſulum ignominiam, ſub jugum cum cæteris eſt miſſus. Cæterum id minus miror, obſcurum eſſe de hoſtium duce dedito miſſoque ſub jugum. id magis mirabile eſt ambigi, [2] Luciuſne Cornelius dictator cum L. Papirio Curſore magiſtro equitum, eas res ad Caudium, atque inde Luceriam geſſerit, ultorque unicus Romanæ ignominiæ, haud ſciam an juſtiſſimo triumpho ad eam ætatem ſecundum Furium Camillum triumphaverit; an conſulum Papiriique præcipuum id decus ſit. Sequitur hunc errorem alius error, [3] Curſorne Papirius proximis comitiis cum Q. Aulio Cerretano iterum, ob rem bene geſtam Luceriæ, continuato magiſtratu conſul tertium creatus ſit; an L. Papirius Mugillanus; & in cognomine erratum ſit. Urb. cond. an. 433. Coſſ. Q. Publil. & L. Papir.

XVI. Convenit jam inde per conſules reliqua belli perfecta. Aulius [1] cum Ferentanis uno ſecundo prælio debellavit: urbemque ipſam, quo ſe fuſa contulerat acies, obſidibus imperatis in deditionem accepit. Pari fortuna conſulum alter cum Satricanis, qui cives Romani poſt Caudinam cladem ad Samnites defecerant, præſidiumque eorum in urbem acceperant, rem geſſit. nam quum ad mœnia Satrici admotus eſſet exercitus, legatiſque miſſis ad pacem cum precibus petendam, triſte reſpon- Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. Curſ. & Aul. Cerret.

INTERPRETATIO.

[c] *Vix alia eſt Romanorum victoria illuſtrior ex fortunæ repentinâ mutatione.*

NOTÆ.

1. *Quos pignora pacis cuſtodiendos Luceriam Samnites dederant.*] *Pignora pacis*, vel Caudinæ inter Romanos & Samnites, vel potiùs ejus quam Samnites paulò poſt cum Apulis à ſocietate Romana deficientibus injerunt.

2. *Luciuſne Cornelius Dictator.*] Duos antea *Lucios Cornelios* memoravit Scipionem & Lentulum. De utro ſentiat non magis aperit, quàm de eo quicquam pronunciat certi, an Dictator, an Conſules Samnites nunc vicerint.

3. *Curſorne Papirius.*] Duorum quoque *Luciorum Papiriorum* ante hac mentio, *Curſoris* & *Mugillani*. Sed *Curſorem* III. Conſulem ſcriptores triumphorum Capitolini ſubjiciunt, cum Q. Aulio Cerretano, non Æmilio. Ipſe auctor poſtea Curſorem eundem IV. Conſulem nominat.

1. *Cum Ferentanis.*] *Ferentum* vel potiùs *Forentum* oppidum fuit Apuliæ Peucetiæ paulò ultra Venuſiam, intermedio Vulture monte, propinquius Acherontiæ Hodie *Forenza*. Ejus meminit Horat. l. 3. Carm. Ode 4. ut rectè obſervat Glar. Oppidani Plinio, & Stephano *Ferentani* à Frentanis, & Ferentinatibus diverſi.

Urb. cond. an. 434. Coss. L. Papir. Curs. & Q. Aul. Cerreta.

sum ab Consule redditum esset, nisi præsidio Samnitium interfecto aut tradito, ne ad se remearent; plus ea voce, quam armis illatis, terroris colonis injectum. Itaque [a] subinde exsequentes quærendo à consule legati, quonam se pacto paucos & infirmos crederet præsidio tam valido & armato vim allaturos; ab iisdem consilium petere jussi, quibus auctoribus præsidium in urbem accepissent, discedunt: ægreque impetrato, ut de ea re consuli senatum responsaque ad se referri sineret, ad suos redeunt. Duæ factiones senatum distinebant: una, cujus principes erant defectionis à populo Romano auctores; altera, fidelium civium: certatum ab utrisque tamen est, ut ad reconciliandam pacem consuli opera navaretur. Pars altera (quum præsidium Samnitium, quia nihil satis præparati erat ad obsidionem tolerandam, excessurum proxima nocte esset) [2] enunciare consuli satis habuit, qua noctis hora, quaque porta, & quam in viam egressurus hostis foret. altera, quibus invitis descitum ad Samnites erat, eadem nocte portam etiam Consuli aperuerunt, [3] armatosque clam hostes in urbem acceperunt. Ita duplici proditione & præsidium Samnitium insessis circa viam silvestribus locis, nec opinato oppressum est: & ab urbe plena hostium clamor sublatus, momentoque unius horæ Samnis cæsus, Satricanus captus, & omnia in potestate Consulis erant. Qui, quæstione habita quorum opera defectio esset facta; quos fontes comperit, virgis cæsos securi percussit: præsidioque valido impositio, arma Satricanis ademit. Inde ad triumphum decessisse Romam Papirium Cursorem scribunt, qui eo duce Luceriam receptam, Samnitesque sub jugum missos, auctores sunt. Et fuit vir haud dubie dignus omni bellica laude; non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Præcipua pedum pernicitas inerat, [4] quæ cognomen etiam dedit: victoremque cursu omnium ætatis suæ fuisse ferunt, & seu virium vi, seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum: nec cum ullo asperiorem (quia ipse invicti ad laborem corporis esset)

INTERPRETATIO.

a Cum prosequentes quærerent identidem.

NOTÆ.

2. *Enunciare Consuli satis habuit.*] Notatu non videtur indignum quod Gron. monet, *Enunciandi* verbum de iis signatè dici, qui arcani quid patefaciunt: ideoque hîc præferendum verbo *nunciandi*, quod in quibusdam codicibus exstat.

3. *Armatosque clam hostes.*] Quidam libri, *clam nocte*: unde ingeniosè Gron. *clam hoste*, id est, *armatos Romanos*, *Samnite hoste ignaro*. Nam huic parti non Romani hostes, sed Samnites erant.

4. *Quæ cognomen etiam dedit.*] Veri admodùm simile est ei, qui primus Cursoris in Papiriorum gente cognomen tulit, à pernicitate pedum id inditum: sed alii ante hunc eo cognomine fuerant. Idcirco suspicatur Sigon. legendum, *qua cognomen avo jam dedit*. Etenim L. Papirius Cursor hujus avus fuerat, Censor an. u. c. 361. post etiam Tribunus militum Consulari potestate an. 367. & 369. de quo lib. 6. cap. 5.

fuiſſe militiam pediti pāriter equitique. Equites etiam aliquando auſos ab eo petere, ut ſibi pro re bene geſta laxaret aliquid laboris: quibus ille, *Ne nihil remiſsum dicatis, remitto*, inquit, *ne utique dorſum demulceatis, quum ex equis deſcendetis*. & vis erat in eo viro imperii ingens pariter in ſocios civeſque. Prænestinus prætor per timorem ſegnius ex ſubſidiis ſuos duxerat in primam aciem. quem quum inambulans ante tabernaculum vocari juſſiſſet, lictorem expedire ſecurim juſſit: ad quam vocem exanimi ſtante Prænestino, *Agedum lictor, exeide radicem hanc*, inquit, *incommodam ambulantibus*: perfuſumque ultimi ſupplicii metu, mulctâ dictâ dimiſit. Haud dubie illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana ſtaret. 5 quin eum parem deſtinant animis Magno Alexandro ducem, ſi arma Aſia perdomita in Europam vertiſſet. Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. Curſ. & Q. Aul. Cer.

XVII. Nihil minus quæſitum à principio hujus operis videri poteſt, quam ut plus juſto ab rerum ordine declinarem, a varietatibuſque diſtinguendo opere, & legentibus velut divertícula amœna, & requiem animo meo quærerem: tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus ſæpe tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium: ut quærere libeat, quinam eventus Romanis rebus, ſi cum Alexandro foret belatum, futurus fuerit. PLURIMUM IN BELLO pollere videntur, Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

INTERPRETATIO.

a *Et variis digreſſionibus volumen diſcriminando. Injecta nihilominùs regis atque imperatoris adeò illuſtris mentione, excitor ad foras educendos eos animi ſenſus, quos illa effecit ut apud me revolverem.*

NOTÆ.

5. *Quin eum parem deſtinant animis Magno Alexandro.*] Aliàs *deſtinarant*. Sed rectè Gron. *deſtinarunt*, vel *deſtinant* judicia ſcilicet ſcribentium, hominumque qui poſteà fuere. Alioqui non injuriâ immemor ſui à Muretto Livius arguereturque, qui ne famâ quidem cognitum Romanis fuiſſe Alexandrum arbitratur cap. 18. Utriuſque hic effigiem, Alexandri nempe & Papirii ex veteribus nummis appingere viſum eſt.

Urb. Cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

militum copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna, per omnia humana, maxime in res bellicas, potens. Ea & ſingula intuenti, & univerſa, ſicut ab aliis regibus gentibuſque, ita ab hoc quoque r facilè præſtant invictum Romanum imperium. Jam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuiſſe Alexandrum; ſ ſed clariorem tamen eum facit, quod unus fuit, quod adoleſcens, in incremento rerum, b nondum alteram fortunam expertus, deceſſit. Ut alios reges claros duceſque omittam, magna exempla caſuum humanorum; Cyrum, quem maxime Græci laudibus celebrant, c quid niſi longa vita, ſicut Magnum modo Pompejum, vertenti præbuit fortunæ? 2 Recenſeam duces Romanos, nec omnes omnium ætatum, ſed ipſos eos cum quibus conſulibus aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum: M. Valerium Corvum, C. Marcium Rutilum, C. Sulpicium, T. Manlium Torquatum, Q. Publilium Philonem, L. Papirium Curſorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, Manium Curium. Deinceps ingentes ſequuntur viri; d ſi 3 Punicum Romano 4 prævertiſſet bellum, ſeniorque in Italiam trajeciſſet. Horum in quolibet tum indoles eadem quæ in Alexandro erat animi ingeniique; tum diſciplina militaris jam inde ab initiis urbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum venerat. Ita reges geſſerant bella: ita deinde exactores regum Junii Va-

INTERPRETATIO.

b *Cum adhuc fortunâ* improſperâ atque à ſuperiori *diverſâ uſus non eſſet*.

c *Non aliud quàm* vita *productior inclinanti fortunæ obnoxium præſtitit* reddidit *Cyrum, quemadmodùm noſtrâ ætate Pompejum magnum*.

d *Si priùs bellum cum Carthaginenſibus, quàm cum Romanis ſuſcepiſſet*.

NOTÆ.

1. *Facilè præſtant Romanum imperium invictum*.] Loquitur velut in re præſenti: unde confirmari videtur lectio *deſtinant animis*, in fine ſuperioris Capitis.

2. *Recenſeam duces Romanos*.] Hæc cum proximè dictis non cohærent: ſed cum ſequentibus. In hac, inquit, comparatione enumerare poſſim eos duces, qui tempore illo Romæ fuere. Ea verò comparatio fuſiùs accuratiuſque inſtitui poterit ex lib. 17. Diodori Siculi, ubi Alexandri Magni geſta per ſingulos annos ita deſcribuntur, ut rerum etiam in Italia geſtarum, Conſulumque Romanorum mentio fiat aliqua.

3. *Punicum*.] Carthaginenſes *Pœni*, & eorum res *Punicæ* Romanis dictæ, ab Hlorum ortu ex Phœnicum regione: quæ hodie quoque *FuniKi* Arabibus vocatur, literam F. vel Ph. uſurpantibus pro P. qui carent.

4. *Prævertiſſet*.] Rem aliquam alteri *prævertere* eſt unam ante aliam gerere. Mirum in re adeò perſpicua excuſiſſe Glareanum, cui non admodùm clarum videtur præſertim illud *Romano*; mirum & Sigon. hallucinatum, qui auctoris mentem ſic interpretatur, ſi Alexander antè intuliſſet Romano bellum quàm Pœni: ſic enim nihilo ſenior in Italiam trajeciſſet Alexander. Quod accidere neceſſe erat, ſi priùs ad bellum Punicum accеſſiſſet, uti reverà paulò ante mortem agitabat animo, ex Juſtino lib. 21. ut Gronovius obſervat: ideò ſcilicet quòd Carthaginenſes Tyri à ſe jam ſubactæ Coloni eſſent, quos ideo infenſos ſibi credere, aut velut appendicem victoriæ illius prioris, ſubigere velle potuit.

lerũque: ita deinceps Fabii, Quintii, Cornelii: ita Furius Camillus, quem juvenes duo, quibus cum Alexandro dimicandum erat, ſenem viderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexandro, (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) ceſſiſſet videlicet in acie 6 oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Corvus; inſignes ante milites, quam duces: ceſſiſſent Decii, devotis corporibus in hoſtem ruentes: ceſſiſſet Papirius Curſor, illo corporis robore, illo animi: victus eſſet conſiliis juvenis unius, ne ſingulos nominem, 7 ſenatus ille, quem qui ex regibus conſtare dixit, unus veram ſpeciem Romani ſenatus cepit? Id vero erat periculum, ne ſolertius quam quilibet unus ex iis quos nominavi, caſtris locum caperet, commeatus expediret, ab inſidiis præcaveret, tempus pugnæ deligeret, aciem inſtrueret, ſubſidiis firmaret. Non jam cum Dario rem eſſe dixiſſet: quem mulierum ac ſpadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, oneratum fortunæ ſuæ apparatibus, prædam verius quam hoſtem, nihil aliud quam bene auſus vana contemnere, incruentus devicit. 8 Longe alius Italiæ, quam Indiæ, per quam temulento agmine commeſſabundus inceſſit, viſus illi habitus eſſet; ſaltus Apuliæ ac montes Lucanos cernenti, & veſtigia recentia domeſticæ cladis, ubi avunculus ejus nuper Epiri rex Alexander abſumptus erat.

Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

XVIII. Et loquimur de Alexandro nondum merſo ſecundis rebus, 1 quarum nemo intolerantior fuit. qui ſi ex habitu novæ fortunæ, novique, ut ita dicam, ingenii, quod ſibi victor induerat, ſpectetur; Dario magis ſimilis quam Alexandro in Italiam veniſſet, & exercitum Macedoniæ

NOTÆ.

5. *Quem Juvenes duo.*] Glareanus & Sigonius deſignant Tit. Manlium Torquatum, & M. Valerium Corvum: ſed hic moriente Camillo anno ſ. u. c. 388. ſeptem duntaxat annos natus erat, uti ex primo ejus Conſulatu conſtat, quem anno urbis 405. ætatis 23. geſſit. Anteà enumeratis convenit, ut Camillum *juvenes* ſenem viderint. Unde ex Voſſiano & Buſlidiano Codicib. Mſſ. legendum Gron. cenſet, *quem juvenes hi*, vel *ii quibuſcum Alexandro*, &c. quæ à librariis corrupta ait, pronomen *ii*, pro numerali nomine duo, ſive 11. ſumentibus. Sed tamen ex iis quæ ſequuntur ſatis patet de illis præcipuè duobus ſenſiſſe Livium, quando nominatim eos Alexandro ſtatim primo loco opponit. Nec illud *juvenes* adeò præcisè ſumendum, in iis præſertim qui annos virtute præcurrunt, qualis Valerius. Nam T. Manlius Torq. qui anno u. c. 406. Conſul, nec ante ætatem, fuiſſe legitur; non eſt quod ambigatur quin major annis 25. eſſe potuerit cum Camillus è vivis exceſſit.

6. *Oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Corvus.*] *Parem* dicit pro adverſario deſtinato: ut velut par cum pare dimicaret.

7. *Senatus ille, quem qui ex Regibus.*] Cyneas Pyrrhi legatus, tot Reges quot Senatores, ſeu Regum conſeſſum ſe Romæ vidiſſe profeſſus dicitur apud Plut. in Pyrrho, Juſtin. lib. 18. cap. 2.

1. *Quarum nemo intolerantior fuit.*] Novum non eſt *intolerandum* dici pro inſolenti, quem nemo ferre poteſt. Sed *intolerantem* hic ſumit Livius pro Impotenti, qui fortunæ illecebras ſuperare ac ferre non poteſt, ſed eis ſuccumbit. Non abſimili ſenſu Lucan.

Nec ſe Roma ferens.

Eodemque pertinet illud Virg.

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

oblitum, degenerántemque jam in Perſarum mores adduxiſſet. Referre in tanto rege piget ſuperbam mutationem veſtis, & [2] deſideratas humi jacentium adulationes, [a] etiám victis Macedonibus graves, nedum victoribus: & fœda ſupplicia, & inter vinum & epulas cædes amicorum, & vanitatem ementiendæ ſtirpis. Quid ſi vini amor in dies fieret acrior, quid ſi trux ac præfervida ira (nec quicquam dubium inter ſcriptores refero) nullane hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id vero periculum erat, quod leviſſimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ favent, dictitare ſolent, ne majeſtatem nominis Alexandri (quem ne fama quidem illis notum arbitror fuiſſe) ſuſtinere non potuerit populus Romanus; & adverſus quem Athenis, in civitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, [3] concionari liberè auſi ſint homines (id quod ex monumentis orationum patet) adverſus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam miſſurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, unius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta [4] paulo plus decem annorum felicitate: quam qui eo extollunt, quod populus Romanus etſi nullo bello, multis tamen præliis victus ſit, Alexandro nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit; non intelligunt, ſe unius hominis res geſtas, & ejus juvenis, cum populi [5] jam octingenteſimum bel-

INTERPRETATIO.

a *Moleſtas Macedonibus, non tantùm victoribus, ſed vel ſi victi fuiſſent.*

NOTÆ.

2 *Deſideratas humi jacentium adulationes.*] Adorationem Orientalium qui ad pedes regum ſaiutandi causâ ſe proſternebant, ſæpe *adulationis* nomine intelligi Grono. pluribus probat. Sufficit noſter lib. 30. cap. 16. de Carthaginenſium legatis. *Ubi in caſtra Romana & Prætorium pervenerunt, more adulantium (accepto credo ritu ab ea regione ex qua oriundi erant) procubuerunt.* Has tamen Perſicas adorationes, ſumpto poſt Darii necem habitu Perſarum, exigere cœpit Alexander, ſeque Jove Ammone genitum credi voluit: quæ cum à Macedonibus improbarentur, eorum plures morte ab eo ejuſve juſſu affecti.

3. *Concionari liberè auſi ſint homines.*] Demoſthenes præſertim: qui tamen Macedonum vi coactus eſt venenum ſumere.

4. *Paulò plus decem annorum.*] Hic rotundus eſt numerus: reverà regnavit Alexander paulò plus annis duodecim ab obitu Philippi, in Macedonia primùm, deinde etiam in Aſia. Etenim an. 13. curtente extinctus eſt. Et ex eo quod ſequitur, *quàm in ætate tredecim annorum*, facilè adducor, ut hic legendum putem, *paulò plus xii. annorum.*

5. *Jam octingenteſimum bellantis annum.*] Hic neceſſaria erat particula *ferè*: nam ne vita quidem auctoris ad octingenteſimum ab urbe condita annum pervenit; eoque ducit conjectura ut, cum hæc ſcriberet, trigeſimus tantùm annus urbis ageretur ſupra ſeptingenteſimum; an verò admittenda Tan. Fabri correctio, pro DCCC. legentis CCCC. annum? Sic quidem ſatis poterunt ad Alexandri ætatem congruere, ut mox patebit: ſed parum liquet hanc Livii mentem eſſe, qui regnum Alexandri confert cum imperio populi Romani. Neque ad inſtitutum ſermonem facit, tam longum temporis ſpatium quo Romani bella geſſerunt. Inſpicienda duntaxat Alexandri ætas,

lantis

lantis annum rebus conferre. b Miremur, si 6 quum ex hac parte μ sæcula plura numerentur, quam ex illa anni; plus in tam longo spatio quam in ætate tresdecim annorum fortuna variaverit? 7 Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers? Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam adversa fortuna pugnæ fuit. paginas in annalibus magistratuum, fastisque percurrere licet, consulum, dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ ullo die populum Romanum pœnituit. Et quo sint mirabiliores, quam Alexander, aut quisquam alius rex; denos, vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit: ab tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella jerunt: ante tempus, comitiorum causa, revocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas, nunc pravitas, impedimento aut damno fuit: male gestis rebus alterius successum est: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At, Hercule, REGES, NON LIBERI solum impedimentis omnibus, sed 8 domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non se-

Urb. cond. an. 434. Cos. L. Papir. & Q. Aul.

INTERPRETATIO.

b Quid mirandum est;

NOTÆ.

quâ vixit aut vivere potuit. Hoc verò temporum intervallo non semel à Gallis, à Samnitibus, à Pyrrho victi Romani.

6. *Quum ex hac parte plura sæcula.*] *Sæcula* accipe pro ætatibus, quas Græci γενεὰς vocant, quæque triginta tantùm annorum sunt, ut Dion. Halicarnassæus, aliique computant. Sic à condita urbe ad Alexandri Magni mortem (quæ circa 427. urbis annum incidit) erunt quatuordecim ejusmodi sæcula, septem annis additis: cum Alexander annos regni tredecim non impleverit. Alioquin si tempora ad Augustum computes, nimis inæquales numeri erunt, hinc septem majorum sæculorum; vel quatuor & viginti generationum, (quot tunc erant ab urbe condita): inde tredecim annorum regnantis Alexandri.

7. *Quin tu hominis cum homine.*] Hoc ego vellem è te, Tite Livi: ut ex tot illis Romanis ducibus, qui Alexandro coævi, unum aliquem delegisses, quem omni virtute, fortunâ, bellandi ratione anteponendum putares. Nunc uni omnes objicies, qui hoc toto sæculo floruêre, quorum tamen temporibus haudquaquam immunis ab omni damno respublica. Culpa hæc fuerit aliorum ducum; qui per singulos annos, aut etiam sæpiùs eundem intra annum mutati, meliorum victorias temeritate aut pravitate suâ, vel fortunæ vitio fœdabant cladibus suis. Verùm vel hoc ipso superior Alexander, quî eodem semper tenore animoque unus imperaverit. Ita ut quot rei gerendæ impedimenta augendis Romanorum magistratuum laudibus auctor accumulat, totidem sint momenta atque adminicula quibus Alexandri melior causa & conditio fiat. Ad hæc tamen paulò post aliquatenus respondet.

8. *Domini rerum temporumque.*] Hoc Demosthenes exaggerat Olynthiaca 1. cum ait Philippum unum esse omnium dominum, & dicendorum, & tacendorum, & simul belli ducem, ac rerum potentem, & distributorem, & ubique ipsum præesse rei militari. Id verò quantùm interfit, ut celeriter & secundum opportunitatem unumquodque fiat, nullo unquàm exemplo clariùs comprobatum est, aut comprobari porro poterit, quam invictissimi Ludovici XIV. Regis nostri tot præclaris, fidemque omnem superantibus, ex conjurata adversus Gal-

Urb. Cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

quuntur. Invictus ergo Alexander cum invictis ducibus bella geſſiſſet, & eadem fortunæ pignora in diſcrimen detuliſſet. imo etiam eo plus periculi ſubiſſet, quod Macedones unum Alexandrum habuiſſent, multis caſibus non ſolum obnoxium, ſed etiam offerentem ſe. Romanis multi fuiſſent Alexandro, vel gloria vel rerum magnitudine pares; quorum ſuo quiſque fato, ſine publico diſcrimine viveret, moreretur que.

XIX. Reſtat, ut copiæ copiis comparentur, vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. Cenſebantur [a] ejus ætatis luſtris ducena quinquagena millia capitum. Itaque in omni defectione ſociorum Latini nominis, urbano prope delectu decem ſcribebantur legiones. quaterni, quinique exercitus ſæpe per eos annos, in Etruria, in Umbria Gallis hoſtibus adjunctis, in Samnio, in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis, & Volſcis, & Æquis, & omni Campania, & parte Umbriæ Etruriæque, & Picenibus & Marſis, Peligniſque, ac Veſtinis, atque Apulis, [1] adjunctaque omni ora Græcorum inferi maris [2] à Thuriis [3] Neapolim & Cumas, & inde [4] Antio atque Oſtiis tenus. [5] Samnites, aut ſocios validos Romanis, aut fractos bello inveniſſet hoſtes. Ipſe trajeciſſet mare cum veteranis Macedonibus, non plus triginta millibus hominum, & quatuor millibus equitum, maxime Theſſalorum: hoc enim roboris erat. Perſas, Indos, aliaſque ſi adjunxiſſet gentes, impedimentum majus quam auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi ſupplementum eſſet. Alexandro (quod poſtea Annibali

INTERPRETATIO.

a *Cum per ea tempora Cenſus* Civium Romanorum *ſingulis quinquennii* à Cenſoribus *haberentur, numerabantur*, &c.

NOTÆ.

licum nomen Europa propè univerſa victoriis, quæ hoc bello, unius non magis auſpiciis quam conſiliis factiſque, feliciter reportatæ.

1. *Adjunctaque omni ora Græcorum.*] Veteres Gronov. *adjuncta omnis ora.*

2. *A Thuriis.*] Non placet Gronovio τῶ, *Thuriis*. Scribit autem *Brutiis*, quod *Thurii* non eſſent in ora inferi maris. Mihi verò non placet hæc ejus emendatio: tum quòd nullius codicis auctoritate firmatur: tum quòd *Thurii*, in Brutiorum Lucanorumque confinio poſiti, adeò exiguo intervallo remoti ſunt ab infero mari; adeo pari cum extremis Brutiorum ſpatio à Romanis finibus diſtant, ut quæ rationes ad Thuriorum urbem, eædem ad Brutiorum gentem excludendam valeant. Thurii autem Græcæ nationis, de qua hic agitur, non Brutii.

3. *Neapolim & Cumas.*] In Campaniæ ora erant: ſed Græcæ originis hæ duæ Civitates.

4. *Antio atque Oſtiis.*] Cur verò horum nominatim meminit; cum anteà *Latium* omne dixerit? An non hæc Latii nomine continentur? An Græcæ originis ſunt? Nequaquam. Sed & his urbibus, & populis aliis (qui adhuc dubiæ fidei erant), amplificare voluit Romanorum potentiam. *Oſtia* porro in ſingulari numero propriè urbem ſignificat: in plurali ipſa Tiberis in mare influentis ora: quanquam & ſic quoque pro urbe aliquando accipitur.

5. *Samnites, aut ſocios.*] Incipit nova periodus, quâ Samnites, quibuſcum tunc bellum, à reliqnis diſtinguuntur.

accidit) alieno in agro bellanti, exercitus conſenuiſſet. Armâ clypeus 6 ſariſſæque illis: Romano ſcutum, majus corpori tegumentum; & pilum, haud paulo quam haſta vehementius ictu miſſuque telum. Stataríus uterque miles, ordines ſervans: ſed illa phalanx immobilis, & unius generis: Romana acies diſtinctior, ex pluribus partibus conſtans: b facilis partienti quacunque opus eſſet, facilis jungenti. Jam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior? Uno prælio victus Alexander, bello victus eſſet. Romanum, quem Caudium, quem Cannæ non fregerunt, quæ fregiſſet acies? Næ ille ſæpe, etiamſi prima proſpere eveniſſent, Perſas & Indos, & c imbellem Aſiam quæſiſſet, & cum fœminis ſibi bellum fuiſſe dixiſſet: 7 quod Epiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixiſſe ferunt, ſortem bellorum in Aſia geſtorum ab hoc ipſo juvene cum ſua conferentem. Equidem quum per annos quatuor & viginti, primo Punico bello claſſibus certatum cum Pœnis recordor, vix ætatem Alexandri ſuffecturam fuiſſe reor ad unum bellum, & forſitan quum 8 & fœderibus vetuſtis juncta Punica res Romanæ eſſet, & timor par adverſus communem hoſtem, duás potentiſſimas armis viriſque urbes armaret; ſimul Punico Romanoque obrutus bello eſſet. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus: ſed experti tamen ſunt Romani Macedonem hoſtem adverſus Antiochum, Philippum, & Perſen, non modo cum clade ulla, ſed ne cum periculo quidem ſuo. Abſit invidia vero, d & civilia bella fileant, nunquam ab equite hoſte, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis, 9 utique nunquam noſtris locis laboravimus. 10 Equitem, ſagittas, ſaltus impeditos, avia commeatibus loca gravis armis miles timere poteſt. Mille acies gra-

Urb. cond. an. 434. Coſſ. L. Papir. & Q. Aul.

INTERPRETATIO.

b Quæ *commodè dividi in globos*, ab imperatore; *commodè* in unum *corpus* conjungi poſſet.

c *Optaſſet, ut ſibi res iterum eſſet cum Aſia ignavis gentibus*, non cum bellicoſis Romanis.

d *Dummodo bellum civile nullum ſit*.

NOTÆ.

6. *Sariſſaque illis*.] Hæc Macedonum arma: haſtæ erant longiores.

7. *Quod Epiri Regem Alexandrum*.] Hunc Alexandrum Moloſſum, cum in Italiam tranſiret, refert Gell. lib. 17. cap. 20. ut jam ante annotatum eſt, dixiſſe *ſe quidem ad Romanos ire*, quaſi in ἀΐδην τὸν; *Macedonem iſſe ad Perſas*, quaſi in γυναικωνίτιν.

8. *Et fœderibus vetuſtis juncta Punica res*.] Fœdera quædam Carthaginenſium cum Romanis jam retulit: præſertim lib. 7. cap. 27. hæc poſt quoque renovata. De illis latè Polyb. lib. 3.

9. *Utique nunquàm noſtris locis*.] Alii *nunquam iniquis locis*. Quod dici non poteſt. Gron. 4. obſervat. ſcribendum contendit *nunquàm noſtris locis*, (& ita Ill. Memmii liber) id eſt, locis quæ nobis opportuna; ut cum Romani loco prævaluerunt, nunquam non ejus commoditate uſi ſint. Sed ſi correctioni locus, facilius videtur, *utique nunquam niſi iniquis locis*. aut niſi *iniquis noſtris locis*; quæ ſcilicet iniqua eſſent noſtris exercitibus.

10. *Equitem, ſagittas, ſaltus*.] Corrige ex Memm. *Et quidem Samnites ſaltus*.

graviores quàm Macedonum atque Alexandri, avertit, avertetque; modo sit perpetuus hujus, qua vivimus, pacis amor, & civilis cura concordiæ.

Urb. cond. an. 435. Coss. M. Fosl. & L. Plaut.

XX. M. Foslius Flaccinator inde, & L. Plautius Venno consules facti. Eo anno ab frequentibus Samnitium populis de fœdere renovando legati quum senatum humi strati movissent, rejecti ad populum, haud quaquam tam efficaces habebant preces. Itaque de fœdere negatum: induciæ biennii, quum per aliquot dies fatigassent singulos precibus, impetratæ. Et 1 ex Apulia Theanenses 2 Canusinique populationibus fessi, obsidibus L. Plautio Consuli datis, in deditionem venerunt. Eodem anno primum 3 præfecti Capuæ creari cepti; legibus ab L. Furio prætore datis quum utrunque ipsi pro remedio ægris rebus discordia intestina petissent. Et duæ Romæ 4 additæ tribus, Ufentina ac Falerina. Inclinati semel in Apulia rebus, 5 Theates quoque Apuli ad novos Consules, C. Junium Bubulcum,

NOTÆ.

1. *Ex Apulia Theanenses.*] Ad dextram Frentonis, quò à Frentanis & Samnitibus Apulia Daunia disterminatur, decem fermè suprà ejus fl. ostium milliaribus fuit *Theanum*, cognomento *Apulum*, ad discrimen *Theani* Sidicini. In ruinis hodie jacet, estque loco nomen *Civita*, ut pro certo habet Holstenius, quanquàm itinerariorum intervalla conveniunt in locum nomine *Serra Capriola*. Ab ea civitate dictos *Theanenses*, etsi paulò à Canusinis remotiores; idem cum illis sensisse nihil vetat. Nihil igitur mutandum. Nec quod Gron. suspicabatur, *Cannenses* reponendi; qui etsi oppidum aliquando habuerint; ubi tamen id anno ante pugnam *Cannensem* solo æquatum fuit; minoris dignationis erant. De Theatibus mox viderimus.

2. *Canusinique.*] In aditu Apuliæ Peucetiæ ad dextram Aufidi ripam supra Cannas est *Canusium* oppidum: quò Varro Consul Rom. cum Cannensis cladis reliquiis perfugit. In Dauniis Plinius ponit. Nunc vulgo *Canosa*.

3 *Præfecti Capuæ creari cœpti.*] Oppidorum Italiæ, quæ in Romanorum ditione, non omnium eadem conditio fuit. Quædam Coloniæ, quædam Municipia, alia Præfecturæ dicebantur. Coloniæ & Municipia proprios de suo corpore habebant magistratus. Præfecturæ alium non habebant magistratum, quàm Româ quotannis missum Præfectum, qui jus redderet oppidanis: unde Præfecturæ dictæ, quarum deterior conditio; nec multùm à conditione provinciarum abhorrens. Earum aliæ Præfectos accipiebant populi Romani suffragiis creatos, in quarum numero (saltem post bellum Punicum 2) Capua ex Festo: in alias Prætor urbanus præfectos mittebat. Sed horum oppidorum status non rarò mutabatur, ex coloniis aut municipiis præfecturæ, ex præfecturis coloniæ vel municipia fiebant; & coloniæ in municipia transibant, vel vice versâ: prout cives benè vel *malè* meriti de Rep. Rom. videbantur, aut ipsi à pop. Rom. postulabant. Aliæ ab his civitates fœderatæ, & vel liberæ, vel vectigales aut stipendiariæ erant. Vide in primis A. Gell. lib. 16. cap. 13. Onuphr. de Civit. Rom. & Sigon. De Antiq. Jure Ital. lib. 2.

4. *Additæ Tribus Ufentina & Falerina.*] *Ufentina*, seu *Onfentina Tribus* 30. ab *Ufente* flumine Volscorum, quod per agrum Privernatem in mare influit ad Tarracinam, nomen accepit. Ei posteà populi alii à Censoribus additi auctore Festo. *Falerina Tribus* 31. ab agro *Falerno* in Campaniæ finibus dicta, ut Onuphrius & Sigon. conjiciunt.

5. *Theates quoque Apuli.*] *Teate* sive *Theate* Civitas fuit Marrucinorum, nihil ad Apuliam pertinens. Nec facile à Theate, Theates; sed Theatini, ut à Reate Reatini; quod utrunque Sigon. & Gronov. observant. à Teano verò melius opinor, *Teanenses* ut suprà, quàm

Q. Æmilium Barbulam fœdus petitum venere, pacis per omnem Apuliam præſtandæ populo Romano auctores. id audacter ſpondendo impetraverunt ut fœdus daretur: [6] neque ut æquo tamen fœdere, ſed ut in ditione populi Romani eſſent. Apulia perdomita ([7] nam Forento quoque valido oppido Junius potitus erat) in Lucanos perrectum, inde repentino adventu Æmilii Conſulis, [8] Nerulum vi captum. Et poſtquam res Capuæ ſtabilitas Romanâ diſciplinâ, fama per ſocios vulgavit; Antiatibus quoque, qui ſe ſine legibus certis, ſine magiſtratibus agere querebantur, dati ab ſenatu ad jura ſtatuenda [9] ipſius coloniæ patroni: nec arma modo, ſed jura etiam Romana late pollebant. Urb. cond. an. 436. Coſſ. C. Jun. & Q. Æmil.

XXI. C. Junius Bubulcus, & Q. Æmilius Barbula conſules, exitu anni, non Conſulibus ab ſe creatis, Sp. Nautio, & M. Popilio, cęterum dictatori L. Æmilio, legiones tradiderunt. Is cum L. Fulvio magiſtro equitum [1] Saticulam oppugnare adortus, rebellandi cauſam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. hinc Samnis magno exercitu coacto ad eximendos obſidione ſocios, haud procul caſtris Romanorum caſtra poſuit. hinc Saticulani magno cum tumultu, patefactis repente portis, in ſtationes hoſtium incurrerunt. [2] Inde pars utraque ſpe alieni Urb. cond. an. 437. Coſſ. Sp. Naut. & M. Popil. Dictat. L. Æmil.

NOTÆ.

Teanates. Et ſi *Teanates* legamus, pro *Teates*, remanet adhuc ſcrupulus ex eo quòd datis obſidibus in deditionem jam ante veniſſe dicantur: unde nòn appareat quâ ratione fœdus ſequenti anno petere potuerint. Reponi tamen poſſet fortè obſides quidem futuræ dedirionis causâ paulò ante à Theanenſibus datos, nondum tamen ſequutam deditionem. Et verò quid prohibet eos ſpe melioris conditioois ad ſequeotes Conſules veniſſe, cum ſe pacis apud reliquos Apulos auctores, univerſam gentem in deditionem populi Romani adducturos ſponderent? Quòd autem tam præclara pollicitì æquum fœdus non obtinuerint, ea videtur eſſe cauſa, quòd jam in deditionem, (aut quò me potiùs coojectura fert) *in ditionem* veniſſent, ſeu venturos pacti eſſent. Si cui hæc non probantur, non *Teanates*, ſed *Uriates* legat. Eſt eoim *Uria* ejuſdem Apuliæ oppidum ſub Monte Gargano.

6. *Neque ut æquo tamen fœdere*.] Hùc referendum, *eſſent* ex fine periodi: ut oihil mutandum ſit. Æquum autem fœdus eſt, cùm amicitia ita contrahitur ut ambo populi ſocii, ac liberi pariter maneant, ut neuter alteri quicquam, aut uterque alteri auxilium pari jure debeat.

7. *Nam Forento quoque*.] De hoc aoteà. Eſt paulò ſupra Acherontiam.

8. *Nerulum vi captum*.] Ioter Grumentum Lucanorum ad Sirim amnem, & Muranum in finibus Brutiorum, ac propius ab hoc diſtans *Nerulum* ad eundem Sirim, nunc *Epiſcopia* Cluverio. Sed Holſtenius ex itinerariis probat fuiſſe ex adverſa parte Apennini circa Laum fl. ubi nunc *Laino* & circa *la Rotonda*.

9. *Ipſius Coloniæ patroni*.] Non modò privatis è plebe clientibus, ſed Colooiis ac eivitatibus ſui erant ex Romanis patriciis primoribuſque patroni; & plerunque ii à quibus unaquæque Civitas ditioni Romanæ adjecta fuerat. Boooniam in Antoniorum elientela fuiſſe Suetonius; Puteolos in Caſſiorum, Cic. teſtatur. Et Coloniæ ſuis legibus utebantur, quæ partim à deductoribus datæ, partim à Senatu ſuo & populo conſtitutæ.

1. *Saticulam*.] Campaniæ ad Samnii confinia Civitatem, Samnitium Sociam, de qua ſuprà.

2. *Inde pars utraque*.] Saticulani & Samnites, quorum neutri per ſe pares Romanis, ſperabant ſe mutuâ ope ſuperiores futuros.

Urb. cond. an. 437. Coſſ. Sp. Naut. & M. Popil. Dictat. L. Æmil.

magis auxilii, quam viribus freta ſuis, juſto mox prælio inito Romanos urgent. & quanquam anceps dimicatio erat: tamen utrinque tutam aciem dictator habuit: quia & locum haud facilem ad circumveniendum cepit, [a] & diverſa ſtatuit ſigna. Infeſtior tamen in erumpentes inceſſit: nec magno certamine intra mœnia compulit. Tum totam aciem in Samnites obvertit. ibi plus certaminis fuit. Victoria ſicut ſera, [b] ita nec dubia, nec varia fuit. Fuſi in caſtra Samnites, extinctis nocte ignibus, tacito agmine abeunt: & ſpe abjecta Saticulæ tuendæ, 3 Pliſtiam ipſi ſocios Romanorum, ut parem dolorem hoſti redderent, circumſidunt.

Urb. cond. an. 438. Coſſ. L. Papir. [illegible] & Q. Publil. IV. Dictat. Q. Fab.

XXII. Anno circumacto, bellum deinceps ab dictatore Q. Fabio geſtum eſt. 1 Conſules novi, ſicut ſuperiores, Romæ manſerunt; Fabius ad accipiendum ab Æmilio exercitum, ad Saticulam cum ſupplemento venit. neque enim Samnites ad Pliſtiam manſerant: ſed accitis ab domo novis militibus, multitudine freti, caſtra eodem quo ante loco poſuerant: laceſſenteſque prælio Romanos avertere ab obſidione conabantur. [a] Eo intentius dictator in mœnia hoſtium verſus, [a] id bellum tantum ducere quod urbem oppugnabat: ſecurior ab Samnitibus agere, ſtationibus modo oppoſitis, ne qua in caſtra vis fieret. Eo ferocius obequitare Samnites vallo, neque otium pati. & quum jam prope in portis caſtrorum eſſet hoſtis, nihil conſulto dictatore magiſter equitum Q. Aulius Cerretanus magno tumultu cum omnibus turmis equitum evectus, ſummovit hoſtem. tum 3 in minime pertinaci genere pugnæ, [b] 4 ſic fortuna exercuit

INTERPRETATIO.

a *Signa* & copias *in utramque partem* ità *diſpoſuit*, ut hinc obſeſſis, inde auxiliatoribus frontem opponerent.

b Non *fuit anceps victoria, nec* ulla ex parte *variavit*, ſed ubique eodem tenore ab initio ad finem proceſſit.

a *Tantò acriùs Dictator ad oppugnationem urbis converſus, id tantummodò pro bello habebat, quod in promovenda oppugnatione operam poneret. Nam in Samnitibus tutum ſe præſtabat, militum globis adverſus eos per ſtationes diſpoſitis.*

b *Fors uſa eſt* dominatu ac *potentiâ ſuâ.*

NOTÆ.

3. *Pliſtiam ipſi ſocios Romanorum.*] Diodorus l. 19. *Pliſticam* vocat, aitque præſidium Romanorum habuiſſe, ut notat Sigon. qui in Samnio ponit, cum tamen hìc Socia Romanorum dicatur, & à Samnitibus obſeſſa. Cluverius eandem putat cum *Pleſtina* Marſorum oppido, cujus noſter meminit l. 10. c. 3. Fuiſſe videtur non procul Pitonio amne, qui in Lacum Fucinum influit.

1. *Conſules novi.*] Novorum Conſulum nomina, librariorum vitio deeſſe apud Liv. putant. Glar. & Sigon. Hic ea ſupplet ex Diodoro Sic. Caſſiodoro & Capitolinis tabulis. Fuêre autem L. Papirius Curſor, & Q. Publ. Philo, ambo IV.

2. *Id bellum tantùm ducere.*] Gron. eſt emendatio; cum eſſet, *id bellum tanti ducere, quod urbem oppugnabat.* Etſi abſque emendatione conſtat ſenſus, ſi *quod oppugnabat*, interpretemur cum Sigonio *quatenus* oppugnabat.

3. *In minimè pertinaci genere pugnæ.*] Equeſtri, quod pugnæ genus invehendo, aſſiliendo, aut ſubinde recedendo, magis quàm urgendo ac reſiſtendo exercetur: contra quàm pedeſtre prælium, quod ſtatarium.

4. *Sic fortuna exercuit opes.*] Num potiùs *exercuit copias*, ſic egit miſeritque ambos exercitus.

Digitized by Google

opes, ut insignis utrinque clades, & clara ipsorum ducum ederet funera. Prior Samnitium imperator, ægre patiens quò tam ferociter adequitasset, inde se fundi fugarique, orando hortandoque equites, prælium integravit. in quem insignem inter suos cientem pugnam, magister equitum Romanus infesta cuspide ita permisit equum, ut uno ictu exanimem equo præcipitaret: nec, ut fit, ad ducis casum perculsa magis, quam irritata est multitudo. Omnes, qui circa erant, in Aulium temere invectum per hostium turmas tela conjecerunt, Fratri præcipuum decus ulti Samnitium imperatoris dederunt. is victorem detractum ex equo Magistrum equitum, plenus mœroris atque iræ trucidavit: nec multum absuit, quin corpore etiam, quia inter hostiles ceciderat turmas, Samnites potirentur. Sed extemplo ad pedes descensum ab Romanis est, coactique idem Samnites facere. & repentina acies circa corpora ducum pedestre prælium iniit, quo haud dubie superat Romanus: recuperatumque Aulii corpus mixtâ cum dolore lætitiâ victores in castra referunt. Samnites, duce amisso, & per equestre certamen tentatis viribus, omissa Saticula, quam nequicquam defendi rebantur, ad Plistiæ obsidionem redeunt: intraque paucos dies Saticula Romanus per deditionem, Plistia per vim Samnis potitur. Urb. cond. an. 438. Coss. L. Papir. IV. & Q. Publil. IV. Dictat. Q. Fab.

XXIII. Mutata inde belli sedes est. ad Soram è Samnio Apuliaque traductæ legiones. [1] Sora ad Samnites defecerat; interfectis colonis Romanorum. quo quum prior Romanus exercitus ad ulciscendam civium necem, recuperandamque coloniam magnis itineribus perveniisset; & sparsi per vias speculatores, sequi legiones Samnitium, nec jam procul abesse, alii super alios nunciarent: obviam itum hosti atque [2] ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum est. non cædes, non fuga alterius partis, sed nox incertos victi victoresne essent, diremit. Invenio apud quosdam adversam eam pugnam Romanis fuisse, atque in ea cecidisse Q. Aulium magistrum equitum. Suffectus in locum Aulii C. Fabius magister equitum, cum exercitu novo ab Roma advenit; & per præmissos nuncios consulto dictatore, ubi subsisteret, quove tempore, & qua ex parte hostem aggrederetur; [a] subsitit occultus, ad omnia satis exploratis consiliis. Dictator quum per aliquot dies post pugnam continuisset suos intra vallum; obsessi magis quam obsidentis modo signum repente pugnæ propositit, & efficacius ratus ad accendendos virorum fortium animos,

INTERPRETATIO.

a *Mansit in insidiis*, postquàm dictatoris cogitata, atque *in omnem eventum consilia penitus cognovit*, perspectaque habuit.

NOTÆ.

5. *Quò tam ferociter*.] Libri, Gron. profitente, cōstanter habent *quod tam ferociter*. Sed ratio vult *quò*. Ut sit *ægrè patiens inde se fugari, quòusq; tam ferociter adequitasset.*

1. *Sora ad Samnites defecerat*.] De Sora Colonia in Volscis lib. 7.

2. *Ad Lautulas*.] Juxta Minturnas ut diximus suprà lib. 7. c. 39.

Urb. cond. an. 438. Coss. L. Papir. IV. & Q. Publil. IV. Dictat. Q. Fab.

nullam alibi, quam in semetipso cuiquam relictam spem, de Magistro equitum, novoque exercitu militem celavit. & tanquam nulla, nisi in eruptione spes esset, *Locis*, inquit, *angustis, milites, deprehensi, nisi quam victoriâ patefeceritis, viam nullam habemus. Stativa nostra munimento satis tuta sunt, sed inopiâ eadem infesta. nam & b circa omnia defecerunt, unde subvehi commeatus poterant: & si homines juvare velint, iniqua loca sunt. Itaque non frustrabor ego vos; castra hic relinquendo, in quæ infectâ victoriâ, sicut pristino die, vos recipiatis. armis munimenta, non munimentis arma tuta esse debent. Castra habeant repetantque, quibus operæ est trahere bellum: nos omnium rerum respectum, præterquam victoriæ nobis abscindamus. Ferte signa in hostem: ubi extra vallum agmen excesserit, castra, quibus imperatum est, incendant: damna vestra, milites, omnium circa, qui defecerunt, populorum prædâ sarcientur.* Ea oratione dictatoris, quæ necessitatis ultimæ index erat, milites accensi, vadunt in hostem: & respectus ipse ardentium castrorum, quanquam proximis tantum (ita enim jusserat dictator) ignis est subditus, haud parvum fuit irritamentum. Itaque velut vecordes illati signa primo impetu hostium turbant, & in tempore postquam ardentia procul vidit castra magister equitum (id convenerat signum) hostium terga invadit. ita circumventi Samnites, quâ potest quisque fugam per diversa petunt. Ingens multitudo in unum metu conglobata ac semetipsam turbâ impediens, in medio cæsa. Capta hostium castra direptaque: quorum præda onustum militem in Romana castra dictator reducit; haudquaquam tam victoria lætum, quam quod præter exiguam deformatam incendio partem, cætera contra spem salva invenit.

Urb. cond. an. 439. Coss. M. Pœtel. & C. Sulpic.

XXIV. Ad Soram inde reditum, novique Consules M. Pœtelius, C. Sulpicius exercitum ab dictatore Fabio accipiunt; magna parte veterum militum dimissa, novisque cohortibus in supplementum adductis. Cæterum quum propter difficilem urbis situm nec oppugnandi satis certa ratio iniretur, & aut tempore longinqua, aut præceps periculo victoria esset; Soranus transfuga clam ex oppido profectus, quum ad vigiles Romanos penetrasset, duci se extemplo ad consules jubet, deductusque, traditurum urbem promittit. Visus inde (quum quonam modo id præstaturus esset, percunctantes doceret, haud vana afferre, perpulit, prope adjuncta mœnibus Romana castra ut sex millia ab oppido removerentur: fore ut minus intentæ in custodiam urbis diurnæ stationes ac nocturnæ vigiliæ essent. ipse insequenti nocte sub oppido silvestribus locis cohortibus insidere jussis, decem milites delectos secum per ardua ac prope invia, in arcem ducit; pluribus quam pro numero virorum missilibus telis eo collatis. Ad hæc saxa erant, & temere jacentia (ut fit) in asperis, & de industria etiam, quo locus tutior esset, ab oppidanis congesta. Ubi quum constituisset Romanos, semi-

INTERPRETATIO.

b *Rebellarunt vicina loca omnia, ex quibus deportari poterat annona.*

tanque

tãnque ãnguſtam & arduam erectam ex oppido in arcem oſtendiſſet: *Hoc quidem aſcenſu*, inquit, *vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint. Vos & decem numero, & quod plus eſt, Romani, Romanorumque fortiſſimi viri eſtis. & locus pro vobis, & nox erit, quæ omnia ex incerto majora territis oſtentat. ego jam terrore omnia implebo: vos arcem intenti tenete.* Decurrit inde quanto maxime poterat cum tumultu, *ad arma, & proh veſtram fidem cives!* clamitans. *Arx ab hoſtibus capta eſt, ite, defendite.* Hæc incidens principum foribus, hæc obviis, hæc excurrentibus in publicum pavidis increpãt. Acceptum ab uno pavorem plures per urbem ferunt. Trepidi magiſtratus, miſſis ad arcem exploratoribus, quum tela & armatos tenere arcem multiplicato numero audirent; avertunt animos à ſpe recuperandæ arcis. Fuga cuncta complentur, portæque ab ſemiſomnis, ac maxima parte inermibus refringuntur: quarum per unam præſidium Romanum clamore excitatum irrumpit, & concurſantes per viam pavidos cædit. Jam Sora capta erat, quum conſules prima luce advenêre; & quos reliquos fortuna ex nocturna cæde ac fuga fecerat, in deditionem accipiunt. Ex his ducentos viginti quinque, qui omnium conſenſu deſtinabantur & infandæ colonorum cædis & defectionis auctores, vinctos Romam deducunt. cæteram multitudinem incolumem præſidio impoſito Soræ relinquunt. Omnes, qui Romam deducti erant, virgis in foro cæſi, ac ſecuri percuſſi, ſummo gaudio plebis: cujus maxime intererat, tutam ubique, quæ paſſim in colonias mitteretur, multitudinem eſſe. Urb. c ond. an. 439. Coſſ. M. Poet. & C. Sulpic.

XXV. Conſules ab Sora profecti, in agros atque urbes [1] Auſonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum eſt, fuerant; conjurationeſque circa Campaniam paſſim factæ; nec Capua ipſa crimine caruit: quin Romam quoque & [2] ad principum quoſdam inquirendos ventum eſt. cæterum Auſonum gens proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. [3] Auſona,

NOTÆ.

1. *Auſonum.*] Auſonum regionem latè patuiſſe, & in Samnio *Beneventum*, in Campania *Nolam & Cales*; circa Maſſicum Montem *Sinueſſam*, & *Veſciam*, apud Lirim amnem *Minturnas*, aliaque loca Auſonum aliquando fuiſſe demonſtrat Cluv. *Cales*, ſola Auſonum urbs indicabatur à noſtro lib. 8. cap. 16. Nimirùm ſtrictiùs Auſonum nomen accipiebatur, quatenus diverſi ab Auruncis & Sidicinis. Nunc ſumi videntur pro omnibus Opicorum per hæc tempora reliquiis: aut certè pro Auruncis, qui à Circejis, non tantùm ad fl. Lirim, ut habet Plinius de Auſonibus, ſed ad Sinueſſam protenſi.

2. *Ad principum quoſdam inquirendos.*] Intelligendum puto de primoribus Auſonum, Campanorumve, qui tunc Romæ eſſent.

3. *Auſona.*] De hac urbe aliud nihil conjici poteſt, niſi Auruncorum fuiſſe, Minturnis ac Veſciæ, de quibus lib. 8. c. 11. vicinam; & ſic Formias inter & Sinueſſam, nec procul Liri ſitam in agro ſcilicet Veſcino. Fortè eadem fuit, quæ priùs *Aurunca*: quæ licèt à Samnitibus deſtructa, refici deinde potuit. Elyſius Calentius à Ferrario laudatus in novo Latio locat, ubi nunc vicus *Ventuſia* nomine.

Urb. cond. an. 439. Coss. M. Pœtel. & C. Sulpic.

& Minturnæ, & Vescia, urbes erant: ex quibus principes juventutis duodecim numero in proditionem urbium suarum conjurati ad consules veniunt: docent, *suos jampridem, exoptantes Samnitium adventum, simul ad Lautulas pugnatum audierunt, pro victis Romanos habuisse, juventute & armis Samnites juvisse. fugatis inde Samnitibus, incerta pace agere, nec claudentes portas Romanis, ne arcessant in bellum, & obstinatos claudere si exercitus admoveatur. In ea fluctuatione animorum, opprimi incautos posse.* His auctoribus mota propius castra: missique eodem tempore circa tria oppida milites; partim armati, qui occulti propinqua mœnibus insiderent loca; partim togati, tectis veste gladiis, qui sub lucem apertis portis urbes ingrederentur. Ab iis simul custodes trucidari cœpti, simul datum signum armatis, ut ex insidiis concurrerent. ita portæ occupatæ, triaque oppida eadem hora, eodemque consilio, capta. Sed quia absentibus ducibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit: deletaque Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset.

XXVI. Eodem anno, prodito hostibus Romano præsidio, Luceria Samnitium facta. nec diu proditoribus impunita res fuit. Procul inde exercitus Romanus erat: cujus primo impetu urbs, sita in plano, capitur. Lucerini ac Samnites, ad internecionem cæsi. eoque ira processit, ut Romæ quoque quum de colonis mittendis Luceriam consuleretur senatus, multi delendam urbem censerent. Præter [1] odium, quod execrabile [2] in his captos erat, longinquitas quoque abhorrere à relegandis tam procul ab domo civibus inter tam infestas gentes cogebat. Vicit tamen sententia, ut mitterentur coloni. duo millia & quingenti missi. Eodem anno, quum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque [3] occultæ principum conjurationes factæ. De quibus quum ad senatum relatum esset, haudquaquam neglecta res est. quæstiones decretæ: [4] dictatoremque quæstionibus exercendis dici placuit. C. Mænius dictus. is M. Foslium magistrum equitum dixit. Ingens erat magistratus ejus terror. itaque sive timore ejus, seu conscientia Calavios, Ovium Noviumque (ea capita conjurationis fuerant) prius quam nominarentur apud dictatorem, mors haud du-

NOTÆ.

1. *Odium quod execrabile.*] Odium execrabile dixit, pro eo quo prosequebantur Romani Lucerinos tanquàm execratione dignos. Hypallage.

2. *In his captos.*] Socii Romanorum fuisse dicuntur Lucerini, hujus lib. cap. 2. In societatem venerunt, opinor, cum cæteris Apulis & Lucanis, de quibus lib. 8. cap. 25. Paulò antè, vel statim post pugnam Caudinam, ad Samnites defeciſſe oportet; quando eò missi ab illis obsides Romani, hujus lib. cap. 12. Tum capta à L. Papirio Cursore cap. 15. Nunc cum ad Samnites iterum defciviſset, illorum exercitu cæso, denuò recepta est.

3. *Occultæ Principum conjurationes factæ.*] Ità Gelenius ex scriptis, nec aliter optimæ editiones. Aliàs *patefactæ*.

4. *Dictatorem quæstionibus exercendis dici.*] Hoc verò novum ut Dictator in id crearetur.

bic ab ipſis conſcita, judicio ſubtraxit. Deinde [a] ut quæſtioni Campanæ materia deceſſit, verſa Romam interpretando res: non nominatim qui Capuæ, ſed in univerſum, qui uſquam coiſſent conjuraſſentque adverſus rempublicam quæri ſenatum juſſiſſe: & coitiones honorum adipiſcendorum cauſa factas, [5] adverſus rempublicam eſſe: latiorque & re & perſonis quæſtio fieri: haud abnuente dictatore [b] ſine fine ulla quæſtionis ſuæ jus eſſe. Poſtulabantur ergo nobiles homines: appellantibuſque tribunos nemo erat auxilio, [c] quin nomina reciperentur. Inde nobilitas, nec ii modo in quos crimen intendebatur, ſed univerſi ſimul negare nobilium id crimen eſſe, quibus ſi nulla obſtetur fraude, pateat via ad honorem; ſed hominum novorum. ipſos adeo dictatorem magiſtrumque equitum, reos magis quam [6] quæſitores idoneos ejus criminis eſſe: intellecturoſque id ita eſſe, ſimul magiſtratu abiſſent. Tum enim vero Mænius jam famæ magis quam imperii memor, progreſſus in concionem, ita verba fecit: *Et omnes antcactæ vitæ vos conſcios habeo, Quirites, & hic ipſe honos delatus ad me, teſtis eſt innocentiæ meæ. neque enim quod ſæpe alias, quia ita tempora poſtulabant reipublicæ, qui bello clariſſimus eſſet, ſed qui maxime procul ab his coitionibus vitam egiſſet, dictator deligendus exercendis quæſtionibus fuit. Sed quoniam quidem nobiles homines (qua de cauſa vos exiſtimare, quam me pro magiſtratu quicquam incompertum dicere melius eſt) primum ipſas expugnare quæſtiones omni ope annixi ſunt: dein, poſtquam ad id parum potentes erant, ne cauſam dicerent, in præſidia adverſariorum, appellationem & tribunicium auxilium, patricii confugerunt. poſtremo repulſi inde (adeo omnia tutiora, quam ut innocentiam ſuam purgarent, viſa) in nos irruerunt, & privatis dictatorem poſcere reum verecundiæ non fuit: ut omnes Dii hominesque ſciant, ab illis, etiam quæ non poſſint, tentari, ne rationem vitæ reddant; me obviam ire crimini & offerre me inimicis reum, dictatura me abdico. Vos quæſo, Conſules, ſi vobis datum ab ſenatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Foſlium quæſtiones exerceatis, ut appareat innocentia noſtra nos, non majeſtate honoris, tutos à criminationibus iſtis eſſe.* Abdicat inde ſe dictatura, & poſt eum confeſtim Foſ-

Urb. cond. an. 439. Coſſ. M. Poet. tel. & C. Sulpic.

INTERPRETATIO.

[a] *Ubi materia inquirendi de conjurationibus Capuæ factis, ceſſavit* morte auctorum voluntariâ, *translatum* eſt *Romam inquirendi munus, per interpretationem.*

[b] *Poteſtatem inquirendi ſibi traditam, nullo certo limite contineri.*

[c] *Quominùs* accuſati *ſcriberentur inter reos.*

NOTÆ.

5. *Adverſus Remp.*] Ita Sigonius, cum eſſet *adversùs Romanum populum.* Errorem natum vult ex ſingularibus literis *P. R.* Et verò antiqui *Populum Romanum* potiùs dicebant quàm *R. populum.*

6. *Quæſitores idoneos.*] Aliàs *Quæſtores. Quæſitoris* nomine hac ſignificatione veteres magis uſi: Tritum illud Virg.

Quæſitor Minos urnam movet,

Urb. cond. an. 439. Coss. M. Pœtel. & C. Sulpic.

lius magisterio equitum : primique apud consules (iis enim ab senatu mandata res est) rei facti, adversus nobilium testimonia, egregie absolvuntur. Publilius etiam Philo multiplicatis summis honoribus post res tot domi belloque gestas, cæterum invisus nobilitati, causam dixit, absolutusque est. Nec diutius, ut fit, quam dum recens erat, quæstio, per clara nomina reorum viguit. inde labi cœpit ad viliora capita, donec coitionibus factionibusque, adversus quas comparata erat, oppressa est.

XXVII. Earum famā rerum 1 magis tamen spe Campanæ defectionis, in quam conjuratum erat, Samnites in Apuliam versos rursus ad Caudium revocavit: ut inde ex propinquo, si qui motus occasionem aperirent, Capuam Romanis eriperent. Eo consules cum valido exercitu venerunt. & primo circa saltus, quum utrinque ad hostem iniqua via esset, cunctati sunt: deinde Samnites per aperta loca brevi circuitu in 2 loca plana, Campanos campos, agmen demittunt; ibique primum 3 castra in conspectu hostibus data: deinde levibus præliis, equitum sæpius quam peditum, utrinque periculum factum: nec aut eventûs eorum Romanum, aut moræ, qua trahebant bellum, pœnitebat. Samnitium contra ducibus, & carpi parvis quotidie damnis, & senescere dilatione belli vires suæ videbantur. itaque in aciem procedunt: equitibus in cornua divisis: quibus præceptum erat, a intentiores ad respectum castrorum, ne qua eo vis fieret, quam ad prælium, starent, 4 aciem peditī tutam fore. Consules Sulpicius in dextro, Pœtelius in lævo cornu consistunt. Dextra pars, qua & Samnites raris ordinibus, aut ad circumeundos hostes, aut ne ipsi circumirentur, constiterant, latius patefacta stetit. Sinistris, præterquam quod confertiores steterant, repentino consilio Pœtelii consulis additæ vires: qui subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reservabantur, in primam aciem extemplo emisit: universisque hostem primo impetu viribus impulit. Commota pedestri acie Samnitium, eques in pugnam succedit. in hunc transverso agmine inter duas acies se inferentem Romanus equitatus concitat equos: signaque & ordines peditum atque equitum con-

INTERPRETATIO.

a *Ut in acie consistentes majorem curam gererent castrorum, ne impetus in ea fieret à Romanis, quam pugnæ.*

NOTÆ.

1. *Magis tamen spe Campanæ defectionis.*] Malim *spes*, ut sit fama, vel potiùs *spes revocavit*.

2. *Loca plana.*] Inde Campaniæ nomen, quòd circa Capuam Campestris regio sit. Hinc Leborini Campi, &c. Vide Flor. l. 16.

3. *Castra in conspectu hostibus data.*] Facilè in Gronovii sententiam ivero opinantis scriptum, *in conspectum data*.

4. *Aciem peditī tutam fore.*] Imò, *peditatus*; quod mihi, ut alia non pauca in mentem venerat, nondum visâ Gron. notâ. Quid enim aliud poterant Samnitium duces cogitare, cum præciperent equitibus, ut minùs de prælio quàm de Castris soliciti essent, nisi fore ut peditatus ad victoriam sufficeret: Becharius aliique ediderunt: *quum ad prælium starent, aciem peditum tutam fore*. (id est *dummodo consisterent*) sensu non deteriore. Melius fortè *dum ad prælium starent*.

fundit, donec universam ab ea parte avertit aciem. In eo cornu non Pœtelius solus, sed Sulpicius etiam hortator affuerat; avectus ab suis nondum conferentibus manus, ad clamorem ab sinistra parte prius exortum. unde haud dubiam victoriam cernens, quum ad suum cornu tenderet cum mille ducentis viris, dissimilem ibi fortunam invenit: Romanos loco pulsos, victorem hostem signa in perculsos inferentem. Cæterum omnia mutavit repente consulis adventus. nam & conspectu ducis refectus militum est animus: & majus quam pro numero auxilium advenerat, fortes viri: & partis alterius victoriâ audita, mox visa etiam, prælium restituit. Tota deinde jam vincere acie Romanus, & omisso certamine, cædi capique Samnites: nisi qui Maleventum, cui nunc urbi 5 Beneventum nomen est, perfugerunt. Ad triginta millia cæsa aut capta Samnitium, proditum memoriæ est. Urb. cond. an. 439. Coss. M. Pœtel. & C. Sulpic.

XXVIII. Consules egregia victoria partâ, protinus inde 1 Bovianum oppugnandum legiones ducunt. ibique hiberna egerunt, donec ab novis consulibus L. Papirio Cursore quintum, C. Junio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Pœtelius cum M. Foslio magistro equitum, exercitum accepit. Is quum audisset arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omisso Boviano 2 ad Fregellas pergit. unde nocturnâ Samnitium fugâ, sine certamine receptis Fregellis, præsidioque valido impositio, in Campaniam reditum, maxime 3 ad Nolam armis repetendam. eo se intra mœnia sub adventum dictatoris & 4 Samnitium multitudo & Nolani agrestes, contulerant. Dictator, urbis situ circumspecto, quo apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia (& frequenter ibi habitabantur) circumjecta muris incendit; nec ita multo post, 5 sive à Pœtelio dictatore, sive ab Urb. cond. an. 440. Coss. L. Papir. v. & Jun. 11. Dictat. C. Pœtel.

NOTÆ.

5. *Beneventum nomen est.*] Antiquissima urbs, ut pote quæ à Diomede Ætolorum rege condita memoretur sub Troica tempora. In Samnitum & Hirpinorum confinio erat ad confluentes Sabati & Caloris amnium. Priùs *Maleventum*, posteà auspicatiùs mutato nomine, *Beneventum* appellatum, cùm eò Colonia deduceretur sub. ann. u. c. 485. Hodiè *Benevento* Archiepiscopatus titulo gaudet; ingentis aliàs, nunc exigui Ducatus caput, qui in ditione Ecclesiæ Romanæ, licèt intra regni Neapolitani limites.

1. *Bovianum.*] Vide infrà cap. 31.

2. *Ad Fregellas.*] De his sup. c. 22. l. 8.

3. *Ad Nolam.*] Neapoli Abellam euntibus medio fermè itinere occurrit *Nola* urbs perantiqua à Chalcidensibus, aut à Tuscis, in regione Campestri sita: ubi natus, mortuusque Augustus. Nomen hodieque retinet, absque mœnibus & ferè deserta.

4. *Samnitium omnis multitudo, & Nolani agrestes.*] Gelenius, & *Nolana agrestis*, nempe *multitudo*. Sed nihil mutandum sentio cum Gronov. Ejusmodi enim variatione numeri & noster, & alii boni scriptores delectantur, ut lib. 3. cap. 17. *Ne Sabini, ne Vejens hostis*: quod Sigonius contrà veterum fidem emendare, vel potiùs corrumpere voluerat, in *nec Sabinus, ne Vejens hostis*.

5. *Sive ab Pœtelio Dictatore, sive ab C. Jun. Consule.*] Sigonius notat Diodoro auctore Q. *Fabium* Dictatorem ad arcem *Fregellanam* rem gessisse: ut nec Pœtelio, nec Junio adscribat. C. tamen Pœtelio id adscribere Capitolinos scriptores.

Urb. Cond. an. 440. Coſſ. L. Papir. v. C. Jun. II. Dictat. C. Pœtel.

C. Junio Conſule, (nam utrumque traditur) Nola eſt capta. Qui captæ decus Nolæ ad Conſulem trahunt, [6] Atinam [7] & Calatiam, ab eodem captas: Pœtelium autem peſtilentiâ ortâ clavi figendi causâ dictatorem dictum. [8] Sueſſa, & [9] Pontiæ, eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa, Auruncorum fuerat: Volſci Pontias inſulam ſitam in conſpectu littoris ſui incoluerant. [10] & Interamna & [11] Caſinum ut deducerentur coloniæ, ſenatuſconſultum factum eſt. ſed triumviros crevêre, ac miſere colonorum quatuor millia inſequentes conſules, M. Valerius, P. Decius.

Urb. cond. an. 441. Coſſ. M. Valer. & P. Dec.

XXIX. Profligato ferè Samnitium bello, [z] priuſquam ea cura decederet Patribus Romanis, Etruſci belli fama exorta eſt: nec erat ea tempeſtate gens alia, cujus, ſecundum Gallicos tumultus, arma terribiliora eſſent; quum propinquitate agri, tum multitudine hominum. Itaque altero conſulum in Samnio reliquias belli perſequente, P. Decius, qui graviter æger Romæ reſtiterat, auctore ſenatu dictatorem [1] C. Junium Bubulcum dixit.

INTERPRETATIO.

z Antequàm Senatus ejuſmodi curâ liberatus omnino eſſet.

NOTÆ.

6. *Atinam.*] Volſcorum ultra Lirim urbs *Atina* in edito Apennini colle, ſive is Maſſicus, & circa fontes *Melfi* amnis, ſupraque Caſinum & Aquinum eſt, Septentrionem verſus. Vulgò *Atino*, in regno Neapolitano. Diverſa ab *Atino* Lucaniæ oppido, quod nunc *Ateno*.

7. *Calatiam.*] Vide ſup. cap. 2.

8. *Sueſſa.*] De illa lib. 8. cap. 15.

9. *Pontiæ.*] Inſulæ *Pontiæ* objacent littori Volſcorum Pontino, ad Circejum Promontorium, benè cultæ, Strabonis teſtimonio. Earum maxima κατ' ἐξοχὴν *Pontia*, nunc *Ponza* dicitur, inter Palmariam (hod. *Palmaruola*) Occidentem verſus, & Sinoniam (vul. *Sanone*) ad Orientem: 13. fermè paſſuum millibus à continenti diſtans. Diverſa à *Pontia* quæ ad Veliam Lucaniæ, Oenotridum una.

10. *Et Interamnæ.*] quibuſdam veteribus legebatur, & *Minturnæ*, & *Caſinum*: in aliis *Veternum* & *Caſinum*: aut etiam *Internam* & *Caſinum*: unde Gelenius ſuſpicatus fuerat legendum & in *tertiam Caſinum*: ut ſcilicet poſt Sueſſam & Pontias, tertio loco deduceretur per Idem tempus Colonia in oppidum Caſinum. At Sigonius reſtituit, *& ut Interamnam & Caſinum*, plaudente Cluverio. Etenim apud Vell. Paterc. extremo lib. 1. poſt Sueſſam Auruncam, cujus hîc Livius meminit, coloniam ſcribit deductam eſſe Interamnam: ipſeque Livius lib. prox. ſeq. refert Samnites *Interamnam* coloniam Romanam, quæ viâ Latinâ eſt, occupare conatos. Fuit autem hæc *Interamna* in Volſcis *Lirinas* cognomento, inter duos amnes confluentes, Lirim & Melphim ſita. Cujus ruinæ ex adverſo oppidi, quod nunc *Ponte Corvo*, ut Cluver. cenſet. Holſtenius in Ortel. veſtigia extare tradit ubi nunc *Torre di Teramino*. Hinc *Interamnates Lirinates*, & *Sucuſſani* dicti, vel potiùs ex conjectura Holſtenii *Succaſani*, quaſi ſub Caſino; ad diſcrimen aliorum oppidorum, quibuſcum commune *Interamnæ* nomen, ejus præſertim quod eſt in Umbria.

11. *Caſinum.*] Extremum novi Latii in agro Volſcorum, & via Latina ultra Lirim oppidum, colonia nunc, poſteà municipium. Caſtrum dicitur medii ævi ſcriptoribus, quod edito loco ſitum. Ibi primarium ordinis Sancti Benedicti monaſterium, ab ipſo conſecratum. Sub eo nunc frequentatur opp. *S. Germano* in regno Neapolitano.

1. *C. Junium Bubulcum.*] Superiori anno Conſulem. Mirum quòd huic Dictatori adjunctus magiſter equitum nullus nominatur.

is, prout rei magnitudo poſtulabat, omnes juniores ſacrāmento adigit : Urb. cond.
arma, [b] quæque alia res poſcit, ſumma induſtria parat; nec tantis ap- an. 441.
paratibus elatus, [2] de inferendo bello agitat: quieturus haud dubie, niſi Coſſ. M. Va-
ultro arma Etruſci inferrent. Eadem in comparando cohibendoque bello ler. & P.
conſilia apud Etruſcos fuere. neutri finibus egreſſi. & cenſura clara eo Dec.
anno Appii Claudii, & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad poſteros nomen Appii, quod [3] viam munivit, & [4] aquam in urbem duxit, eaque [5] unus perfecit: quia ob infamem, atque invidioſam ſenatus lectionem verecundiâ victus collega, magiſtratu ſe abdicaverat. Appius jam inde antiquitus inſitam pertinaciam familiæ gerendo, ſolus cenſuram obtinuit. Eodem Appio auctore [6] Potitia gens, cujus [7] ad aram Maximam Hercules familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi cauſa, ſolennia ejus ſacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimovendis ſtatu ſuo ſacris [8] religionem facere poſſet, quum duodecim familiæ ea tempeſtate Potitiorum eſſent; puberes ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos: nec nomen tantum Potitiorum interiiſſe, ſed cenſorem etiam Appium, memori Deûm ira, poſt aliquot annos [9] luminibus captum.

XXX. Itaque conſules, qui eum annum ſecuti ſunt, C. Junius Bubul-

INTERPRETATIO.

b *Et cætera quæ ad rem bellicam requiruntur.*

NOTÆ.

2. *De inferendo bello agitat.*] Verſabat animo, anceps que hærebat utrùm præſtaret bellum Etruſcis inferre, eoſque aggredi; an expectare dum ab ipſis provocaretur.

3. *Quod viam munivit.*] Inde nomen viæ Appiæ, quæ Româ Brunduſium uſque ducebat, tota lapide ſtrata, pontibuſque inſtructa cum milliarium notis, omnium viarum longiſſima, ideoque *Regina viarum* dicta.

4. *Et aquam in urbem duxit.*] Primus hic Appius Claudius arcuato opere aquam in urbem perduxiſſe traditur, quam ex Aniene duxit. Eam ab auctore *Aquam Claudiam* dixere: fontem hunc ſeu aquæductum vetuſtate corruptum Q. Marcius Rex, Senatus juſſu an. u. 608. refecit; unde poſt *Aqua Marcia* eſt appellata.

5. *Unus perfecit, quia ob infamem.*] Communi amborum Cenſorum conſilio hæc opera fieri debebant. Verùm ideò Appius perfecit, quia Collega illius Plautius Cenſurâ ſe abdicavit, nec ultra quicquam pro magiſtratu agere ſuſtinuit, quòd eum puderet indignitatis eorum, qui ab Appio lecti in Senatum erant, homines præſertim libertini generis.

6. *Potitia gens.*] Aliàs *Potitii*, gens *cujus*, &c. *de Potitiis* & Pinariis Herculis Sacerdotibus, Araque maxima lib. 1. c. 7.

7. *Herculis familiare.*] Plures Romæ Herculis ædes. Hæc in qua Potitii ſacra faciebant, Ædes fuit *Herculis Victoris*, in foro Boario, ad Aram Maximam exſtructa, rotundæ figuræ, ac majoris venerationis quàm magnificentiæ: in eam nec ſervi, nec mulieres admittebantur, teſte Plut. & auctore de Orig. Gent. Rom. nec ullum in ea lectiſternium fieri ſolitum Macrob. ſcribit: quin nec muſcæ nec canes intrabant, ſi Plinio fides. Ad Aram autem Maximam Romani juſjurandum pactaque, quæ maximè firma eſſe vellent, peragere, ac decimas offerre ſoliti ex Dionyſ.

8. *Religionem facere poſſet.*] Antiquior lectio, *religionem facilè adferre poſſet.*

9. *Luminibus captum.*] Hinc Appio huic *Caci* cognomen.

Urb. cond. an. 442. Coss. C. Jun. III, & Q. Æmil. II.

cus tertium, & Q. Æmilius Barbula iterum, initio anni questi apud populum, deformatum ordinem prava lectione senatus, qua potiores aliquot lectis præteriti essent; negaverunt eam lectionem se, quæ sine recti pravique discrimine ad gratiam & libidinem facta esset, observaturos. & senatum ex templo citaverunt eo ordine, qui ante censores Appium Claudium & C. Plautium fuerat. Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque pertinentia ad rem militarem: unum, [1] ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia. Tulere eam rogationem tribuni plebei L. Atilius, C. Marcius: [2] alterum, ut duumviros navales classis ornandæ reficiendæque causa idem populus juberet. lator hujus plebisciti fuit M. Decius tribunus plebis. Ejusdem anni rem dictu parvam præterirem, ni ad religionem visa esset pertinere. [3] Tibicines, quia prohibiti à proximis censoribus erant [4] in æde Jovis Vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tibur uno

NOTÆ.

1. *Ut Tribuni militum.*] *Tribunis militum* nomen à *Tribu: quòd terni è tribus tribubus, Ramnium, Lucerum, Tatiensium, olim ad exercitum mittebantur*, ait Varro lib. 4. de L. L. Turnebus ternos ex unaquaque Tribu; Lipsius ex tribus captos putat à Romulo, posteà numerum cum Legione crevisse, creatosque à Regibus, & Consulibus, donec circa ann. u. c. 393. placuit Tribunos militum ad Legiones, suffragio fieri teste Livio lib. 7. cap. 5. qui addit T. Manlium, (qui posteà Torquatus) in sex locis secundum venisse. Ità ut sex tantùm Tribunos, non ex duodecim (ut Sigon. censet); sed ex viginti quatuor, (quæ sententia Lipsii est) sex tantùm à populo nunc creari cœperint, in legiones quatuor. Nunc loca sexdecim sibi populus reservavit; octo tantùm Consulibus relicta, aut Dictatoribus. Ea in re variatum. Tandem Senatus decreto, cum octo Legiones scriberentur, parem Tribunorum numerum Consules & populus creare cœperunt, ut apud Livium habetur l. 44. Cæterum hi Tribuni militum bini, & bini per vices legioni imperabant. Quâ verò ratione quatuor legionibus præficerentur, describit Polyb. lib. 6.

2. *Alterum, ut Duumviros navales.*] Hi Duumviri extra ordinem, prout opus erat, creabantur. Quæ ipsorum cura esset, indicat auctor: classem nimirum adornare, instaurare, navalibusque sociis & commeatu instruere. Sed quæ nunc classis habendæ necessitas fuerit, non satis apparet; sive in Etruscos, sive in Samnites, bellum apparantibus: utrosque finitimos, nec mari divisos, quibus arma è proximo illata videmus nullo navigationis usu.

3. *Tibicines.*] Sacris populi Rom. adhiberi *Tibicines* soliti, sive ut Deorum laudes carmine celebrantibus præcinerent. Qua in re, quemadmodum in omni ferè sacrificiorum ritu Hebræos imitati ethnici videntur: illos sanè omni genere instrumentorum hymnos omnipotenti Deo concinuisse, singulæ propemodùm Davidicorum Psalmorum paginæ fidem faciunt.

4. *In æde Jovis Vesci.*] Sacrificia veterum non sine epulis. Nam ex victimæ visceribus certæ partes deciso Diis seponebantur: quæ ubi foculo impositæ conflagraverant, sacrificantes convivari mos erat: interque vescendum, Deorum laudes canebant ad Tibicines: nec tripudia deerant, atque ad Tibiarum numeros compositi corporum motus. Hinc ludorum epularia sacrificia: hinc propter Sacrificiorum multitudinem instituti tres viri, ac post septemviri, tandemque Decemviri Epulones, Sacerdotii genus. Ludis itaque Romanis, qui tribus magnis Diis sacri, Jovi, Junoni,

agmine

agmine abierunt: adeo, ut nemo in urbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit Senatum, legatoſque Tibur miſerunt, ut darent operam, ut hi homines Romani reſtituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos in curiam hortati ſunt ut reverterentur Romam: poſtquam perpelli nequibant, conſilio haud abhorrente ingeniis hominum, eos aggrediuntur. Die feſto alii alios per ſpeciem, celebrandarum cantu epularum cauſa invitant; & vino, cujus avidum ferme genus eſt, oneratos ſopiunt: atque ita in plauſtra [5] ſomno victos conjiciunt, ac Romam deportant. nec prius ſenſere; quam plauſtris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppreſſit. Tunc concurſus populi factus; impetratoque ut manerent, datum, [6] ut triduum quotannis ornati, cum cantu, atque hac, quæ nunc ſolennis eſt, licentia per urbem vagarentur: reſtitutumque in æde veſcendi jus iis, qui ſacris præcinerent. Hæc inter duorum ingentium bellorum curam gerebantur. Urb. cond. an. 442. Coſſ. C. Jun. III. & Q. Æmil. II.

XXXI. Conſules inter ſe provincias partiti, Junio Samnites, Æmilio novum bellum Etruria ſorte obvenit. [1] In Samnio Cluviam præſidium Romanum quia nequiquerat vi capi, obſeſſum fame in deditionem acceperant Samnites, verberibuſque fœdum in modum laceratos occiderant deditos. Huic infenſus credulitati Junius, nihil antiquius oppugnatione Cluviana ratus, quo die aggreſſus eſt mœnia, vi cepit; atque omnes puberes interfecit. Inde victor exercitus [2] Bovianum ductus. [3] caput hoc erat Pentrorum Samnitium longe ditiſſimum atque opulentiſſimum armis viriſque,

NOT

ac Minervæ, videntur præcipuè Tiblcines in æde Jovis Capitolini veſci conſueviſſe.

5. *Somno victos.*] Veteres libri habent, *ſomno vinctos*; quod Sigonio placet. Alioqui, inquit, vinculis conſtringendi fuerant, cum inviti Romam ducerentur; & verò vinculis adſtrictos indicant alii Codices, in quibus deeſt vocabulum *ſomno*, ſcriptumque eſt *vinctos*.

6. *Ut triduum quotannis ornati.*] Hùc reſpicere videtur Varro lib. 5. de Ling. Lat. *Quinquatrus minuſcula dicta Junia idus ab ſimilitudine majorum, quòd Tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* Nam in ejuſdem honorem, *Quinquatria majora menſe Martio* per quinque dies celebrabantur.

1. *In Samnio Cluviam.*] *Clunia* fuit in Arevacis Hiſpaniæ, *Coruña del Conde*: *Clunia* item in Rhætis, quæ *FeldKirch*. Sed in Samnio *Cluviam*, aut affinis appellationis alicujus oppidum nullum invenio. An *Cluviam* exſcripſerint Librarii, cum *Caudium* fortè Livius ſcripſiſſet, aliis divinandum relinquo.

2. *Bovianum ductus.*] Ad radices Apennini, haud procul Tiferni fl. fontibus *Bovianum* eſt, Civitas olim primaria Samnitum, vel è primariis. Vulgò nunc *Bojano* Epiſcopatus in Molifii Comitatu, quæ Neapolitani Regni provincia eſt.

3. *Caput hoc erat Pentrorum Samnitium.*] *Samnitium* gentis, plures fuiſſe populos indicant priſci auctores. Ut enim *Frentanos*, *Hirpinos*, alioſque omittam à Samnitibus ortos, ſed in ſua nomina diſtinctos, taceam; *Pentros* circa *Bovianum* nominat Livius hìc & lib. 22. c. 22. Et quamvis Cluver. ſibi perſuadeat ſcripſiſſe Livium, *Caput hoc erat gentis Samnitium*: nec tanta eſt inter has voces affinitas, ut facilis fuerit mutatio *gentis*, in *Pentrorum*: nec ſolus horum Livius meminit: commemorat etiam Dionyſ. Halicarn. in excerpt. lib. 12. ut obſervat Holſtenius. *Caracenorum* quoque, veluti Samnitium partis, mentio apud

Urb. cond. an. 422. Coſſ. C. Jun. III. & Q. Æmil. II.

Ibi quia haud tantum irarum erat, ſpe prædæ milites accenſi, oppida potiuntur. minus itaque ſævitum in hoſtes eſt: prædæ plus penè, quam ex omni Samnio unquam egeſtum: benigneque omnis militi conceſſa. Et poſtquam præpotentem armis [a] Romanum nec acies ſubſiſtere ullæ, nec caſtra, nec urbes poterant; omnium principum in Samnio eo curæ ſunt intentæ, ut inſidiis quæreretur locus, ſi quâ licentiâ populando offuſus exercitus, excipi ac circumveniri poſſet. Transfugæ agreſtes, & captivi quidam, pars forte, pars conſilio oblati, congruentia ad conſulem afferentes, quæ & vera erant, pecoris vim ingentem in ſaltum avium compulſam eſſe, perpulerunt ut prædatum eo expeditæ ducerentur legiones. Ibi ingens hoſtium exercitus itinera occultus inſederat, & poſtquam intraſſe Romanus vidit ſaltum, repente exortus cum clamore ac tumultu incautos invadit. & primo nova res trepidationem fecit, dum arma capiunt, ſarcinas congerunt in medium: dein, poſtquam ut quiſque [b] liberaverat ſe onere, [4] aptaveratque armis, ad ſigna undique coibant, & notis ordinibus in veteri diſciplina militiæ, jam ſine præcepto ullius ſua ſponte ſtruebatur acies: [c] Conſul ad ancipitem maxime pugnam advectus deſiliit ex equo, & *Jovem, Martemque atque alios teſtatur Deos, ſe nullam ſuam gloriam inde, ſed prædam militi quærentem, in eum locum devenisſe. neque in ſe aliud, quam nimiam ditandi ex hoſte militis curam reprehendi poſſe. Ab eo ſe dedecore nullam rem aliam, quam virtutem militum vindicaturam: committerentur modo uno animo omnes invadere hoſtem, victum acie, caſtris exutum, nudatum urbibus, [5] ultimam ſpem furto inſidiarum tentantem, & loco, non armis fretum. Sed quem eſſe jam virtuti Romanæ inexpugnabilem locum?* Fregellana arx, Soranaque, & ubicunque iniquo ſucceſſum erat loco, memorabantur. His accenſus miles, omnium immemor difficultatum, vadit adverſus imminentem hoſtium aciem, ubi paululum laboris fuit, dum in adverſum clivum erigitur agmen: cæterum

INTERPRETATIO.

[a] *Et cum nec ulli exercitus, ne caſtra nec oppida Romanos victores remorari poſſent.*

[b] *Prædam, quâ onerati, abjecerant, ſeque armis aptè compoſitis* ad prælium unuſquiſque *inſtruxerant.*

[c] *Eò delatus Conſul*, ubi atrox *maximeque dubium certamen* videbatur futurum.

NOTÆ.

Ptol. qui urbem ipſis tribuit Aufidenam: & apud Zonaram annal. 2. vol. qui *Caricinos* vocat, caſtello eorum non nominato, quod forſan *Caricium*, ex Cluv. conjectura.

4. *Aptaveratque armis.*] Vellet Gron. *arma*, ſi quis vetus liber pateretur, cujus ſententiæ non illibenter acceſſerim. Nec tamen rejecerim τὸ *aptare ſe armis*, pro eo quod eſt armis ſe aptè induere, aut aptum reddere ad pugnam: qua ratione Suetonius dixit, *aptare annulum digito.*

5. *Ultimam ſpem furto inſidiarum tentantem.*] Samnites extremam ſpem in fraude collocantes, experiri volebant num victoriam, quam aperto marte auferre, ac vi palàm rapere nequirent; furtim atque occultis inſidiis ſurripere poſſent. Sic apud Virg.

Furta para belli.

poſtquàm prima ſigna planiciem ſummam ceperunt; ſenſitque acies æquo ſe jam inſtitiſſe loco: verſus extemplo eſt terror in inſidiatores, eaſdemque latebras, quibus ſe paulo ante texerant, palati atque inermes fuga repetebant: ſed loca difficilia hoſti quæſita, ipſos tum ſua fraude impediebant. Itaque ergo perpaucis effugium patuit: cæſa ad viginti millia hominum. victorque Romanus ad oblatam ultro ab hoſte prædam pecorum diſcurrit. Urb. cond. an. 442. Coſſ. C. Jun. III. & Q. Æmil. III.

XXXII. Dum hæc geruntur in Samnio, jam omnes Etruriæ populi, [1] præter Aretinos, ad arma jerant; ab oppugnando Sutrio, [2] quæ urbs ſocia Romanis velut clauſtra Etruriæ erat, ingens orſi bellum. Eo alter conſulum Æmilius cum exercitu ad liberandos obſidione ſocios venit. Advenientibus Romanis, Sutrini commeatus benigne in caſtra ante urbem poſita advexere. Etruſci diem primum conſultando, maturarent, traherentne bellum, traduxerunt. Poſtero die, ubi celeriora quam tutiora conſilia magis placuere ducibus, ſole orto ſignum pugnæ propoſitum eſt: armatique in aciem procedunt. Quod poſtquam conſuli nunciatum eſt, extemplo [3] teſſeram dari jubet, ut prandeat miles, firmatiſque cibo viribus armæ capiat. dicto paretur. Conſul ubi armatos paratoſque vidit, ſigna extra vallum proferri juſſit, & haud procul hoſte inſtruxit aciem. Aliquandiu intenti utrinque ſteterunt, expectantes ut ab adverſariis clamor & pugna inciperet. & prius ſol meridie ſe inclinavit, quam telum hinc aut illinc emiſſum eſt. inde, ne infecta re abiretur, clamor ab Etruſcis oritur, concinuntque tubæ, & ſigna inferuntur. Nec ſegnius ab Ro-

NOTÆ.

1. *Præter Aretinos.*] Una è præcipuis duodecim Etruſcorum urbibus fuit *Arretium*, ſive *Aretium*, vetus ferè nomen ſervans, vulgò *Arezzo*, Epiſcopatus, ſub Apennino, haud procul Arno fl. ſupra Cortonam, mille ſtadiis ab urbe Româ, id eſt, 125. paſſuum millibus. In Aretinorum finibus oritur Tiberis. Porro *Aretinos* plures in Etruria commemorare videtur Plinius. *Veteres Fidentes, Julienſes*: eos tamen loco minimè diſtinguendos, ſed ſæpiùs miſſis colonis, nova addita eſſe cognomina cenſent Cluv. atque Holſtenius, qui putat nomen integrum Coloniæ Aretinæ fuiſſe *Colonia Fidens, Julia, Aretium*: ut Piſana *obſequens Julia* cognominabatur. Leonard. Aretinus apud eundem cives, ſive Colonos in *veteres & novos* diſtinctos fuiſſe docet ex lapide, qui ibidem exſtat hac inſcriptione. *Decuriones Aretinorum veterum.*

2. *Quæ urbs ſocia Romanis.*] *Sutrium* anno 7. poſt urbem à Gallis captam deducta fuerat à Romanis Colonia: Diodorus quoque & Livius ipſe lib. 27. cap. 9. Coloniam nominat. Non tam igitur ſocia & fœderata urbs erat, quàm Romana, & quaſi pars Civitatis: niſi fortè non optimo jure, ſed ſine civitate hi Coloni:

3. *Teſſeram dari jubet.*] Symbolum eſt, quo ſub ipſam pugnam datur, uno aut altero verbo ab imperatore, ut eo indicio Commilitones inter ſe norint. Nobis, *le mot du Guet*. Signum etiam ſimpliciter dicitur. Cæſ. 2. de Bell. Gall. *Cæſari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat inſigne cum ad arma concurri oporteret; ſignum tubâ dandum; acies inſtruenda; milites cohortandi; ſignum dandum.* Hoc proſtremum Teſſera eſt & *ſignum κατ' ἐξοχήν*. Reliqua, Claſſicum, & Vexillum ſigna quoque; ſed diverſi generis. Hirtius quoque de bello Africo: *Cæſar ſigno Felicitatis dato.* Ubi pro *Teſſera* erat vox illa *Felicitas.*

Urb. Cond. an. 442. Coss. C. Jun. III. & Q. Æmil. II.

mānis pugnā initur, concurrunt infensis animis. numero hostis, virtute Romanus superat. Anceps prælium multos utrinque, & fortissimum quemque absumit: nec prius inclinata res est, quam secunda acies Romana ad prima signa, integri fessis successerunt. Etrusci, quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa circaque omnes ceciderunt. nullo unquam prælio fugæ minus, nec plus cædis fuisset, ni obstinatos mori Tuscos nox texisset: ita, ut victores prius quam victi pugnandi finem facerent. Post occasum solis signum receptui datum est: nocte ab utroque in castra reditum. Nec deinde quicquam eo anno rei memoria dignæ apud Sutrium gestum est: quia & ex hostium exercitu prima tota acies delecta uno prælio fuerat, 4 subsidiariis modo relictis; vix quod satis esset ad castrorum præsidium: & apud Romanos tantum vulnerum fuit, ut plures post prælium saucii decesserint, quam ceciderant in acie.

Urb. cond. an. 443. Coss. Q. Fab. II. & C. Mar.

XXXIII. Q. Fabius insequentis anni consul, bellum ad Sutrium excepit. collega Fabio C. Marcius Rutilus datus est. Cæterum & Fabius supplementum ab Roma adduxit: & novus exercitus domo accitus Etruscis venit. Permulti jam anni erant; quum inter patricios magistratus tribunosque plebis nulla certamina fuerant: quum ex familia, quæ velut fatalis tum tribunis ac plebi erat, certamen oritur. Ap. Claudius censor, circumactis decem & octo mensibus, quod 1 Æmilia lege finitum censuræ spatium temporis erat, quum C. Plautius Collega ejus magistratu se abdicasset, nulla vi compelli, ut abdicaret, potuit. P. Sempronius erat tribunus plebis, qui finiendæ censuræ intra legitimum tempus actionem susceperat; non popularem magis quam justam, 2 nec in vulgus, quam optimo cuique gratiorem. Is quum idem legem Æmiliam recitaret, auctoremque ejus Mamercum Æmilium dictatorem laudibus ferret, qui quinquennalem ante censuram, b & longinquitate potestatem dominantem, intra sex mensium & anni coëgisset spatium: *Dic agedum*, inquit, *Ap. Claudi, quidnam facturus fueris, si eo tempore, quo C. Furius & M. Geganius censores fuerunt; censor fuisses?* Negare Appius *interrogationem tribuni magnopere ad causam pertinere suam. nam etsi tenuerit lex Æmilia eos censores, quorum in magistratu lata esset; quia post illos censores creatos eam legem populus jussisset, quodque postremum jussisset, id jus ratumque esset; non tamen aut se, aut eorum quemquam, 2 qui post eam legem latam creati censores essent, teneri ea lege potuisse.*

INTERPRETATIO.

2 *Quod consilium seu inceptum non minùs bonis quibuslibet* viris ex nobilitate, *quàm plebi jucundum* erat.

b *Et honorem qui diuturnâ potentiâ* nimium *dominabatur.*

NOTÆ.

4. *Subsidiariis modò relictis.*] At paulò antè nulla videntur Etruscis subsidia fuisse. Non tamen hoc vult auctor: sed cum ait: *nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit*: significat subsidiarios non pugnasse. Alioqui secum ipse pugnaret: Nisi hæc subsidia in castris relicta.

1. *Æmilia lege finitum.*] Vide lib. 4. c. 24.

2. *Qui post eam legem latam creati Censores essent.*] Cavillabatur Appius, cum

XXXIV. Hæc ſine ullius aſſenſu cavillante Appio, *En*, inquit, *Quirites*, [1] *illius Appii progenies, qui decemvir in annum creatus, altero anno ſe ipſe creavit: tertio, nec ab ſe, nec ab ullo creatus, privatus faſces & imperium obtinuit, nec ante continuando abſtitit magiſtratu, quam obruerunt eum male parta, male geſta, male retenta imperia. Hæc eſt eadem familia, Quirites, cujus vi atque injuriis compulſi extorres patria* [2] *Sacrum montem cœpiſtis: hæc, adverſus quam tribunicium auxilium vobis comparaſtis: hæc propter quam* 3 *duo exercitus Aventinum inſediſtis: hæc, quæ fœnebres leges, hæc quæ agrarias ſemper impugnavit: hæc connubia Patrum & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magiſtratus iter obſepſit: hoc eſt nomen multo, quam Tarquiniorum, infeſtius veſtræ libertati. Itane tandem, Appi Claudi, quum* 4 *centeſimus jam annus ſit ab Mamerco Æmilio dictatore, tot cenſores fuerint nobiliſſimi fortiſſimique viri, nemo eorum duodecim tabulas legit? Nemo id jus eſſe, quod poſtremo populus juſſiſſet, ſcivit? Immo vero omnes ſciverunt. & ideo Æmiliæ potius legi paruerunt, quam illi antiquæ, qua primum cenſores creati erant; quia hanc poſtremum juſſerat: &, quia* 5 *ubi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiqua obrogat nova. An hoc dicis, Appi, non teneri Æmilia lege populum? an populum teneri, te tamen exlegem eſſe? Tenuit Æmilia lex violentos illos cenſores, C. Furium & M. Geganium, qui, quid iſte magiſtratus in republica* [6] *male facere poſſet, indicarunt: quum irâ finitæ poteſtatis, Mamercum Æmilium principem ætatis ſuæ belli domique, 7 ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes cenſores intra*

Urb. cond. an. 443. Coſſ. Q. Fab. & C. Marc.

NOTÆ.

volebat legem de ſeſqui-annua Cenſura ab Æmilio Dictatore in tempus tantùm illud latam, ut non niſi in eos Cenſores valeret poſt quos creatos lata eſſet: quaſi temporaria fuiſſet, non perpetua conſtitutio in omne futurum tempus valitura: quæ tamen vis ferè legum eſt, niſi quid poſteà contra ſtatuatur.

1. *Illius Appii progenies.*] Decemviri, de quo l. 3. c. 33. 35. & ſeqq. item c. 56. 57. & 58.

2. *Sacrum montem cepiſtis.*] Prima hæc plebis ſeceſſio in Montem Sacrum ſeu Cruſtumerinum, de qua, deque Tribunis plebis lib. 2. cap. 32. & 33. Ei occaſionem præbuiſſe Ap. Claudium qui primus ejus nominis, avum nempe Decemviri, colligitur ex cap. 30. & 31. ejuſdem lib.

3. *Duo exercitus Aventinum inſediſtis.*] An non potiùs *duobus exercitibus*? Sed appoſitione dictum, vos Quirites, *duo exercitus*: ut lib. 6. c. 45. *Vos, Romanus exercitus, non deſiteritis impio bello*. De hac altera Seceſſione dictum, lib. 3. cap. 41. 51. 52.

4. *Centeſimus jam annus ſit.*] Ab Æmilii Mamerci dictatura, quæ incidit in annum 312. ad hanc Dictaturam Appii, & annum 443. anni ſunt 131. Sed in orationibus non ita exquiſitè annorum calculus initur; rotundum, vero proximum, ſequi plerunque ſolent Oratores.

5. *Ubi duæ leges contrariæ ſunt, ſemper antiqua obrogat novæ.*] In diverſis legibus de eadem re ferendis, obſervandum eſt diſcrimen inter *abrogare*, *derogare*, & *obrogare*. *Abrogare* eſt legem tollere atque in totum irritam facere. *Derogare* eſt quo minùs aliquid ex lege veteri valeat, ſancire lege novâ. *Obrogare* eſt legis prioris infirmandæ causâ aliam ferre. Ex Feſto poſt Cic.

6. *Malè facere poſſet.*] Fortè verius, *Quid mali facere poſſet*.

7. *Ærarium fecerunt.*] Inter ærarios retulerunt. Erant autem *Ærarii*, qui ignominiæ causâ à Cenſoribus, ſuffragio, ac jure ſtipendii militaris, exuti, non aliud jus Civitatis retinebant, quàm

Urb. cond. an. 443. Coss. Q. Fab. & C. Marc.

centum annorum ſpatium, tenet C. Plautium collegam tuum iiſdem auſpiciis, eodem jure creatum. [8] *An hunc non ut qui optimo jure cenſor creatus eſſet, populus creavit? tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum ac ſingulare valeat. Quem tu regem ſacrificiorum crees, amplexus regni nomen, ut qui optimo jure rex Romæ creatus ſit, creatum ſe dicet? quem ſemeſtri dictatura, quem interregno quinque dierum contentum fore putes? quem clavi figendi, aut ludorum cauſa dictatorem audacter crees? Quam iſti ſtolidos ac ſocordes videri creditis eos, qui intra viceſimum diem ingentibus rebus geſtis dictatura ſe abdicaverunt, aut qui vitio creati abierunt magiſtratu? Quid ego antiqua repetam?* [9] *Nuper intra decem annos C. Mænius dictator, quia quum quæſtiones ſeverius quam quibuſdam potentibus tutum erat, exerceret,* [a] [10] *contagio ejus, quod quærebat,*

INTERPRETATIO.

a *Cum inimici ei objicerent ſocietatem criminis* ambitus, *cujus ei quæſtio mandata fuerat.*

NOTÆ.

ut tributi nomine æra pro ſuo capite penderent. De hac autem injuria Æmilio Mamerco poſt abdicatam Dictaturam illata lib. 4. cap. 24.

8. *An hunc non ut qui optimo jure Cenſor creatus eſſet, populus creavit.*] Hoc colore Appius utebatur, ne dictaturam abdicaret, quod cum Cenſor, ut qui *optimo jure*, ſive *optimâ lege* creatus eſſet, ſimilis eſſe deberet priſcis illis qui Cenſuram per quinquennium geſſerant; illos enim meliori jure ac conditione fuiſſe, iis qui nonniſi anno ac dimidio Cenſores fuiſſent. Reponit P. Sempronius Tribunus clauſulam illam, quâ utebantur, qui Magiſtratus & Sacerdotes renunciabant, meram fuiſſe formulam, Appio cum cæteris Magiſtratibus communem: quâ jubebantur honores gerere, uti optimo jure geri poſſent, ſed ſecundùm leges, quibus tunc viverent Romani. Idque ità acceptum ab aliis Cenſoribus, qui à centum ampliùs annis creati eſſent, atque adeò ab ipſo Appii Collega. Alioqui futurum, ut qui Rex ſacrificulus crearetur, quia ut qui *optimo jure* dicebatur, poſſet regiam potestatem vindicare; quandoquidem optimum fuiſſet jus, optimaque conditio Priſcorum regum, qui Romæ regnaverant à Romulo. Sic etiam reliquos Magiſtratus ac Sacerdotes eâ formulâ abuti poſſe: verbi cauſâ Dictatores, qui clavi figendi cauſâ creati ſint, quòd *optimâ lege* ſe creatos dicant, tenturos imperium ſibi in ſex menſes arrogare, quòd hæc optima ſit lex Dictatorum. Verùm, ſicut in his ferenda non ſit hæc novitas, ità nec in Appio ferenda. Hæc autem formula, *uti optimo jure*, vel *optimâ lege*, non in publicis modò rebus, ſed in privatis quoque negotiis frequentiſſimo in uſu fuit: ut evincunt Ciceronis, Senecæ, Ulpiani, Gellii locæ, & præſertim Feſti à Gron. allata, qui optimè obſcurum hunc locum enucleavit.

9. *Nuper intra decem annos C. Manius.*] Annos Glar. à Mænii Dictatura 5. tantùm numerari ait ab an. 441. ad 445. nec debuiſſe duplicati numerum. Accipit enim de tempore, quod à Mænii dictatura elapſum erat. At Tan. Faber refert ad tempus, quo duravit dictatuta Mænii: ideoque vocem *annos* expungit, *dies* reponit. Et ſuprà quidem cap. 26. vidimus Mænium dictaturâ ſe abdicaſſe. Verùm eam decimo die finitam ubi legerit Faber non docet, nec multùm probabile ſit noſtri narrationem legenti. Sane cum ſexto antè anno Mænius Dictator fuiſſet, *intra decem annos* abdicaverat. *Depuis dix ans: il y avoit moins de dix ans.*

10. *Contagio ejus quod quærebat, ipſi criminis objectata ab inimicis eſt.*] Mſſ. ex Gron. *quo quærebat*: & vulgatius ſinè *quærere de crimine*. Non tamen damnandum, *crimen quærere* Gron. oſtendit. Cic. 2. in Verr. ubi de criminis quæſtione. *Illo die*

ii ipſi criminis objectata ab inimicis eſt; ut privatus obviam iret crimini, dictatura ſe abdicavit. Nolo ego iſtam in te modeſtiam: ne degeneraveris à familia imperioſiſſima & ſuperbiſſima: non die, non hora citius, quam neceſſe eſt, magiſtratu abieris, modo ne excedas finitum tempus. Satis eſt, aut diem aut menſem cenſuræ adjicere. Triennium, inquit, & ſex menſes ultra quam licet Æmilia lege, cenſuram geram, & ſolus geram. hoc quidem jam regno ſimile eſt. An collegam ſubrogabis, quem ne in demortui quidem locum ſubrogari fas eſt? Pœnitet enim quod antiquiſſimum ſolenne, & ſolum ab ipſo, cui ſit, inſtitutum Deo, ab nobiliſſimis antiſtitibus ejus ſacri ad ſervorum miniſterium religioſus cenſor deduxiſti: 12 gens antiquior originibus urbis hujus, hoſpitia Deorum immortalium ſacra, propter te ac tuam cenſuram intra annum ab ſtirpe extincta eſt: b niſi univerſam rempubl. eo nefario obſtrinxeris, quod ominari etiam reformidat animus. Urbs eo luſtro capta eſt, quo, demortuo collega 13 C. Julio cenſore L. Papirius Curſor, ne abiret magiſtratu, M. Cornelium Maluginenſem collegam ſubrogavit. Et quanto modeſtior illius cupiditas fuit, quam tua, Appi? Nec ſolus, nec ultra finitum lege tempus L. Papirius cenſuram geſſit. tamen neminem invenit qui ſe poſtea auctorem ſequeretur. omnes deinceps cenſores poſt mortem collegæ ſe magiſtratu abdicarunt. Te nec quod dies exiit cenſuræ, nec quod collega magiſtratu abiit, nec lex, nec pudor coërcet: virtutem in ſuperbia, in audacia, in contemptu Deorum hominumque ponis. Ego te, Appi Claudi, pro iſtius magiſtratus majeſtate ac verecundia quem geſſiſti, non modo manu violatum, ſed ne verbo quidem inclementiori à me appellatum vellem: ſed & hæc quæ adhuc egi, pervicacia tua & ſuperbia coëgit me loqui: & niſi Æmiliæ legi parueris, in vincula duci jubebo. Nec, quum ita comparatum à majoribus ſit, ut comitiis cenſoriis, niſi duo confecerint legitima ſuffragia, non renunciato altero comitia differantur; ego te, qui ſolus cenſor creari non poſſis, ſolum cenſuram gerere patiar. Hæc taliaque quum dixiſſet, prendi cenſorem, & in vincula duci juſſit. Approbantibus ſex tribunis actionem collegæ, tres appellanti Appio auxilio fuerunt: ſummaque invidia omnium ordinum ſolus cenſuram geſſit. Urb. cond. an. 443. Coſſ. Q. Fab. & C. Marc.

XXXV. Dum ea Romæ geruntur, jam Sutrium ab Etruſcis obſidebatur: conſulique Fabio imis montibus ducenti ad ferendam opem ſociis, tentandaſque munitiones, ſi qua poſſet, acies hoſtium inſtructa occurrit, quorum ingentem multitudinem quum oſtenderet ſubjecta late planicies; Con-

INTERPRETATIO.

b *Niſi* potiùs perpetratâ *eâ re* tam *irreligioſa* ac deteſtanda, *Civitas* ſic *tota per te contaminata eſt.*

NOTÆ.

rem queſiturus non eſſet. Sen. Hercule fur. *Et qui fronte nimis crimina tetricâ quarunt.*

11. *Ipſi criminis.*] Correctius futurum Pighius putat, ſi ſcribatur, *contagio ejus, quod quærebat, criminis, ipſi objectata,* &c. In Memmiano legitur, *objecta eſt.*

12. *Gens antiquior originibus hujus urbis.*] *Potitii* jam tempore ipſius Herculis & Evandri, lib. 1. cap. 7.

13. *C. Julio Cenſore.*] Vide lib. 5. cap. 31.

Urb. cond. an. 443. Coſſ. Q. Fab. & C. Marc.

ſul, ut loco paucitatem ſuorum adjuvaret, flectit paululum in clivos agmen: (aſpreta erant ſtrata ſaxis) inde ſigna in hoſtem obvertit. Etruſci omnium, præterquam multitudinis ſuæ, qua ſola freti erant, immemores, prælium ineunt, adeò raptim & avide, ut, abjectis miſſilibus, quo celerius manus conſererent, ſtringerent gladios, vadentes in hoſtem. Romanus contra, nunc tela, nunc ſaxa, quibus eos affatim locus ipſe armabat, ingerere. Igitur ſcuta, galeæque ictæ, quum etiam quos non vulneraverant, turbarent (neque ſubire erat facile ad propiorem pugnam, neque miſſilia habebant, quibus eminus rem gererent) ſtantes & expoſitos ad ictus, quum jam ſatis nihil tegeret, quoſdam etiam pedem referentes, fluctuantemque & inſtabilem aciem, redintegrato clamore ſtrictis gladiis haſtati & principes invadunt. eum impetum non tulerunt Etruſci, verſiſque ſignis fuga effuſa caſtra repetunt. Sed equites Romani [1] prævecti per obliqua campi, quum ſe fugientibus obtuliſſent, omiſſo ad caſtra itinere; montes petunt. Inde inermi penè agmine, ac vexato vulneribus, [2] in ſylvam Ciminiam penetratum. Romanus multis millibus Etruſcorum cæſis, duodequadraginta ſignis militaribus captis, caſtris etiam hoſtium cum præda ingenti potitur. Tum de perſequendo hoſte agitari cœptum.

XXXVI. Sylva erat Ciminia magis tum inviâ atque horrenda, [1] quam nuper fuere Germanici ſaltus: nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud fere quiſquam præter ducem ipſum audebat. aliis omnibus cladis Caudinæ nondum memoria aboleverat. Tum ex iis qui aderant, (conſulis fratrem M. Fabium, Cæſonem alii, C. Claudium quidam matre eadem, qua Conſulem genitum, tradunt) ſpeculatum ſe iturum profeſſus, brevique omnia certa allaturum. Cære educatus apud hoſpites, Etruſcis inde literis eruditus erat: linguamque Etruſcam probe noverat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, [2] ita Etruſcis literis erudiri ſolitos. Sed propius eſt vero, præcipuum aliquid fuiſſe in eo, qui ſe tam audaci ſimulatione ho-

NOTÆ.

1. *Prævecti per obliqua campi.*] Gall. *Ayant gaigné le devant, en marchant a travers les camps.*

2. *In ſylvam Ciminiam.*] *Ciminus* Mons, vulgò *Fogliano* inter Sutrium & fanum Voltumnæ, (quod nunc *Viterbium*) eſt in Etruria. Sub monte, Lacus hodie *Lago di Vico*. Toto autem illo tractu ſaltus ingens, ſeu *Sylva Ciminia* erat ex Holſt.

1. *Quàm nuper fuere Germanici ſaltus.*] Germania temporibus illis parùm culta, ſylvis horrida. Earum præcipua & nobiliſſima *Hercynia*, quam Cæſar 60. dierum itinere ad extremos Sarmatas porrigit; quæque pluribus nominibus, Nigræ, Thuringicæ, Boëmicæ, & aliis, per plures adhuc Germaniæ provincias ſpargitur. *Orcynium nemas* vocat Ptol. Huic ipſi, & Caledoniæ in extrema Britannia ingenti ſylvæ, *Ciminiam* comparat Florus lib. 1. cap. 17. *Ciminius interim ſaltus in medio, antè invius; planè quaſi Caledonius, vel Hercynius; adeò tunc terrori erat, ut Senatus Conſuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet.*

2. *Ita Etruſcis literis eruditi.*] Præſertim Aruſpicinæ perdiſcendæ causâ, quod Cicero tradit lib. 1. de Divin.

ſtibus

ſtibus immiſcuerit. Servus ei dicitur comes unus fuiſſe, nutritus unà, eoque haud ignarus linguæ ejuſdem: nec quicquam aliud proficiſcentes, quam ſummatim regionis, quæ intranda erat, naturam, ac nomina principum in populis accepere; ne quâ inter colloquia inſigni notâ hæſitantes deprehendi poſſent. Iêre paſtorali habitu, agreſtibus telis, falcibus gæſiſque binis armati. Sed neque commercium linguæ, nec veſtis armorumve habitus ſic eos texit, quam quod abhorrebat à fide, quemquam externum Ciminios ſaltus intraturum. 3 Uſque ad Camertes Umbros penetraſſe dicuntur. ibi, qui eſſent, fateri Romanum auſum: introductumque in ſenatum, conſulis verbis egiſſe de ſocietate amicitiaque: atque inde, comi hoſpitio acceptum, nunciare Romanis juſſum, commeatum exercitui dierum triginta præſto fore, ſi ea loca intraſſet: juventutemque Camertium Umbrorum, in armis, paratam imperio, futuram. Hæc quum relata conſuli eſſent, impedimentis prima vigilia præmiſſis, legionibus poſt impedimenta ire juſſis, ipſe ſubſtitit cum equitatu: & luce orta poſtero die obequitavit ſtationibus hoſtium, quæ extra ſaltum diſpoſitæ erant; & quum ſatis diu tenuiſſet hoſtem, in caſtra ſeſe recepit, portaque altera egreſſus, ante noctem agmen aſſequutur. Poſtero die, luce prima, juga Ciminii montis tenebat. inde contemplatus opulenta Etruriæ arva, milites emittit. Ingenti jam abacta præda, tumultuariæ agreſtium Etruſcorum cohortes, repente à principibus regionis ejus concitatæ, Romanis occurrunt; adeo incompoſitæ, ut vindices prædarum prope ipſi prædæ fuerint. Cæſis fugatiſque iis, late depopulato agro victor Romanus, opulentuſque rerum omnium copia in caſtra rediit. Eo forte quinque legati cum duobus tribunis plebis venerant, denunciatum Fabio ſenatus verbis, ne ſaltum Ciminium tranſiret. lætati ſerius ſe, quam ut impedire bellum poſſent, veniſſe, nuncii victoriæ Romam revertuntur,

Urb. cond. an. 443. Coſſ. Q. Fab. & C. Marc.

XXXVII. Hac expeditione conſulis, [a] motum latiùs erat quam profligatum bellum. vaſtationem namque ſub Ciminii montis radicibus jacens ora ſenſerat: conciveratque indignatione, non Etruriæ modo populos, ſed Umbriæ finitima. Itaque, quantus non unquam antea, exercitus ad Sutrium venit: neque in ſylvis tantummodo promota caſtra, ſed etiam aviditate

INTERPRETATIO.

a *Bellum excitatum* magis *ac latè ſparſum*, quàm finitum.

NOTÆ.

3. *Uſque ad Camertes Umbros.*] *Camertes* ſunt qui Camerinum oppidum incolunt, nunc quoque *Camerino* dictum. Cæterùm ſcrutandis Ciminiæ ſylvæ itineribus aut latebris miſſos, ad Camertes, Umbriæ populos, trans Tiberim ſcilicet, tranſque Apenninum ad Piceni fines pluſquàm bidui itinere ab Sutrio remotos penetraſſe parùm credibile eſt. Nec multùm ſimile vero quod ſubjungitur de ſocietate amicitiaque jungenda cum Senatu Camerte egiſſe homines duos, a nullo Legatis digno comitatu.

Urb. cond. an. 443. Coss. Q. Fab. & C. Maic.

dimicandi quam primum in campos delata acies: deinde instructa primo suo stare loco, relicto hostibus ad instruendam contra spatio: deinde, postquam detrectare hostem sensere pugnam, ad vallum subeunt. Ubi postquam [1] stationes quoque receptas intra munimenta sensere, [2] clamor repente circa duces ortus, *ut eo sibi è castris cibaria ejus diei deferre juberent, mansuros se sub armis: & aut nocte, aut certe luce prima castra hostium invasuros.* Nihilo quietior Romanus exercitus imperio ducis continetur. decima erat fere diei hora, quum cibum capere consul milites jubet, præcipit *ut in armis sint, quacunque diei noctisve hora signum dederit.* Paucis milites alloquitur, Samnitium bella extollit, elevat Etruscos: *nec hostem hosti, nec multitudinem multitudini comparandam ait esse. Præterea 3 telum aliud occultum scituros in tempore. Interea taceri opus esse.* His ambagibus prodi simulabat hostes, quo animus militum multitudine territus restitueretur: & quod sine munimento consederant, verisimilius erat quod simulabatur. Curati cibo, corpora quieti dant, & quarta fere vigilia sine tumultu excitati arma capiunt. [b] Dolabræ calonibus dividuntur ad vallum proruendum, fossasque implendas: intra munimenta instruitur acies; delectæ cohortes ad portarum exitus collocantur. dato deinde signo paulo ante lucem, quod æstivis noctibus sopitæ maxime quietis tempus est, proruto vallo erupit acies: stratos passim invadit hostes: alios immobiles, alios semisomnos in cubilibus suis, maximam partem [c] ad arma trepidantes, cædes oppressit: paucis armandi se datum spatium est. Eos ipsos non signum certum, non ducem sequentes, fundit Romanus, fugatosque persequitur. ad castra, ad sylvas diversi tendebant. Sylvæ tutius dedere refugium. nam castra in campis sita eodem die capiuntur: aurum argentumque jussum referri ad consulem: cætera præda militis fuit. Cæsa aut capta eo die hostium mil-

INTERPRETATIO.

b *Inter lixas distributæ sunt ascia*, sive *securis ad exscindendum vallum*, & ligones, ac palæ, aliaque ejusmodi instrumenta, *ad complendas fossas* propriorum Castrorum.

c *Trepide ad arma* capienda *ruentes*.

NOTÆ.

1. *Stationes quoque receptas intra munimenta.*] Romanorum mos fuit ante portas Castrorum & vallum globos militum ac turmas statuere: quæ *stationes* dictæ, quòd revera ibi starent. Cæsar lib. 4. de bell. Gall. *Ii qui pro portis in statione erant.* Et l. 15. *Qui erant in statione pro castris collocati.* Nunc Q. Fabio eas in castra recipere, visum ad simulandum timorem.

2. *Clamor repente.*] Apud Etruscos.

3. *Telum aliud occultum.*] *Telum* aliquando metaphoricè accipitur pro via & ratione rei gerendæ, ut apud Cic. de Amic. *Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium.* Eoque pertinet adagium: *ingens Telum necessitas.* Galli dicimus, *Avoir un coup seur.* Hoc loco Fabius *Teli* nomine intelligi volebat stratagema aliquod, aut potius proditionem. *quelque intelligence.*

millia ad ſexaginta. Eam tam claram pugnam 4 trans Ciminiam ſylvam 5 ad Peruſiam pugnatam, quidam auctores ſunt: metuque in magno civitatem fuiſſe, ne intercluſus exercitus tam infeſto ſaltu, coortis undique Tuſcis Umbriſque, opprimeretur. Sed ubicunque pugnatum eſt, res Romana ſuperior fuit: itaque à Peruſia, 6 & Cortona, & 7 Aretio, quæ ferme capita Etruriæ populorum ea tempeſtate erant, legati pacem fœduſque ab Romanis petentes, inducias in triginta annos impetraverunt. Urb. Cond. an. 444. Coſſ. Q. Fabi & C. Marc.

XXXVIII. Dum hæc in Etruria geruntur, conſul alter C. Marcius Rutilus 1 Allifas de Samnitibus vi cepit. multa alia caſtella, vicique, aut deleta hoſtiliter, aut integra in poteſtatem venere. Per idem tempus & claſſis Romana à P. Cornelio, quem ſenatus maritimæ oræ præfecerat, in Campaniam acta, quum 2 appulſa Pompejos eſſet; ſocii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti, proximis raptim vaſtatis, unde reditus tutus ad naves eſſet; dulcedine (ut fit) prædæ longius progreſſi, excivere hoſtes. Palatis per agros nemo obvius fuit, quum occidione occidi poſſent: redeuntes agmine incauto haud procul navibus aſſecuti agreſtes, exuerunt præda, partem etiam occiderunt: quæ ſuperfuit cædi trepida multitudo, ad naves compulſa eſt. Profectio Q. Fabii, trans Ciminiam ſylvam quantum Romæ terrorem fecerat, tam lætam famam in Samnium ad hoſtes tulerat: *intercluſum Romanum exercitum obſideri: cladiſque imaginem Furculas Caudinas* memorabant. *eadem temeritate avidam ulteriorum ſemper gentem in ſaltus invios deductam; ſeptam non hoſtium magis armis, quam locorum iniquitatibus eſſe.* Jam gaudium invidia quadam miſcebatur: quod belli Romani decus ab Samnitibus fortuna ad Etruſcos avertiſſet. itaque armis viriſque ad obterendum C. Marcium conſulem concurrunt: protinus inde Etruriam per Marſos ac Sabinos petituri; ſi Marcius dimicandi poteſtatem non faciat.

NOTÆ.

4. *Trans Ciminiam ſylvam ad Peruſiam.*] Imò procul à Ciminia ſylva, ſi ad Peruſiam, quæ intermedio Clani tridui fermè itinere diſſita.

5. *Peruſiam.*] Antiqua Tuſciæ civitas, *Peruſia*, ab Achæis ſive Pelaſgis condita, in duodecim principum urbium numero fuit, viginti paſſuum millibus ab Cortona ortum verſus, Tiberi vicina. Ab Octaviano Cæſare expugnata, & incenſa bello civili, ſed ſtatim reſtituta fuit. Poſterioribus *Peruſium*, hodiè vulgò *Perugia*, Gall. *Perouſe*.

6. *Et Cortona.*] Vetuſtiſſima quoque hæc urbs, atque ex Etruriæ principibus una, *Cortona*, nomen hodieque ſervans inter Cluſinam Paludem, lacumque Thraſymenum. Græcis vetuſtioribus Κύρτων, aliquando Polybio Κυρτεών, confuſis nominibus modò cum *Crotone* magnæ Græciæ, modò cum *Cyrtona*, Bœotiæ oppido. Fabulatores hanc Corythum volunt, Dardani patriam.

7. *Aretio.*] Vide ſuprà cap. 32.

1. *Allifas.*] De hac urbe lib. 8. cap. 25.

2. *Appulſa Pompejos.*] Ultra Neapolin & Herculaneum ad Sarnum, quà Nuceriam itur, fuit oppidum *Pompeji* hodie *Scafati*. Strabo lib. 5. *Pompeam* vocat, ſcribitque, eam Oſcos olim, dein Tyrrhenos atque Pelaſgos poſtea Samnites tenuiſſe, qui & ipſi inde pulſi. Seneca natur. quæſt. lib. 1. cap. 1. audiiſſe ait, *Pompejos* celebrem Campaniæ urbem, deſedifſe terræ motu: additque Herculanenſis oppidi partem ruiſſe.

Urb. cond. an. 444. Dictat. L. Papir.

Obvius iis conſul fuit. dimicatum prælio utrinque atroci, atque incerto eventu eſt: & quum anceps cædes fuiſſet, adverſæ tamen rei fama in Romanos vertit, ob amiſſos quoſdam equeſtris ordinis, tribunoſque militum, atque unum legatum, & (quod inſigne maxime fuit) conſulis ipſius vulnus. Ob hæc etiam aucta famâ (ut ſolet) ingens terror Patres invaſit: dictatoremque dici placebat: nec quin Curſor Papirius diceretur, in quo tum ſumma rei bellicæ ponebatur, dubium cuiquam erat: ſed 3 nec in Samnium nuncium perferri, omnibus infeſtis, tuto poſſe: nec vivere Marcium conſulem ſatis fidebant. Alter conſul Fabius infeſtus privatim Papirio erat: quæ ne ira obſtaret bono publico, legatos ex conſularium numero mittendos ad eum ſenatus cenſuit: qui ſua quoque eum, non publica ſolum auctoritate, moverent ut memoriam ſimultatum patriæ remitteret. Profecti legati ad Fabium conſulem, quum ſenatuſconſultum tradidiſſent, adjeciſſentque orationem convenientem mandatis, conſul demiſſis in terram oculis, tacitus ab incertis, quidnam eſſet acturus, legatis receſſit. nocte deinde, ſilentio, (ut mos eſt) 4 L. Papirium dictatorem dixit, cui quum ob animum egregie victum legati gratias agerent, [a] obſtinatum ſilentium obtinuit; ac ſine reſponſo ac mentione facti ſui, legatos dimiſit: ut appareret inſignem dolorem ingenti comprimi animo. Papirius C. Junium Bubulcum Magiſtrum equitum dixit: atque ei 5 legem curiatam de imperio ferenti, [6] triſte omen diem diffidit, quod [7] Faucia curia [8] fuit principium, duabus inſignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis: quod utroque anno ejuſdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta eſt, abominandam eam curiam facit.

INTERPRETATIO.

a *Tenuit pertinaciter ſilentium.*

NOTÆ.

3. *Nec in Samnium nuncium perferri.*] Ad Marcium Conſulem, ut Dictatorem diceret.

4. *L. Papirium Dictatorem dixit.*] Hic interponunt ſcriptores Capitolini annum, omiſſum à Livio, Diodoro, & Caſſiodoro: quo ſcilicet anno L. Papirius II. Dictator cum C. Jun. Bubulco, item II. Magiſtro equitum, ſummæ rerum præfuerint abſque Conſulibus.

5. *Legem Curiatam de imperio ferenti.*] Magiſtratus ritè creati, Comitiis centuriatis, non tamen priùs rem militarem & merum imperium attingebant, quam Curiatiis Comitiis, ſive ſuffragiis per Curias latis, id eis datum eſſet.

6. *Triſte omen diem diffidit.*] Aliàs *diffudit* apud Gell. lib. 14. c. 2. ubi erat *diem diffundi*; Angelus Politianus miſcell. c. 41. legendum cenſuit *diffindi*, à Budæo in annotat. prior. in Pand. reprehenſus. *Diffindere* autem, ſive *diffundere diem* eſt rem in alium diem proferre ac rejicere: quod hìc contigit ob infauſtum omen.

7. *Faucia Curia.*] Legebatur anteà *Saucia Curia*, vel *Faucia Curia*. Reſtituit Budæus, *Faucia Curia*.

8. *Fuit principium.*] Suffragiorum nempe ferendorum. Significat enim eam Curiam fuiſſe ante cæteras omnes ad ſuffragium ſorte vocatam. Nam quæ prima exierat, *principium* dicebatur: idque obſervari ſolebat, ut hæc prima Curia boni eſſet ominis.

XXXIX. Dictator poſtero die auſpiciis repetitis pertulit legem, & profectus cum legionibus, ad terrorem traducti ſylvam Ciminiam exercitus nuper ſcriptis, 1 ad Longulam pervenit: acceptiſque a Marcio conſule veteribus militibus, in aciem copias eduxit: nec hoſtes detrectare viſi pugnam. inſtructos deinde, armatoſque (quum ab neutris prælium inciperet) nox oppreſſit. Quieti aliquandiu, nec ſuis diffidentes viribus, nec hoſtem ſpernentes, ſtativa in propinquo habuêre. Interea res in Etruria geſtæ. Nam & cum Umbrorum exercitu acie depugnatum eſt: (fuſi tamen magis quaſi cæſi hoſtes, quia cœptam acriter non tolerarunt pugnam): & 2 ad Vadimonis lacum Etruſci 3 lege ſacrata coacto exercitu, 4 quum vir virum legiſſet, quantis nunquam alias ante ſimul copiis, ſimul animis, dimicarunt. tantoque irarum certamine res geſta eſt, ut ab neutrâ parte emiſſa ſint tela; gladiis pugna cœpit, & acerrime commiſſa, ipſo certamine quod aliquandiu anceps fuit, accenſa eſt: ut non cum Etruſcis toties victis, ſed cum aliqua nova gente videretur dimicatio eſſe. Nihil ab ulla parte movetur fugæ, cadunt anteſignani: & ne nudentur propugnatoribus ſigna, fit ex ſecunda prima acies.

Urb. Cond. an. 444. Dictat. L. Papir.

NOTÆ.

1. *Ad Longulam.*] De hoc Volſcorum oppido. 2. 33.

2. *Ad Vadimonis lacum.*] In Tuſcia inter Falerios & Caſtellum Amerinum, quod nunc *Baſſano*, haud procul Tiberi, ex adverſo confluentis in eum Naris, eſt *Vadimonis Lacus*, habens exiguas quaſdam inſulas, quas venti huc illuc impellunt, quem Plinius junior ep. 20. lib. 8. eleganter deſcribit. Vocatur hodie *Lago di Baſſano* ab oppido proximo: eſtque adhuc, ut Plinii ævo, in ſimilitudinem rotæ circumſcriptus, & undique æqualis; nullo ſinu, obliquitate nullâ, colore albidiore, viridiore, ac preſſiore quam cæruleus ſit: odore ſulphureo, ſaporeque medicato: ſed ſpatio longè brevior; quod neque navim, neque inſulas, ut olim, pecora ingreſſa portantes in medio ferre poſſit: altitudinis tamen immenſæ: undæque ejus nonnunquàm flatibus per ſubterraneos meatus erumpentibus, mirum in modum commoventur, ut brevi in Tiberim decurſu plures convolvat molas. Piſces nec gignit, nec alit, ſed luridos ſerpentes ac teſtudines: interdum Carbones ejectat, teſte Cluverio. Inter eum & Tiberim ſpatioſus & planus eſt campus, in quo Romani duobus prœliis nunc Etruſcos, deinde Dolabellâ duce, cum illis Gallos Senonas vicerunt.

3. *Lege ſacratâ coacto exercitu.*] Quænam hæc Etruſcorum *lex ſacrata* fuerit, non explicant interpretes. Lib. 7. cap. 41. *Lex ſacrata militaris* lata dicitur, *ne cujus militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente deleretur*. At hic non de exercitu jam conſcripto, verùm de exercitu cogendo agitur. Hujus legis rationem explicat, ni fallor, ipſe Livius lib. 10. c. 38. ubi delectum à Samnitibus acerrimè habitum ait hac lege, *ut* ſcilicet *qui Juniorum non convenisſet ad imperatorium edictum, quique injuſſu abiſſet*, ejus *caput Jovi ſacratum eſſet*. Niſi quis malit Sacramento adactos nonniſi victores ſe redituros: quod bello in Etruſcos à Romanis antèa factum lib. 2. cap. 45.

4. *Quum vir virum legiſſet.*] *Vir virum legere* dicebatur, cum in delectu habendo, militibus poteſtas fiebat, ut ſibi quiſque notum aliquem legeret, cujus ipſi perſpecta virtus eſſet; eumque ſibi periculorum ſocium adſciſceret: quâ de re Victorius Variar. lect. lib. 18. cap. 19. Ejuſmodi amicitiæ genus Græci συναποθνησκοντες, id eſt, commorientium vocabant. Nec multùm diſpar erat Soldiuriorum ſive Clientum apud Gallos olim ratio, ut Cæſar lib. 3. ſcribit.

Urb. Cond. an. 444. Dictat. L. Papir.

Ab ultimis deinde ſubſidiis cietur miles: adeoque ad ultimum laboris, ac periculi ventum eſt, ut equites Romani, omiſſis equis, ad primos ordines peditum, per arma, per corpora, evaſerint: ea velut nova inter feſſos exorta acies, turbavit ſigna Etruſcorum. Secuta deinde impetum eorum, [a] utcunque affecta fuerat, cætera multitudo, tandem perrumpit ordines hoſtium. Tunc vinci pertinacia cœpta, & averti manipuli quidam: &, ut ſemel dedere terga, etiam certiorem capeſſere fugam. Ille primum dies fortuna veteri abundantes Etruſcorum fregit opes. cæſum in acie quod roboris fuit, caſtra eo impetu capta, direptaque.

XL. Pari ſubinde periculo gloriæque eventu bellum in Samnitibus erat, qui, præter cæteros belli apparatus, ut acies ſua fulgeret novis armorum inſignibus, fecerunt. Duo exercitus erant: ſcuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. * Forma erat ſcuti: ſummum latius qua pectus atque humeri teguntur, faſtigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis cauſa: [1] ſpongia pectori tegumentum: & [2] ſiniſtrum crus ocrea tectum: [3] galeæ criſtatæ, quæ ſpeciem magnitudini corporum adderent.

INTERPRETATIO.

[a] *Reliqui milites* (pedites nempe) *quantumvis malè habiti ac debilitati, tamen* equitum impreſſionem ſequuti, &c.

NOTÆ:

1. *Spongia pectori tegumentum.*] Spongia tunc uſi Samnites pro æreo aut ferreo thorace, vel ex crudo corio: *ſpongiam* quoque *Retiariorum* habet Tertull. Id cujuſmodi ſit, & quomodo ad corporis defenſionem accommodetur, non adeò tritum. An ita *Spongia* dicitur, ut ſquamæ, aut plumæ. Nam *ſquama* apud Iſid. eſt *lorica ex laminis æreis, vel ferreis concatenata in modum Squamarum piſcis*. Et quas Statius *Plumas* dixit Salluſt. in fragmentis ſic expreſſerat: *operimenta linea, quæ ferreis laminis in modum plumæ annexuerant*. An potiùs *ſpongia* ipſa hoc loco intelligitur, ſed ita compacta, ut non facilè perfodi poſſet. Lineæ certè Thoraces Macedonibus, Thracibus, Hiſpanis, Faliſcis in uſu, bilices nimirum, aut trilices, ac texto ſæpiùs replicato; qualem Amaſis habuit Ægyptiorum Rex, cujus ſingula fila ſive funiculi ex Plin. trecentis ſexaginta quinque filis conſtabant. Fuére & lineæ loricæ, ex lana ſcilicet coactili, quam, ſi addatur acetum, ferro reſiſtere Plinius teſtatur. Ejuſmodi ferè eſt quod nunc *Feltrum* vocamus. Cæſar de bello civili lib. 3. loquens de Suis, *Omnes*, inquit, *ferè milites, aut ex ſubcoactis, aut ex centonibus tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent*.

2. *Siniſtrum crus ocreâ tectum.*] Peditî quoque Romano Polybio *Ocream* in ſingulari numero aſſignat; & Vegetius lib. 1. c. 20. uni tantùm cruri tegendo datas ocreas ferreas ſcribit, ſed dextro: cum Samnites ſiniſtrum iis armaſſe dicantur à Livio. Vtriuſque uſus cauſam prodit idem Veget. quod *cum miſſilibus agitur, ſiniſtros pedes inantè milites habere debeant: ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt. At cum . . . . manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes inantè milites habere debent; ut & latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſſint vulnus accipere; & proximior dextra ſit quæ plagam poſſit inferre*. Virg. lib. 7. de Hernicis.

Veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.

Quem illorum morem ab Ætolis Hyginus derivat, quaſi à Pelaſgis ortum Hernici traherent.

3. *Galeæ Criſtatæ.*] Quæ hic Criſtarum galeis aptandarum ratio Samnitibus adſcribitur, eandem Polybius Romanis

tunicæ auratis militibus verſicolores, argentatis linteæ candidæ. his dextrum cornu datum: illi in ſiniſtro conſiſtunt. Notus jam Romanis apparatus inſignium armorum fuerat: doctique à ducibus erant, HORRIDUM MILITEM *eſſe debere, non cælatum auro argentoque, ſed ferro & animis fretum. quippe illa prædam verius, quam arma eſſe; nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem & vulnera. Virtutem eſſe militis decus, & omnia illa victoriam ſequi: & ditem hoſtem quamvis pauperis victoris præmium eſſe.* His Curſor vocibus inſtinctos milites in prælium duxit. dextro ipſe cornu conſiſtit, ſiniſtro præfecit magiſtrum equitum. Simul eſt concurſum, ingens fuit cum hoſte certamen, [a] non ſegnius inter dictatorem & magiſtrum equitum, ab utra parte victoria inciperet. Prior forte Junius commovit hoſtem, lævo dextrum cornu, ſacratos more Samnitium milites, eoque candida veſte, & paribus candore armis inſignes. *eos ſe orco mactare* Junius dictitans, quum intuliſſet ſigna, turbavit ordines, & haud dubie impulit aciem. Quod ubi ſenſit dictator, *Ab lævone cornu victoria incipiet?* inquit: *& dextrum cornu, dictatoris acies, alienam pugnam ſequetur, non partem maximam victoriæ trahet?* Concitat milites: nec pedicum virtuti equites, aut legatorum ſtudia ducibus cedunt. M. Valerius à dextro, P. Decius ab lævo cornu, ambo conſulares, ad equites in cornibus poſitos evehuntur: adhortatique eos, ut partem ſecum capeſſerent decoris, [b] in tranſverſa latera hoſtium incurrunt. Is novus additus terror, quum ex parte utraque circumvaſiſſet aciem, & [b] ad terrorem hoſtium legiones Romanæ redintegrato clamore intuliſſent gradum; tum fuga à Samnitibus cœpta. Jam ſtrage hominum armorumque inſignium campi repleti, ac primo pavidos Samnites caſtra ſua accepêre: deinde ne ea quidem retenta. captis direptiſque ante noctem injectus ignis. Dictator ex Senatuſconſulto triumphavit, cujus triumpho longe maximam ſpeciem captiva arma præbuere. tantum magnificentiæ viſum in iis, ut aurata ſcuta [4] dominis [4] argentariorum ad forum ornandum dividerentur. inde natum initium dicitur fori ornandi ab ædilibus, quum thenſæ ducerentur. Et Romani quidem, ad honorem Deûm inſignibus armis hoſtium uſi ſunt: Campani, ab

Urb. cond. an. 444. Dictat. L. Papir.

INTERPRETATIO.

a *Non minor* fuit *concertatio* & contentio *inter Dictatorem & Magiſtrum* equitum, *ab utrius acie initium victoria fieret*: quam inter Romanos & Samnites utri vincerent.

b *Ad terrendos* magis *hoſtes*.

NOTÆ.

attribuit: apice enim hoc plumeo, penniſque rectis tribus ad cubiti longitudinem in ſummo vertice aliis armis addito, pro eorum more, vir duplo major apparet: & pulchra ea ſpecies ſit, hoſtique formidoloſa. Et triplicis triſtæ aut Jubæ Poëtæ paſſim meminere. Atque hac de cauſa Suidas Geryonem putat tricipitem dictum, quòd tres criſtas in Galea haberet.

4. *Dominis argentariorum ad forum ornandum.*] Tabernæ Argentariorum in Foro Romano. Horum magnam partem ſervos fuiſſe docet hic locus.

Urb. cond. an. 444. Dictat. L. Papir.

ſuperbia & odio Samnitium, gladiatores, (5 quod ſpectaculum inter epulas erat,) eo ornatu armarunt, *Samnitiumque* nomine appellarunt. Eodem anno cum reliquis Etruſcorum ad Peruſiam, quæ ipſa induciarum fidem ruperat, Fabius Conſul nec dubia, nec difficili victoria dimicat. ipſum oppidum (nam ad mœnia victor acceſſit) cepiſſet: ni legati dedentes urbem exiſſent. Præſidio Peruſiæ impoſito, legationibus Etruriæ amicitiam petentibus præ ſe Romam ad ſenatum miſſis, Conſul, præſtantiore etiam quam dictator victoria triumphans, urbem eſt invectus. Quin etiam devictorum Samnitium decus magna ex parte ad legatos, P. Decium & M. Valerium, eſt verſum: quos populus proximis comitiis ingenti conſenſu Conſulem alterum, alterum prætorem declaravit.

Urb. cond. an. 445. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

XLI. Fabio ob egregie perdomitam Etruriam continuatur conſulatus: Decius collega datur. Valerius prætor quartum creatus. Conſules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evênit. Is 1 profectus ad Nuceriam Alfaternam; 2 tum pacem petentes, quod uti ea quum daretur, noluiſſent, aſpernatus; oppugnando ad deditionem ſubegit. Cum Samnitibus acie dimicatum: haud magno certamine hoſtes victi. neque ejus pugnæ memoria tradita foret, 3 ni Marſi eo primum prælio cum Romanis bellaſſent. Secuti Marſorum defectionem Peligni, eandem fortunam habuerunt. Decio quoque alteri conſuli ſecunda belli fortuna erat. 4 Tarquinienſem metu ſubegerat frumentum exercitui præbere, atque inducias in quadraginta annos petere: 5 Volſinienſium caſtella aliquot vi cepit; quædam ex iis diruit, ne receptaculo hoſtibus eſſent: circumferendoque paſſim bello, tantum terrorem ſui fecit, ut nomen omne Etruſ-

NOTÆ.

5. *Quod ſpectaculum inter epulas erat.*] Fuit & Romanis aliquando ſpectaculum gladiatorum inter epularum crudelia oblectamenta: Strabone lib. 5. aliiſque teſtibus, apud Lipſ. Saturnal. lib. 1. cap. 6. quibus ſub Imperatoribus perſeveravit.

1. *Profectus ad Nuceriam Alfaternam.*] Dicerent alii *Profectus Nuceriam*. Noſtro ſolenne præpoſitionem addere. Vulgò pro *Alfaternam* legebatur *Alifates*. Sed cum Fabius ab auctore memoretur Nuceriam profectus, (ulciſcendis, ut credibile eſt, navalibus ſociis, qui ibi anno ſuperiore malè accepti): perſuaderi cuiquam haud facilè poterit, nullâ ulteriore Nucerinorum mentione, ad Allifates tranſgreſſum ſive ducem, ſive ſcriptorem, tanto inter utrumque populum intervallo: præſertim cum Allifæ paulò antè vi captæ eſſent, ut ſup. cap. 31. Bellè itaque Sigonius ex vetuſtis Codicibus verum reddidit Nuceriæ cognomen. Eſt autem *Nuceria Alfaterna* ultima Campaniæ urbium, trans Veſuvium ſita, alluente Sarno, novem à mari paſſuum millibus. Hodie *Nocera*. Hanc *Nuceriam Alfaternam* à Romanis ad Samnites anteà defeciſſe Diodorus tradit. *Alfaterna* cognomine diſtinguitur à *Nuceria Camellaria* Umbriæ oppido, ſub Apennino, ad fontem Tiniæ, non procul Camerino.

2. *Tum pacem petentes.*] Si Alfaternam retineamus, intelligendum erit Cives, aut incolas. Alioqui ſcribendum *Alfaternos*, quæ videtur Cluverii ſententia.

3. *Ni Marſi.*] Vide lib. 8. cap. 29. ubi & de *Pelignis*.

4. *Tarquinienſem.*] Cives Tarquiniorum. De quibus lib. 1. cap. 34. item lib. VII. cap. 15.

5. *Volſinienſium.*] Lib. 5. cap. 32.

cum

cum fœdus ab Conſule peteret. Ac de eo quidem nihil impetratum. inducia annuæ datæ: ſtipendium exercitui Romano ab hoſte in eum annum penſum, & binæ tunicæ in militem exactæ. ea merces induciarum fuit. Urb. condi. an. 445. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

[a] Tranquillas res jam Etruſcis turbavit repentina defectio [6] Umbrorum; gentis integræ à cladibus belli, niſi quod tranſitum exercitus ager ſenſerat. ii concitata omni juventute ſua, & magna parte Etruſcorum ad rebellionem compulſa, tantum exercitum fecerant, ut relicto poſt ſe in Etruria Decio, *ad oppugnandam inde Romam ituros*, magnifice de ſe, ac contemptim de Romanis loquentes, jactarent. Quod incœptum eorum ubi ad Decium Conſulem perlatum eſt, ad urbem ex Etruria magnis itineribus pergit: & [7] in agro Pupinienſi ad famam intentus hoſtium conſedit. Nec Romæ ſpernebatur Umbrorum bellum: & ipſæ minæ metum fecerant, expertis à Gallica clade quam intutam urbem incolerent. Itaque legati ad Fabium Conſulem miſſi ſunt: ut, ſi quid laxamenti à bello Samnitium eſſet, in Umbriam propere exercitum duceret. Dicto paruit Conſul, magniſque itineribus [8] ad Mevaniam, ubi tum copiæ Umbrorum erant, perrexit. Repens adventus conſulis, quem procul Umbria in Samnio bello alio occupatum crediderant, ita exterruit Umbros, ut alii recedendum ad urbes munitas, quidam bellum mittendum cenſerent. [9] Plaga una (Materinam ipſi appellant) non continuit modo cæteros in armis, ſed confeſtim ad certamen egit. caſtra vallantem

INTERPRETATIO.

a *Subita alienatio Umbrorum, (quæ natio immunis fuerat à bellicis calamitatibus, niſi quatenus per agros eorum tranſierant copiæ) perturbavit res; quæ jam apud Etruſcos pacata erant.*

NOTÆ.

6. *Umbrorum.*] Vid. lib. 5. cap. 35.

7. *In agro Pupinienſi.*] *Ager Pupinienſis*, ſive *Pupinius*, tractus eſt Latii veteris exiguus ac parùm fœcundus, circa octavum ab urbe lapidem, citra Gabios. *Pupinia* inde Tribus. Hic igitur Decius Vmbros Romam per Sabinorum regionem petentes, proximè urbem expectandos cenſuit.

8. *Ad Mevaniam.*] Ad Clitumni ac Tiniæ amnium confluentes eſt *Mevania* Vmbrorum urbs antiqua & munita, inter Spoletium & Aſſiſium. Hodie vulgo *Bevagna*, in Ducatu Spoletano, Pontificiæ ditionis.

9. *Plaga una (Materinam ipſi vocant) non continuit modò.*] Fallitur opinor Glar. qui *plagam* hic haud dubiè militiæ nomen eſſe putat, & fortaſſis quod πλαγία vocant Græci, *aciem quadratam alterâ parte longiorem*. Sigonii; Gronovii, aliorumque hac in re ſilentium mirari licet. Ego *Plagam* primùm interpretor *Pagum*, regiunculam, oppidi territorium. Deinde pro *Materinam* legendum conjicio *Matilicam*, vel, *Matelicinam*. Etenim *Matilica* oppidum in Umbria legitur apud Frontinum de Coloniis, qui ejus agrum eadem lege contineri ait, quâ Camerinum: inde Plinio *Matilicates*. Eſt ad radices Apennini ſupra Æſim fl. in Piceni finibus. Hujus itaque tractus duces, militeſve auctores pugnandi cæteris fuiſſe ſuſpicor, licèt non inter principes populos, ſed minùs extra Umbriam cognitos fuiſſe innuat noſter, parentheſi illâ (*Matelicinam ipſi vocant*). Alioqui *Maritimam*, vel *Tudertinam* ſcribi poſſe exiſtimarem,

Urb. cond. an. 445. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

Fabium adorti ſunt. Quos ubi effuſos ruere in munimenta conſul vidit: revocatos milites ab opere, prout loci natura tempuſque patiebatur, ita inſtruit; cohortatuſque prædicatione verâ qua in Tuſcis qua in Samnio partorum decorum, exiguam appendicem Etruſci belli conficere jubet; & vocis impiæ pœnas expetere, qua ſe urbem Romanam oppugnaturos minati ſint. Hæc tanta ſunt alacritate militum audita, ut clamor ſua ſponte ortus loquentem interpellaverit ducem. ante imperium deinde, concentu tubarum ac cornuum, curſu effuſo in hoſtem feruntur. Non tanquam in viros, aut armatos incurrunt, mirabile dictu: ſigna primo eripi cœpta ſigniferis: deinde ipſi ſigniferi trahi ad conſulem, armatique milites ex acie in aciem transferri: & ſicubi eſt certamen, ſcutis magis quam gladiis geritur res. 10 Umbonibus, 11 incuſſaque alâ ſternuntur hoſtes. plus capitur hominum, quam cæditur: atque una vox ponere arma jubentium per totam fertur aciem. Itaque inter ipſum certamen facta deditio eſt à primis auctoribus belli. poſtero inſequentibuſque diebus, & cæteri Umbrorum populi deduntur. 12 Ocriculani 13 ſponſione in amicitiam accepti.

Urb. cond. an. 446. Coſſ. App. Claud. & L. Volumn.

XLII. Fabius [a] alienæ ſortis victor belli, in ſuam provinciam exercitum reduxit. itaque ei ob res tam feliciter geſtas, ſicut priore anno populus continuarat conſulatum; ita Senatus inſequente anno, quo Ap. Claudius, L. Volumnius Conſules fuerunt, prorogavit, maxime Appio adverſante, imperium. Appium cenſorem petiſſe conſulatum, comitiaque ejus ab L. Furio tribuno plebis interpellata, donec ſe cenſurâ abdicavit, in quibuſdam annalibus invenio. Creatus conſul, quum collegæ novum bellum, 1 Salentini hoſtes, decernerentur; Romæ manſit, [b] ut urbanis artibus opes, augeret, quando belli decus penes alios eſſet. Volumnium

INTERPRETATIO.

a *Fabius, victor eo bello, quod alteri gerendum ſorte obtigerat*, nimirum Decio.

b *Ut potentiam ſibi majorem pararet per eas artes qua domi valent.*

NOTÆ.

10. *Umbonibus.*] *Umbonem* nemo nescit eſſe mediam partem, & quaſi umbilicum ſcuti, rotundo tumore pro tuberantem; deducto, ut videtur, vocabulo à Græco ὄμφαλος, quod petræ ſupercilium ſignificat. Et verò *Umbo* à Statio non ſemel pro montium eminentia ſumitur à Tertulliano, & aliis pro veſtis poſitu, qui ad pectus exibat in tumorem.

11. *Incuſſaque alâ.*] *Alâ* nomen, quod plures habet ſignificationes, dicatur hoc loco pro *axilla*; & lacertum, totumque brachium ſin iſtrum ſuperius deſignat, quo ſuſtinetur quatiturque clypeus.

12. *Ocriculani.*] Poſtrema Umbriæ urbium, in ejus extremis ad Sabinos finibus, paulò ultra Narem amnem verſus meridiem. *Ocriculi*, vel ſingulari numero *Ocriculum*, apud Antoninum corruptè *Utriculi*; propius Tiberi fuit, quàm oppidum quod nunc *Otricoli*, altero à flumine milliari.

13. *Sponſione in amicitiam accepti.*] De *Sponſione* dictum cap. 9.

1. *Salentini hoſtes.*] Japygiæ ſeu Meſſapiæ inter illos & Calabros interjacente Apennino diviſæ, partem incolebant, Tarentino ſinui obverſam. Nunc pars Hydruntinæ regionis. Vulgò *Terra d'Otranto*, quæ Neapolitana provincia.

provinciæ haud pœnituit. multa ſecunda prælia fecit: aliquot urbes hoſtium vi cepit. prædæ erat largior, & benignitatem per ſe gratam comitate adjuvabat, militemque iis artibus fecerat & periculi & laboris avidum. Q. Fabius proconſul ad urbem Alliſas eum Samnitium exercitu ſignis collatis conſligit. minime ambigua res fuit. Fuſi hoſtes, atque in caſtra compulſi. nec caſtra forent retenta, c ni exiguum ſuperfuiſſet diei: ante noctem tamen ſunt circumſeſſa, & nocte cuſtodita, ne quis elabi poſſet. Poſtero die, vix dum luce certa, deditio fieri cœpta: & pacti, qui Samnitium forent, ut cum ſingulis veſtimentis emitterentur. Hi omnes ſub jugum miſſi. ſociis Samnitium nihil cautum: ad ſeptem millia ſub corona veniêre. qui ſe civem Hernicum dixerat, ſeorſum in cuſtodia habitus. Eos omnes Fabius Romam ad ſenatum miſit: & quum quæſitum eſſet, d delectu, an voluntarii pro Samnitibus adverſus Romanos bellaſſent; a per Latinos populos cuſtodiendi dantur. juſſique eam integram rem novi conſules, P. Cornelius Arvina, Q. Marcius Tremulus (ii enim jam creati erant) ad ſenatum referre. id ægre paſſi Hernici; concilium populorum omnium habentibus 3 Anagninis, 4 in circo, quem Maritimum vocant, præter 5 Alatrinatem, 6 Ferentinatemque, 7 & Verulanum, 8 omnes Hernici nominis populo Romano bellum indixerunt.

Urb. cond. an. 446. Coſſ. App. Claud. & L. Volumn.

XLIII. In Samnio quoque, quia deceſſerat inde Fabius, novi motus exorti. Calatia & Sora, præſidiaque quæ in iis Romana erant, expugnata:

INTERPRETATIO.

c *Niſi quod nocte* imminente *non ſatis ſupererat lucis.*

d *At publico conſilio, an arbitrio* quiſque *ſuo privatim.*

NOTÆ.

2. *Per Latinos populos cuſtodiendi.*] Hic mos fuit, cum hoſtes capti, aut etiam ſuſpecti cives magno numero in cuſtodiam dandi viderentur, donec damnati, aut abſoluti eſſent; ut non in urbe, ſed per municipia coloniaſve vicinas cuſtodiendi diſtribuerentur. Id de conjuratis cum Catilina Cæſar cenſuit. Idem in Hernicis captis nunc ſervatum.

3. *Anagninis.*] Hernicorum, qui poſtea Latio additi, Caput *Anagnia*, nunc quoque *Anagni* dicta: in Campania Rom. loco edito parùm culta.

4. *In Circo, quem Maritimum vocant.*] At Hernici nulla ex parte mare attingebant. Forte an ad Lacum aliquem, aut perennem uberemve aquam, ſitus ille *erant*, inde *Maritimi* cognomen tulerit: niſi fortè Maritimus dictus comparatione Circei alterius qui apud eamdem urbem, adhuc illo remotior a mari.

5. *Præter Alatrinatem.*] *Alatrium*, ſive *Aletrium*, vulgò *Alatro*, ad ortum æſtivum Anagniæ eſt verſus Liris fontes. Epiſcopatus titulo gaudet.

6. *Ferentinatemque.*] De *Ferentino*, quod Anagniæ ad meridiem in via Latina, aliiſque cognominibus ferè locis, vulgò nunc *Ferentino*, aut *Fiorentino*, egi lib. 2. cap. 38. & lib. 7. cap. 9.

7. *Verulanum.*] *Verula* ſub fontibus Coſæ amnis, quinque ab Alatrio millibus in Auſtrum, vulgò *Veroli*.

8. *Omnes Hernici nominis.*] Qui illi omnes? Nam demptis his tribus, ſolæ Hernicorum ſuperſunt Anagnini, qui quidem alicujus nominis ſint.

Urb. Cond. an. 447. Coſſ. P. Cornel. & Q. Marc.

& in captivorum corpora militum fœde ſævitum. itaque eo P. Cornelius cum exercitu miſſus. Marcio novi hoſtes (jam enim Anagninis Hernicisque aliis bellum juſſum erat) decernuntur. Primo ita omnia opportuna loca hoſtes inter conſulum caſtra intereeperunt, ut pervadere expeditus nuncius non poſſet; & per aliquot dies incerti rerum omnium, ſuſpenſique de ſtatu alterius, uterque conſul ageret, Romamque is metus manaret: adeò, ut omnes juniores ſacramento adigerentur, atque ad ſubita rerum duo juſti ſcriberentur exercitus. Cæterum Hernicum bellum [a] nequaquam pro præſenti terrore, ac vetuſtate gentis gloriæ, fuit. nihil uſquam dictu dignum auſi, trinis caſtris intra paucos dies exuti, triginta dierum inducias, ita ut ad ſenatum Romam legatos mitterent, pacti ſunt bimeſtri ſtipendio frumentoque, & ſingulis in militem tunicis. Ab ſenatu ad Marcium rejecti, cui Senatuſconſulto permiſſum de Hernicis erat: iſque eam gentem in deditionem accepit. Et in Samnio alter conſul ſuperior viribus, locis impeditior erat. Omnia itinera obſepſerant hoſtes: ſaltuſque pervios ceperant, ne qua ſubvehi commeatus poſſent: neque eos quum quotidie ſigna in aciem conſul proferret, elicere ad certamen poterat. ſaciſque apparebat neque Samnitem certamen præſens, nec Romanum dilationem belli laturum. Adventus Marcii, qui Hernicis ſubactis maturavit collegæ venire auxilio, moram certaminis hoſti exemit. nam, [b] ut quinc alteri quidem exercitui ſe ad certamen credidiſſent pares, conjungi utique paſſi duos conſulares exercitus, nihil crederent ſupereſſe ſpei; advenientem incompoſito agmine Marcium aggrediuntur. Raptim collatæ ſarcinæ in medium: & prout tempus patiebatur, inſtructa acies. Clamor primum [1] in ſtativa perlatus, deinde conſpectus procul pulvis, tumultum apud alterum conſulem in caſtris fecit. iſque confeſtim arma capere juſſis, raptimque eductis in aciem militibus, tranſverſam hoſtium aciem, atque alio certamine occupatam, invadit: clamitans *ſummum flagitium fore, ſi alterum exercitum utriuſque victoriæ compotem ſinerent fieri,* [2] *nec ad ſe ſui belli vindicarent decus*. Qua imperum dederat perrumpit: aciemque per mediam in caſtra hoſtium ten-

INTERPRETATIO.

a *Non tantum attulit diſcrimen, quantum imminere videbatur ex terrore quem nunc ea gens intulerat, & ex ejuſdem antiqua gloria.*

b *Utpote qui, ſi fortè ſinerent ut Conſulum duorum copiæ conjungerentur, nullam ſpem reliquam haberent: cum ne ſatis quidem ſe idoneos putarent ad dimicandum cum alterutro eorum exercitu.*

NOTÆ.

1. *In ſtativa perlatus.*] In caſtra Cornelii, ubi jam exercitum diu habebat.

2. *Nec ad ſe ſui belli vindicarent decus.*] in Samnites certabatur, adversùs quos miſſus Cornelius Conſul, cum ſuo exercitu: Marcius in Hernicos, quos brevi ſubegerat. Cornelius itaque ſuos monet rem eſſe indignam, ſi gloriam confecti belli quod ipſis mandatum erat ſibi non vindicarent, atque ad ſe traherent: ſed à Marcianis militibus occupari paterentur.

ſit, & vacua defenſoribus capit atque incendit. Quæ ubi flagrantia Marcianus miles conſpexit, & hoſtes reſpexere; tum paſſim fuga cœpta Samnitium fieri. ſed omnia obtinet cædes: nec in ullam partem tutum perfugium eſt. Jam triginta millibus hoſtium cæſis, ſignum receptui conſules dederant, colligebantque in unum copias, invicem inter ſe gratantes: quum repente viſæ procul hoſtium novæ cohortes; quæ in ſupplementum ſcriptæ fuerant, integravere cædem. in quas nec juſſu conſulum, nec ſigno accepto victores vadunt; malo tyrocinio imbuendum Samnitem, clamitantes. Indulgent Conſules legionum ardori, ut qui probe ſcirent novum militem hoſtium inter perculſos fuga veteranos, ne tentando quidem ſatis certamini fore. Nec eos opinio fefellit: omnes Samnitium copiæ veteres novæque, montes proximos fuga capiunt. eo & Romana erigitur acies: nec quiequam ſatis tuti loci victis eſt. & de jugis, quæ ceperant, funduntur; jamque una voce omnes paeem petebant. Tum trium menſium frumento imperato, & annuo ſtipendio ac ſingulis in militem tunicis, ad ſenatum pacis oratores miſſi. Cornelius in Samnio relictus. Marcius de Hernicis triumphans, in urbem rediit: ſtatuaque equeſtris in foro decreta eſt, quæ ante templum Caſtoris poſita eſt. Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, 3 quia maluerunt, quam civitatem, ſuæ leges redditæ: 4 connubiumque inter ipſos, quod aliquandiu Hernicorum ſoli habuerunt, permiſſum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data: concilia connubiaque adempta: 5 & Magiſtratibus, præterquam ſacrorum curatione, interdictum. Eodem anno ædes Salutis à C. Junio Bubulco cenſore locata eſt: quam conſul bello Samnitium voverat. ab eodem collegaque ejus M. Valerio Maximo viæ per agros publica impenſa factæ. Et 6 cum Carthaginienſibus

Urb. cond. an. 447. Coſs. P. Cornel. & Q. Marc.

NOTÆ.

3. *Quia maluerunt quàm. Civitatem, ſuæ leges reddita.*] His oppidis quæ in fide manſerant, oblatum fuit jus Civitatis à Romanis. Sed oppidani leges ſuas prætulerunt, earumque uſum maluerunt quàm civitatem. Illis itaque, quia hæc oppida Colonias Romanorum nondum acceperant, priſtino jure uti permiſſum. Unde videri poſſunt quaſi Municipia libera, quibus propriæ leges, cum propriis magiſtratibus eſſent. Quâ de re anteà.

4. *Connubiumque inter ipſos.*] Id aliis etiam Latinorum negatum vidimus lib. 8. cap. 14. ſcilicet ne affinitatibus mutuis arctiùs junſti, etiam arma conſociarent. Neque verum eſt, quod Godelev. ex Sigonio obſervat, cum omnibus Italis, Connubia priſcis Romanis fuiſſe, niſi ſpecialiter id juris ademptum eſſet, imò ſpecialiter conceſſum oportuit. Sed hic agitur de connubiis inter diverſas Hernicorum civitates.

5. *Et Magiſtratibus.*] Sic igitur Anagnia, ademptis legibus & magiſtratibus, in præfecturæ magis quàm municipii aut coloniæ formam redacta, nudo civitatis Rom. titulo dato, abſque ſuffragii jure.

6. *Cum Carthaginienſibus eodem anno fœdus tertio.*] Scribit lib. 3. Polyb. citatus à Glar. ictum primò cum Carthaginienſibus fœdus à primis Conſulibus, quod à Livio prætermiſſum, ut alia non pauca. Initum memorat idem lib. 7. cap. 27. an. 406. Nunc itaque tertio percuſſ

eodem anno fœdus tertio renovatum ; legatiſque eorum , qui ăd id venerant , comiter munera miſſa.

Urb. cond. an. 448. Coſs. L. Poſtum. & Ti. Minuc.

XLIV. Dictatorem idem annus habuit P. Cornelium Scipionem, cum magiſtro equitum P. Decio Mure. ab iis, propter quæ creati erant, comitia conſularia habita, quia neuter conſulum potuerat bello abeſſe . Creati conſules L. Poſtumius, Tib. Minucius. a Hos conſules Piſo Q. Fabio & P. Decio ſuggerit , biennio exempto , quo Claudium Volumnium que, & Cornelium cum Marcio conſules factos tradidimus: memoriane fugerit in annalibus digerendis, an conſulto 1 binos conſules falſos ratus tranſcenderit, incertum eſt. Eodem anno 2 in campum Stellatem agri Campani, Samnitium incurſiones factæ. itaque ambo conſules in Samnium miſſi. Quum diverſas regiones, Tifernum Poſtumius , Bovianum Minucius petiſſent; Poſtumii prius ductu 3 ad Tifernum pugnatum. Alii haud dubie Samnites victos, 4 ac viginti millia inde hominum capta tradunt: alii Marte æquo diſceſſum , & Poſtumium metum ſimulantem nocturno itinere clam in montes copias abduxiſſe: hoſtes ſecutos duo millia inde locis munitis & ipſos conſediſſe. Conſul, ut ſtativa tuta, copioſaque(& ita erant) petiſſe videretur ; poſtquam & munimentis caſtra firmavit , & omni apparatu rerum utilium inſtruxit; relicto firmo præſidio 5 tertiâ vigiliâ, qua duci proxime poteſt , expeditas legiones ad collegam , & ipſum adverſus alios ſedentem , ducit . ibi auctore Poſtumio Minucius cum hoſtibus ſigna confert : & quum anceps prælium in multum diei proceſſiſſet, tum Poſtumius integris legionibus defeſſam jam aciem hoſtium improviſo invadit. Itaque quum laſſitudo ac vulnera fugam quoque præpediſ-

INTERPRETATIO.

a *Piſo ſucceſſores dat hoſce Conſules* Q. Fabio & P. Decio.

NOTÆ.

ſum cum iis fœdus : quanquàm hoc ad Pyrrhi in Italiam adventum refert Polyb.

1. *Binos Conſules falſos ratus* .] Binos imò Conſulatus, Conſules bis binos, ſed niſi per annos, digeſta erat Piſonis hiſtoria, potuit alia eſse cauſa horum Conſulatuum omittendorum : nempe quod res duobus illis annis geſtas hiſtoriæ majeſtate minùs dignas cenſeret.

2. *In Campum Stellatem agri Campani.*] Animadvertere licet *Campum* hunc *Stellatem* diverſum fuiſe à *Campo Stellatino*; ille, de quo nunc agitur, in Campania, à Caleno agro diviſus intercedente Callicula monte inter Savonem & Vulturnum fluvios , videtur pars fuiſe agri Falerni Septentrionalior , ut Fauſtianus auſtralior ex Cluverii deſcriptione. At *Stellatinus ager* , à quo deinde *Stellatina* tribus Romæ , fuit inter Capenam , Vejos , & Falerios in Tuſcia.

3. *Ad Tifernum pugnatum* .] Sub Boviano apud Samnites è Tiferno monte oritur *Tifernus* fl. vulgò nunc *Biferno*. Ad eum fuit Tifernum hoc oppidum Samniticum. Cluv. putat ibi fuiſe, ubi nunc *Moliſe* , Comitatus ſui & provinciæ in Neapolitano regno caput. Aliud fuit *Tifernum* Tiberinum in Vmbria, vulgò *Città di Caſtello* . Aliud *Tifernum Metaurenſe* in eadem regione , vulgo *S. Angelo di Vado* .

4. *Ac viginti millia inde hominum capta* .] Sigonius ex Diodoro *duo millia*, ſine τῷ *inde*.

5. *Tertia vigilia* .] Plerique veteres libri , ex Gron. *de vigilia tertia* .

sent; occidione occisi hostes, signa unum & viginti capta: atque inde ad castra Postumii perrectum. Ibi duo victores exercitus perculsum jam fama hostem adorti fundunt fugantque: signa militaria sex & viginti capta, & imperator Samnitium Statius Gellius, multique alii mortales, & castra utraque capta: & Bovianum, ubi postero die cœptum oppugnari, brevi capitur, magnaque gloria rerum gestarum consules triumpharunt. Minucium consulem cum vulnere gravi relatum in castra mortuum, quidam auctores sunt; & M. Fulvium in locum ejus consulem suffectum: & ab eo quum ad exercitum Minucii missus esset, [6] Bovianum captum. Eodem anno [7] Sora, Arpinum, [8] Censennia, recepta ab Samnitibus, Herculis magnum simulacrum in Capitolio positum, dedicatumque. Urb. cond. an. 448. Cos. L. Postum. & Ti. Minuc.

XLV. P. Sulpicio Saverrione, [1] P. Sempronio Sopho consulibus, Samnites, seu finem, seu dilationem belli quærentes, legatos de pace Romam misere. quibus suppliciter agentibus responsum est, *nisi sæpe bellum parantes pacem petissent Samnites; oratione ultro citroque habita, de pace transigi potuisse. nunc, quando verba vana ad id locorum fuerint, rebus standum esse. P. Sempronium consulem cum exercitu brevi in Samnio fore: b eum ad bellum pacemne inclinet animi, fallinon posse. Comperta omnia senatui relaturum. decedentem ex Samnio Consulem legati sequerentur.* Eo anno quum pacatum Samnium exercitus Romanus benigne præbito commeatu peragrasset, fœdus antiquum Samnitibus redditum. Ad Æquos inde veteres hostes, cæterum permultos annos sub specie infidæ pacis quietos, versa arma Romana: quod incolumi Hernico nomine missitaverant simul cum iis Samniti auxilia; & post Hernicos subactos, universa prope gens, sine dissimulatione consilii publici, ad hostes desciverat: & postquam icto Romæ cum Samnitibus fœdere, feciales venerant res repetitum, *tentationem*, ajebant, *esse, ut terrore incusso belli Romanos se fieri paterentur. quod quan-* Urb. cond. an. 449. Cos. P. Sulpic. & P. Sempron.

INTERPRETATIO.

a *Hactenus*, ad hoc usque tempus.
b *Illum* non facilè *posse decipi* in judicando, *qua sit animorum propensio* apud Samnites, *an ad bellum, an ad pacem*.

NOTÆ.

6. *Bovianum captum*.] Quoniam Bovianum expugnatum jam antè narravit, nec posteà defectionis meminit Livius; miratur Glar. nunc captum idem oppidum dici: ideoque Sigonius auctore Diodoro Siculo *Bolam* reponit. Verum nec *Bola* in Samnio, ubi nunc bellum, sed in Latio: & initio hujus cap. Minucius Consul *Bovianum* petiisse dicitur. Eoque ipso satis à Romanis illud defeciviſse indicatur.

7. *Sora, Arpinum*.] De his suprà.

8. *Censennia*.] Alii Codices habent *Cessentia*; alii *Cosentia*: illa incognita. Vltimum in Brutiis, dimidiæ ferè Italiæ intervallo. Legendum, nisi fallor, *Cersennia*, quod Marsorum oppidum est in Orientali Fucini lacus ripa, quà in eum Pitonius amnis influit. Is locus hodie *Castel Venere*, Cluv. at Holst. *Li colli*. Porro Marsi, qui supra Soram & Arpinum colebant, cum ad Samnites defecissent devicti cum illis suprà c. 41. Hæc itaque eorum urbs nunc recepta.

1. *P. Sempronio Sopho*.] Hic ei uni titulus ob excellentem Juris prudentiam à populo Rom. datus.

Urb. cond. an. 449. Coss. P. Sulpic. & P. Sempron.

topere optandum foret, Hernicos docuisse: quum, 2 *quibus licuerit, suas leges Romanæ civitati præoptaverint: quibus legendi quid mallent copia non fuerit,* 3 *pro pœna necessariam civitatem fore.* Ob hæc, vulgo in conciliis jactata, populus Romanus bellum fieri Æquis jussit: consulesque ambo ad novum profecti bellum, quatuor millibus à castris hostium consederunt. Æquorum exercitus (ut qui suo nomine per multos annos imbelles egissent) tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio, trepidare. alii eundum in aciem, alii castra tuenda censent: movet pleroſque vastatio futura agrorum, ac deinceps cum levibus præsidiis urbium relictarum excidia. Itaque postquam inter multas sententias una, quæ omissâ curâ communium ad respectum suarum quemque rerum vertisset, audita; ut prima vigilia diversi è castris [c] ad deportanda omnia tuendaque mœnibus in urbes, abirent; cuncti eam sententiam ingenti assensu accepere. Palatis hostibus per agros, prima luce Romani signis prolatis in acie consistunt: & ubi nemo obvius ibat, pleno gradu adcastra hostium tendunt. Cæterum, postquam ibi neque stationes pro portis, nec quenquam in vallo, nec fremitum consuetum castrorum animadverterunt: insolito silentio moti, metu insidiarum subsistunt. transgressi deinde vallum, quum deserta omnia inveniissent, pergunt hostem vestigiis sequi: sed vestigia in omnes æque ferentia partes, ut in dilapsis passim; primo errorem faciebant, post, per exploratores compertis hostium consiliis, ad singulas urbes circumferendo bello, unum & quadraginta oppida intra dies quinquaginta, omnia oppugnando ceperunt: quorum pleraque diruta, atque incensa, nomenque Æquorum prope ad internecionem deletum. De Æquis triumphatum, [d] exemploque eorum clades fuit, ut [4] Marrucini, Marsi, Peligni, [5] Frentani, mitterent Romam oratores pacis petendæ, amicitiæque. iis populis fœdus petentibus datum.

XLVI. Eodem anno [1] C. Flavius Cn. filius scriba, patre libertino,

INTERPRETATIO.

c *Ut in oppida* quique *sua secederent*, *in qua* pretiosa & utilia *quæque conservarentur*, *intra muros* includenda, *& ibi defendenda.*

d *Et strages Æquorum documentum* vicinis populis *dedit* pacis petendæ.

NOTÆ.

2. *Quibus licuerit, suas Leges Romanæ Civitati præoptaverint.*] Indicantur *Alatrini*, *Ferentinates*, & *Verulani*, quibus id permissum, cap. 43.

3. *Pro pœna necessariam civitatem fore.*] *Anagninis*, nempe civitas sine suffragio data fuerat, c. 43. Quæ sanè subjectionem magis quàm societatem, & onus non honorem secum ferebat; ut pote nullâ honorum participatione concessâ.

4. *Marrucini.*] De his, deque Pelignis lib. 8. cap. 29.

5. *Frentani.*] Mare Superum, inter Marrucinos & Apulos accolebant per 80. fermè milliaria *Frentani*, Samnitica gens, à Frentone fortè fl. sic dicti, qui vulgò *Fortore*. Is enim initio eorum terminus ad Orientem æstivum; quanquàm postea quæ à Tiferno ad Frentonem jacent Apulis sunt attributa: inter eorum oppida *Histonium*, & Anxanum. Nunc pars sunt Apruzii Citerioris, provinciæ regni Neapolitani.

1. C. *Flavius.*] Cnejum, & Cneii filium vocat Cic. l. 1. de Orat. & alibi. Cnejus quoque est Pomponio Jur. Conf. & Gell. qui patrem ejus Annium nominat.

humi.

humili fortuna ortus, cæterum callidus vir & facundus, ædilis curulis fuit. Invenio in quibuſdam annalibus, [2] [1] quum appareret ædilibus, [2] [v] fierique ſe pro tribu ædilem videret, [3] neque accipi nomen, quòd ſcriptum faceret, tabulam poſuiſſe, & juraſſe, [4] *ſe ſcriptum non facturum*. quem aliquanto antea deſiiſſe ſcriptum facere arguit [5] Macer Licinius, tribunatu ante geſto, triumviratibuſque; [6] nocturno altero, [7] altero coloniæ deducendæ. Cæterum (id quod haud diſcrepat) contumaciâ adverſus contemnentes humilitatem ſuam nobiles certavit. [8] civile jus repoſitum in penetralibus pontificum evulgavit, faſtoſque circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur: ædem Concordiæ in area Vulcani ſumma invidia nobilium dedicavit; coactuſque conſenſu populi Cornelius Barbatus [9] Pontifex maximus verba præire, quum more majorum negaret, niſi Conſulem aut imperatorem poſſe

Urb. cond. an. 449. Coſſ. P. Sulpic. & P. Sempron.

INTERPRETATIO.

[2] *Cum eſſet miniſter* ſeu apparitor *Ædilium*, & ante quam tribus in ſuffragia mitterentur, provideret *ſe Ædilem creandum*, neque *ejus nomen* inter candidatos *recipi edique* à magiſtratu qui Comitiis præerat, eo *quòd ſcriba eſſet*; *depoſuiſſe tabulam in qua ſcribebat*, & *jurejurando affirmaſſe ſe in poſterum* non daturum operam Ædilibus, *ut* eorum *acta componeret*.

NOTÆ.

2. *Fierique ſe pro tribu Ædilem videret*.] Rem totam deſcribit ex Piſone veteri hiſtorico A. Gellius lib. 6. cap. 9. *Cn. Flavius patre libertino natus ſcriptum faciebat: iſque in eo tempore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles ſubrogantur. Eumque primæ tribus Ædilem Curulem renunciaverunt. At Ædilis, qui Comitia habebat, negat accipere: neque ſibi placere, qui ſcriptum faceret, eum Ædilem fieri. Cn. Flavii Anniifilius, dicitur tabulas poſuiſſe, ſcripturum ſeſe abdicaſſe. Iſque Ædilis Curulis factus eſt*.

3. *Neque accipi nomen*.] Nomen alicujus accipi, ejuſque rationem haberi dicitur is, cujus petitionem legitimam judicans magiſtratus qui Comitiis præeſt, eum inter Candidatos populo nominat: ut ex noſtro non uno loco probari poteſt.

4. *Se ſcriptum non facturum*.] Scribæ, qui ſingulis magiſtratibus apparebant, Librarii erant ex Feſto, qui rationes publicas ſcribebant in tabulis. Et hoc erat *ſcriptum facere*.

5. *Macer Licinius*.] De hoc Hiſtorico dictum lib. 4. cap. 7. & 20. &c.

6. *Nocturno altero*.] Apud veteres incendiis arcendis *Triumviri* præerant; qui excubias agebant, dictique idcirco ſunt *nocturni*. Erat autem familia publica circa portas & muros diſpoſita: unde ſi opus eſſet, vocabatur. Poſtea huic rei præfectum Vigilum præpoſuit Auguſtus.

7. *Altero Coloniæ deducendæ*.] Facto Senatuſconſulto aut lege de Colonia deducenda, ſcriptoque numero Colonorum: per Conſulem Prætoremve, Curatores, qui deducerent, creabantur Comitiis tributis, plerunque tres, ſæpè majori numero, unde Triumviri, Quinqueviri, &c. Coloniæ deducendæ appellati.

8. *Civile jus repoſitum in penetralibus Pontificum*.] Hac de re Cic. pluribus locis: atque in primis Pomponius Juris-Conſultus lege 2. dig. de Orig. Jur. atque hanc Flavio cauſam honorum fuiſſe ſcribit, quod ſubreptum Appio Claudio librum Actionum populo tradidiſſet. Hinc librum illum appellarunt *Jus Civile Flavianum*.

9. *Pontifex Maximus verba præire*.] Hic dedicandorum Templorum mos apud veteres Romanos fuit, ut Magiſtratus preces conciperet ſecundum verba Pontificis maximi. Vide quæ de Capitolii dedicatione lib. 2. cap. 8. Id in devotione quoque ſervatum lib. 8. c. 9.

Urb. cond. an. 449. Coss. P. Sulpic. & P. Sempron.

templum dedicare. Itaque ex auctoritate senatus latum ad populum est, *ne quis templum aramve injussu senatus aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret*. Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit adversus superbiam nobilium plebejæ libertatis, referam. Ad collegam ægrum visendi causa Flavius quum venisset, consensuque nobilium adolescentium, qui ibi assidebant, [10] assurrectum ei non esset; [11] curulem afferri sellam eo jussit, ac sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit. Cæterum Flavium dixerat ædilem [12] forensis factio, Ap. Claudii censurâ vires nacta, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat. & posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, [13] nec in curia adeptus erat, quas perierat opes urbanas; humilibus per omnes tribus divisis forum & campum corrupit. tantumque Flavii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium [14] annulos aureos & phaleras deponerent. Ex eo tempore in duas partes discessit civitas. aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat; donec Q. Fabius & P. Decius censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent; omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit. adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt: ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. Ab eodem institutum dicitur, ut equites idibus Quintilibus transveherentur.

NOTÆ.

10. *Assurrectum ei non esset.*] Honoris apud omnes fermè gentes indicium, *venienti assurgere*: quod observantiæ genus non solùm Magistratibus, sed & Senioribus delatum à junioribus. Hinc de Laconibus Satyricus.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum.
Si vetulo juvenis non assurrexerat.

11. *Curulem afferri sellam.*] Narratur hoc quoque Flavii factum apud Gell. loco paulo antè laudato.

12. *Forensis factio.*] Eam plebejorum partem intelligit Sigon. libr. de jure ant. Civ. Rom. cap. 13. quæ à Cic. *urbana plebs* nominari solet. Sasius autem in Catal. leg. antiq. *libertinos* interpretatur, qui, cùm magno numero essent, assidueque in foro versarentur, in Comitiis planè dominabantur, plebe ingenuâ colendis agris occupatâ. Livius ipse mentem suam satis explicat, cum subjicit *humilibus per omnes Tribus divisis* ab Appio Claudio Censore, corruptum esse forum, & Campum Martium.

13. *Nec in Curia adeptus erat, quas potierat opes urbanas.*] *Opes* sive potentia Optimatum apud Romanos è duplici fonte, ex urbanis actionibus, aut ex militaribus. Appius speraverat urbanas opes adepturum, atque intrusis in Senatum Libertinis, regnaturum in Curia, ob ingentem sibi eo beneficio obnoxiorum Senatorum numerum. Id frustra fuerat, exclusis ex albo Senatoribus, quicumque ab eo allecti. Speraverat quoque Sparsis humilioribus per tribus, summam potentiam in Comitiis habiturum. Verùm hi quoque omnes ex tribubus priscis detracti, atque in quatuor redacti à Fabio, ut hic dicitur.

14. *Annulos Aureos.*] His initio ne equites quidem usi: post equitum proprium insigne fuerunt, qua priùs ferreos gestabant. Tandem omnibus permissi, etiam Libertinis ex rescripto imperatorum: imò & citra rescriptum Constitutione Justiniani.

FINIS LIBRI NONI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

LIBER DECIMUS.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

COLONIÆ deductæ sunt Sora ac Alba. Carseoli Marsi in deditionem accepti. Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, cum antea quaterni fuissent. Lex de provocatione ad populum, à Valerio consule tunc tertium lata est. Duæ tribus adjectæ sunt, Aniensis & Terentina. Samnitibus bellum indictum; & adversus eos sæpe prospere pugnatum. Quum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio & Q. Fabio ducibus, pugnaretur, Romanusque exercitus in maximo esset discrimine, P. Decius, secutus exemplum patris, devovit se pro exercitu, & morte sua victoriam ejus pugnæ populo Romano dedit. Papirius Cursor, Samnitium exercitum, qui jurejurando obstrictus, quo majore constantia virtutis pugnaret, in aciem descenderat, fudit. Census actus est. lustrum conditum. censa sunt civium capita ducenta sexaginta duo millia, & trecenta viginti duo.

1. LUCIO Genucio, Ser. Cornelio Consulibus, ab externis ferme bellis otium fuit. Soram atque Albam coloniæ deductæ. [1] Albam in Æquos sex millia colonorum scripta. [2] Sora agri Volsci fuerat; sed

Urb. cond. an. 450. Coss. L. Genuc. & Ser. Cornel.

NOTÆ.

1. *Albam in Æquos.*] *Albam Fucentis* intellige, quæ 3. milliari à Fucino lacu, nomen adhuc retinet in ruinis, vulgò *Albe*, vel *Albi*. Ab ea *Albenses*, ut ab Alba Longa Albani. In colle sita & munita fuit, ibique detenti custodiæ causâ illustres Captivi ut Perses & Bituitus, ille Macedonum, hic Arvernorum Rex. Reverà in Marsis fuit, ut Cæsar, Pompejus Festus, aliique tradunt, situsque ipse demonstrat. Nam Fucinus lacus, ad quem ea sita in meditullio fermè Marsici agri. Livius in Æquis ponit, eodem errore, quo paulò post Carseolos, qui Æquorum erant, Marsis adscribit. Nisi finitimorum populorum fines bellis sæpe mutati.

2. *Sora agri Volsci.*] Videtur *Sora* coloniam jam anteà accepisse: cum Liv. lib. superiori memoraverit ad an. 439. eam ad Samnites defecisse *interfectis Colonis Romanorum*.

Urb. cond. an. 450. Coss. L. Genuc. & Ser. Cornel.

possederant Samnites. eo quatuor millia hominum missa. Eodem anno Arpinatibus 3 Trebulanisque civitas data. 4 Frusinates tertia parte agri damnati, quod Hernicos ab eis solicitatos compertum: capitaque conjurationis ejus, quæstione ab consulibus ex Senatusconsulto habita, virgis cæsi ac securi percussi. Tamen. a ne prorsus imbellem agerent annum, parva expeditio in Umbria facta est: quod nunciabatur ex spelunca quadam excursiones armatorum in agros fieri. In eam speluncam penetratum cum signis est: & ex eo loco obscuro multa vulnera accepta, maximeque lapidum ictu; donec altero specus ejus ore (nam pervius erat) invento, utræque fauces congestis lignis accensæ: ita intus fumo ac vapore ad duo millia armatorum, ruentia novissime in ipsas flammas, dum evadere tendunt, absumpta. M. Livio Dentre, 5 & Æmilio consulibus redintegratum Æquicum bellum. Coloniam ægre patientes velut arcem suis finibus impositam, summa vi expugnare adorti, ab ipsis colonis pelluntur. Cæterum tantum Romæ terrorem fecere, quia vix credibile erat, tam affectis rebus solos per se Æquos ad bellum coortos; ut tumultus ejus causa dictator diceretur C. Junius Bubulcus: is cum M. Titinio magistro equitum profectus, primo congressu Æquos subegit, ac die octavo triumphans in urbem quum rediisset, 6 ædem Salutis, quam Consul voverat, censor locaverat, dictator dedicavit.

Urb. cond. an. 451. Coss. M. Liv. & M. Æmil.

5.

10

15

20

II. Eodem anno classis Græcorum, 1 Cleonymo duce Lacedæmonio, ad Italiæ litora appulsa, 2 Thurias urbem in Salentinis cepit. Adver-

INTERPRETATIO.

a *Ne* Consules *annum* suum *otiosum à bello peragerent*.

NOTÆ.

3. *Trebulanisque*.] *Trebulas* in Italia invenio plures: duas in Sabinis, quarum alia cognomine *Mutusca*, septem passuum millibus ab urbe Reate: quæ nunc *Monte Leone* Cluverio: alia *Suffena*, cujus situs ignoratur. Tertia fuit in Campania, cujus idem Cluverius situm fuisse conjicit inter veteris Capuæ ac Suessulæ ruinas, ubi nunc vicus *Trentula*; unde Trebulani cognomine *Balimienses*; & Ciceronis Trebulanum. De hac intelligendum puto Livium hoc loco, tum quòd iis regionibus propiores in quibus hoc tempore Romani bellum gerebant; tum quòd Arpinatibus vicini, quorum hic mentio.

4. *Frusinates*.] Ab oppido Volscorum *Frusinone*, quòd vulgò nunc *Fraselone*, ad Cosam fl.

5. *Et Æmilio Coss.*] Prænomen hujus Æmilii apud Cassiodorum est *Cajus*; sed idem Marcus est Diodoro; cui potiùs credendum Sigonius arbitratur, quòd præsertim anno sequenti à nostro Magister Equitum *M. Æmilius* nominatur, quem eundem esse putat cum hoc Consule. Gronovius suspicatur hic scriptum à nostro *Marcis Livio Dentre, & Æmilio*: quod valde probabile.

6. *Ædem Salutis*.] In colle Quirinali fuit Templum *Salutis*: unde & Collis ipse, & vicina Porta *Salutaris* dicta.

1. *Cleonymo Duce Lacedæmonio.*] *Cleonymus* hic ex Regia Eurysthenidarum, sive Agidarum stirpe erat, Cleomenis junioris Regis filius, qui cum Areo Acrotati fratris majoris filio de regno contendit, Pyrrhumque in Laconicam evocavit: pater Leonidæ posterioris.

2. *Thurias urbem in Salentinis.*] In magna Græcia, & Lucanorum Brutiorumque confinio ad sinum Tarentinum fuit

ſus hunc hoſtem Conſul Æmilius miſſus, prælio uno fugatum compulit in naves. Thuriæ redditæ veteri cultori: Salentinoque agro pax parta. Junium Bubulcum dictatorem miſſum in Salentinos, in quibuſdam annalibus invenio: & Cleonymum prius quam conſligendum eſſet cum Romanis, Italia exceſſiſſe. circumvectus inde 3 Brunduſii promontorium, medioque ſinu Hadriatico ventis latus, quum læva importuoſa Italiæ litora, dextra 4 Illyrii Liburnique & Iſtri, gentes feræ, & magna ex parte latrociniis maritimis infames, terrerent; penitus ad litora Venetorum pervenit: ibi expoſitis paucis qui loca explorarent, quum audiſſet 5 tenue prætentum litus eſſe, quod tranſgreſſis ſtagna ab tergo ſint 6 irrigua æſtibus maritimis, agros haud procul proximos campeſtres cerni: ulteriora colles: inde eſſe oſtium fluminis prærupti, quo circumagi naves in ſtationem tutam vidiſſe: 7 (Meduacus amnis erat) eo invectam claſſem ſubire flumine adverſo juſſit. Graviſſimas navium non pertulit alveus fluminis. in leviora navigia tranſgreſſa multitudo armatorum, ad frequentes agros tribus maritimis Patavinorum vicis, colentibus eam oram, pervenit. Ibi egreſſi, levi præſidio navibus relicto, vicos expugnant, inflammant tecta, hominum pecudumque prædas agunt; & dulcedine prædandi longius uſque à navibus pro-

Urb. cond. an. 451. Coſſ. M. Liv. & Æmil.

NOTÆ.

Sybaris urbs quondam potentiſſima, Achæorum opus; à Crotoniatis everſa: deinde à cive ſuo Theſſalo reſtituta; tum rurſus ab Athenienſibus aliiſque Græcis deleta: qui in alium locum vicinum translatam, *Thurium* ab ejus nominis fonte dixerunt. Vocabatur & plurali numero *Thurii*, aut *Thuria*, tandemque *Copia* appellata eſt à Romanis Coloniam eò deducentibus. Sita fuit inter Crathin & Sybarin amnes; ubi nunc *Torre del Cuppo*, ex Cluver. aut ubi rudera adhuc ad Sybaris oſtia, nomen ſervant. Vocantur enim *Sibari rovinata*. At *Thurias* in Salentinis nemo locavit. Fortè error irrepſit & *Rudias* ſcripſit Livius, quod oppidum Ennii Poetæ patria, reverà Salentinorum, non quidem ad litus, ſed paucis ab eo paſſuum millibus, Tarentum inter & Uriam, nunc *Ruja*.

3. *Brunduſii Promontorium.*] Ad Brunduſinum portum Promontoria duo, ſed exigua, nec alicujus nominis. Indicatur, opinor, *Salentinum*, ſeu *Japigium* Promontorium, nunc *Capo di Leuca*, quod Tarento Adriaticum mare petentibus ſuperandum. Eſt enim hic oræ Italiæ extremus ad Orientem excurſus, *Brunduſium* autem, vulgò *Brindiſi*, non propriè in Salentinis, ſed in ea Meſſapiæ parte quæ *Calabria* ſtrictiùs ſumpto nomine appellatur.

4. *Illyrii, Liburnique, & Iſtri.*] De his ſuo loco pleniùs. Notandum tantùm Illyriorum nomine, quod generale eſt, intelligi ſpeciatim Dalmatas, qui Liburnos inter, & Macedones interjecti.

5. *Tenue prætentum litus eſſe.*] Planum eſt Venetiæ litus, nec Montibus tumuliſve præmunitum; & ab antiquiſſimis temporibus tectum paludibus fuit ac Stagnis, quæ partim ex Pado, Atheſi, & aliis fluminibus; partim ex ipſo naſcuntur, tanta aquarum copia, ut *ſeptem Maria* dicta ſint.

6. *Irrigua æſtibus maritimis.*] Teſtatur Strabo lib. 5. oram Venetorum ſolam propemodùm eſſe Mediterranei maris, in qua Oceani more æſtus marini fiant.

7. *Meduacus.*] Duplex eſt *Meduacus* amnis ex Rhetia in intimum ſinus Adriatici receſſum influens, major, & minor, qui Patavium alluit. Inter utrumque veteribus temporibus fuit Pagus Trojanus. Major hodie, *Brenta*: Minor *Bacchiglione* vocatur.

Urb. cond. an. 451. Coss. M. Liv. & M. Æmil.

cedunt. Hæc ubi 8 Patavium sunt nunciata (semper autem 8 eos in armis accolæ Galli habebant) in duas partes juventutem dividunt. altera in regionem, qua effusa populatio nunciabatur: altera, ne cui prædonum obvia fieret, altero itinere ad stationem navium (millia autem quindecim ab oppido aberat) ducta. In naves parvas, custodibus interemptis, impetus factus: territique nautæ coguntur naves in alteram ripam amnis transfugere. & in terra prosperum æque in palatos prædatores prælium fuerat: refugientibusque ad stationem Græcis, Veneti obsistunt. Ita in medio circumventi hostes cæsique, pars capti, classem indicant, regemque Cleonymum tria millia abesse. Inde captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte planis alveis fabricatas; pars captiva navigia armatis complent: profectique ad classem, immobiles naves, & loca ignota plus quam hostem timentes, circumvadunt: fugientesque in altum aeriùs quam repugnantes, usque ad ostium amnis persecuti, captis quibusdam incensisque navibus hostium, quas trepidatio in vada intulerat, victores revertuntur. Cleonymus vix quinta parte navium incolumi, nulla regione maris Hadriatici prospere adita, discessit. rostra navium spoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa, multi supersunt qui viderunt. Patavii monimentum navalis pugnæ eo die, qua pugnatum est, quotannis solenni certamine navium 9 in flumine oppidi medio exercebatur.

III. Eodem anno Romæ 1 cum Vestinis, petentibus amicitiam, ictum est fœdus. Multiplex deinde exortus terror. Etruriam rebellare, ab Aretinorum seditionibus motuorto, nunciabatur: ubi b « Cilnium genus præpotens, divitiarum invidiâ pelli armis cœptum: simul Marsos agrum vi tueri; in quem colonia 2 Carseoli deducta erat, quatuor millibus hominum

INTERPRETATIO.

a Patavini *verò* semper *ad bellum parati esse cogebantur propter assiduos vicinorum Gallorum insultus.*

b *Opibus supra cæteras eminens familia Cilniorum.*

NOTÆ.

8. *Patavium.*] Meduacus minor *Patavium* alluit, major præterfluit; urbem antiquissimam, quam ab Antenore Trojano conditam volunt fabulatores. Cluverius in eo nomine Celticam formationem agnoscit: sed ne Venetis Gallis hoc decus ascribat (quod Strabo velle videtur) maluit ad Illyrios confugere. Olim Venetiæ caput: nunc Academia illustris, vulgò, *Padoa.*

9. *In flumine oppidi medio.*] In Meduaco minori, qui per mediam urbem labitur.

1. *Cum Vestinis.*] Inter Samnitici generis populos *Vestini* fuere, Matrino fl. à Picenis agroque Hadriano; Aterno à Marrucinis & Pelignis divisi: quorum oppida præcipua *Pinna*, hodie, *Civita di Penna*: & *Angulus*, vulgò, *Civita di S. Angelo*, in Aprutio ulteriori, & Regno Neapolitano.

2. *Carseoli.*] Viâ Valeriâ trib. pass. millib. à dextra Anienis ripa fuere *Carseoli*, nunc vulgò *Arsuli*, in Campania Romana. Oppidum fuit Æquorum, seu Æquiculorum, ut ipse Livius scribit initio cap. 14. Mirum ni Albam hìc dicere voluit Livius: cùm eò jussam de-

ſcriptis. Itaque propter eos tumultus, dictus M. Valerius Maximus dictator, magiſtrum equitum ſibi legit 3 M. Æmilium Paulum, id magis credo, quam 4 Q. Fabium ea ætate atque eis honoribus, Valerio ſubjectum. cæterum 5 ex Maximi cognomine ortum errorem haud abnuerim. 5 Profectus dictator cum exercitu, prælio uno Marſos fundit. compulſis deinde in urbes munitas, 6 Milioniam, Pleſtinam, Freſiliam, intra Urb. cond. an. 452. Dictat. M. Val. Max.

NOTÆ.

duci Coloniam cap. 1. ſcripſerit. Coloniæ verò Carſeolos deductæ hactenus non meminerit; ſed poſt annum abhinc quartum dicto cap. 14. Alioqui dicendum erit colonis Carſeolos miſſis aſſignatos in vicinorum Marſorum finibus agros, quod fortè non ſufficeret quatuor millibus civium Romanorum territorium Carſeolanum: non ſecus ac Cremonenſibus colonis aſſignati agri in Mantuano, tempore Auguſti, quæ cauſa Virgilianæ querelæ.

Mantua væ miſeræ nimiùm vicina Cremonæ.

3. *M. Æmilium Paulum.*] Notandum ſemel ex Sigonio *Paullum* ſcribi duobus *l*, ut lapides Capitolini, & nummi argentei docent.

4. *Q. Fab. eâ ætate atque eis honoribus.*] Cùm veterum hiſtoriæ Romanæ ſcriptorum, alii Q. Fabium Rullianum, alii M. Æmilium à M. Valerio Dictatore magiſtrum equitum dictum traderent: auctor noſter horum ſententiam præponit, quod minùs veriſimile videatur Fabium, non ſolùm majorem ætate, ſed omnibus ſummis honoribus functum, ad minorem dignitatem ſub Valerio gerendam vocatum.

5. *Ex Maximi cognomine ortum errorem.*] Rem perplexam non ſatis explicat Livius. Id enim tantùm indicat errorem aliquem inter veteres ſcriptores ex eo natum quòd tam Fabio quàm Valerio commune eſſet Maximi cognomen. In quo error ille verſaretur divinandum nobis reliquit. Ad hunc labyrinthum extricandum lucem præferunt Sigonius & Pighius; qui ductâ ex Capitolinorum lapidum fragmentis conjecturâ volunt an. 452. dictos illos fuiſſe Dictatores ſine Conſulibus, primò Q. Fab. Max. Rullianum iterum; magiſtro equitum M. Q. Æmilio; deinde *Valerium Corvum*, iterum quoque, cui P. Sempronius Sophus magiſter equitum fuerit. Negant enim aliter conſtare poſſe temporum rationem: veluti ut, Cn. Fulvius Centumalus conſulatu ſuo, id eſt, an. 455. triumphaverit; quod à noſtro traditur; atque ut, quod obſervatum eſt à Cicerone de Senectute, inter duos Appii Cæci conſulatus anni decem interfuerint. Error itaque auctorum in eo eſſe potuit, ut cùm eodem anno Valerium & Fabium, utrumque Maximum cognomine, in ſummo magiſtratu legerent in faſtis; nec facilè contingeret, ut duo intra ejuſdem anni metas Dictatores crearentur; unum ex his, nempe Valerium Dictatorem fuiſſe putaverint; alterum, Fabium ſcilicet, tanquam equitum magiſtrum ei adjunxerint.

6. *Milioniam, Pleſtinàm, Freſiliam.*] *Milionia*, ſeu Milonia à Romanis capta de Samnitibus narratur infrà cap. 34. *Pliſtia* autem, obſeſſa & oppugnata in Samnitium ditione ſcribitur lib. 9. c. 21. Hinc Glar. erraſſe Livium arguit, quòd hæc loca nunc Marſis, alibi Samnitibus adſcribat. Sigonius verò exiſtimat diverſa eſſe oppida, & Miloniam ac Pliſtiam Samnitium eſſe; Marſorum verò Milioniam & Pleſtinam. Nihil tamen affert quo hanc diverſitatem affirmet. Et lib. 9. *Pliſtiam* non Samnitium urbem, ſed Romanorum Sociam noſter dicit: eandemque hiſtoriam narrans Diodorus urbem vocat Πλειστίαν; unde Cluverius verum nomen *Pleſtinam* fuiſſe conjicit. Et quamvis Stephanus *Miloniam* inter Samnitium urbes numeret: hæc tamen loca in Marſorum regione ad confinia Samnitium & Pelignorum ponit. Neque his obſtat, quod nonnunquam Samnitibus attributa legantur, iis ſcilicet temporibus, quibus Marſi in partibus Samnitium erant. In eorum

Urb. cond. an. 452. Dictat. M. Valer. Max.

dies paucos cepit: & parte agri mulctatis Marſis, fœdus reſtituit. Tum in Etruſcos verſum bellum, & quum dictator auſpiciorum repetendorum cauſa profectus Romam eſſet; magiſter equitum pabulatum egreſſus, ex inſidiis circumvenitur, ſigniſque aliquot amiſſis, fœda militum cæde ac fuga in caſtra eſt compulſus. qui terror non eo tantum à Fabio abhorret, quod ſi qua alia arte cognomen ſuum æquavit, tum maxime bellicis laudibus: ſed etiam, quod memor Papirianæ ſævitiæ, nunquam, ut dictatoris injuſſu dimicaret, adduci potuiſſet.

IV. Nunciata ea clades Romam, majorem quam res erat, terrorem excivit. nam ut exercitu deleto, ita juſtitium indictum: cuſtodiæ in portis, vigiliæ vicatim exactæ: arma, tela in muros congeſta. Omnibus junioribus ſacramento adactis, dictator ad exercitum miſſus, omnia ſpe tranquilliora & compoſita; magiſtri equitum curâ, caſtra in tutiorem locum redacta; cohortes, quæ ſigna amiſerant, extra vallum ſine tentoriis deſtitutas, invenit; exercitum avidum pugnæ quo maturius ignominia aboleretur. Itaque confeſtim caſtra inde [1] in agrum Ruſellanum promovit. Eo & hoſtes ſecuti. & quanquam ex bene geſta re, ſummam & in aperto certamine virium ſpem habebant: tamen inſidiis quoque, quas feliciter experti erant, hoſtem tentant. Tecta ſemiruta vici per vaſtationem agrorum deuſti haud procul caſtris Romanorum aberant. ibi abditis armis, pecus in conſpectu præſidii Romani, cui præerat Cn. Fulvius legatus, propulſum. ad quam illecebram quum commoveretur nemo ab Romana ſtatione; paſtorum unus progreſſus ſub ipſas munitiones, inclamat alios cunctanter ab ruinis vici pecus propellentes, quid ceſſarent, quum per media caſtra Romana tuto agere poſſent? Hæc cum legato Cærites quidam interpretarentur, & per omnes manipulos militum ingens eſſet indignatio, nec tamen injuſſu movere ſe auderent; jubet peritos linguæ attendere animum, paſtorum ſermo agreſti an urbano proprior eſſet. Quum referrent ſonum linguæ, & corporum habitum, & nitorem, cultiora quam paſtoralia eſſe: *ita igitur, dicite*, inquit, *degregant nequicquam conditas inſidias: omnia ſcire Romanum: nec magis jam dolo capi, quam armis vinci poſſe.* Hæc ubi audita ſunt, & ad eos qui conſederant in inſidiis perlata, conſurrectum repente ex latebris eſt, & in patentem ad conſpectum undique campum prolata ſigna. Viſa legato major acies, quam quæ ab ſuo præſidio ſuſtineri poſſet. itaque propere ad dictatorem auxilia accitum mittit, interea ipſe impetus hoſtium ſuſtinet.

NOTÆ.

regione, & Comitatu Moliſii opp. *Megliano*; ad fines eorundem verſus Meridiem locum *Pelettino* invenio, ad ortum *Prezza*; quæ tria cum veterum *Milionia*, *Pleſtina*, *Freſilia* nonnullam habere videntur nominum affinitatem.

1. *In agrum Ruſellanum.*] Ultra Vmbronem Româ proficiſcentibus, interque eum fluvium ac Prilem lacum fuere olim *Ruſella*, unumè duodecim primariis Tuſcorum oppidis; cujus memoriam ſervant *aquæ Ruſellanæ*, vulgò, *Bagni di Roſelle*. Ruinæ haud procul viſuntur, ſed ruinæ duntaxat.

V. Non-

V. Nuncio allato, dictator ſigna ferri ac ſequi armatos jubet. ſed ce- Urb. cond. an. 452. Dictat. M. Valer. Max.
leriora prope omnia imperio erant. Rapta extemplo ſigna armaque, & vix ab impetu & curſu tenebantur, quum ira ab accepta nuper clade ſtimulabat, tum concitatior accidens clamor ab increſcente certamine. Urgent itaque alii alios, hortanturque ſigniferos, ut ocyus eant, quo magis feſtinantes videt dictator, eo impenſius retentat agmen, ac lenſim incedere jubet. Etruſci contra, principio exciti pugnæ, omnibus copiis aderant: & ſuper alios alii nunciant dictatori omnes legiones Etruſcorum capeſſiſſe pugnam: nec jam ab ſuis reſiſti poſſe, & ipſe cernit ex ſuperiore loco, in quanto diſcrimine præſidium eſſet. Cæterum a ſatis fretus eſſe etiam nunc tolerando certamini legatum, nec ſe procul abeſſe periculi vindicem, quam maxime vult fatigari hoſtem, ut integris adoriatur viribus feſſos. Quanquam lente procedunt, jam tamen ad impetum capiendum equiti utique modicum erat ſpatium. prima incedebant ſigna legionum, ne quid occultum aut repentinum hoſtis timeret: ſed reliquerat intervalla inter ordines peditum, qua ſatis laxo ſpario equi permitti poſſent. Pariter ſuſtulit clamorem acies: & 1 emiſſus eques libero curſu in hoſtem invehitur, incompoſitiſque adverſus equeſtrem procellam, ſubitum pavorem offundit. Itaque ut prope ſerum auxilium jam penè circumventis, ita b 2 univerſa requies data eſt. integri accepere pugnam: nec ea ipſa longa aut anceps fuit. Fuſi hoſtes caſtra repetunt, inſerentibuſque jam ſigna Romanis cedunt, & in ultimam caſtrorum partem conglobantur. Hærent fugientes in anguſtiis portarum: pars magna aggerem vallumque conſcendunt, ſi aut ex ſuperiore loco tueri ſe, aut ſuperare aliquà & evadere poſſent. Forte quodam loco male denſatus agger pondere ſuperſtantium in foſſam procubuit: atque ea quum *Deos pandere viam fugæ* conclamaſſent, plures inermes quam armati evadunt. Hoc prælio fractæ iterum Etruſcorum vires: & pacto annuo ſtipendio, & duûm menſium frumento, permiſſum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam. Pax negata; induciæ biennii datæ. dictator triumphans in urbem rediit. Habeo auctores, ſine ullo memorabili prælio pacatam ab

INTERPRETATIO.

a *Confidens legatum* Cn. Fulvius, *adhuc ſuſtinendo prælio* parem eſſe.

b *Effectum eſt, ut ſtatim à certamine undique omnino ceſſare licuerit.*

NOTÆ.

1. *Emiſſus eques.*] Ita meliores Codices, & meliùs quàm ii qui habent, *immiſſus*. Vult enim equitatum poſtremæ ex acie, ubi poſt legiones latebat, ſubitò per earum intervalla adverſùs hoſtes nihil tale metuentes emiſſum. Et noſter ſic loqui amat, ut lib. 7. *Eques deinde emiſſus turbatos avertit.*

2. *Univerſa requies.*] Sic lib. 4. *Spem univerſæ victoriæ præcipere.* Item lib. 22. *Neque univerſo periculo ſummâ rerum committebatur.* Quæque alia Gronov. obſervat. Cave itaque ne emendatius putes ita, *univerſis requies data eſt.*

dictatore Etruriam esse: seditionibus tantum Aretinorum compositis, & Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto. Consul ex dictatura factus M. Valerius. non petentem, atque adeo etiam absentem, creatum credidere quidam: & 3 per interregem ea comitia facta. id unum non ambigitur, consulatum cum Appulejo Pansa gessisse.

Urb. cond. an. 453. Coss. Q. Appul. & M. Valer.

VI. M. Valerio & Q. Appulejo consulibus satis pacatæ foris res fuêre. 1 Etruscum adversæ belli res, & induciæ quietum tenebant: Samnitem, multorum annorum cladibus domitum, haud dum fœderis novi pœnitebat. Romæ quoque plebem quietam & exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat. tamen ne undique tranquillæ res essent, certamen injectum inter primores civitatis, patricios plebejosque, ab tribunis plebis Q. & Cn. Ogulniis. qui undique criminandorum Patrum apud plebem occasionibus quæsitis: postquam alia frustra tentata erant, 2 eam actionem susceperunt, qua non infimam plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, consulares triumphalesque plebejos: quorum honoribus nihil, præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, *ut quum* 2 *quatuor augures*, 3 *quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum; quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes adlegerentur*. Quemadmodum ad quatuor augurum numerum, 4 nisi morte duorum id redigi collegium potuerit, non

INTERPRETATIO.

2 *Susceperunt agitandum in Comitiis, quod primores plebis commoveret.*

NOTÆ.

3. *Per interregem ea Comitia facta.*] Sigonio placet *Comitia habita*, quod sanè magis tritum: sed noster *Comitia perfecta* hoc ipso lib. dicit, Quidni & *facta*?

1. *Etruscum adversa belli res.*] Ex variis lectionibus movetur Gronovius, ut Livium scripsisse putet *Etruscum adversa belli & inducia quietum tenebant*. Ita *adversa belli*, ut apud eundem, *incerta belli*.

2. *Quatuor augures.*] A Romulo trium tantùm Augurum collegium fuit institutum, uno ex unaquaque Tribu delecto. Onuphrius tribus illis quartum à Servio Tullio adjectum fuisse conjicit, cùm is urbem in Tribus quatuor divisisset: sed noster mox adjicit impari numero creari solitos, quo posito videntur duo tribus primis simul adjiciendi fuisse.

3. *Quatuor Pontifices.*] Hunc Pontificum numerum Numa instituerat.

4. *Nisi morte duorum.*] Quod Livius fait se non invenire quomodò collegium Augurum ad quatuor numerum redigi potuerit, nisi morte duorum: id equidem quomodo consequentibus cohæreat, non invenire me fateor. Si enim impar Augurum numerus esse debet, ut ipse subjicit, vel quinque, vel septem antea fuerint oportet; & sic non duorum, sed vel unius, vel trium morte, ad quaternarium numerum redigi potuerunt: si deinde tres antiquæ Tribus pari inter se numero Augures multiplicaverant, ut mox subjungitur, jam ex tribus Auguribus sex facti erant, nec disparat numerus. Denique quomodo pari numero nunc multiplicati sunt, cùm ad quatuor adjecti sint quinque: hæc meo quidem judicio stare non possunt, nec aliter conciliari, quàm si vox *imparem* corrigatur, ità ut legamus vel divisis vocabulis *in parem numerum*, vel ità *parem numerum debere esse*, ut tres antiquæ Tribus suum quæque Augu-

invenio: quum inter augures conſtet imparem numerum debere eſſe, ſ ut tres antiquæ tribus, Ramnes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque augurem habeant: aut ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero ſacerdotes multiplicent: ſicut multiplicati ſunt, quum ad quatuor quinque adjecti novem numerum, ut terni in ſingulas eſſent, expleverunt. Cæterum, quia de plebe adlegebantur, juxtà eam rem ægre paſſi Patres, quam quùm [b] conſulatum vulgari viderent. Simulabant ad Deos id magis, quam ad ſe pertinere: *ipſos viſuros ne ſacra ſua polluantur. id ſe optare tantum, ne qua in rempublicam clades veniat.* Minus autem tetendêre, aſſueti jam tali genere certaminum vinci. & [c] cernebant adverſarios non id, quod olim vix ſperaverint, affectantes magnos honores; ſed omnia jam, in quorum ſpem dubiam erat certamen, tamen adeptos; multiplices conſulatus, cenſuraſque & triumphos.

Urb. cond. an. 453. Coſſ. M. Valer. & Q. Appul.

VII. Certatum tamen ſuadenda diſſuadendaque lege inter Ap. Claudium maxime ferunt, & inter Publium Decium Murem. qui cum eadem ferme de jure Patrum ac plebis, quæ [1] pro lege Licinia quondam contraque eam dicta erant, [a] cum plebejis conſulatus rogabatur, diſſeruiſſent; retuliſſe dicitur Decius parentis ſui ſpeciem, qualem cum multi, qui in concione erant, viderant; incinctum Gabino cultu, ſuper telum ſtantem, quo ſe habitu pro populo ac legionibus devoviſſet. *tum Publium Decium Coſ. 2 purum piumque Diis immortalibus viſum, æque ac ſi T. Manlius collega ejus devoveretur. eundem P. Decium, qui ſacra publica populi Romani faceret, legi rite non potuiſſe? id eſſe periculum, ne ſuas preces minus audirent*

INTERPRETATIO.

b *Cùm cernerent dignitatem Conſularem communicari cum vulgo.*

c *Videbantque Plebejos non ſolùm id aſſequutos, quod ab initio cùm ad majores dignitates aſpirarent, ſperare vix auſi fuerant;* ſed *eandem cunctis rebus petitos de quibus* inter utrunque ordinem *quantuncunque ambiguâ ſpe, certatum fuerat.*

a *Cùm lex ferebatur de Conſulatu plebeiis permittendo.*

NOTÆ.

rem habeant: ſic enim numeri paritas vel imparitas non ad ipſos Augures referatur, ſed ad proportionem cum veteribus illis tribubus, ad quas vel impari, vel pari numero Augures delecti pro variis temporibus fuêre: ità ut cùm initio tres fuerint, ſinguli ex ſingulis tribubus: poſteà duplicato numero ſex, duo nempe ex unaquaque illarum tribuum: nunc verò numero adhuc æqualiter pro ratione tribuum aucto, terni in quamque tribum deſignati fuerint, & ſic novem omnino extiterint. Atque hic numerus manſit uſque ad Syllæ Dictatoris tempora; qui conſtituit, ut tum Augures, tum Pontifices quindecim in poſterùm eſſent. Hac ratione omnia mihi plana videntur futura.

5. *Tres antiquæ Tribus.*] Vero nomine nunc *Tribus* nominat, quemadmodùm Plut. in Romulo, & Feſtus ac Pædianus; quas lib. 1. cap. 13. & 36. *centurias* vocaverat, ut obſervat Sigonius.

1. *Pro lege Licinia.*) Lex eſt Caji Licinii Stolonis de uno Conſule Plebejo, de qua lib. 6. cap. 35. 37. 39. & duob. ſeqq.

2. *Purum piumque Diis immortalibus viſum.*] Non minùs Diis acceptam fuiſſe eam Decii Plebeji Conſulis devotionem, quàm futura fuiſſet Manlii Conſulis *Patricii*.

Urb. cond. an. 413. Coſſ. M. Val. & Q. Appul.

Dii, quam Ap. Claudii, caſtius eum ſacra privata facere, & religioſius Deos colere, quam ſe? quem pœnitere votorum, quæ pro republica nuncupaverint tot conſules plebeji, tot dictatores, aut ad exercitus euntes, aut inter ipſa bella; Numerarentur duces eorum annorum, quibus plebejorum ductu & auſpicio res geri cœptæ ſunt: numerarentur triumphi. jam ne nobilitatis quidem ſuæ plebejos pœnitere. pro certo habere, ſi quod repens bellum oriatur, non plus ſpei fore ſenatui populoque Romano in patriciis, quam in plebejis ducibus. Quod quam ita ſe habeat, cui Deorum hominumve indignum videri poteſt, inquit, eos viros, quos vos ſellis curulibus, toga prætexta, 3 tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali laureaque honoraveritis, quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia inſignia adjicere? qui Jovis Optimi Maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus, in Capitolium aſcenderit, ſi conſpiciatur 4 cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriumve ex arce capiat? Cujus imaginis titulo conſulatus, cenſuraque, & triumphus, æquo animo legetur; ſi auguratum aut pontificatum adjeceritis, non ſuſtinebunt legentium oculi? Equidem (pace dixerim Deûm) eos nos jam populi Romani beneficio eſſe ſpero, qui ſacerdotiis non minus reddamus dignatione noſtra honoris, quam acceperimus; & Deorum magis, quam noſtra cauſa expetamus, ut quos privatim colimus, publice colamus.

NOTÆ.

3. *Tunica Palmata; & Toga Picta.*] De utroque genere ſic Feſtus: *Picta quæ nunc Toga dicitur, purpurea antea vocitata eſt, eaque erat ſine pictura.* Ac deinde: *Tunica autem Palmata à latitudine Clavorum dicebatur; quæ nunc à genere Picturæ appellatur.* Quibus verbis Tunicam Palmatam videtur cum Toga Picta, & Clavata veſte confundere: niſi forte quatenus alia Togæ, alia Tunicæ forma eſt, aliuſque uſus. Nec magis diſtinguit Iſidorus Orig. XXIX. 24. *Toga*, inquit, *Palmata dicebatur, quam merebantur ii qui reportabant de hoſtibus Palmas. Ipſa vocabatur & Toga Picta, eo quod Victorias cum Palmis intextas haberet.* Sanè Imperatorum temporibus *Palmatæ* nomen *de Toga Picta*, quæ Conſulibus dabatur, eſt accipiendum. At tempore Reip. diverſa fuiſſe hæc ornamenta, vel ex hoc ipſo Livii loco intelligi poteſt: quanquam generali Pictæ veſtis nomine comprehendi Palmatas puto, ſic dictas à Palmæ arboris figuris acu delineatis; cum Pictæ appellarentur quæ alias quoque formas rerum expreſſas intextaſque haberent. Diverſæ ab his Clavatæ. Et quidem Salmaſ. ad Vopiſcum in Carino, *Pictam veſtem à Clavata* ſic diſtinguit: quod illa rei alicujus *figuram* acu factam, atque aureis aut variis filis *intextam* exhibebat ut florem, ſtellam, hominem; *Clavi* verò, tam aurei, quam purpurei (alio vocabulo *Pluma*) particulæ erant ex auro vel purpura, nunc rotundæ, nunc quadratæ; quæ tanquam emblemata quædam, veſtibus inſuebantur, poterantque inde eximi, ut in aliam veſtem transferrentur.

4. *Cum Capide ac Lituo.*] Aliàs cum *Capſide*, fortè meliùs *cum Apice & Lituo*. Sed quanquam non pauci veterum habeant *cum Lituo* omiſſo intermedio vocabulo: tamen apud Feſtum *Capis* poculi genus eſt, dictum à capiendo: quod Auguribus victimam cædentibus in uſu eſſe potuit,

VIII. *Quid autem ego ſic adhuc egi, tanquam integra ſit cauſa patriciorum de ſacerdotiis, & non jam in poſſeſſione unius ampliſſimi ſimus ſacerdotii? 1 Decemviros ſacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi hujus interpretes, 2 antiſtites eoſdem Apollinaris ſacri cæremoniarumque aliarum, plebejos videmus. nec tum patriciis ulla injuria facta eſt, quum duumviris ſacris faciundis adjectus eſt propter plebejos numerus: & nunc tribunus, vir fortis ac ſtrenuus, quinque augurum loca, quatuor pontificum adjecit, in quæ plebeji nominentur: non ut vos, Appi, veſtro loco pellant; ſed ut adjuvent vos homines plebeji divinis quoque rebus procurandis, ſicut in cæteris humanis pro parte virili adjuvant. Noli erubeſcere, Appi, collegam in ſacerdotio habere, quem in cenſura, quem in conſulatu collegam habere potuiſti: cujus tam dictatoris magiſter equitum, quam magiſtri equitum dictator eſſe potes. Sabinum advenam, principem nobilitatis veſtræ, 3 ſeu Attum Clauſum ſeu Ap. Claudium mavultis, illi antiqui patricii in ſuum numerum acceperunt. Ne faſtidieris nos in ſacerdotum numerum accipere. multa nobiſcum decora afferimus; imo omnia eadem, quæ vos ſuperbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe conſul eſt factus. Cajus Licinius Stolo primus magiſter equitum, C. Marcius Rutilus primus & dictator & cenſor, Q. Publilius Philo primus prætor. Semper iſta audita ſunt eadem: penes vos auſpicia eſſe, 4 vos ſolos gentem habere, vos ſolos juſtum imperium & auſpicium domi militiæque. Æque adhuc proſpe-*

Urb. Cond. an. 453. Coſſ. M. Val. & Q. Appul.

INTERPRETATIO.

2 *Num aliquando inter* hominum *colloquia* dici *audiviſtis* eos *primò patricios factos eſſe, non qui de cœlo eſſent delapſi, ſed qui patrem* cum honore *appellare poſſent?*

NOTÆ.

1. *Decemviros ſacris faciundis.*] Initio ad libros Sibyllinos cuſtodiendos à Tarquinio Superbo Duumviri ex nobilitate creati fuêre, additis duobus miniſtris publicis, ex Dion. Halic. lib. 4. Ea cura, ut & ſacrorum ex eorum librorum vaticiniis faciendorum penes Duumviros ex nobilitate quoque delectos diu fuit. Sed anno 388. ex plebiſcito C. Licinii & L. Sextii, pro Duumviris creari cœperunt Decemviri, partim ex plebe, partim ex patribus, ut Liv. lib. 6. cap. 27. refert.

2. *Antiſtites eoſdem Apollinaris ſacri, &c.*] Hæc de ludis Apollinaribus intelligi non poſſunt: licèt enim Decemviri ea ſacra facerent, eorum tamen uſus nonniſi anno u. 541. cœpit, auctore ipſo Livio lib. 25. cap. 12. Forte hic innuuntur ludi Sæculares, qui inſtituti ſunt à P. Val. Publ. quibus ſacrificia quidem in Jovis, Junonis, aliorumque Deorum, non minùs quàm in Apollinis, Latonæ, ac Dianæ honorem, à Decemviris, qui poſtea quindecim viri, fiebant: ſed & ludi theatrales in honorem Apollinis ac Dianæ celebrabantur primo die: tertio verò in Templo Apollinis Palatini à pueris prætextatis ac Virginibus (qui omnes patrimi & matrimi) carmina concinebantur.

3. *Seu Attum Clauſum.*] De hoc Claudiorum parente, qui à Sabinis ad Romanos, paulò poſt Reges expulſos, tranſiit, Liv. lib. 2. cap. 16. ſic habet. *Attus Clauſus*, cui poſteà *Appio Claudio* fuit Romæ nomen.

4. *Vos ſolos gentem habere.*] Gloriabantur Patricii ſibi ſolis competere, ut Gentem haberent, id eſt, ut Nobiles ac Gentiles eſſent. Definiuntur autem Gentiles à Cic. in Top. ex Scævolæ Jurisconſulti ſententia, *qui inter ſe eodem nomine ſunt; qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum ne-*

Urb. Cond. an. 453. Coss. M. Val. & Q. Appul.

rum 5 *plebejum ac patricium fuit, porroque erit.* 6 *En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed* 6 8 *qui patrem ciere possent: id est* 7 *nihil ultra quam ingenuos? Consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus. Nihil est aliud in re, Quirites, nisi ut omnia negata adipiscamur: certamen tantum patricii petunt, nec curant quem eventum certaminum habeant. Ego hanc legem, quod bonum, faustum, felixque sit vobis ac reipublicæ, uti rogas, jubendam censeo.*

IX. Vocare tribus extemplo populus jubebat, apparebatque accipi legem: ille tamen dies est 1 intercessione sublatus. postero die, 2 deterritis tribunis, ingenti consensu accepta est. Pontifices creantur, suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Marcius Rutilus, M. Livius Denter. Quinque augures item de plebe, C. Genucius, P. Ælius Paetus, M. Minucius Festus, C. Marcius, T. Publilius. Ita octo pontificum, novem augurum numerus factus. Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. tertio eatum post reges exactos lata est, semper à familia eadem. Causam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant. 3 Porcia tamen lex sola 4 pro tergo civium lata vide-

NOTÆ.

mo servitutem servivit, neque capite deminutus est. Ejusmodi se à Romulo delectos gloriabantur Patricii; sed hanc gentilitatis laudem nunc à plebejis quoque pari jure posse vindicari argumentatur Decius.

5. *Plebejum ac Patricium.*] Repete ex proximo, *auspicium*.

6. *Qui Patrem ciere.*] Argumentum est ab etymologia sive origine nominis: fuerunt enim teste Dionys. lib. 2. & Plut. in Romulo, qui Patriciorum nomen invidiosè ex eo deducerent, quòd illi soli possent patrem ingenuum ciere, sive ostendere; quasi cætera primorum Romanorum turba è fugitivis fuerit, qui patrem indicare non possent: quò alludit Satyricus:

Primus majorum quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Notat certè idem Dionys. quoties Patricii à Regibus convocarentur, solitum eorum unumquemque suo ac patris nomine appellari, Plebejos verò cornibus advocari. Quod verò in quibusdam additur *Avumque*, Sigon. observat hanc vocem, non reperiri in veteribus libris, neque verò desiderari.

7. *Nihil ultra quàm ingenuos.*] Apparet ingenuos primis temporibus dictos, qui liberis atque honestis parentibus orti essent. At posteriori ævo pro *ingenuis* habiti sunt quicunque liberi nascebantur, non habitâ patris aut avi ratione, ut ex Jurisconsultis notum.

1. *Intercessione sublatus.*] Intercedentibus scilicet aliis tribunis plebis, dies illa Ogulniis erepta; dilatumque negotium in diem sequentem.

2. *Deterritis Tribunis.*] Duo, tresve, qui pridie legi interceserant, reliquorum consensu deterriti, renunciarunt intercessioni suæ.

3. *Porcia tamen lex.*] Hujus legis nomen non à M. Porcio Catone Censorio; sed à quodam Portio Læca desumptum esse indicat apud Ant. Augustinum Denarius nummus, in quo legitur. *P. Laca.* Et *provoco*, ea figurâ, ut civis Romanus a Magistratu, cui lictor præsto est, provocare videatur. *Lacon* verò gentis Porciæ cognomen fuisse ostendit Liv. lib. 33. Et alius denarius, in quo est *M. Porc. Laca*. De hac Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo.

4. *Pro tergo civium.*] Dicitur etiam

tur: quod gravi pœna, ſi quis verberaſſet necaſſetve civem Romanum, ſanxit. Valeria lex, quum cum, qui provocaſſet, virgis cædi ſecurique necari vetuiſſet: ſi quis adverſus ea feciſſet, nihil ultra, quam 5 improbe factum, adjecit. Id (QUI TUM PUDOR hominum erat) viſum, eredo, vinculum ſatis validum legis. 6 nunc vix ſerio ita minetur quiſquam. Bellum ab eodem conſule haud quaquam memorabile adverſus rebellantes Æquos, quum præter animos feroces nihil ex antiqua fortuna haberent, geſtum eſt. Alter conſul Appulejus in Umbria 7 Nequinum oppidum circumſedit. locus erat arduus, atque in parte una præceps, ubi nunc Narnia ſita eſt. nec vi, nec munimento capi poterat. Itaque eam infectam rem M. Fulvius Pætinus, T. Manlius Torquatus novi conſules acceperunt. In eum annum quum 8 Q. Fabium conſulem non petentem omnes dicerent centuriæ, ipſum auctorem fuiſſe Macer Licinius ac Tubero tradunt, differendi ſibi conſulatus in bellicoſiorem annum: eo anno majori ſe uſui reipubl. fore, urbano geſto magiſtratu. ita nec diſſimulantem quid mallet, nec petentem tamen, ædilem curulem cum L. Papirio Curſore factum. Id ne pro certo ponerem, vetuſtior annalium auctor Piſo effecit: qui eo anno ædiles curules fuiſſe tradit C. Domitium, Cn. F. Calvinum, & Sp. Carvilium, Q. F. Maximum. 9 Id credo cognomen errorem in ædilibus feciſſe: ſecutamque fabulam mixtam ex ædilitiis & conſularibus comitiis, convenientem errori. Et luſtrum eo anno conditum à P. Sempronio Sopho, & P. Sulpi-

Urb. cond. an. 454. Coſſ. M. Ful. & T. Manl.

NOTÆ.

pro ſcapulis apud Feſtum laudante Godelev. Plin. *De jure Virgarum* appellaſſe videtur Sigonio: per hanc enim legem adimebatur jus virgarum in cives, in peregrinos verò permittebatur.

5. *Improbè factum.*] In eam vim habebat ut contra bonos mores factum intelligeretur: quo nihil turpius homini probo; adeò ut apud Juriſconſultos conditio aliquid contra bonos mores faciendi, non magis obliget, quàm quæ per rerum naturam impoſſibilis eſt. Cæterùm libens Gronovio aſſenſerim, qui *improbè facturum* malle videtur, quàm *factum*. Leges enim in futurum feruntur. Cic. lib. 2. ad Att. ep. 24. *qui eum emiſſet, contra Remp. eſſe facturum.*

6. *Nunc vix ſerio.*] Illud *ſerio* à Pithœo eſt 2. adverſ. cap. 2. Vulgaris lectio, *vix ſervo*. Quid ſi ex veterum codicum auctoritate legamus, unâ tantùm litterâ mutatâ, *nunc vix ſi ſumma ſerio minetur quiſquam*: nimirum ſumma ſupplicia, ut repetatur, *ne tunc quidem ſatis validum fore legis vinculum.*

7. *Nequinum.*] Oppidum fuit Umbrorum in Sabinorum finibus, cui poſtea *Narnia* inditum nomen à Nare fluvio præterfluente, ſeu radices montis, cui impoſitum hoc oppidum, alluente. Situm inter Otriculum & Interamnam. Hodie *Narni*, in Ducatu Spoletano & Pontificis ditione.

8. *Q. Fabium Conſulem non petentem.*] Ex vetuſtis Codicibus qui habent *Conſulem appetentem*, vel *appatentem*, ſuſpicatur Gron. *abſentem*. Ità ut intelligatur de abſentia; non quidem ab urbe, ſed à Campo Martio, in quem venire potuerit diſſuadendis centuriis, ubi audivit conſulem ſe dici.

9. *Id credo, cognomen.*] Maximi cognomen vult poſterioribus hiſtoricis impoſuiſſe, ità ut crediderint ædilitatem infra tanti viri (Q. Fabii) faſtigium fuiſſe, conjecerintque de eo conſule potiùs creando in Comitiis actum.

Urb. cond. an. 454. Coſſ. M. Ful. & T. Manl.

cio Saverrione cenſoribus: tribuſque additæ duæ, 10 Anienſis ac 11 Terentina. Hæc Romæ geſta.

X. Cæterum ad Nequinum oppidum quum ſegni obſidione tempus tereretur, duo ex oppidanis, quorum erant ædificia juncta muro, ſpecu facto ad ſtationes Romanas itinere occulto perveniunt; inde ad conſulem deducti, præſidium armatum ſe intra mœnia & muros accepturos confirmant. Nec aſpernanda res viſa, neque incaute credenda. cum altero eorum (nam alter obſes retentus) duo exploratores per cuniculum miſſi: per quos ſatis comperta re, trecenti armati transfuga duce in urbem ingreſſi, nocte portam, quæ proxima erat, cepere: qua refracta, conſul exercituſque Romanus ſine certamine urbem invaſere. Ita Nequinum in ditionem populi Romani venit. Colonia eo adverſus Umbros miſſa, à flumine Narnia appellata: exercitus cum magna præda Romam reductus. 1 Eodem anno ab Etruſcis adverſus inducias paratum bellum. 2 ſed eos alia molientes Gallorum ingens exercitus, fines ingreſſus, pauliſper à propoſito avertit. Pecunia deinde, qua multum poterant, freti, ſocios ex hoſtibus facere Gallos conantur; ut eo adjuncto exercitu cum Romanis bellarent. De ſocietate haud abnuunt barbari: de mercede agitur. qua pacta acceptaque, quum parata cætera ad bellum eſſent, ſequique Etruſcus juberet, inficias eunt, mercedem ſe belli Romanis inferendi pactos. quicquid acceperint, accepiſſe ne agrum Etruſcum vaſtarent, armiſque laceſſerent cultores. *Militaturos tamen ſe, ſi utique Etruſci velint, ſed nulla alia mercede, quam ut in partem agri accipiantur, tandemque aliqua ſede certa conſiſtant.* Multa de eo concilia populorum Etruriæ habita. nec perfici quicquam potuit, non tam, quia imminui agrum, quam, quia accolas ſibi quiſque adjungere tam efferatæ gentis homines horrebat. ita dimiſſi Galli, pecuniam ingentem ſine labore ac periculo partam retulerunt. Romæ terrorem præbuit fama Gallici tumultus ad bellum Etruſcum adjecti: eo minus

NOTÆ.

10. *Anienſis.*] *Tribus Anienſis* dicta creditur ab *Anione* amne, quo Sabini à Latinis dirimuntur. Fuit hæc trigeſima ſecunda tribus.

11. *Terentina.*] Hæc tribus 33. non à Tarento, Lacedæmoniorum colonia ſita in Salentinorum regione, atque extrema Italia ad ſinum ſui nominis; ſed à Terento dicta putatur, qui locus in ipſo Campo Martio erat, ubi ara ſubterranea Diti ſacra. De eo Val. Max. lib. 2. cap. 4. Zoſimus ubi de ludis ſæcularibus, qui & *Terentini* ex eo dicti, ab Auſonio.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

1. *Eodem anno ab Etruſcis adversùs inducias.*] Quærit Glarean. quomodo adversùs inducias, ſi ex in biennium datæ fuerunt à Valerio Dictatore, Coſſ. M. Liv. & M. Æmil. id eſt, anno u. 451. ut ſuprà cap. 5. Nunc autem annus agebatur 454. Reſpondet Sigon. annum, quo datæ ſunt inducæ, non numerari, atque ita nondum completum fuiſſe biennium.

2. *Sed eos alia molientes.*] Imò nihil aliud moliebantur quàm bellum adversùs Romanos, cujus auctor meminit: niſi *alia* referri quis velit ad ea quæ ſequuntur, exercitum nempe Gallorum; & cum iis pactam ſocietatem, &c. Non diſplicet Glareani conjectura legendum ſuſpicantis *talia*, pro *alia*.

cunctan-

cunctanter fœdus ictum ; cum Picenti populo eſt.

Urb. cond. an. 454. Coſſ. M. Ful. & T. Manl.

XI. Manlio conſuli Etruria provincia ſorte evenit, qui vix dum ingreſſus hoſtium fines, quum exerceretur inter equites, ab rapido curſu circumagendo equo effuſus, extemplo prope expiravit. tertius ab eo caſu dies finis vitæ conſuli fuit. Quo velut omine belli accepto, *Deos pro ſe commiſiſſe bellum* memorantes Etruſci, ſuſtulere animos. Romæ tum deſiderio viri, tum incommoditate temporis, triſtis nuncius fuit: ut [1] [γ] Patres ab jubendo dictatore, conſulis ſubrogandi comitia, ex ſententia principum habita, deterruerint. M. Valerium conſulem omnes ſententiæ centuriæque dixêre, quem ſenatus dictatorem dici juſſurus fuerat. tum extemplo in Etruriam ad legiones proficiſci juſſit. Adventus ejus compreſſit Etruſcos, adeo ut nemo extra munimenta egredi auderet, timorque ipſorum obſidioni ſimilis eſſet. neque illos novus conſul vaſtandis agris urendiſque tectis, quum paſſim non villæ ſolum, ſed frequentes quoque vici incendiis fumarent, elicere ad certamen potuit. Quum hoc ſegnius bellum opinione eſſet; alterius belli, quod multis invicem cladibus haud immerito terribile erat, fama Picentium novorum ſociorum indicio exorta eſt: Samnites arma & rebellionem ſpectare, ſeque ab iis ſolicitatos eſſe. Picentibus gratiæ actæ, & magna pars curæ Patribus ab Etruria in Samnites verſa eſt. Caritas etiam annonæ ſolicitam civitatem habuit: ventumque ad inopiæ ultimum foret, ut ſcripsêre quibus ædilem fuiſſe eo anno Fabium Maximum placet; ni ejus viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempeſtatibus fuerat, talis domi tum in annonæ diſpenſatione, præparandâ ac convehendo frumento, fuiſſet. Eo anno (nec traditur cauſa) interregnum initum. interreges fuere Appius Claudius, dein P. Sulpicius. Is comitia conſularia habuit. creavit L. Cornelium Scipionem, Cn. Fulvium conſules. Principio hujus anni [2] oratores Lucanorum ad novos conſules venerunt, queſtum, *quia conditionibus pellicere ſe nequiverint ad ſocietatem armorum; Samnites, infeſto exercitu*

NOTÆ.

3. *Cum Picenti populo,*] *Picentes* dicuntur incolæ Piceni, regionis quæ ab Æſi fluvio ad Matrinum protenſa, hinc Senonibus Gallis, inde Marrucinis, Veſtinis, Umbris cincta fuit. Reliqua mari Hadriatico claudebantur. Eos Strabo lib. 5. ex agro Sabino in ea loca migraſſe tradit Pico ave iter ducibus monſtrante; unde nomen genti. At Feſtus nomen indltum refert, quod Sabini cum Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum Picus conſederit. Silius Italicus à Pico Latii Rege conditam finxit Pincentium gentem. Sub Auguſto quinta hæc fuit Italiæ regio: labante imperio diviſum fuit Picenum in Annonarium, & Suburbicarium. Hodie in eo tractu eſt Marchia Anconitana, ſub Pontificis ditione.

1. *Ut patres ab jubendo Dictatore.*] Patres à jubendo Dictatore non deterruerunt habita Comitia: ſed primorum ſententiæ de habendis Comitiis Conſularibus, quos ſequuti reliqui.

2. *Oratores Lucanorum.*] De hac Lucanorum ad Romanos oratione videndus Dionyſ. excerp. 3. de Legationibus.

3. *Samnites infeſto exercitu.*] Perſpicua magis futura videtur oratio; ſi poſt *queſtum* ſcriptum eſſet, *Samnites, quia nequiverint,* &c. *infeſto exercitu ingreſſos.*

Urb. cond. an. 455. Coss. L. Cornel. & Cn. Fulv.

ingressos fines suos vastare, belloque ad bellum cogere. Lucano populo satis superque erratum quondam: nunc ita obstinatos animo esse, ut omnia ferre ac pati tolerabilius ducant, quam ut unquam postea nomen Romanum violent. Orare Patres, ut & Lucanos in fidem accipiant, & vim atque injuriam ab se Samnitium arceant. Se, quanquam bello cum Samnitibus suscepto [a] necessaria jam facta adversus Romanos fides sit, tamen obsides dare paratos esse.

XII. Brevis consultatio senatus fuit. ad unum omnes jungendum fœdus cum Lucanis, resque repetendas ab Samnitibus, censent. Benigne responsum Lucanis: ictumque fœdus. Feciales missi, qui Samnitem decedere agro sociorum, ac deducere exercitum finibus Lucanis juberent. quibus obviam missi ab Samnitibus qui denunciarent, [1] *Si quod adissent in Samnio concilium, haud inviolatos abituros.* Hæc postquam audita sunt Romæ; bellum Samnitibus [2] & Patres censuerunt, & populus jussit. Consules inter se provincias partiti sunt. Scipioni Etruria, Fulvio Samnites obvenerunt: diversique ad suum quisque bellum proficiscuntur. Scipioni segne bellum & simile prioris anni militiæ exspectanti, hostes [3] ad Volaterras instructo agmine occurrerunt. Pugnatum majore parte diei, magna utrinque cæde: nox incertis qua data victoria esset, intervenit; lux insequens, victorem victumque ostendit. Nam Etrusci silentio noctis castra reliquerunt. Romanus egressus in aciem, ubi profectione hostium concessam victoriam videt, progressus ad castra, vacuis cum plurima præda (nam & stativa trepide deserta fuerant) potitur. inde in Faliscum agrum copiis reductis, quum impedimenta Faleriis cum modico præsidio reliquisset, expedito agmine ad depopulandos hostium fines incedit. Omnia ferro ignique vastantur: prædæ undique actæ: nec solum modo vastum hosti relictum, sed castellis etiam vicisque illatus ignis. urbibus oppugnandis temperatum, in quas timor Etruscos compulerat. Cn. Fulvii consulis clara pugna in Samnio ad Bovianum haudquaquam ambiguæ victoriæ fuit. Bovianum inde aggressus, nec ita multo post Aufidenam vi cepit.

XIII. Eodem anno Carseolos colonia in agrum Æquicolarum deducta.

INTERPRETATIO.

[a] Quamvis *fides sua in Romanos jam post susceptum bellum contra Samnites in necessitatem verteris, ità ut integrum ipsis amplius non sit ab ea discedere.*

NOTÆ.

1. *Si quod adissent concilium.*] Non unum itaque totius Samnii concilium fuit, quod certo loco consisteret; sed suum cuique populo sive civitati.

2. *Et patres censuerunt.*] Hinc patet Senatum, licèt belli fine populo indicendi jus non haberet, potuisse tamen respe r feciales repetere.

3. *Ad Volaterras.*] Urbs fuit ex duodecim Etruriæ Principibus una, agro peramplo, ad utranque Cæcinæ fluminis ripam, ad mare usque protenso. Sita fuit supra collem excelsum, & undequaque præruptum, plano vertice, in quo urbis mœnia condita: ascensus ad eam est quindecim stadiorum ab imo usque arduus atque difficilis, Strabone teste, nunc vulgo *Volterra*, in Tusciæ Ducatu.

Digitized by Google

Fulvius conſul de Samnitibus triumphavit. quum comitia conſularia inſtarent, fama exorta, Etruſcos Samniteſque ingentes conferibere exercitus: palam [a] omnibus conciliis vexari principes Etruſcorum, quod non Gallos quacumque conditione traxerint ad bellum: increpari magiſtratus Samnitium, [1] quod exercitum adverſus Lucanum hoſtem comparatum objecerint Romanis. Itaque ſuis ſociorumque viribus conſurgere hoſtes, & [b] haudquaquam pari deſungendum eſſe certamine. Hic terror, quum illuſtres viri conſulatum peterent, omnes in Q. Fabium Maximum, primo non petentem, deinde ut inclinata ſtudia vidit, etiam recuſantem, convertit: *Quid ſe jam ſenem ac perfunctum laboribus laborumque præmiis, ſolicitarent?* [2] *Nec corporis, nec animi vigorem remanere eundem: & 3 fortunam ipſam vereri, 4 ne cui Deorum nimia jam in ſe, & conſtantior, quam velint humanæ res, videatur. Ex ſe gloriæ ſeniorum ſuccreviſſe; & ad ſuam gloriam conſurgentes alios lætum aſpicere: nec honores magnos fortiſſimis viris Romæ, nec honoribus deeſſe fortes viros.* Acuebat hac moderatione tam juſta ſtudia, [c] quæ verecundiâ legum reſtinguenda ratus, 5 legem recitari juſſit, qua [d] intra decem annos eundem conſulem reſici non liceret. Vix præſtrepitu audita lex eſt: tribunique plebis, *nihil id impedimenti futurum* ajebant: *ſe ad populum laturos, uti legibus ſolveretur.* Et ille quidem in recuſando perſtabat: *quid ergo attinere leges ferri* rogitans, *quibus* [6] *per eoſdem qui tuliſſent, fraus fieret? Jam regi le-*

Ucis cond. an. 455. Coſſ. L. Cornel. & Cn. Fulv.

INTERPRETATIO.

a *Convitiis exagitari proceres in cunctis conventibus Etruſcarum civitatum.*

b *Subeundum fore Romanis bellum, non ſimile, ſed gravius ſuperiori.*

c *Quæ ſtudia exiſtimans comprimenda eſſe, objecto ex legibus pudore.*

NOTÆ.

1. *Quòd exercitum adverſùs Lucanum.*] Id vitio vertebatur Magiſtratibus Samnitium, quod cum ſolis legionibus ſcriptis in bellum contra Lucanos, pugnaſſent adverſùs Romanos longè graviores hoſtes, in quos nonniſi auctis copiis decertandum fuerat.

2. *Nec corporis, nec animi vigorem.*] Sic apud noſtrum lib. 6. c. 23. L. Furius Camillo objicit. *Juvenibus bella data: & cum corporibus vigere & deflorescere animos.*

3. *Fortunam ipſam vereri.*] Non abs re ſuſpecta eſſe debet prudenti cuique fortuna, quæ, ita volente divino numine, vix unquàm iiſdem hominibus uſque ad exitum favet; ſed cum ſenescentibus quodammodo ſenescit: ut Mithridatis, Pompeji, Caroli V. aliiſque exemplis comprobari poteſt.

4. *Ne cui Deorum nimia.*] Ita exiſtimabant illi veteres invidere Deos nimiæ hominum fortunæ. Hac de cauſa Lucius Paullus poſt ſubactam Macedoniam dicitur à Vellejo Paterculo lib. 1. *Deos immortales precatus, ut ſi quis eorum invideret operibus & fortunæ ſuæ, in ipſum potius ſævirent quàm in Remp. Quæ vox, veluti oraculo emiſſa, magnâ parte eum ſpoliavit ſanguinis ſui.*

5. *Legem recitari juſſit.*] Lata hæc lex fuerat an. 411. C. Marcio & Q. Servilio Coſſ. ut ſuprà vidimus extremo lib. 7. Eâ autem lege adhuc Q. Fabius tenebatur, cum ab anno extremo u. c. 445. quo tertiùm Conſul fuerat, ad initium hujus anni 455. nonniſi novem anni effluxiſſent.

6. *Per eoſdem qui tuliſſent.*] Quod Gron. legendum potiùs videtur, qui *juſſiſſent*, eam conjecturam ipſe allatis exemplis refutat. Licèt enim propriè lo-

Urb. cond. an. 455. Coſſ. L. Cornel. & Cn. Fulv.

ges, non regere. Populus nihilominus ſuffragia inibat: & ut quæque intra vocata erat centuria, conſulem haud dubie Fabium dicebat. Tum demum conſenſu civitatis victus, *Dii approbent*, inquit, *quod agitis, acturique eſtis, Quirites. Cæterum quoniam in me, quod vos vultis, facturi eſtis, in collega ſit meæ apud vos gratiæ locus. P. Decium* [d] *expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente ſuo, quæſo, mecum conſulem faciatis*. Juſta ſuffragatio viſa. omnes quæ ſuperarant centuriæ, Q. Fabium, P. Decium conſules dixere. Eo anno pleriſque dies dicta ab ædilibus, quia [7] plus quam quod lege finitum erat, agri poſſiderent. nec quiſquam ferme eſt purgatus: [8] vinculumque ingens immodicæ cupiditatis injectum eſt.

Urb. cond. an. 456. Coſſ. Q. Fab. IV. & Dec. III.

XIV. Conſules novi, Q. Fabius Maximus quartùm, & P. Decius Mus tertiùm, quum inter ſe agitarent, ut alter Samnites hoſtes, alter Etruſcos, deligeret; quantæque in hanc aut in illam provinciam copiæ ſatis, & uter ad utrum bellum dux idoneus magis eſſet; ab Sutrio, & Nepete, & Faleriis legati, auctores concilia Etruriæ populorum de petenda pace haberi, totam belli molem in Samnium averterunt. Profecti conſules, quò expeditiores commeatus eſſent, & incertior hoſtis, qua venturum bellum foret; Fabius per Soranum, Decius per Sidicinum agrum in Samnium legiones ducunt. Ubi in hoſtium fines ventum eſt, uterque populabundus effuſo agmine incedit. explorant tamen latius, quam populantur. Igitur non fefellere ad Tifernum hoſtes in occulta valle inſtructi, quam ingreſſos Romanos ſuperiore ex loco adoriri parabant. Fabius impedimentis in locum tutum remotis, præſidioque modico impoſito præmonitis militibus adeſſe certamen, quadrato agmine ad prædictas hoſtium latebras ſuccedit. Samnites deſperato improviſo tumultu; quando in apertum ſemel diſcrimen evaſura eſſet res, & ipſi acie juſta maluerunt concurrere. itaque & in æquum deſcendunt, ac fortunæ ſe, majore animo quam ſpe, committunt. Cæterum ſive quia ex omnium Samnitium populis, quodcunque roboris fuerat, contraxerant; ſeu quia diſcrimen ſummæ rerum augebat animos, aliquantum apertâ quoque pugnâ præbuerunt terroris. Fabius, ubi nulla ex parte hoſtem loco moveri videt, M. Fulvium & M. Va-

INTERPRETATIO.

d *Jam mihi cognitum ſocietate conſulatus per ſummam inter nos concordiam acti*.

NOTÆ.

quendo populus legem non ferat, ſed ferente magiſtratu jubeat, vel accipiat: nihilominus *ferre* quoque dicitur populus, vel plebs, tum ab auctore noſtro, tum à Juſtiniano §. 14. inſtit. de lege Aquilia.

7. *Plus quam quod lege finitum erat*.] Plus nempe quingentis jugeribus, qui modus agrorum poſſeſſioni poſitus lege Liciniì Stolonis tribuni plebis. Suprà lib. 6. cap. 35.

8. *Vinculumque ingens immodicæ cupiditatis injectum*.] Rectè Gronovius intelligit, *poſſeſſoribus*: alioqui legendum eſſet *cupiditati injectum*.

lerium, tribunos militum, cum quibus ad primam aciem procurrerat, ire ad equites jubet: & adhortari, *ut ſi quando unquam equeſtri ope adjutam rempublicam meminerint; illo die annitantur, ut ordinis ejus gloriam inviſtam præſtent. Peditum certamine immobilem hoſtem reſtare: omnem reliquam ſpem in impetu eſſe equitum.* & ipſos nominatim juvenes pari comitate utrumque, nunc laudibus, nunc promiſſis onerat. Cæterum, quando ne ea quoque tentata vis proficeret, conſilio graſſandum, ſi nihil vires juvarent, ratus; Scipionem legatum, haſtatos primæ legionis ſubtrahere ex acie, & ad montes proximos, quam poſſet occultiſſime, circumducere jubet: inde aſcenſu abdito à conſpectu, erigere in montes agmen, averſoque hoſti ab tergo repente ſe oſtendere. Equites, ducibus tribunis, haud multo plus hoſtibus quam ſuis, ex improviſo ante ſigna evecti, præbuerunt tumultus. Adverſus incitatas turmas ſtetit immota Samnitium acies, nec parte ulla pelli aut perrumpi potuit. Et poſtquam irritum inceptum erat, recepti poſt ſigna prælio exceſſerunt. Crevit ex eo hoſtium animus, nec ſuſtinere frons prima tam longum certamen increſcentemque fiducia ſui vim potuiſſet, ni ſecunda acies juſſu conſulis [1] in primum ſucceſſiſſet. Ibi integræ vires ſiſtunt invehentem ſe jam Samnitem: [2] & tempore improviſa ex montibus ſigna, clamorque ſublatus, [3] non vero tantum metu terruere Samnitium animos. nam & Fabius, *Decium collegam appropinquare* exclamavit, & pro ſe quiſque miles, *adeſſe alterum conſulem, adeſſe legiones*, gaudio alacres fremunt; [4] errorque utilis Romanis oblatus, fugæ formidiniſque Samnites implevit,

Urb. cond. an. 456. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

NOTÆ.

1. *In primum ſucceſſiſſet.*] *In primum* ſcilicet *locum*. Hoc loquendi genere ſæpius uti Livium, alioſque obſervat Gron. non ſemel. Noſter lib. 2. cap. 20. *Deſiliunt ex equis, provolant in primum, & pro antefignanis parmas objiciunt.*

2. *Et tempore improviſa.*] In quibuſdam Codicibus, *eo tempore viſa*: in Colbertino uno, *& tempore proviſa ex montibus ſigna*: id eſt, *tempeſtivè*, ſive *opportunè viſa*: (ut apud Cic. 3. Offic. *ad cænam tempore venit Gannius*). At Memmianus *tempore improviſo*, quod planum. Sed & *improviſa accipere poſſis pro ex improviſo apparentia.*

3. *Non vero tantùm metu terruere.*] Locum corruptum aut certè mutilum Cluverius cenſet Ital. antiq. lib. 7. negat Gronovius, niſi quatenus mutila fecit Cluverius, omittendo vocem *ſublatus*; quæ ad ſigna, & ad clamorem refertur: auctoris ſententia eſt, non tantùm vero metu implectos Samnites; viſis Romanorum copiis, in montes clam à Fabio ſubmiſſorum, auditoque clamore ab iiſdem ſublato: ſed præterea vanum ipſis terrorem adjectum ex falſa opinione advenientis cum novo exercitu alterius Conſulis.

4. *Errorque utilis oblatus Romanis.*] Ita veteres editiones: poſteriores *terrorque*. Romanis quidem terror non injiciebatur, ſed addebantur animi falſâ Fabii affirmatione: & ſic Romani dum ſe vincere putant, victores reverà effecti ſunt. Error itaque ille ipſis utilis, Samnitibus formidinis ac fugæ cauſa fuit: ſed & ſi retineatur ex pluribus ſcriptis *terrorque*, idem erit ſenſus: ut *terror* qui hinc ſequutus, *utilis* dicatur *Romanis* fuiſſe, non *Romanis* oblatus. Simile commentum ſeu ſtratagema adversùs eoſdem Samnites narratur, capite 41. hujus libri.

Urb. cond. an. 456. Cos. Q. Fab. & P. Dec.

maxime territos, ne ab altero exercitu integro intactoque ſeſſi opprimerentur: & quia paſſim in fugam diſſipati ſunt, minor cædes, quam pro tanta victoria fuit. tria millia & quadringenti cæſa: capti ad trecentos ferme & triginta: ſigna militaria capta tria & viginti.

XV. Samnitibus Apuli ſe ante prælium conjunxiſſent, ni P. Decius conſul iis [1] ad Maleventum caſtra objeciſſet, extractos deinde ad certamen fudiſſet. Ibi quoque plus fugæ fuit quam cædis. duo millia Apulorum cæſa: ſpretoque eo hoſte Decius in Samnium legiones duxit. Ibi duo conſulares exercitus, diverſis vagati partibus, omnia ſpatio quinque menſium evaſtarunt. [2] Quadraginta & quinque loca in Samnio fuere, in quibus Decii caſtra fuerunt: alterius conſulis ſex & octoginta. nec valli tantum, ac foſſarum veſtigia relicta, ſed multo illis inſigniora [3] monimenta vaſtitatis circà, regionumque depopulatarum. Fabius etiam [4] urbem Cimetram cepit: ita capta armatorum duo millia quadringenti: cæſi ferme pugnantes ad quadringentos triginta. Inde comitiorum cauſa Romam profectus, maturavit eam rem agere. quum [5] primo vocatæ Q. Fabium conſulem dicerent omnes centuriæ, Ap. Claudius conſularis candidatus, vir acer & ambitioſus, non ſui magis honoris cauſa, quam ut patricii recuperarent duo conſularia loca; quum ſuis, tum totius nobilitatis viribus incubuit, ut ſe cum Q. Fabio conſulem dicerent. Fabius primo, de ſe eadem fere quæ priore anno dicendo, [6] abnuere. circumſtare ſcilam omnis nobilitas, orare *ut ex cæno plebejo conſulatum extraheret, majeſtatemque priſtinam tum*

INTERPRETATIO.

2 *Recuſabat* Conſulatum Fabius; *Patricii* autem *omnes circumſiſtebant* ejus *ſellam, rogantes ut Conſularem dignitatem*, quam plebs invaſerat, *ex* ejuſmodi *vulgi face eximeret*.

NOTÆ.

1. *Ad Maleventum*.] Quæ urbs poſteà *Beneventum*.

2. *Quadraginta & quinque*.] Tot diverſis locis caſtra poſuiſſe Conſules ſine ingenti totius regionis damno haud potuere: eâ enim mente caſtra movebant, ut milites modò ex hoc, modò ex illo tractu prædas agerent, proximaque Caſtris omnia diriperent, atque vaſtarent.

3. *Monimenta vaſtitatis circà*.] Non placet Gronovio quod Sigonius è ſuis codicibus, (quibus & in hoc ſimilem præmanibus habui) repoſuit. *Vaſtatis circà regionibus depopulatiſque*. Conjicit ipſe ex aliis manuſcriptis; *ſed multò illis inſigniora monumenta; vaſtitas circa regionum depopulatarum*. Cui Gronovii lectioni ſtari poteſt, quanquam nihil video cauſæ cur quid mutetur.

4. *Urbem Cimetram*.] Bechario *Gimeram*; Colb. *Cunetram* habet: Memm. *Cimetriam*. Sed quâ parte Samnii hoc oppidum fuerit, tacentibus Geographis ne ſuſpicari quidem licet. *Caletram* quidem invenio, ſed & nomen & ſitus diverſus. *Caletra* enim in Tuſcia.

5. *Primò vocata*.] Id eſt, omnes centuriæ primæ claſſis, quæ poſt prærogativam ad ferenda ſuffragia primo loco vocabantur: & ſi omnes in idem conſentirent, nihil opus erat ulteriori vocatione; cum hujus ſolius claſſis centuriæ ſequentium claſſium centurias numero vincerent, uti lib. 1. dictum eſt.

honori, tum patriciis gentibus redderet. Fabius ſilentio facto [6] mediâ orâtione ſtudia hominum ſedavit. facturum enim ſe fuiſſe dixit, ut duorum patriciorum nomina reciperet, ſi alium quam ſe conſulem fieri videret: *nunc ſe ſui rationem comitiis, quam contra leges futurum ſit, peſſimo exemplo non habiturum*. Ita Lucius Volumnius de plebe cum Ap. Claudio conſul eſt factus; [7] priori item conſulatu inter ſe comparati. Nobilitas objectare Fabio, fugiſſe eum Appium Claudium collegam, eloquentia, civilibuſque artibus haud dubiè præſtantem. Urb. cond. an. 456. Coſſ. Q. Fab. IV. & P. Dec.

XVI. Comitiis perfectis, veteres conſules juſſi bellum in Samnio gerere; prorogato in ſex menſes imperio. Itaque inſequenti quoque anno L. Volumnio & Ap. Claudio conſulibus, P. Decius, qui conſul in Samnio relictus à collega fuerat; proconſul idem populari non deſtitit agros, donec Samnitium exercitum nuſquam ſe prælio committentem, poſtremo [1] expulit finibus. Etruriam pulſi petierunt: & quod legationibus nequicquam ſæpe tentaverant, id ſe tanto agmine armatorum, mixtis terrore precibus, acturos efficaciùs rati, poſtulaverunt principum Etruriæ concilium. Quo coacto, per quot annos pro libertate dimicent cum Romanis, exponunt. *omnia expertos eſſe, ſi ſuiſmet ipſorum viribus tolerare tantam molem belli poſſent: tentaſſe etiam haud magni momenti finitimarum gentium auxilia: petiſſe pacem à populo Romano, quam bellum tolerare non poſſent: rebellaſſe, quod pax ſervientibus gravior, quam liberis bellum eſſet. Unam ſibi ſpem reliquam in Etruſcis reſtare. Scire gentem Italiæ opulentiſſimam armis, viris, pecunia, eſſe: habere accolas Gallos inter ferrum & arma natos, feroces quum ſuopte ingenio, tum adverſus Romanum populum, quem* [2] *captum à ſe auroque redemptum, haud vana jactantes, memorent. Nihil abeſſe, ſi ſit animus Etruſcis, qui Porſenæ quondam, majoribuſque eorum fuerit; quin Romanos omni agro cis Tiberim pulſos dimicare pro ſalute ſua, non de intolerando Italiæ regno cogant. [3] Samnitem illis exercitum paratum, inſtructum armis, ſtipendio, veniſſe: confeſtim ſecuturus, vel ſi ad ipſam Romanam urbem oppugnandam ducant*. Urb. cond. an. 457. Coſſ. Ap. Claud. & L. Volumn.

XVII. Hæc eos in Etruria jactantes, molienteſque, [a] bellum domi

INTERPRETATIO.

a *Arma à Romanis illata, vexabant domi* Samnites.

NOTÆ.

6. *Mediâ oratione*.] Quæ non magis in patricios quàm in plebejos propenſa eſſet.

7. *Priori item Conſulatu inter ſe comparati*.] *Comparatos* dicit pro conjunctis; quia magiſtratus virum demonſtrat, & qui ſimul magiſtratum gerunt, eorum virtutes ac vitia comparari neceſſe eſt. Simul autem conſulatum geſſerant an. 446. *Appius Claudius* poſteà cæcus dictus, & & *L. Volumnius Flamma violens*.

1. *Expulit finibus*.] Proprie, nimirum *Samnii*.

2. *Captum à ſe, auroque redemptum*.] Ut vidimus lib. 5. cap. 41. & 48.

3. *Samnitem illis exercitum*.] *Samnitem* adjectivè ſume, quaſi dicat, *exercitum Samniticum*; vel ut poſteà exprimit, *Samnitium exercitum*. Quod addit, *confeſtim ſecuturus*, novum non eſt nominibus collectivis ſingularis numeri, adjectiva in numero multitudinis aptari.

Urb. cond. an. 457. Coſſ. Ap. Claud. & L. Volumn.

Romanum urebat. nam P. Decius, ubi comperit per exploratores profectum Samnitium exercitum; advocato concilio: *Quid per agros*, inquit, *vagamur, vicatim circumferentes bellum? quin urbes ac mœnia aggredimur?* [b] *nullus jam exercitus Samnio præſidet, ceſſere finibus, ac ſibimet-ipſi exilium conſcivere.* Approbantibus cunctis, [1] ad Murgantiam validam urbem oppugnandam ducit: tantuſque ardor militum fuit, [c] & charitate ducis, & ſpe majoris quam ex agreſtibus populationibus prædę, ut uno die vi atque armis urbem caperent. ibi duo millia Samnitium & centum pugnantes circumventi, captique: & alia præda ingens capta eſt. quæ ne impedimentis gravibus agmen oneraret, convocari milites Decius jubet: *Haeccine*, inquit, *victoria ſola, aut hac præda contenti eſtis futuri? Vultis vos pro virtute ſpes gerere? omnes Samnitium urbes fortunæque in urbibus relictæ, veſtræ ſunt; quando legiones eorum tot præliis fuſas, poſtremo finibus expuliſtis. Vendite iſta, & illicite lucro mercatorem, ut ſequatur agmen. ego ſubinde ſuggeram quæ vendatis: Ad Romuleam urbem hinc eamus, ubi vos* [2] *labor haud magnus, præda major manet.* Divendita præda, ultro adhortantes imperatorem, [3] ad Romuleam pergunt. Ibi quoque ſine opere, ſine tormentis, ſimul admota ſunt ſigna, nulla vi deterriti à muris, qua cuique proximum fuit, ſcalis raptim admotis in mœnia evaſere. captum oppidum ac direptum eſt, ad duo millia & trecenti occiſi; & ſex millia hominum capta. & miles ingenti præda potitus, quam vendere, ſicut priorem, coactus; [4] Ferentinum inde, quanquam nihil quietis dabatur, tamen ſumma alacritate ductus. Cæterum ibi plus laboris ac periculi fuit. & defenſa ſumma vi mœnia ſunt, & locus erat munimento, naturaque tutus: ſed evicit omnia aſſuetus prædæ miles. ad tria millia hoſtium circa muros cæſa: præda militis

INTERPRETATIO.

[b] *Præſidio eſt regioni Samnitium.*

[c] *Tum ob amorem, ac ſtudium in Imperatorem.*

NOTÆ.

1. *Ad Murgantiam.*] Oppidum hoc Samnii creditur idem eſſe cum eo quod nunc *Morcone* dicitur in Moliſii Comitatu, regnoque Neapolitano, inter Bovianum & Beneventum.

2. *Labor haud magnus, &c. manet.*] Optimi codices, inque his Memm. & Colb. *labor haud major, præda major manet.*

3. *Ad Romuleam.*] *Romulea*, ſive *Romula* Hirpinorum oppidum fuit, qui Samnitium coloni. In tabula itineraria legitur *Subromula*: ſed dividendum eſt nomen, ut ſignificetur iter eſſe *ſub Romula*, non per ipſam Romulam, quæ in edito Apennini montis colle poſita; nunc *Biſaccia* nuncupatur. Sic in eadem tabula eſt *Sublanubio*, pro, *ſub Lanubio*. Et apud Antoninum *Submurano*, pro, *ſub Murano*.

4. *Ferentinum inde.*] Volſcorum initio fuiſſe *Ferentinum*, deinde à populo Romano Hernicis attributum antes monui. An nunc in poteſtate Samnitium fuerit, pronunciare nolim. Fuit & *Ferentum*, vel potiùs *Forentum* in Apulia Peucetia, & Apulos Samnitium Socios auctor proximo capite indicavit. At in Samnio ipſo *Ferentinum* invenio nullibi.

fuit.

fuit. Hujus oppugnatarum urbium decoris pars major in quibuſdam annalibus ad Maximum trahitur. Murgantiam ab Decio, à Fabio Ferentinum Romulcamque oppugnatas tradunt: ſunt qui novorum conſulum hanc gloriam faciant. Quidam non amborum, ſed alterius, P. Volumnii: ei Samnium provinciam eveniſſe. Urb. Cond. an. 457. Coſſ. Ap. Claud. & L. Volum.

XVIII. Dum ea in Samnio, cujuſcunque ductu auſpicioque, gererentur; Romanis in Etruria iterum bellum ingens multis ex gentibus concitur. cujus auctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat. Tuſci fere omnes conſciverant bellum: traxerat contagio proximos Umbriæ populos: & Gallica auxilia mercede ſolicitabantur. omnis ea multitudo ad caſtra Samnitium conveniebat. Qui tumultus repens poſtquam Romam perlatus eſt, quum jam L. Volumnius conſul cum legionibus ſecunda ac tertia, ſociorumque millibus quindecim profectus in Samnium eſſet; Ap. Claudium primo quoque tempore in Etruriam ire placuit. duæ Romanæ legiones ſecutæ, prima & quarta, & ſociorum duodecim millia. caſtra haud procul ab hoſte poſita. Cæterum [a] magis eo profectum eſt quod mature ventum erat, ut quoſdam ſpectantes jam arma Etruriæ populos, metus Romani nominis comprimeret, quam quod ductu conſulis quicquam ibi ſatis ſcite, aut fortunate geſtum ſit. Multa prælia locis & temporibus iniquis commiſſa; [b] ſpeſque in dies graviorem hoſtem faciebat. & jam prope erat, ut nec duci milites, nec militibus dux ſatis fideret. Literas ad collegam arceſſendum ex Samnio miſſas in trinis annalibus invenio. piget tamen incertum ponere, quum ea ipſa inter conſules populi Romani jam iterum eodem honore fungentes diſcrepatio fuerit: Appio abnuente miſſas, Volumnio affirmante Appii ſe literis accitum. Jam Volumnius in Samnio tria caſtella ceperat, in quibus ad tria millia hoſtium cæſa erant: [1] dimidium fere ejus captum. & Lucanorum ſeditiones, à plebejis & egentibus ducibus ortas, ſumma optimatium voluntate per Q. Fabium proconſulem, miſſum eo cum veteri exercitu, compreſſerat. Decio depopulandos hoſtium agros relinquit. ipſe cum ſuis copiis in Etruriam ad collegam pergit: quem advenientem læti omnes accepere. Appium ex conſcientia ſua credo animum habuiſſe haud immerito iratum, ſi nihil ſcripſerat: illiberali, & ingrato animo, ſi egueret ope, diſſimulantem. Vix enim ſalute mutua reddita quum obviam egreſſus eſſet: *Satin' Salvæ*, inquit, *Luci Volumni? ut ſeſe in Samnio res habent? Quæ te cauſa ut provincia tua ex-*

INTERPRETATIO.

[a] *Eo res magis profuit ob celerem adventum conſulis, quo Romanorum terror coërceret aliquos Tuſcia populos, qui jam ad bellum ſe comparabant: quàm, &c.*

[b] *Et futuri expectatione formidabiliores ſubinde Romanis hoſtes evadebant.*

NOTÆ.

1. *Dimidium ferè ejus captum.*] Dimidium nempe numeri cæſorum, ut ſcilicet ex illis tribus caſtellis captivi propè mille quingenti facti fuerint.

Urb. cond. an. 457. Coſſ. Ap. Claud. & L. Volumn.

cederes, induxit? Volumnius *in Samnio res proſperas eſſe* ait: *literis ejus accitum veniſſe. quæ ſi falſa fuerint, nec uſus ſui ſit in Etruria, extemplo converſis ſignis abiturum. Tu vero abeas*, inquit, *neque te quiſquam moratur: etenim minime conſentaneum eſt, quum bello tuo forſitan vix ſufficias, hic te ad opem ferendam aliis gloriari veniſſe. Bene Hercules verteret*, dicere Volumnius: *malle fruſtra operam inſumptam, quam quicquam incidiſſe, cur non ſatis eſſet Etruriæ unus conſularis exercitus.*

XIX. Digredientes jam conſules legati tribunique ex Appiano exercitu circumſiſtunt: pars imperatorem ſuum orare, ne collegæ auxilium, [1] quod acciendum ultrò fuerit, ſua ſponte [2] oblatum ſperneretur: plures abeunti Volumnio obſiſtere, atque obteſtari, [a] *ne pravo cum collega certamine rempub. prodat. ſi qua clades incidiſſet, deſertori magis quam deſerto* [b] *noxiæ fore. Eo rem adductam, ut omnis rei bene aut ſecus geſtæ in Etruria decus dedecuſque ad L. Volumnium* [c] *ſit delegatum. neminem quæſiturum quæ verba Appii, ſed quæ fortuna exercitus fuerit. Dimitti ab Appio eum, ſed à republ. & ab exercitu retineri. experiretur modo voluntatem militum.* Hæc monendo obteſtandoque, prope reſtitantes conſules in concionem pertraxerunt. ibi orationes longiores habitæ in eandem ferme ſententiam, [3] in quam inter paucos certatum verbis fuerat. & quum Volumnius cauſâ ſuperior, ne infacundus quidem adverſus eximiam eloquentiam collegæ viſus eſſet; cavillanſque Appius *ſibi acceptum referre* diceret *debere, quod ex muto atque elingui, facundum etiam conſulem haberent; priore conſulatu primis utique menſibus hiſcere eum nequiſſe, nunc jam populares orationes ſerere: Quam mallem*, inquit Volumnius, *tu à me ſtrenue facere, quam ego ab te ſcite loqui didiſciſſem. Poſtremo* [d] *conditionem ferre, quæ decretura ſit, non orator (neque enim id deſiderare rempublicam) ſed imperator uter ſit melior. Etruriam & Sa-*

INTERPRETATIO.

a *Ne publica rei officiat per importunam cum collega diſcordiam.*
b *Vitio vertendum.*
c *Sit delegatum, devolutum ſit.*
d *Se Appio electionem dare, ex qua conſtare poſſit, uter ipſorum præſtantior ſit, non Orator, ſed belli dux.*

NOTÆ.

1. *Quod acciendum ultro fuerit.*] Rectè *acciendum* dicunt cum Appio loquentes, qui negabat accitum à ſe fuiſſe Volumnium, quaſi ſcilicet illi fidem habeant.

2. *Oblatum ſperneretur.*] Etſi nemo ſperneret præter ipſum Appium, non idcirco Gronovio aſſentior, qui mavult, *ſperneret*, vel *aſpernaretur*; mihi melior videtur paſſiva enunciatio, quàm & vulgata lectio habet, ne tribuni aut legati culpam ſpreti auxilii Appio præſenti exprobrare videantur.

3. *In quam inter paucos certatum verbis fuerat.*] Vult in concione prolixiùs ventilata fuiſſe, quæ paulò anteà breviùs agitata fuerant apud utrumque conſulem, à paucis, legatis ſcilicet & tribunis. Sigonius, cum mentem Livii minùs caperet, legendum cenſebat, *in quam paucis ante certatum verbis fuerat. Certare* autem *verbis* hic oppoſitum *longioribus orationibus*; eſt brevibus dictis alternatim & altercando contendere, ſeu verbis velitari.

nium provincias esse: utram mallet, eligeret. Suo exercitu se vel in Etruria, vel in Samnio rem gesturum. tum militum clamor ortus, *ut simul ambo bellum Etruscum susciperent.* quo animadverso consensu; Volumnius, *Quoniam in collegæ voluntate interpretanda*, inquit, *errare non committam ut quid vos velitis, obscurum sit. manere, an abire velitis, clamore significate.* Tum vero tantus est clamor exortus, ut hostes è castris exciret: armis arreptis in aciem descendunt. & Volumnius signa canere, ac vexilla efferri è castris jussit. Appium addubitasse ferunt, cernentem, seu pugnante, seu quieto se, fore collegæ victoriam: deinde veritum, ne suæ quoque legiones Volumnium sequerentur, & ipsum flagitantibus suis signum dedisse. Ab neutra parte satis commode instructi fuerunt. Nam & Samnitium dux Gellius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat: suoque impetu magis milites quam cujusquam dictu aut imperio pugnam capessebant. & Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis temporis ad instruendum fuit. Prius concurrit Volumnius, quam Appius ad hostem perveniret. Itaque fronte inæquali concursum est: & velut sorte quadam mutante assuetos inter se hostes, Etrusci Volumnio; Samnites parumper cunctati, quia dux aberat, Appio occurrere. Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita ut inter prima signa manibus ad cœlum sublatis conspiceretur, ita precatus esse, *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* Hæc precatus, velut instigante Dea, & ipse collegæ & 4 exercitus virtutem adæquavit ducis. imperatoria opera exsequitur; & milites, ne ab altera parte prius victoria incipiat, annituntur. Ergo fundunt fugantque hostes, 5 majorem molem haud facile sustinentes, quam cum qui manus conferre assueti fuerant. urgendo cedentes, insequendoque effusos.

Urb. cond. an. 457. C. II. P. Cos. I. & L. Volumn.

NOTÆ.

4. *Exercitus virtutem adæquavit Ducis, imperatoria opera exequitur.*] Non video cur hæc non sana Gronovio videantur. Fateor de solo Appio, ejusque militibus accipienda; nec tamen idcirco minùs cohærent sequentia, ergo *fundunt fugantque hostes*; nam ad totius prælii eventum significandum necessaria sunt, nec opus erat de alterius Consulis, alteriusque exercitus, jam satis ex Samniticis expeditionibus cognita virtute multa verba facere; sed de Appio ejusque exercitu, qui hactenus malè rem gesserat. Unum est, quod negotium facessere potest, quòd nempe verbum *exequitur*, in singulari nusquam legi, affirmat Gron. unde sequitur ad solum Appium referri non posse. Sed cum in pluribus Codicibus sit, *Ducis imperatoriè opera exercentur*; in aliis *Duces imperatoria opera exequuntur*: (quorum utrumque ferri potest), si quid prioribus auctoris adjicere liceret, ita legendum conjicerem: *& ipse collega & exercitus ipsius virtutem adequavit. Duces imperatoria opera exequuntur.* Quod autem Gronovio placet: *Et ipse collega & exercitus virtutem æquarunt. Duces*, &c. ut comparatio hinc Ducum, inde exercituum inter se instituatur; quod modestius honestiusque videtur, quam si cum Duce comparetur exercitus; egregium esset, nisi de suo proferret, nullius libri adminiculo. Jam quod ad virtutem bellicam & fortitudinem attinet, ea non milites minus quam duces oportet præditos esse.

5. *Majorem molem.*] Duorum scilicet consularium exercituum, loco unius, cum quo certare soliti.

Urb. cond. an. 457. Coss. Ap. Claud. & L. Volumn.

compulêre ad castra. Ibi, interventu Gellii, cohortiumque Sabellarum, paulisper recruduit pugna. iis quoque mox fusis, jam à victoribus castra oppugnabantur: & quum Volumnius ipse portæ signa inferret, Appius Bellonam victricem identidem celebrans, accenderet militum animos; per vallum, per fossas irruperunt. Castra capta, direptaque, præda ingens parta, & militi concessa est. septem millia ac trecenti hostium occisi, duo millia & centum viginti capti.

XX. Dum ambo consules omnisque Romana vis in Etruscum bellum magis inclinat, in Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fines, [1] per Vescinos in Campaniam Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt. Volumnium magnis itineribus in Samnium redeuntem (jam enim Fabio Decioque [2] prorogati imperii finis aderat) fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri, ad tuendos socios convertit. Ut [3] in Calenum agrum venit, & ipse cornit recentia cladis vestigia, & Caleni narrant *tantum jam prædæ hostes trahere, ut vix explicari agmen possit*: itaque jam propalam duces loqui, *extemplo eundum in Samnium esse, ut relictâ ibi prædâ in expeditionem redeant, nec tam oneratum agmen dimicationi committant*. Ea quanquam similia veris erant, certius tamen exploranda ratus, dimittit equites, qui vagos prædatores in agros palantes excipiant. ex quibus inquirendo, cognoscit, ad Vulturnum flumen sedere hostem, inde [4] tertia vigilia moturum iter in Samnium esse. His satis exploratis profectus, tanto intervallo ab hostibus consedit, ut nec adventus suus propinquitate nimia nosci posset, & egredientem è castris hostem opprimeret. Aliquanto ante lucem ad castra accessit: gnarosque, [5] Oscæ linguæ, exploratum quid agatur, mittit. Intermixti hostibus (quod facile erat in nocturna trepidatione) [a] cognoscunt infrequentia armatis signa egressa, prædam prædæque custodes exire: [6] ignobile agmen, & sua quemque molientem,

INTERPRETATIO.

a *Armatos paucos sub signis egressos.*

NOTÆ.

1. *Per Vescinos.*] Mirum, quòd novus hic Samnitum exercitus per *Vescinos*, qui inter Lirim fluvium & montem Massicum siti, transcenderit in Campaniam, quæ Samnii finibus propior, & in agrum Falernum, qui inter Massicum & Vulturnum Capuæ vicinus; sed nimirum hæ reliquiæ Samnitum, digresso in Etruriam majori exercitu, adversùs Romanam vim impares, non ultra Volscorum latque Auruncorum confinia, progredi ausæ; per hæc Campanum agrum, sociorum nempe populi Romani, vastare, atque in sua redire meditabantur.

2. *Prorogati imperii.*] In sex nimirum menses, ut cap. super.

3. *In Calenum agrum.*] De *Calibus* unde ager Calenus, lib. 8. cap. 16.

4. *Tertia vigilia.*] Cum scilicet signum mutandorum tertiò vigilum datum esset, seu circa septimam noctis horam.

5. *Oscæ linguæ.*] *Oscos*, sive Opicos eosdem cum priscis Ausonibus fuisse jam sæpius monui: ab his orti Sabini, quorum progenies Samnites.

6. *Ignobile agmen, & sua quemque molientem.*] Sigonius ex quibusdam scriptis, *immobile agmen*; sed meliùs ex aliis, Gronovii & meo judicio, *ignobile*, id est, prædâ magis oneratum; quàm ornatum armis, atque ita compositum, ineptumque ad pugnam.

nullo inter alios conſenſu, nec ſatis certò imperio. Tempus aggrediendi aptiſſimum viſum eſt: & jam lux appetebat. itaque ſigna canere juſſit: agmenque hoſtium aggreditur. Samnites, præda impediti, infrequentes armati, pars addere gradum, ac præ ſe agere prædam: pars ſtare; incerti utrùm progredi, an regredi in caſtra tutius foret, inter cunctationem opprimuntur: & Romani jam tranſcenderant vallum, cædesque ac tumultus erat in caſtris. Samnitium agmen, præterquam hoſtili tumultu, captivorum etiam repentina defectione turbatum erat: qui partim ipſi ſoluti vinctos ſolvebant: partim arma in ſarcinis deligata rapiebant, tumultumque prælio ipſo terribiliorem intermixti agmini præbebant. Memorándum deinde edidere facinus: nam [7] Stajum Minatium ducem adeuntem ordines hortantemque, invadunt. diſſipatis inde equitibus, qui cum eo aderant, ipſum circumſiſtunt: inſidentemque equo, captum, ad conſulem Romanum rapiunt. Revocata eo tumultu prima ſigna Samnitium: prœliumque jam profligatum, integratum eſt, [8] nec diutius ſuſtineri potuit. Cæſa ad ſex millia hominum: duo millia & quingenti capti: in eis tribuni militum quatuor: ſigna militaria triginta: & quod lætiſſimum victoribus fuit, captivorum recepta ſeptem millia & quadringenti; præda ingens ſociorum: accitique edicto domini ad res ſuas noſcendas, recipiendaſque. Præſtituta die, quarum rerum non extitit dominus, militi conceſſæ, coactique vendere prædam, ne alibi quam in armis animum haberent.

Urb. cond. an. 457. Coſſ. Ap. Claud. & L. Volumn. II.

XXI. Magnum ea populatio Campani agri tumultum Romæ præbuerat; & per eos forte dies ex Etruria allatum erat, poſt deductum inde Volumnianum exercitum, Etruriam concitam in arma, & Gellium Egnatium Samnitium ducem, & Umbros [1] ad defectionem vocari, & Gallos pretio ingenti ſolicitari. His nunciis ſenatus conterritus, juſtitium indici, delectum omnis generis hominum haberi juſſit. nec ingenui modo aut juniores ſacramento adacti ſunt, ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, liber-

NOTÆ.

7. *Stajum Minatium ducem.*] Samnitium hic dux fuit ab Gellio Egnatio diverſus, de quo paulò ante, & paulò poſt.

8. *Nec diutiùs ſuſtineri potuit.*] Agmen Samnitium, quod primum Caſtris egreſſum erat, pugnam quidem, quâ profligatum jam fuerat poſterius agmen prædâ onuſtum atque incompoſitum, inſtauravit; ſed in ea durare & Romanorum vim ſuſtinere non potuit.

1. *Ad defectionem vocari.*] Gronovius mavult, & *Umbros ad defectionem vocare*, & *Gallos pretio ingenti ſolicitare*; non *vocari* & *ſolicitari*. Hæc enim ad Egnatium Samnitium ducem referenda, qui jamdiu defecerat, imò defectionis auctor cæteris erat, ſupra cap. 18. Unde nec vocandus erat ad defectionem, nec pretio ſolicitandus. Sed tamen, quum id nullus veteris exemplaris auctoritas proferatur, nihil mutandum cenſeo; nam nec ad Gellium pertinere puto illa *vocari*, & *ſolicitari*; verum de eo quoque accipiendum, quod de *Etruria* dicitur, ut ſimul cum Etruſcis Samnites, eorumque dux Egnatius (repetito per Zeugma vocabulo) *concitì* vel *concitati* ſeipſis ad arma inteiligantur: & ab utriſque Umbri & Galli ad defectionem vocati ac ſolicitati.

Urb. cond. an. 457. Coſſ. App. Claud. II. & L. Volumn. II.

tinique centuriati. & defendendæ urbis conſilia agitabantur, ſummæque rerum prætor P. Sempronius præerat. Cæterum parte curæ exonerarunt ſenatum Lucii Volumnii conſulis literæ, quibus cæſos fuſoſque populatores Campaniæ cognitum eſt. Itaque & ſupplicationes ob rem bene geſtam conſulis nomine decernunt. juſtitium remittitur, [2] quod fuerat dies decem & octo, ſupplicatioque perlæta fuit. Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus, agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii, quæ [3] Minturnæ appellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum: ubi Sinopa dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotium datum eſt, ut plebiſcito juberetur P. Sempronius prætor triumviros in ea loca colonis deducendis creare. nec qui nomina darent, facile inveniebantur, quia [a] in ſtationem ſe prope perpetuam infeſtæ regionis, non in agros mitti rebantur. Avertit ab eis curis ſenatum Etruriæ ingraveſcens bellum: & crebræ literæ Appii, monentis, ne regionis ejus motum negligerent: *quatuor gentes conferre arma; Etruſcos, Samnites, Umbros, Gallos. jam caſtra bifariam facta eſſe, quia unus locus capere tantam multitudinem non poſſit.* [4] Ob hæc, (& jam appetebat tempus comitiorum) L. Volumnius conſul Romam revocatus: qui prius quam ad ſuffragium centurias vocaret, in concionem advocato populo, multa de magnitudine belli Etruſci diſſeruit. *jam tum, quum ipſe ibi cum collega rem pariter geſſerit, fuiſſe tantum bellum, ut nec duce uno, nec exercitu geri potuerit: acceſſiſſe poſtea dici Umbros, & ingentem exercitum Gallorum.* [5] *Adverſus quatuor populos duos conſules illo die deligi meminiſſent. ſe, niſi conſideret cum conſenſu populi Romani conſulem declaratum iri, qui haud dubie tum primus omnium ductor haberetur, dictatorem fuiſſe extemplo dicturum.*

Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. m. v. & Dec. IV.

XXII. Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium conſenſu deſtinaretur, eumque & prærogativæ, & primo vocatæ omnes centuriæ conſulem cum L. Volumnio dicebant. Fabii oratio fuit qualis biennio ante:

INTERPRETATIO.

[a] *In ſtativa ferè continua ad præſidium in locis periculoſis* propter vicinos hoſtes *agitandum.*

NOTÆ.

2. *Quod fuerat dies decem & octo.*] Sigonius inſerverat *per dies*, ſed elegantiùs ſine præpoſitione dici Gronovius probat.

3. *Minturnæ.*] De his, & de Sinueſſa lib. 8. cap. 10. & 11.

4. *Ob hæc (& jam appetebat tempus Comitiorum.*] Mſſ. quidam ſic habent. *Ob hæc (& jam appetebat tempus) Comitiorum causâ L. Volumnius*, &c. Idque Gron. ſequitur.

5. *Adverſùs quatuor populos duos Conſules.*] In Codicibus melioris notæ eſt, *Duces Conſules*, quod magis convenit cum ſequentibus, ubi Volumnius ſe Dictatorem potiùs quàm Conſulem dicturum fuiſſe teſtatur, niſi ſperaſſet optimum ductorem à populo Conſulem eligendum.

deinde, ut vincebatur conſenſu, verſa poſtremo ad collegam P. Decium poſcendum. *id ſenectuti ſuæ adminiculum fore: cenſura, duobuſque conſulatibus ſimul geſtis expertum ſe nil* 1 *concordi collegio firmius ad rempubl. tuendam eſſe. novo imperii ſocio vix jam aſsueſcere ſenilem animum poſſe. cum moribus notis facilius ſe communicaturum conſilia.* Subſcripſit orationi ejus conſul cum meritis P. Decii laudibus, tum *quæ ex concordia conſulum bona, quæque ex diſcordia mala in adminiſtratione rerum militarium evenirent*, memorando, *quam prope ultimum diſcrimen ſuis & collegæ certaminibus nuper ventum foret*: admonendo Decium, Fabiumque, *ut uno animo, una mente viverent. eſſe præterea viros natos militiæ factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes. Ea ingenia conſularia eſſe. callidos ſolerteſque, juris atque eloquentiæ conſultos, qualis Ap. Claudius eſſet, urbi ac foro præſides habendos, prætoreſque ad reddenda jura creandos eſſe.* His agendis dies eſt conſumptus. poſtridie ad præſcriptum conſulis & conſularia & prætoria comitia habita. Conſules creati Q. Fabius & P. Decius: Ap. Claudius prætor, 2 omnes abſentes: & L. Volumnio 3 ex ſenatuſconſulto & ſcito plebis prorogatum in annum imperium eſt. Urb. cond. an. 458. Coſs. Q. Fab. m. v. & P. Dec. IV.

XXIII. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum cauſa ſupplicationes in biduum ſenatus decrevit. 1 Publice vinum ac thus ſacrificiis præbitum. ſupplicatum jere frequentes viri, fœminæque. Inſignem ſupplicationem fecit certamen in ſacello Pudicitiæ Patriciæ, quæ in foro Boario eſt 2 ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam patriciam plebejo nuptam Volumnio conſuli, matronæ, a quod è Patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit. quum ſe Virginia patriciam & puditam in patriciæ Pudicitiæ templum ingreſſam, & 3 uni nuptam, ad quem virgo deducta ſit; nec

INTERPRETATIO.

a *Quod patricio genere orta in plebeji ordinis domum nuptiis tranſiſſet.*

NOTÆ.

1 *Concordi Collegio.*] *Collegium* hìc eſt ſocietas inter ejuſdem magiſtratus Collegas.

2. *Omnes abſentes.*] Sive ab urbe, ſive ſaltem à Comitiis; nam Fabius & Decius in urbe erant, Appius verò in Etruria.

3. *Ex Senatuſconſulto.*] An non potiùs Senatus auctoritate, quæ leges & plebiſcita præcedere hiſce temporibus ſolebat. Sed hæc ſæpe confunduntur.

1. *Publicè vinum ac thus ſacrificiis præbitum.*] Scripti ignorant τὸ *ſacrificiis* à Sigonio immiſſum haud neceſſariò; ſatis enim apparet hæc ad ſacra & ſupplicationes pertinere.

2. *Ad ædem rotundam Herculis.*] In regione urbis quæ poſt octava ex Auguſti deſcriptione, atque in foro Boario, fuêre tum ædes Herculis Victoris parva & rotunda, tum ſacellum Herculis: priori junctum fuit ſacellum *Pudicitiæ* Patriciæ.

3. *Uni nuptam,*] Hæc vera pudicitia: iteratæ quippe nuptiæ non ſine aliqua impudicitiæ nota, ne ſine aliqua per leges pœna.

Urb. cond. an. 458. Coſs. Q. Fab. m. v. & P. Dec. IV.

ſe viri, honorumve ejus ac rerum geſtarum pœnitere, 4 vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. in vico Longo, ubi habitabat, [b] ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci modico ſacello, excluſit: aramque ibi poſuit. & convocatis plebejis matronis, conqueſta injuriam patriciarum. *Hanc ego aram*, inquit, *Pudicitiæ plebejæ dedico: voſque hortor, ut quod [c] certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit; detiſque operam, ut hæc ara, quam illa, [d] ſi quid poteſt, ſanctius, & à caſtioribus coli dicatur*. Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior, culta eſt; ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet. Vulgata dein religio à pollutis, nec matronis ſolum, ſed omnis ordinis fœminis, poſtremo [e] in oblivionem venit. Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, 5 quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum eſt, ænea in Capitolio limina, & trium menſarum argentea vaſa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis, & ad Ficum Ruminalem ſimulacra Infantium conditorum Urbis ſub uberibus Lupæ poſuerunt: ſemitamque ſaxo quadrato à Capena porta 6 ad Martis ſtraverunt; & ab ædilibus plebejis L. Ælio Pæto, & C. Fulvio Curvo, ex mulctatitia item pecunia, quam exegerunt 7 pecuariis damnatis, ludi facti: pateræque aureæ ad Cereris poſitæ.

XXIV. Q. inde Fabius quintum & P. Decius quartum, conſulatum ineunt: tribus conſulatibus, cenſuraque collegæ, nec gloria magis rerum, quæ ingens erat, quam concordia inter ſe clari. quæ ne perpetua eſſet, ordinum magis quam ipſorum inter ſe certamen interveniſſe reor; patriciis tendentibus, ut Fabius Etruriam extra ordinem provinciam haberet: plebejis auctoribus Decio, ut ad ſortem revocaret. Fuit

INTERPRETATIO.

b *Ex ædium parte*, quæ vico Longo imminebat, *tantum ſpatii decerpſit ac ſepoſuit*, quantum *ad exiguum ſacellum ſufficeret*.

c *Contentio de fortitudine*:
d *Si quâ ratione fieri poſſit*;
e *In deſuetudinem abiit*.

NOTÆ.

4. *Vero gloriaretur*.] Rotundius videtur futurum, *verò gloriaretur*; quanquam poteſt accipi *vero* in auferendi caſu, pro re omnino verâ, ſeu quâ ex vero gloriaretur.

5. *Quorum bonis mulctatis*.] De perſonis magis quàm de rebus dicitur *mulctari*, quod eſt puniri. Noſter hic ne plures auferendi caſus conjungeret, ſcriberetque minùs eleganter, *quibus bonis mulctatis*, maluit verbum præter morem ad bona transferre. Erit ergo *mulctatis*, pro publicatis.

6. *Ad Martis*.] Cum plures Romæ fuerint Martis ædes, intelligi hoc loco elegans atque amplum Martis extramurani templum, in viæ Appiæ ingreſſu, haud longè ab ipſa porta Capena.

7. *Pecuariis damnatis*.] *Pecuarii* dicuntur mancipes, qui paſcendis pecoribus paſcua redimunt, quemadmodùm Aſconius tradit ad Ciceronis Divinat. in Verr.

certe

certe contentio in ſenatu; & poſtquam ibi Fabius plus poterat, revocata res ad populum eſt in concione. ut inter militares viros, & factis potius quam dictis fretos, pauca verba habita: Fabius *quam arborem conſeruiſſet, ſub ea legere aliam fructum, indignum eſſe*, dicere. *ſe aperuiſſe Ciminiam ſylvam, viamque per devios ſaltus Romano bello feciſſe. Quid ſe id ætatis ſolicitaſſent, ſi alio duce bellum geſturi eſſent? Nimirum adverſarium ſe, non ſocium imperii legiſſe*, ſenſim exprobrat: *& invidiſſe Decium concordibus collegiis tribus.* Poſtremo *ſe tendere nihil ultrà quam, ut ſi ſe dignum provincia ducerent, in eam mitterent: in ſenatus arbitrio ſe fuiſſe. & in poteſtate populi futurum.* P. Decius ſenatus injuriam querebatur: *quoad potuerint Patres annisos, ne plebeiis aditus ad magnos honores eſſet: poſtquam ipſa virtus pervicerit. ne in ullo genere hominum inhonorata eſſet; quæri, quemadmodum irrita ſint non ſuffragia modo populi, ſed arbitraria etiam fortunæ, & in paucorum poteſtatem vertantur.* [1] *Omnes ante ſe conſules ſortitos provincias eſſe: nunc extra ſortem Fabio ſenatum provinciam dare. Si honoris ejus causâ: ita eum de ſe deque republica meritum eſſe, ut faveat Q. Fabii gloriæ: quæ modo non ſuâ contumeliâ ſplendeat. Cui autem dubium eſſe, ubi maximum bellum ſit asperum ac difficile, quem id alteri extra ſortem mandetur, quin alter conſul pro ſupervacaneo atque inutili habeatur? Gloriari Fabium rebus in Etruria geſtis: velle & P. Decium gloriari: [2] & forſitan quem ille obrutum ignem reliquerit, ita ut toties novum ex improviſo incendium daret, eum ſe extinctum. Poſtremo ſe collegæ honores præmiaque conceſſurum verecundiæ ætatis ejus majeſtatiſque: quum periculum, quam dimicatio propoſita ſit, neque cedere ſuâ ſponte, neque ceſſurum: & ſi nihil aliud ex eo certamine tulerit, illud certe laturum, ut quod populi ſit, populus jubeat potius, quam Patres gratificentur. Jovem optimum maximum, Deoſque immortales ſe precari, ut ita ſortem æquam ſibi cum collega dent, ſi eandem virtutem felicitatemque in bello adminiſtrando daturi ſint. certe id & natura æquum, & exemplo utile eſſe, & ad famam populi Romani pertinere; eos conſules eſſe, quorum utrolibet duce bellum Etruſcum geri recte poſſit.* Fabius nihil aliud precatus populum, quam ut prius quam intro vocarentur ad ſuffragium tribus, Ap. Claudii prætoris allatas ex Etruria literas audirent, comitio abit. nec minore populi conſenſu quam ſenatus, provincia Etruria extra ſortem Fabio decreta eſt.

Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. V. & P. Dec. IV.

XXV. Concurſus inde ad conſulem factus omnium ferme juniorum. & pro ſe quiſque nomina dabant: tanta cupido erat ſub eo duce ſtipendia faciendi. Qua circumfuſus turba, *Quatuor millia*, inquit, *peditum & ſexcentos equites duntaxat ſcribere in animo eſt: hodierno & cra-*

NOTÆ.

1. *Omnes ante ſe Conſules ſortitos.*] Oratoriè *omnes* dicit: reverà ferè omnes.

2. *Et forſitan quem ille obrutum ignem reliquerit.*] Metaphoricè incendium dicit pro bello, quod Fabius in Etruria reppulerit magis, quam profligaverit.

Urb. cond. an. 458. Coss. Q. Fab. & P. Dec.

stino die qui nomina dederitis, mecum ducam. majori mihi curæ est, ut omnes locupletes reducam, quam ut multis rem geram militibus. Profectus [a] apto exercitu, & eo plus fiduciæ ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat; [1] ad oppidum Aharnam, unde haud procul hostes erant, ad castra Appii prætoris pergit. paucis citra millibus lignatores ei cum præsidio occurrunt: qui ut lictores prægredi viderunt, Fabiumque esse consulem accepere, læti atque alacres Diis populoque Romano grates agunt, quod eum sibi imperatorem misissent. Circumfusi deinde quum consulem salutarent, quærit Fabius quo pergerent; respondentibusque, lignatum se ire: *Ain' tandem*, inquit, *num castra vallata non habetis!* Ad hoc quum succlamatum esset: *duplici quidem vallo, & fossa, & tamen in ingenti metu esse: Habetis igitur*, inquit, *assatim lignorum. redite, & vellite vallum.* Redeunt in castra, terroremque ibi vellentes vallum, & iis qui in castris remanserunt militibus, & ipsi Appio fecerunt. Tum pro se quisque alii aliis dicere, *Consulis se Q. Fabii facere jussu.* Postero inde die castra mota: & Appius prætor Romam dimissus. inde nusquam stativa Romanis fuere. negabat utile esse uno loco sedere exercitum: itineribus, ac mutatione locorum [2] nobiliorem ac salubriorem esse. fiebant autem itinera, quanta fieri sinebat hiems haud dum exacta. Vere inde primo relicta secunda legione [3] ad Clusium, quod Camers olim appellabant: præpositoque castris L. Scipione proprætore, Romam ipse ad consultandum de bello rediit: sive ipse sponte sua, quia bellum ei majus in conspectu erat, quam quantum esse famæ crediderat; sive senatusconsulto accitus. nam [b] in utrumque auctores sunt. Ab Ap. Claudio prætore retractum quidam videri volunt; quum in senatu, & apud populum (id quod per literas assidue fecerat) terrorem belli Etrusci augeret: *non sufficturum ducem unum,*

INTERPRETATIO.

a *Cum exercitu expedito.*

b *Scriptores sunt in utramque partem.*

NOTÆ.

1. *Ad oppidum Aharnam.*] Oppidum est Umbriæ in Tusciæ confinio, Tiberi haud procul è regione Perusiæ, quod fortè initio *Aharna* dicebatur; Ptolemæo, Plinio, aliisque *Arna* appellatur; indeque Arnates, vel Arnenses. Hodiè *Civitella d'Arno*.

2. *Nobiliorem ac salubriorem esse.*] Hîc ego non illibenter *mobiliorem* legerim, id est, magis expeditum & ad bella promptiorem: minus enim ad rem facere videtur τὸ *nobiliorem*.

3. *Ad Clusium, quod Camers olim appellabant.*] De utroque Clusio veteri ac novo actum lib. 5. cap. 33. Illud ad Clanim situm, primo Camers appellabatur, nomine impositio ab Umbris priscis conditoribus, qui ante Pelasgos hæc loca tenuerant: sed inde pulsi nomen illud Camertium trans Tiberim atque Apenninum transtulere, ubi ad hæc tempora ferè remansit in urbe Camerino. Ex antiqua appellatione hi Clusini Polybio lib. 2. de hac ipsa Gallorum & Samnitum in Clusinorum regionem adversus Romanos expeditione agenti vocantur simpliciter Καμέρται.

nec exercitum unum, adverſus quatuor populos. Periculoſum eſſe, ſive Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. & P. Decio.
junctì unum premant, ſive id diverſi gerant bellum, ne 4 *ad omnia ſimul obire unus non poſſit. Duas ſe ibi legiones Romanas reliquiſſe: &* 5 *minus quinque millia peditum equitumque cum Fabio veniſſe: ſibi placere, P. Decium conſulem, primo quoque tempore in Etruriam ad collegam proficiſci: L. Volumnio Samnium provinciam dari. Si conſul malit in ſuam provinciam ire; Volumnium in Etruriam ad conſulem cum exercitu juſto conſulari proficiſci.* Quum magnam partem moveret oratio prætoris, P. Decium cenſuiſſe ferunt, ut omnia integra ac libera Q. Fabio ſervarentur: donec vel ipſe, ſi per commodum reipubl. poſſet, Romam venitſet; vel aliquem ex legatis miſiſſet: à quo diſceret ſenatus, quantum in Etruria belli eſſet; quantiſque adminiſtrandum copiis & quot per duces eſſet.

XXVI. Fabius ut Romam rediit, & in ſenatu, & productus ad populum mediam orationem habuit, ut nec augere, nec minuere videretur belli famam; magiſque in altero aſſumendo duce aliorum indulgere timori, quam ſuo aut reip. periculo conſulere: *cæterum ſi ſibi adjutorem belli, ſociumque imperii darent; quonam modo ſe obliviſci P. Decii conſulis* 1 *per tot collegia experti poſſe? Neminem omnium ſecum conjungi malle: & copiarum ſatis ſibi cum P. Decio, & nunquam nimium hoſtium fore. Sin collega quid aliud malit; at ſibi L. Volumnium darent adjutorem.* Omnium rerum arbitrium & à populo, & à ſenatu, & ab ipſo collega, Fabio permiſſum eſt. & quum Decius ſe in Samnium, vel in Etruriam proficiſci paratum eſſe oſtendiſſet; tanta lætitia ac gratulatio fuit, ut præciperetur victoria animis, triumphuſque non bellum decretum conſulibus videretur. Invenio apud quoſdam, extemplo conſulatu inito profectos in Etruriam Fabium Deciumque, ſine ulla mentione ſortis provinciarum, certaminumque inter collegas, quæ expoſui. Sunt, quibus ne hæc quidem certamina exponere ſatis fuerit. adjecerunt & Appii criminationes de Fabio abſente ad populum, & pertinaciam adverſus præſentem conſulem prætoris, contentionemque aliam inter collegas; tendente Decio, ut ſuæ quiſque provinciæ ſortem tueretur. Conſtare res incipit ex eo tempore, quo profecti ambo conſules ad bellum ſunt. Cæterum, antequam conſules in Etruriam pervenirent, 2 Senones

NOTÆ.

4. *Ad omnia ſimul obire.*] *Adire* ad illum, *adire* ad cauſam dicitur non rarò: *obire ad aliquid*, non facilè, opinor, alibi invenies. Gallicè dixeris, *eſtre par tout, ſe trouver par tout.*

5. *Minus quinque millia peditum equitumque.*] Erant reverà minus quàm quinque millia hominum, connumeratis tam equitibus quàm peditibus, ut patet ex hujus ipſius capitis initio, ubi Fabius *quatuor millia peditum, & ſexcentos equites* dimtaxat ſe ſcribere velle teſtatus eſt.

1. *Per tot Collegia.*] Ter enim in Conſulatu, ſemel in Cenſura Collegam habuerat Fabius Decium, uti anteà vidimus.

2. *Senones Galli.*] Qui ſcilicet jamdiu Umbriæ maritima inſederant, Romamque accenderant, ut dictum lib. 5.

Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

Galli multitudine ingenti ad Cluſium venerunt; legionem Romanam caſtraque oppugnaturi. Scipio, qui caſtris præerat, loco adjuvandam paucitatem ſuorum militum ratus; in colle qui inter urbem & caſtra erat, aciem erexit. Sed, ut in re ſubita, parum explorato itinere ad jugum perrexit, quod hoſtes ceperant, 3 parte alia egreſſi. ita cæſa ab tergo legio: atque in medio, quum hoſtis undique urgeret, circumventa. Deletam quoque ibi legionem, ita ut nuncius non ſupereſſet, quidam auctores ſunt; nec ante ad conſules, qui jam haud procul à Cluſio aberant, famam ejus cladis perlatam, quam in conſpectu fuere Gallorum equites, 4 pectoribus equorum ſuſpenſa geſtantes capita, & lanceis infixa, ovanteſque moris ſui carmine. Sunt qui Umbros fuiſſe, non Gallos tradant; nec tantum cladis acceptum. & circumventis pabulatoribus cum L. Manlio Torquato legato, Scipionem proprætorem ſubſidium è caſtris tuliſſe; victoreſque Umbros, redintegrato prælio, victos eſſe: captivoſque eis ac prædam ademptam. Similius vero eſt, à Gallo hoſte quam Umbro eam cladem acceptam, quod, quum ſæpe alias, tum eo anno, Gallici tumultus præcipuus terror civitatem tenuit. Itaque præterquam quod ambo conſules profecti ad bellum erant cum quatuor legionibus, & magno equitatu Romano, Campaniſque mille equitibus delectis ad id bellum miſſis, & ſociorum nominiſque Latini majore exercitu, quam Romani, alii duo exercitus haud procul urbe, [a] Etruriæ oppoſiti; unus in Faliſco, alter in Vaticano agro. Cn. Fulvius, & L. Poſtumius Megellus, proprætores ambo ſtativa in eis locis habere juſſi.

XXVII. Conſules ad hoſtes tranſgreſſo Apennino, [b] in agrum Sentinatem pervenerunt. Ibi quatuor millium ferme intervallo caſtra poſita. Inter hoſtes deinde conſultationes habitæ: atque ita convênit, ut ne unis caſtris miſcerentur omnes, neve in aciem deſcenderent ſimul. Samnitibus Galli, Etruſcis Umbri adjecti, dies indicta pugnæ: Samnitibus Galliſque delegata pugna: inter ipſum certamen Etruſci Umbriique juſſi caſtra Romana oppugnare. Hæc conſilia turbarunt transfugæ Cluſini tres; clam nocte ab Fabium conſulem tranſgreſſi, qui editis hoſtium conſiliis dimiſſi cum donis: ut ſubinde, ut quæque res nova decreta eſ-

INTERPRETATIO.

a *Objecti adversùs Tuſcos haud procul Româ.*

NOTÆ.

3. *Parte alia egreſſi.*] Cluſio nempe, aut Caſtris ſuis egreſſi, averſa à Romanorum Caſtris regioni.

4. *Pectoribus equorum ſuſpenſa geſtantes capita.*] Hic mos Germanorum quoque fuit, auctore Diodoro Siculo l. 4. aliiſque, ut hoſtium cæſorum capita oſtentarent, ſive lanceis affixa, ſive equorum pectoribus deligata

b. *In agrum Sentinatem.*] *Sentinas* Gentilium eſt à *Sentino* Umbriæ in confinio Piceni oppido, ſito in Apennini valle ad amnem cognominem, non procul fontibus Æſis fluvii. *Sentina* vulgo nunc dicitur, teſte Cluverio: Ferrarius ex ejus ruinis natum, auctumque putat oppidum *Saſſo Ferrato*.

ſet, exploratam perferrent. Conſules Fulvio, ut ex Faliſco, Poſtumio, ut ex Vaticano exercitum ad Cluſium admoveant; ſummaque vi fines hoſtium depopulentur, ſcribunt. Hujus populationis fama Etruſcos ex agro Sentinate ad ſuos fines tuendos movit. Inſtare inde conſules, ut abſentibus iis pugnaretur: per biduum laceſſiere prælio hoſtem. biduo nihil dignum dictu actum. Pauci utrinque cecidêre: magiſque irritati ſunt ad juſtum certamen animi, quam ad diſcrimen ſumma rerum adducta. tertio die deſcenſum in campum [2] omnibus copiis eſt. Quum inſtructæ acies ſtarent, cerva fugiens lupum, è montibus exacta, per campos inter duas acies decurrit: inde diverſæ feræ, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos curſum deflexit. Lupo data inter ordines via, cervam Galli confixere. Tum ex anteſignanis Romanus miles, [a] *Illac fuga*, inquit, *& cædes vertit, ubi ſacram Dianæ feram jacentem videtis. Hinc victor Martius lupus, integer & intactus, gentis nos Martiæ & conditoris noſtri admonuit.* Dextro cornu Galli, ſiniſtro Samnites conſtiterunt. Adverſus Samnites Fabius primam ac tertiam legiones pro dextro cornu. Adverſus Gallos pro ſiniſtro Decius quintam & ſextam inſtruit. ſecunda & quarta cum L. Volumnio proconſule in Samnio gerebant bellum. Primo concurſu, adeo æquis viribus geſta res eſt, ut, ſi affuiſſent Etruſci & Umbri, aut in acie, aut in caſtris, quocunque ſe inclinaſſent, accipienda clades fuerit. Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. & P. Dec.

XXVIII. Cæterum, quanquam communis adhuc Mars belli erat, needum diſcrimen fortuna fecerat, qua datura vires eſſet; haudquaquam ſimilis pugna, in dextro lævoque cornu erat. Romani apud Fabium arcebant magis quam inferebant pugnam: extrahebaturque in quam maxime ſerum diei certamen. quia ita perſuaſum erat duci, & Samnites & Gallos [1] primo impetu feroces eſſe, quos ſuſtineri ſatis ſit. longiore certamine ſenſim reſidere Samnitium animos: Gallorum quidem etiam corpora intolerantiſſima laboris atque æſtus fluere; primaque eorum prælia pluſquam virorum, poſtrema minus quam fœminarum eſſe. In id tempus igitur, quo vinci ſolebat hoſtis, quam integerrimas vires militi ſervabat. Ferocior Decius, & ætate & vigore animi; quantumcunque virium habuit, certamine primo effudit. & quia lentior videba-

INTERPRETATIO.

[a] *Fuga atque occiſio* hoc velut omine *verſa eſt* & inclinavit *in illam partem*, &c.

NOTÆ.

2. *Omnibus copiis.*] Omnibus hinc Romanorum, inde etiam Samnitium & Gallorum: non omnibus fœdere adversùs Romanos junctarum gentium. Nam Etruſci Umbriique aberant.

1. *Primo impetu feroces eſſe.*] Quod hìc Fabius Samnitibus Galliſque, idem Germanis quoque Tacitus attribuit initio libri de moribus eorum. *Magna corpora, & tantùm ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia.* Sic de Cimbris, Teutoniſque Florus lib. 3. c. 3. *Donec invicta illa rabies & impetus, quem pro virtute Barbari habent, conſenuerat.*

Urb. cond. an. 458. Coss. Q. Fab. & P. Dec.

ut pedestris pugnæ equitatum in pugnam concitat; & ipse fortissimæ juventum turmæ immixtus, orat proceres juventutis, *ut secum in hostem impetum faciant. Duplicem illorum gloriam fore, si ab lævo cornu & ab equite victoria incipiat.* Bis avertere Gallicum equitatum, iterum longius evectos, & jam inter media equitum agmina prælium cientes, novum pugnæ conterruit genus: [a] essedis, carrisque superstans armatus hostis, ingenti sonitu equorum rotarumque advênit, & [b] insolitos ejus tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pavor dissipat: sternit inde ruentes equos virosque improvida fuga. Turbata hinc etiam signa legionum: multique impetu equorum ac vehiculorum raptorum per agmen obtriti antesignani: & insecuta, simul territos hostes vidit, Gallica acies nullum spatium respirandi recipiendique se dedit. Vociferari Decius, *Quo fugerent? quamve in fuga spem haberent?* obsistere cedentibus, ac revocare fusos: deinde ut nulla vi perculsos sustinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans, *Quid ultra moror*, inquit, [3] *familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus. Jam ego mecum legiones hostium mactandas* [4] *Telluri ac Diis Manibus dabo.* Hæc locutus, M. Livium Pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, præire jussit verba, quibus se legionesque hostium pro exercitu populi Romani Quiritium devoveret. Devotus inde eadem precatione, eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se jusserat devoveri. Quum secundum solennes precationes adjecisset, *præ se agere sese, formidinem ac fugam, cædemque ac cruorem, cœlestium inferorum iras.* [c] Con-

INTERPRETATIO.

b *Non assuetos huic strepitui.*

c *Se tristibus furiis, ac funestis exercrationibus invecturum perniciem in signa, &c.*

NOTÆ.

2. *Essedis Carrisque superstans.*] *Essedum* Gallici ac Britannici vehiculi genus fuit: *Carrum* quoque currus quatuor rotarum, cujusmodi militibus usui ad vehenda impedimenta. Ex his Galli, cæterique Celtæ pugnare soliti, iisdem tanquam vallo usi muniendis castris: adeò ut Cimbrorum uxores, victis maritis, ipse adversus Romanos ex *objectis undique plaustris atque carpentis*, pugnaverint. Hic Carrorum usus adhuc tempore Ammiani fuit, & *Carrago* dicta castra sic munita. Haud absimiles Persarum] Falcati currus, quorum sæpiùs meminit inter cæteros Q. Curt.

3. *Familiare fatum.*] Verè fatum quoddam fuisse Deciorum ut pro patria certæ morti caput objicerent. Notatur tum ab aliis, tum à Cic. lib. 1. Tuscul. ubi ait, *Tres Decios fuisse qui pro salute patria vitam amittere magno virtutis edito exemplo voluerint*: ex quibus *Pater bello Gallico, Filius Etrusco, Nepos in bello Pyrrhi, quod pro Tarentinis gessit, Diis manibus se devoverunt.* Quod Decius Pater apud Ciceronem bello Gallico interiisse dicitur, apud nostrum ad bellum adversùs Latinos refertur. Nunc filius bello adversùs Gallos atque Etruscos se devovet.

4. *Telluri ac Diis Manibus dabo.*] Hic omnis se devovendi ritus ex lib. 8. cap. 10. repetendus est.

Digitized by Google

tacturum funebribus diris ſigna, tela, arma hoſtium: locumque eundem ſuæ peſtis & Gallorum ac Samnitium fore. Hæc execratus in ſe hoſteſque, qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: inferenſque ſe ipſe infeſtis telis interfectus eſt. Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. m. v. & Dec. iv.

XXIX. Vix humanæ inde opis videri pugnâ potuit. Romani, duce amiſſo, quæ res terrori aliàs eſſe ſolet, ſiſtere fugam, ac novam de integro velle inſtaurare pugnam. Galli, & maxime globus circumſtans conſulis corpus, velut alienatâ mente vana incaſſum jactare tela. torpere quidam, & nec pugnæ meminiſſe, nec fugæ. At ex parte altera pontifex Livius, cui lictores Decius tradiderat, juſſeratque proprætorem eſſe; vociferari, *Viciſſe Romanos,* [a] *defunctos conſulis fato. Gallos Samnitesque Telluris matris ac Deorum Manium eſſe. Rapere ad ſe ac vocare Decium* [1] *devotam ſecum aciem; furiarumque ac formidinis plena omnia ad hoſtes eſſe.* Superveniunt deinde his reſtituentibus pugnam L. Cornelius Scipio & C. Marcius, cum ſubſidiis ex noviſſima acie; juſſu Q. Fabii conſulis ad præſidium collegæ miſſi. ibi auditur P. Decii eventus; ingens hortamen ad omnia pro republica audenda. Itaque quum Galli ſtructis ante ſe ſcutis conferti ſtarent, nec facilis pede collato videretur pugna; juſſu legatorum collecta humi pila, quæ ſtrata inter duas acies jacebant, atque in teſtudinem hoſtium conjecta: quibus [2] pleriſque in ſcuta, verutis in corpora ipſa fixis, ſternitur cuneus: ita ut magna pars integris corporibus attoniti conciderent. hæc in ſiniſtro cornu Romanorum fortuna variaverat. Fabius in dextro cornu primo (ut ante dictum eſt) cunctando extraxerat diem, deinde, poſtquam nec clamor hoſtium, nec impetus, nec tela miſſa, eandem vim habere viſa; præfectis equitum juſſis ad latus Samnitium circumducere alas, ut ſigno dato in tranſverſos quanto maximo poſſent impetu incurrerent; ſenſim ſuos ſigna inferre juſſit, & commovere hoſtem. Poſtquam non reſiſti vidit, & haud dubiam laſſitudinem eſſe; tum collectis omnibus ſubſidiis, quæ ad id tempus reſervaverat, & legiones concitavit & ſignum ad invadendos hoſtes equitibus dedit. Nec ſubſtinuerunt Samnites impetum, præterque aciem ipſam Gallorum, relictis in dimicatione ſociis, ad caſtra effuſo curſu ferebantur. [3] Galli teſtudine facta conferti ſtabant. Tum Fabius,

INTERPRETATIO.

a *Morte Conſulis liberatos* ab imminenti periculo.

NOTÆ.

1. *Devotam ſecum aciem.*] Hoſtium nempe, quos unâ ſecum devoverat Diis Manibus.

2. *Pleriſque in ſcuta, verutis in corpora ipſa fixis.*] Quædam editiones inſerunt *pleriſque verutis*; ſed contra ſcriptorum fidem. Nec verò neceſſe eſt bis poni vocem, *pleriſque*; ſatis enim abſque eo intelligitur pilorum, ſeu jaculorum partem hæſiſſe, Gallorum ſcutis; partem quod teretiorem haberent mucronem, ut faciliùs penetrarent, ad ipſa etiam corpora pertigiſſe, *verutа nempe*.

3. *Galli teſtudine facta.*] Non ignotus Gallis uſus teſtudinis, ſeu conjungendorum ſcutorum ſupra capita.

Urb. cond. an. 458. Coss. Q. Fab. m. v. & P. Dec. IV.

audita morte collegæ, Campanorum alam, quingentos fere equites, excedere ácie jubet: & circumvectos ab tergo Gallicam invadere aciem. tertiæ deinde legionis subsequi principes, & qua turbatum agmen hostium viderent impetu equitum, instare ac territos cædere. Ipse ædem Jovi Victori, spoliaque hostium quum vovisset; ac castra Samnitium perrexit, quo multitudo omnis consternata agebatur. Sub ipso vallo, quia tantam multitudinem portæ non recepere, tentata ab exclusis turbâ suorum pugna est. Ibi Gellius Egnatius imperator Samnitium cecidit. compulsi deinde intra vallum Samnites: parvoque certamine capta castra, & Galli ab tergo circumventi. Cæsa eo die hostium viginti quinque millia, octo capta. nec incruenta victoria fuit. Nam ex P. Decii exercitu cæsa septem millia; ex Fabii, mille ac ducenti. Fabius, dimissis ad quærendum collegæ corpus, spolia hostium conjecta in acervum Jovi Victori cremavit. Consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum tumulis erat, inveniri non potuit. postero die inventum, relatumque est cum multis militum lacrymis. intermissâ inde omnium aliarum rerum curâ, Fabius collegæ funus omni honore laudibusque meritis celebrat.

XXX. Et in Etruria per eosdem dies ab Cn. Fulvio proprætore res ex sententia gesta; & præter ingentem inlatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnatum etiam egregie est: [1] Perusinorumque & Clusinorum cæsa amplius tria millia, & signa militaria ad viginti capta. Samnitium agmen quum per Pelignum agrum fugeret, circumventum à Pelignis est. ex millibus quinque ad mille cæsi. Magna ejus dici, quo in Sentinati agro bellatum, fama est; [a] etiam vero stanti. Sed [2] superjecere quidam augendo fidem: qui in hostium exercitu peditum quadraginta millia trecentos triginta, equitum sex millia, mille carpentorum scripsere fuisse: scilicet cum Umbris, Tuscisque; quos & ipsos pugnæ affuisse: & ut Romanorum quoque augerent copias, L. Volumnium proconsule ducem, consulibus, exercitumque ejus legionibus consulum adjiciunt. In pluribus annalibus duorum ea consulum propria victoria est. Volumnius in Samnio interim res gerit, Samnitiumque exercitum

INTERPRETATIO.

a *Etiamsi qui iis* tantùm, *quæ verò gesta sunt, inhæreat.*

NOTÆ.

1. *Perusinorum.*] De *Perusia* lib. 9. cap. 37.

2. *Superjecere quidam augendo fidem.*] Non improbabilis Gronovii sensus, *superavere quidam, augendo fidem*: sed quoniam codices variare non apparet, standum ejus explicationi, quam velut dubitans proponit: ut sit, *quidam augendo* numerum vel famam, *superjecere fidem*, id est, *jecere res supra fidem*. Adducit ejusdem generis phrasin ex Seneca 3. de Benef. cap. 32. *Nec beneficia parentum suorum superjaciunt*. In eandem sententiam Tan. Faber ait metaphoram esse, ut apud Horat. *Sæpe trans finem jaculo expedito*. Et *superjacere* esse τὸ ὑπερβαλλειν Græcorum, id est, ultra jaculari.

310

3 in Tifernum montem compulſum, non deterritus iniquitate loci, fundit fugatque. Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Etruria, ſuis legionibus deductis ad urbem, de Gallis Etruſciſque ac Samnitibus triumphavit. milites triumphantem ſecuti ſunt. Celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quam mors præclara P. Decii eſt: excitataque memoria parentis, 4 æquata eventu publico privatoque filii laudibus. Data ex præda militibus × æris octogeni bini, ſagaque & tunicæ; 5 præmia illa tempeſtate militiæ haud quaquam ſpernenda. Urb. condit. an. 458. Coſſ. Q. Fabius m. v. & P. Dec. IV.

XXXI. His ita rebus geſtis, nec in Samnitibus adhuc, nec in Etruria pax erat. nam & Peruſinis auctoribus poſt deductum ab conſule exercitum rebellatum fuerat: & Samnites prædatum in agrum Veſcinum Formianumque; & 1 parte alia in Æſerninum, quæque Vulturno adjacent flumini, deſcendêre. Adverſus eos Appius Claudius prætor cum exercitu Deciano miſſus. Fabius in Etruria rebellante denuo, quatuor millia & quingentos Peruſinorum occidit: cepit ad mille ſeptingentos quadraginta: qui redempti ſinguli 2 λ æris trecentis decem. præda alia omnis militibus conceſſa. Samnitium legiones quum partim Ap. Claudius prætor, partim L. Volumnius proconſul ſequerentur, in 3 agrum Stellatem convenerunt. 4 ibi & Samnitium legiones omnes conſidunt, & Appius Volumniuſque caſtra conjungunt. Pugnatum infeſtiſſimis animis; hinc ira ſtimulante adverſus rebellantes toties; illinc 5 ab ultima jam di-

NOTÆ.

3. *In Tifernum montem.*] De *Tiferno* monte, & oppido lib. 9. cap. 44.

4. *Æquata eventu publico privatoque filii laudibus.*] Quod Tan. Faber legendum putat *aquatis*, nihil eſt neceſſe quidquam mutari præter manuſcriptorum fidem, eademque ſententia eſt: tam enim *æquari* dicuntur anteriora, aut etiam majora poſterioribus & minoribus, quàm contrà: ut *æquare* ſumatur pro comparare.

5. *Præmia haudquaquam ſpernenda.*] Aſſes adhuc librales erant. Duo autem ſupra octoginta æris libræ ſecundùm computationem noſtram valent libellas monetæ Gallicæ fermè 55.

1. *Parte alia in Æſerninum.*] Samnii urbs *Æſernia* ad lævam Vulturni: nunc *Iſernia*. Ejus tamen agrum nunc Samnites populantur, quòd à Romanis anteà capta, in eorum ditione eſſet.

2. *Æris trecentis decem.*] Æris ſcilicet gravis, quale tunc in uſu, id eſt, noſtrâ æſtimatione paulo plus 200. lib.

3. *Agrum Stellatem.*] De illo antea.

4. *Ibi & Samnitium legiones omnes conſidunt.*] Plerique ſcripti ignorant vocem, *legiones*, cujus è proximo repetitio minùs elegans: magna pars habet *ibi & Samnitium omnes conſidunt*. Quâ formâ lib. 31. *Attalus, ne deſertam haberet inſulam, & Macedonum ferè omnibus, & quibuſdam Andriorum, ut manerent, perſuaſit*. Hæc lectio probatur Gronovio. Nec abſurda fortè quam Romæ Andreas dedit: *ibi ad Samnium omnes conſidunt*. Licet enim Stellatem agrum, de quo hìc agitur, conſtet in Campania fuiſſe, Calliculâ monte diremptum à Falerno: is tamen nonniſi intercurrente Vulturno dividebatur à Samnio; & in eo metantes, ad Samnii fines caſtra habuiſſe dici poſſunt.

5. *Ab ultima jam dimicantibus ſpe.*] Præpoſitio *a*, vel, *ab*, aliquando cauſam denotat, quâ quis ad agendum quidpiam impellitur, ut hic & apud Tull. lib. 9. ad Att. ep. 9. *Illud certè ſcio me ab ſingulari amore quæcumque ſcribo, tibi ſcribere*.

Urb. cond. an. 458. Coſſ. Q. Fab. m. v. & P. Dec. IV.

micantibus ſpe. Cæſa ergo Samnitium ſexdecim millia trecenti, captâ duo millia ſeptingenti. ex Romano exercitu cecidêre duo millia ſeptingenti. Felix annus bellicis rebus, peſtilentiâ gravis, [6] prodigiiſque ſolicitus. nam & terram multifariam pluiſſe, & in exercitu Appii Claudii pleroſque fulminibus ictos, nunciatum eſt; librique ob hæc aditi. Eo anno Q. Fabius Gurges conſulis filius aliquot matronas [7] ad populum ſtupri damnatas pecunia mulctavit. ex quo mulctaticio ære Veneris ædem, quæ prope Circum eſt, faciendam curavit. Superſunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen, [8] annumque ſextum & quadrageſimum, à M. Valerio, A. Cornelio conſulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus: & ne tot annorum clades utriuſque gentis, laboreſque actos nunc referam, quibus nequiverint tamen duriora pectora vinci; proximo anno Samnites in Sentinati agro, [a] Pelignis, ad Tifernum, Stellatibus campis, [b] ſuis ipſi legionibus, mixti alienis, [9] ab quatuor ducibus Romanis cæſi fuerant, imperatorem clariſſimum gentis ſuæ amiſerant; ſocios belli Etruſcos, Umbros, Gallos, in eadem fortuna videbant, qua ipſi erant; nec ſuis, nec externis viribus jam ſtare poterant. tamen bello non abſtinebant. adeo ne infeliciter quidem defenſæ libertatis tædebat: & vinci, quam non tentare victoriam, malebant. [10], Quinam ſit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum, ſcribendo legendoque, quæ gerentes non fatigaverunt?

INTERPRETATIO.

a *In Peligrorum regione.*

b Tum *ſolâ ac viribus ſuis, tum conjunctis cum aliis.*

NOTÆ.

6. *Prodigiiſque ſolicitus.*] Annum ſolicitum per hypallagen dicit, pro civitate, ſeu potiùs civibus eo anno anxiis ob frequentia portenta.

7. *Ad populum ſtupri damnatas pecuniâ mulctavit.*] Accuſaverat adulterii apud populum, atque ab eo damnari pecuniâque mulctari curaverat.

8. *Annumque ſextum & quadrageſimum.*] Conſules fuere M. Valerius Corvus III. A. Cornel. Coſſus an. u. c. 410. nunc agebatur annus 458. ex Sigonii rationibus: ergo negliguntur ab auctore anni duo, primus Conſulum M. Valerii, & A. Cornelii, & ultimus Q. Fabii, & P. Decii: alioqui anni eſſent 48. Hunc quidem annum excludere videtur Livius, cum eum mox *proximum* vocat. Verùm ejuſdem geſta ut præterita recenſet. Unde numerum annorum corruptum eſſe conjectura eſt non improbabilis.

9. *Ab quatuor ducibus Romanis cæſi fuerant.*] Samnites cum Gallis à Q. Fabio & P. Decio, eorumque exercitibus fuſi in Sentinati agro cap. 28. & 29. à Volumnio in Samnio ad Tifernum cap. 30. ab eodem ſimul & App. Claudio in Stellate agro. Quatuor hic ſunt exercitus, ducesque totidem, initio hujus cap. In Pelignis non Romanorum, ſed ipſorum Pelignorum armis aut fraude cladem acceperant cap. 30.

10. *Quinam ſit ille quem non pigeat.*] Aliud vult, aliud dicit. Miratur reverà Samnites non fatigatos fuiſſe tot bellis gerendis, cum eorum diuturnitas tædio ſit, tam legentibus, quàm ſibi ſcribenti.

XXXII. Q. Fabium, P. Decium, L. Poſtumius Megellus, & M. Atilius Regulus, conſules ſecuti ſunt. Samnium ambobus decreta provincia eſt, quia tres ſcriptos hoſtium exercitus, uno Etruriam, altero populationem Campaniæ repeti, tertium tuendis parari finibus, fama erat. Poſtumium valetudo adverſa Romæ tenuit: Atilius extemplo profectus, ut in Samnio hoſtes (ita enim placuerat Patribus) nondum egreſſos opprimeret. Velut ex compoſito ibi [1] obvium habuere hoſtem: [2] ubi & intrare, nedum vaſtare ipſi Samnitium agrum prohiberentur: & ingredi inde in pacata ſociorumque populi Romani fines Samnitem prohiberent. Quum caſtra caſtris collata eſſent, quod vix Romanus toties victor auderet, auſi Samnites ſunt (tantum deſperatio ultima temeritatis facit) caſtra Romana oppugnare. & quanquam non venit ad finem tam audax incœptum: tamen haud omnino vanum fuit. Nebula erat ad multum dieì, denſa adeo, ut lucis uſum eriperet; non proſpectu modo extra vallum adempto, [3] ſed propinquo etiam congredientium inter ſe conſpectu. Hac, velut latebra inſidiarum, freti Samnites, vixdum ſatis certa luce, & eam ipſam premente caligine, ad ſtationem Romanam, in porta ſegniter agentem vigilias, perveniunt. Improviſo oppreſſis, nec animi ſatis ad reſiſtendum, nec virium fuit. Ab tergo caſtrorum [4] decumanâ portâ impetus factus: itaque [a] captum quæſtorium: quæſtorque ibi L. Opimius Panſa occiſus, conclamatum inde ad arma.

Vita conſ. an. 459. Coſſ. L. Poſtum. & M. Atil.

XXXIII. Conſul tumultu excitus, cohortes duas ſociorum, Lucanam Sueſſanamque, quæ proximæ forte erant, tueri prætorium jubet: manipulos legionum [1] principali via inducit. Vixdum ſatis aptatis armis, in

INTERPRETATIO.

a *Tentorium Quæſtoris captum eſt.*

NOTÆ.

1. *Obvium habuere hoſtem.*] Qui *habuere*? Nam paulò antè Atilium ſolum nominavit: & Collegam ægritudo Romæ tenebat. Hinc, opinor, Aſulano cauſa fuit ſcribendi: *Atilius cum exercitu extemplo profectus*, licèt à pleriſque abeſſe illa *cum exercitu* affirmet Gronov. Sed non tantùm *exercitus* nomen collectivum facilè plurali numero aptatur. Verùm & Ducis nomine milites intelliguntur: placetque noſtro variatio numeri pluralis & ſingularis.

2. *Ubi & intrare, nedum vaſtare.*] Eò ſcilicet loco, ubi, &c. Indicantur Samnii, & Campaniæ, aliarumque Romanæ ditionis aut ſocietatis gentium confinia, à quorum ingreſſu Samnites, Romanique ſe mutuò arcerent.

3. *Sed propinquo etiam congredientium inter ſe conſpectu.*] Repete *adempto*, ita ut nec è propinquo ſe conſpicerent colloquentes.

4. *Decumana porta.*] Præcipua Porta caſtrorum fuit Decumana, in hoſtes plerunque verſa; ad quam Prætoris vel Conſulis, Quæſtoris, Legatorum tabernacula. Nunc non in fronte, ſed in tergo caſtrorum, atque averſa ab hoſtibus, præter morem, fuiſſe videtur.

1. *Principali via.*] *Via Principalis* in Caſtris ea erat, quæ inter Prætorium & cæterorum ducum tentoria, interque proximam legionum metaturam interjacebat: ſic dicta principiis, quæ ſpatium illud medium, à Tribunis ad legiones, comprehendebant.

Urb. cond. an. 459. Coſſ. L. Poſtum. & M. Attil.

ordines eunt: & clamore magis quam oculis hoſtem noſcunt: nec quantus numerus ſit, æſtimari poteſt. Cedunt primo incerti fortunæ ſuæ, & hoſtem introrſum in media caſtra accipiunt. inde quum conſul vociferáretur, expulſine extra vallum, caſtra deinde ſua oppugnaturi eſſent, rogitans; clamore ſublato connixi primo reſiſtunt: deinde inferunt pedem, urgentque, & impulſos ſemel terrore eodem agunt, quo ceperunt. Expellunt extra portam vallumque. inde pergere ac perſequi (quia turbida lux metum circà inſidiarum faciebat) non auſi, liberatis caſtris contenti, receperunt ſe intra vallum; trecentis ferme hoſtium occiſis. Romanorum ſtationis primæ, vigilumque, & eorum qui circa quæſtorium oppreſſi, periere ad ducentos triginta. Animos inde Samnitibus non infelix audacia auxit, & non modo proferre inde caſtra Romanum, ſed ne pabulari quidem per agros ſuos patiebantur. retro in pacatum Soranum agrum pabulatores ibant. Quarum rerum fama, tumultuoſior etiam, quam res erat, perlata Romam, coëgit L. Poſtumium conſulem, vix dum validum, proficiſci ex urbe; prius tamen quam exiret, militibus edicto Soram juſſis convenire. Ipſe ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex mulctaticia pecunia faciendam curaverat, dedicavit. Ita ad exercitum profectus, ab Sora in Samnium ad caſtra collegæ perrexit. inde poſtquam Samnites, diffiſi duobus exercitibus reſiſti poſſe, receſſerunt; diverſi conſules ad vaſtandos agros urbeſque oppugnandas diſcedunt.

XXXIV. Poſtumius [1] Miloniam oppugnare adortus, vi primo atque impetu, deinde poſtquam ea parum procedebant, opere ac vineis demum injunctis muro cepit. Ibi capta jam urbe ab hora quarta diei ad octavam fere horam, omnibus partibus urbis diu incerto eventu pugnatum eſt. poſtremo potitur oppido Romanus. Samnitium cæſi tria millia ducenti: capti quatuor millia ducenti, præter prædam aliam. [2] Inde Ferentinum ductæ legiones. unde oppidani cum omnibus rebus ſuis, quæ ferri agique potuerunt, nocte per averſam portam ſilentio exceſſerunt. Igitur ſimul advenit conſul, primo ita compoſitus inſtructuſque mœnibus ſucceſſit; tanquam idem, quod ad Miloniam fuerat, certaminis foret: deinde ut ſilentium vaſtum in urbe, nec arma nec viros in turribus ac muris vidit: avidum invadendi deſerta mœnia militem detinet; ne quam occultam in fraudem incautus rueret. Duas turmas ſociorum Latini nominis circumequitare mœnia atque explorare omnia jubet. equites portam unam alteramque eadem regione in propinquo patentes conſpiciunt, itineribuſque iis veſtigia nocturnæ hoſtium fugæ. Adequitant deinde ſenſim portis, urbemque, ex tuto, rectis itineribus perviam

NOTÆ.

1. *Miloniam.*] Aliàs *Miloniam*. Vide cap. 3. hujus libri.

2. *Inde Ferentinum.*] In pleriſque Mſſ. eſt *Ferentum*. Sigon. *Triventinum* ſuſpicatur, quod eſt ad Tinium fl. unde Treventinates in Samnio apud Plin. Ego *Forentium* Apulorum conjiciebam, iis de cauſis, quas ante indicavi.

conſpiciunt: ad conſulem referunt, exceſſum urbe ſolitudine haud dubia perſpicuum eſſe, & recentibus veſtigiis fugæ, ac 3 ſtrage rerum in trepidatione nocturna paſſim relictarum. His auditis conſul ad eam partem urbis, qua adjerant equites, circumducit agmen: conſtitutiſque haud procul porta ſignis, quinque equites jubet intrare urbem, & modicum ſpatium progreſſos, tres manere eodem loco, ſi tuta videantur: duos explorata ad ſe referre. Qui ubi redierunt, retuleruntque eo ſe progreſſos, unde in omnes partes circumſpectus eſſet, longe lateque ſilentium ac ſolitudinem vidiſſe; extemplo conſul cohortes expeditas in urbem induxit: cæteros interim caſtra communire juſſit. ingreſſi milites, refractis foribus, paucos graves ætate aut invalidos inveniunt, relictaque quæ migratu difficilia eſſent. Ea direpta, & cognitum ex captivis eſt, communi conſilio aliquot circa urbes conſciſſe fugam, ſuos prima vigilia profectos. credere eandem in aliis urbibus 4 ſolitudinem inventuros. Ueb. conſul. an. 459. Coſſ. L. Poſtum. & Attil.

XXXV. [a] Dictis captivorum fides extitit: deſertis oppidis conſul potitur. alteri conſuli M. Attilio nequaquam tam facile bellum fuit. Quum ad Luceriam duceret legiones, quam oppugnari ab Samnitibus audierat, ad finem Lucerinum ei hoſtis obvius fuit: ibi ita vires æquavit. Prælium varium & anceps fuit. triſtius tamen eventu Romanis; & quia inſueti erant vinci; & quia digredientes magis quam in ipſo certamine, ſenſerunt quantum in ſua parte plus vulnerum ac cædis fuiſſet. Itaque is terror in caſtris ortus, qui ſi pugnantes cepiſſet, inſignis accepta clades foret. Tum quoque ſolicita nox fuit; jam invaſurum caſtra Samnitem credentibus, aut prima luce eum victoribus conſerendas manus: Minus cladis (cæterum non plus animorum) [b] ad hoſtes erat. ubi primum illuxit, abire ſine certamine cupiunt. Sed via una, & ea ipſa præter hoſtes, erat. qua ingreſſi, præbuere ſpeciem recta tendentium ad caſtra oppugnanda. Conſul arma capere milites jubet, & ſequi ſe extra vallum. legatis, tribunis, præfectis ſociorum imperat, quod apud quemque facto opus eſt. Omnes affirmant, *ſe quidem omnia facturos, ſed militum jacere animos. tota nocte inter vulnera, & gemitus morientium vigilatum eſſe. Si ante lucem ad caſtra ventum foret, tantum pavoris fuiſſe, ut relicturi ſigna fuerint: nunc pudore à fuga contineri, alioquin pro victis eſſe.* Quæ ubi conſul accepit, ſibimetipſi circumeundos alloquendoſque milites ratus, ut ad quoſque venerat, cunctantes arma capere increpabat; *Quid ceſſarent, tergiverſarenturque? Hoſtem in*

INTERPRETATIO.

a *Quæ à captivis relata fuerant, vera inventa ſunt.*

b *Erat apud Samnites.*

NOTÆ:

3. *Strage rerum.*] *Strages* hic minùs uſitato ſenſu dicitur, pro acervis rerum, quæ à fugientibus abjectæ fuerant, aut ipſis exciderant, & quibus paſſim velut ſtratæ erant viæ.

4. *Solitudinem inventuros.*] Romanos;

Urb. Cond. an. 459. Coss. L. Postum. & M. Attil.

castra venturum, nisi illi extra castra exiissent: & pro tentoriis suis pugnaturos, si pro vallo nollent, [1] *armatis ac dimicantibus* [1] *dubiam victoriam esse. Qui nudus atque inermis* [c] *hostem maneat, ei aut mortem, aut servitutem patiendam.* Hæc jurganti increpantique respondebant, *confectos se pugna hesterna esse: nec virium quicquam, nec sanguinis superesse; majorem multitudinem hostium apparere, quam pridie fuerit.* Inter hæc appropinquabat agmen: & jam breviore intervallo certiora intuentes, vallum secum portare Samnitem affirmant. nec dubium esse, quin castra circumvallaturi sint. Tunc enim vero consul *indignum facinus esse*, vociferari, *tantam contumeliam ignominiamque ab ignavissimo accipi hoste. Etiamne circumsedebimur*, inquit, *in castris, ut fame potius per ignominiam, quam ferro, si necesse est, per virtutem moriamur? Dii bene verterent, facerentque quod se dignum quisque ducerent, Consulem M. Attilium vel solum, si nemo alius sequatur, iturum adversus hostes: casurumque inter signa Samnitium potius, quam circumvallari castra Romana videat.* Dicta consulis, legati, tribunique, & omnes turmæ equitum, & centuriones primorum ordinum, approbavere. Tum pudore victus miles segniter arma capit, segniter è castris egreditur longo agmine, nec continenti: mœsti ac prope victi procedunt versus hostem, [2] nec spe, nec animo certiorem. Itaque simul conspecta sunt Romana signa, extemplo à primo Samnitium agmine ad novissimum fremitus perfertur, *Exire, id quod timuerint, ad impediendum iter Romanos.* Nullam inde ne fugæ quidem patere viam. illo loco aut cadendum esse, aut stratis hostibus per corpora eorum evadendum.

XXXVI. In medio sarcinas conjiciunt; armati suis quisque ordinibus instruunt aciem. Jam exiguum inter duas acies erat spatium: & stabant exspectantes dum ab hostibus prius impetus, prius clamor inciperet. neutris animus est ad pugnandum. Diversique integri atque intacti abissent,

INTERPRETATIO.

[c] *Expellat hostes.*

NOTÆ.

1. *Armatis ac dimicantibus dubiam victoriam.*] Ex Gronovii sententia, quam ut probem res exigit, malè contra omnia scripta exemplaria correxerat Sigonius, *haud dubiam victoriam*. Satis erat, eo præsertim rerum statu quem in Romano exercitu Livius describit, si sperari victoria posset: neque poterat, tanquàm haud dubia, affirmari. Itaque hoc tantùm ajebat Attilius satiùs esse pugnam capessere, quàm inermes hostem expectare: ex pugna quippe spem victoriæ, licèt non omnino certam; ex inertia certam mortem aut captivitatem sequi.

2. *Hostem nec spe, nec animo certiorem.*] Hic quoque sibi plaudit Sigonius quòd *certiorem*, mutaverit in *fortiorem*: egregium hoc quidem si pro scholio sumatur: sed non Livianum, ut ex vetustis Codicibus testatur Gronovius. *Certum* quidem pro *firmo*, *fortive* accipi, probat Cæsaris ac Ciceronis auctoritate. Ille lib. 7. bel. Gall. *Generatimque distributi in civitates, omnia vada ac saltus ejus paludis, certis custodiis obtinebant.* Hic lib. 10. ad Att. ep. 11. *Et quò ille mea certiorem vulnere esse, eò magis timeo, ne in eum civitatem crudeliorem.*

ni cedenti inſtiturum alterum timuiſſent. ſua ſponte inter invitos tergiverſanteſque ſegnis pugna, clamore incerto atque impari, cœpit: nec veſtigio quiſquam movebatur. Tum conſul Romanus, [a] ut rem excitaret; equitum paucas turmas extra ordinem immiſit: quorum quum plerique delapſi ex equis eſſent, & alii turbati: & ab Samnitium acie ad opprimendos eos qui ceciderant, & ad ſuos tuendos ab Romanis procurſum eſt. Inde paullulum irritata pugna eſt, ſed aliquanto & impigre magis, & plures procurrerant Samnites: & turbatus eques [1] ſua ipſe ſubſidia territis equis proculcavit. hinc fuga cœpta totam avertit aciem Romanam. Jamque in terga fugientium Samnites pugnabant, quum conſul equo prævectus ad portam caſtrorum, ac ſtatione equitum ibi oppoſita, edictoque, Ut quicumque ad vallum pergeret, ſive ille Romanus, ſive Samnis eſſet, pro hoſte haberetur; hæc ipſa minitans, obſtitit profuſe tendentibus ſuis in caſtra. *Quo pergis*, inquit, *miles? & hic arma & viros invenies. nec vivo conſule tuo niſi victor caſtra intrabis. Proinde elige, cum cive, an hoſte pugnare malis.* Hæc dicente conſule, equites infeſtis cuſpidibus circumfunduntur, ac peditem in pugnam redire jubent. Non virtus ſolum conſulem, ſed fors etiam adjuvit; quod non inſtiterunt Samnites: ſpatiumque circumagendi ſigna, vertendique aciem à caſtris in hoſtem fuit. Tum alii alios hortari, ut repeterent pugnam: centuriones ab ſigniferis rapta ſigna inferre: & oſtendere ſuis, paucos & ordinibus incompoſitis effuſe venire hoſtes. Inter hæc conſul, manus ad cœlum attollens, voce clara ita ut exaudiretur, templum Jovi Statori vovet, ſi conſtitiſſet à fuga Romana acies, redintegratoque prælio cecidiſſet viciſſetque legiones Samnitium. Omnes undique amniſi ad reſtituendam pugnam, duces, milites, peditum equitumque vis numen etiam Deorum reſpexiſſe nomen Romanum viſum: adeo facile inclinata res, repulſique à caſtris hoſtes; mox etiam redacti ad eum locum, in quo commiſſa pugna erat. Ibi, objacente ſarcinarum cumulo, quas conjecerant in medium, hæſere impediti: deinde ne diriperentur res, orbem armatorum ſarcinis circumdant. Tum vero eos à fronte urgere pedites, ab tergo circumvecti equites. ita in medio cæſi captique. captivorum numerus fuit ſeptem millium ac trecentorum, qui omnes nudi ſub jugum miſſi. cæſos retulere ad quatuor millia octingentos. Ne Romanis quidem læta victoria fuit; recenſente conſule biduo acceptam cladem, amiſſorum militum numerus relatus ſeptem millia trecenti. [2] Dum hæc in Apulia gerebantur, altero exercitu Samnites [3] Interamnam coloniam Romanam,

Urb. cond. an. 459. Coſſ. L. Poſtum. & M. Attil.

INTERPRETATIO.

[a] *Quo accenderet pugnam.*

NOTÆ.

1. *Sua ipſe ſubſidia.*] Eos qui procurrerant ad ferendam ipſis opem.

2. *Dum hæc in Apulia gerebantur.*] Luceria enim, ad quam & ob quam pugnatum, in Apulia Daunia, ut antè diximus.

3. *Interamnam Col. Rom. quæ via Latina eſt.*] Hæc *Interamna*, ſive *Du-*

Urb. cond. an. 459. Coss. L. Postum. & M. Attil.

quæ viâ Latinâ est, occupare conati; urbem non tenuerunt: agros depopulati, quum prædam aliam inde mixtam hominum atque pecudum, colonosque captos agerent; in victorem incidunt consulem, ab Luceria redeuntem: nec prædam solum amittunt, sed ipsi longo ac impedito agmine incompositi cæduntur. Consul Interamnam, edicto dominis, ad res suas noscendas recipiendasque, revocatis, & exercitu ibi relicto, comitiorum causa Romam est profectus. Cui de triumpho agenti negatus honos: & ob amissa tot millia militum, & quod captivos sine pactione sub jugum misisset.

XXXVII. Consul alter Postumius, quia in Samnitibus materia belli deerat, in Etruriam traducto exercitu, primum pervastaverat [1] Volsiniensem agrum: deinde cum egressis ad tuendos fines, haud procul mœnibus ipsorum depugnat. duo millia ducenti Etruscorum cæsi: cæteros propinquitas urbis tutata est. In Rosellanum agrum exercitus traductus: ibi non agri tantum vastati, sed oppidum etiam expugnatum: capta amplius duo millia hominum, minus duo millia circa muros cæsa. Pax tamen clarior majorque, quam bellum in Etruria eo anno fuerat, parata est. Tres validissimæ urbes, Etruriæ capita, Volsinii, Perusia, Arretium, pacem petiere: & [2] vestimentis militum, frumentoque pacti cum Consule, ut mitti Romam oratores liceret; inducias in quadraginta annos impetraverunt. [3] mulcta præsens, quingentûm millium æris in singulas civitates imposita. Ob hasce res gestas consul quum triumphum ab senatu moris magis causa, quam spe impetrandi petiisset, videretque alios quod tardius ab urbe exisset, alios, quod injussu senatus ex Samnio in Etruriam transisset, partim suos inimicos, partim collegæ amicos, ad solatium æquatæ repulsæ sibi quoque negare triumphum; *Non ita*, inquit, *Patres Conscripti, vestræ majestatis meminero, ut me consulem esse oblivisear. eodem jure imperii, quo bella gessi; bellis feliciter gestis, Samnio atque Etruria subactis, victoria & pace parta, triumphabo.* Ita senatum reliquit. Inde inter tribunos plebis contentio orta est: pars intercessuros ne novo exemplo triumpharet, ajebant: pars auxilio se adversus collegas triumphanti futuros. Jactata res ad populum est; vocatusque eo consul, quum M. Horatium, L. Valerium consules, C. Marcium Rutilum nuper patrem ejus, qui tunc censor esset, non ex auctoritate senatus, sed jussu populi triumphasse diceret, adjiciebat, *se quoque laturum fuisse ad populum, ni sciret mancipia nobilium tribunos plebis legem im-*

NOTÆ.

teramnium ad Lirim fluvium fuit; ubi nunc *l'Isola*. Cluv. at Holstenio, ubi *Torre di Termine*; haud procul Aquino, è regione oppidi *Ponte corvo* Olim in Volscis, nunc in Terra Laboris & regno Neapolitano.

1. *Volsiniensem agrum.*] De Volsiniensibus, Rosellanis, Perusiâ, & Arretio dictum suprà.

2. *Vestimentis militum, frumentoque.*] Supple, dato, vel promisso.

3. *Mulcta præsens quingentum millium aris.*] Harum trium Civitatum mulcta, statim numeranda, hodierna apud nos æstimatione circa trecenta viginti quinque millia librar. Francicarum efficeret, *peditu-*

pedituros: voluntatem sibi ac favorem consentientis populi pro omnibus Urb. cond. an. 459. Coss. L. Postum. & M. Attil.
jussis esse, ac futuram. Posteroque die auxilio tribunorum plebis trium, adversus intercessionem septem tribunorum, & consensum senatus, 4 celebrante populo diem, triumphavit. Et hujus anni parum constans memoria est. Postumium, auctor est Claudius, in Samnio captis aliquot urbibus, in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum: ab Attilio in Etruria res gestas; eumque triumphasse. Fabius, ambos Consules in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule non adjecit) & ad Luceriam utrinque multos occisos. inque ea pugna Jovis Statoris ædem votam, 5 ut Romulus ante voverat: sed 6 fanum tantum, id est locus templo effatus, jam sacratus fuerat. Cæterum hoc demum anno, ut ædem etiam fieri senatus juberet, [a] bis ejusdem voti damnata republica in religionem venit.

XXXVIII. Sequitur hunc annum consul insignis, L. Papirius Cursor, qua paterna gloria, qua sua: & bellum ingens victoriaque, quantam de Samnitibus nemo ad eam diem, præter [1] L. Papirium patrem consulis pepererat: & fortè eodem conatu apparatuque, omni opulentia insignium armorum, bellum adornaverant: & opes Deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus; delectu per omne Samnium habito nova lege: ut qui juniorum non convenisset ad impe- Urb. cond. an. 460. Coss. L. Papir. & Sp. Carvil.

INTERPRETATIO.

[a] *Visum est ad religionem pertinere, ut Senatus jussu templum conderetur Jovi Statori, quandoquidem jam bis Resp. id obtinuerat cujus causâ conceptum fuerat hoc votum*, voto ei nuncupato servata erat.

NOTÆ.

4. *Celebrante populo diem, triumphavit.*] Exemplum habes triumphi acti invito Senatu, & intercedente majori parte Tribunorum plebis, quod sanè contra leges triumphi; eum enim honorem & à Senatu decerni, & populi suffragiis confirmari oportebat; ità ut nemo ex collegio Tribunorum intercederet.

5. *Ut Romulus ante voverat.*] Vide lib. 1. cap. 12.

6. *Fanum tantum, id est locus.*] Vides quid distet *Fanum* propriè dictum à Templo: Fanum ait locum esse Templo ædificando effatum, id est destinatum. Templum autem ædes est jam constructa & consecrata: quanquam *Fanum* latiori significatione plerunque pro æde sacra sumatur. Apud Beccharium est, *Fanum tantùm id est locus templo jam sacratus, effatus fuerat*, inverso ordine, sensu nihil mutato. In Ms. uno Colb. prætermisso adverbio *jam*, & nomine *fanum*, sic legitur. *Ut Romulus antè voverat. Sed tantum idem locus templo effatus sacratus fuerat.* Iisdemque verbis scripta, hæc sententia in Mamm. qui antiquior: nisi quod hic pro *tm̃*, habet *tñ*: ita ut ambiguum videatur legendumne sit *tantùm*, an *tamen*.

1. *L. Papirium patrem Consulis.*] Editiones complures *patrem Consulem* habent quidam Mss. *Patrem Consul:* sed perperam. Certè in Memmiano exstat disertè, *præter L. Papirium Patrem Consulis*: & quamvis verum sit sæpè Samnites & ab aliis Consulibus, & ab ipso L. Papirio patre, cum Consul esset, victos fuisse: tamen victoria illa, quam indicat Livius, & quæ præ exteris ob hostium arma auro argentoque insignia, illustris fuit, parta est ab eodem in Dictatura, quam gessit an. 444.

Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

ratorium edictum, quique injuſſa abiſſet, ᵗ ² caput Jovi ſacratum eſſet. Tum exercitus omnis 3 Aquiloniam eſt indictus. ad quadraginta millia militum, quod roboris in Samnio erat, convenerunt. Ibi mediis fere caſtris [a] locus eſt conſeptus cratibus pluteiſque, & linteis contectus; patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes. [b] Ibi ex libro vetere linteo lecto ſacrificatum, ſacerdote Ovio Paccio quodam, homine magno natu, qui ſe id ſacrum petere affirmabat ex vetuſta Samnitium religione: quo quondam uſi majores eorum fuiſſent, quum adimendæ Etruſcis Capuæ clandeſtinum cepiſſent conſilium. Sacrificio perfecto, per viatorem imperator aciri jubebat nobiliſſimum quemque genere factiſque. ſinguli introducebantur. Erat, quum alius apparatus ſacri, qui perfundere religione animum poſſet: tum [c] in loco circa omni contecto aræ in medio, victimæque circa cæſæ, & circumſtantes centuriones ſtrictis gladiis. Admovebatur altaribus miles, magis ut victima, quam ut ſacri particeps: adigebaturque jurejurando, quæ viſa auditaque in eo loco eſſent, non enunciaturum. Dein jurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque & ſtirpis compoſito, niſi iſſet in prælium, quo imperatores duxiſſent; & ſi aut ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, non extemplo occidiſſet. Id primo quidam abnuentes juraturos ſe, obtruncati circa altaria ſunt: jacentes deinde inter ſtragem victimarum, documento cæteris fuere, ne abnuerent. Primoribus Samnitium ea deteſtatione obſtrictis, decem nominatis ab imperatore; eis dictum, ut vir virum legerent, donec ſexdecim millium numerum confeciſſent: ea 4 legio linteata 5 ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, appellata eſt. His arma inſignia data, & criſtatæ galeæ, ut inter cæteros ominerent. paulo plus viginti

INTERPRETATIO.

a *Locum in medio Caſtrorum viminibus textis ac tabulis circumvallarunt, lineaque telâ velarunt.*

b *Eo in loco, ex præſcripto vetuſti libri linteo qui lectus eſt, factum ſacrificium eſt.*

c *Erant etiam aræ in medio ſepti, loco qui totus circum undique apertus.*

NOTÆ.

2. *Caput Jovi Sacratum eſſet.*] Supplicio devotum, ut ante explicui.

3. *Aquiloniam eſt indictus.*] Hirpinorum olim urbs fuit *Aquilonia*, quæ Cluverio & Brietio creditur eſſe nunc *Carbonara*: ſed Holſtenio facilè accedo qui *la Cedogna* omnino eſſe vult; in cujus nomine veſtigia ſatis perſpicua manent prioris appellationis. Et *Carbonara* vicus eſt, *Laquedonia* Civitas Epiſcopalis: utraque in Principatu ulteriori, regnoque Neapolitano, non procul Aufido fl.

4. *Legio Linteata.*] Niſi aliam rationem hujus vocabuli Livius ipſe redderet, facilè in eorum ſententiam irem, qui à Linteis loricis, Linteatæ Legionis nomen deducunt; certum enim eſt ejuſcemodi thoracum in bello uſum apud veteres fuiſſe: ſed Livio credendum eſt, & Feſto, qui affirmant legionem Samnitium *Linteatam* appellatam, quòd Samnites intrantes ſinguli ad aram velis Linteis circumdatam, non ceſſuros ſe Romano militi juraverant.

5. *Ab integumento conſepti.*] *Conſeptum* idem ſignificat, quod ſeptum à ſepiendo deductum: eâque voce præter Livium uſi ſunt Varro & Columella, ut Sigon. notat,

millium alius exercitus fuit, nec corporum ſpecie, nec gloria belli, nec apparatu linteatæ legioni diſpar. hic hominum numerus quod roboris erat, ad Aquiloniam conſedit. Urb. cond. an. 460. Coſſ. Sp. Carvil. & L. Papir.

XXXIX. Conſules profecti ab urbe: prior Sp. Carvilius, cui veteres legiones, quas M. Attilius ſuperioris anni conſul in agro Interamnati reliquerat, decretæ erant, cum eis in Samnium profectus, dum hoſtes operati ſuperſtitionibus concilia ſecreta agunt, 1 Amiternum oppidum de Samnitibus vi cepit. Cæſa ibi millia hominum duo ferme atque octingenti: capta quatuor millia ducenti ſeptuaginta. Papirius nova exercitu (ita decretum erat) ſcripto, 2 Duroniam urbem expugnavit: minus quam collega cepit hominum, plus aliquanto occidit. præda opulenta utrobique eſt parta. Inde pervagati Samnium conſules, maxime depopulato 3 Atinate agro: 4 Carvilius ad Cominium, Papirius ad Aquiloniam (ubi ſumma rei Samnitium erat) pervenit. Ibi aliquandiu nec ceſſatum ab armis eſt, neque naviter pugnatum, laceſſendo quietos, reſiſtentibus cedendo; comminandoque magis, quam inferendo pugnam, dies abſumebatur: quod quum inciperetur, remitteretur que, omnium rerum etiam parvarum eventus proferebatur in dies. Altera Romana caſtra viginti millium ſpatio aberant: & abſentis collegæ conſilia omnibus gerendis intererant rebus: intentiorque Carvilius, quo majore diſcrimine res vertebatur, in Aquiloniam, quam ad Cominium, quod obſidebat, erat. L. Papirius jam per omnia ad dimicandum ſatis paratus, nuncium ad collegam mittit; *ſibi in animo eſſe*;

NOTÆ.

1. *Amiternum oppidum.*] Fuit *Amiternum* Sabinorum oppidum in Veſtinorum confinio, non procul Aterni fluminis fontibus; qui vulgò *Peſcara*. Urbis ruinæ ac nomen viſuntur juxta oppidulum *S. Vittorino* 5. circiter milliari ab Aquila urbe regni Neap. in Aprutio 1 Amiternum porro licèt in Sabinorum regione, hoc tempore Samnitibus parebat, ut & alia finitimorum populorum loca.

2. *Duroniam urbem expugnavit.*] Niſi mendum ſit, & legendum *Furconia*, quod eſt Sabinorum in Veſtinorum Marſorumque confinibus oppidum, non procul Amiterno: quis locus ab auctore ſignificetur, divinare non poſſum. Potuit facilè in Samnitum ditione, non ſecus ac Vicinum Amiternum eſſe *Furconia*, ſive *Furconium*, cujus hodie rudera *Forconio* vocantur ad dextram Aterni ripam, ex adverſo Aquilæ, quæ tribus inde milliaribus abeſt. Holſtenius notat ab Eccleſia Sancti Felicis martyris, quæ in ruinis ejus civitatis extat, loco nomen eſſe *S. Feli*.

3. *Atinate agro.*] Ab urbe Volſcorum *Atina*, quæ adhuc nomen ſervat, ager hic nomen, opinor, accepit potiùs quam ab *Atino* oppido Lucaniæ, quod nunc *Areno*, mediâ ſyllabâ correptâ, in dextra Tanagri fl. ripa; Samnites quippe Volſcorum non pauca tenuerunt loca, Lucanorum non item, Romanis vim Samnitum in Lucanos arcentibus.

4. *Carvilius ad Cominium.*] Livio ipſo teſte patet Cominium viginti tantùm millium ſpatio abfuiſſe ab Aquilonia: ex quo ſequitur, aut in Samnii Orientalis finibus, aut in Hirpinorum regione illud fuiſſe. Non itaq; poteſt (niſi fortè in numero milliarium ſcribendo error intervenerit) ei reſpondere locus, quem hodie *Comino* dici ait Scipio Mazella inter Atinam Soram, & Lacum Fucinũ: id eſt, in Volſcorum & Samnitum Occidentalium ac Sidicinorum confinio: inter hæc enim & Laquedoniam interjacet tota Campania.

U. C. 460. Coss. Sp. Carvil. & L. Papir.

postero die, si per auspicia liceret, confligere cum hoste, opus esse & illum quanta maxima vi posset, Cominium oppugnare: ne quid laxamenti sit Samnitibus ad subsidia Aquiloniam mittenda. Diem ad proficiscendum nuncius habuit: nocte rediit; approbare collegam consulta referens. Papirius, nuncio misso, extemplo concionem habuit; multa de universo genere belli, multa de præsenti hostium apparatu, vana magis specie quàm efficaci ad eventum, disseruit. *Non enim cristas vulnera facere: & per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum: & candore tunicarum fulgentem aciem, ubi res ferro geratur, cruentari. Auream olim atque argenteam Samnitium aciem à parente suo occidione occisam: spoliaque ea honestiora victori hosti, quam ipsis arma fuisse. Datum hoc forsan nomini familiæque suæ, ut adversus maximos conatus Samnitium, opponerentur duces, spoliaque ea referrent, quæ insignia publicis etiam locis decorandis essent. Deos immortales adesse propter toties petita fœdera, toties rupta: tum si qua conjectura mentis divinæ sit, nulli unquam exercitui fuisse infestiores, quam qui nefando sacro mixta hominum pecudumque cæde respersus, [a] ancipiti Deûm iræ devotus, hinc fœderum cum Romanis illorum testes Deos, hinc juris jurandi adversus fœdera suscepti execrationes horrens, invitus juraverit, oderit sacramentum, uno tempore Deos, cives, hostes metuat.*

XL. Hæc comperta perfugarum indiciis, quum apud infensos jam sua sponte milites disseruisset; simul divinæ humanæque spei pleni, clamore consentienti pugnam poscunt: pœnitet in posterum diem dilatum certâmen. moram diei noctisque oderunt. Tertia vigilia noctis, jam relatis liceris à collega, Papirius silentio surgit, & pullarium in auspicium mittit. Nullum erat genus hominum in castris intactum cupiditate pugnæ: summi infimique æque intenti erant: dux militum, miles ducis ardorem spectabat. Is ardor omnium etiam ad eos qui auspicio intererant, pervenit. nam quum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, [1] tripudium solistimum consuli nunciavit. Consul lætus,

INTERPRETATIO.

[a] *Numinum ultioni obnoxius, quam duplici ex causa meruerit.*

NOTÆ.

9. *Uno tempore Deos, Cives, hostes metuat.*] Deos ob rupta fœdera, & execrandum juramentum; Cives, quòd Samnites conjurassent, se confestim occisuros quemcunq; suorum fugientem vidissent; hostes, Romanos scilicet, quòd ab his toties victi essent.

1. *Tripudium Solistimum.*] Dictum volunt *Tripudium* quasi *Terri pavium*, quòd cum pulli pascuntur ostâ, necesse esset aliquid *terram pavire*, seu cadendo ferire. Sed cùm *Solistimum* ex eo quoque dicatur quod offa, ejusve pars ex ore pulli decidens, *solum tundat*, (adjectivo nomine desumpto à solo, ut à lege, legitimum deducimus): sequetur utrâque origine acceptâ, bis idem dici. *Tripudium* itaque à terra pedibus calcanda, derivatum, existimem hoc loco dici respectu habito ad motum Salientium è cavea pullorum & quodammodo tripudiantium. *Solistimum* à soli percussione aut sparsione. Vide quæ hic Marcellus Donatus notat.

auſpicium egregium eſſe, & Deis auctoribus rem geſturos, pronunciat; ſignumque pugnæ proponit. Exeunci jam forte in aciem nunciat perfuga, viginti cohortes Samnitium [a] (quadringenariæ ferme erant) Cominium profectas. quod ne ignoraret collega, extemplo nuncium mittit: ipſe ſigna ocius proferri jubet, ſubſidiaque ſuis quæque locis, & præfectos ſubſidiis attribuerat. Dextro cornu L. Volumnium, ſiniſtro L. Scipionem; equitibus legatos alios, C. Cæditium & C. Trebonium præfecit. Sp. Nautium mulos detractis clitellis, cum 2 cohortibus alaribus, in tumulum conſpectum propere circumducere jubet, atque inter ipſam dimicationem quanto maxime poſſet moto pulvere oſtendere. Dum his intentus imperator erat, altercatio inter pullarios orta de auſpicio ejus diei, exauditaque ab equitibus Romanis; qui rem haud ſpernendam rati, Sp. Papirio fratris filio conſulis ambigi de auſpicio renunciaverunt. Juvenis, [b] *ante* doctrinam Deos ſpernentem, natus, rem inquiſitam, ne quid incompertum deferret ad conſulem, detulit. cui ille, *Tu quidem macte virtute diligentiaque eſto: Cæterum qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nunciat,* [c] *in ſemetipſum religionem recipit. Mihi quidem tripudium nunciatum, populo Romano exercituique egregium auſpicium eſt.* Centurionibus deinde imperavit, ut pullarios inter prima ſigna conſtituerent. Pomovent & Samnites ſigna; inſequitur 3 acies ornata armataque, ut hoſtium quoque magnificum ſpectaculum eſſet. Priuſquam clamor tolleretur concurreretque, 4 emiſſo temerè pilo ictus pullarius ante

Urb. cond. an. 460. Coſſ. Sp. Carvil. & L. Papir.

INTERPRETATIO.

a *Cohortes erant hominum* unaquæque *circiter quadringentorum.*

b Hoc ſcilicet *tempore natus, quo nondum didicerant* homines *deſpicere res divinas.*

c *Suſcipit in ſe periculum contempta religionis. Latus pullorum tripudiantium paſtus mihi renunciatus præclari auſpicii loco eſt, quod attinet ad populum atque exercitum Romanum.*

NOTÆ.

2. *Cohortibus alaribus.*] Equitum ordines, alæ dicuntur exercitus, quòd circum legiones, dextrâ ſiniſtrâque, tanquam Alæ in avium corporibus, locentur, ut A. Gell. ex Cincio refert lib. 16. cap. 4. ſub finem. Poſſet & alia hujus nominis ratio afferri, quod ſcilicet in equitatu poſita ſit totius exercitus celeritas, quemadmodùm velocitas avium ex alis earum pendet. Hoc tamen loco vereor ne Alares cohortes ſint pedites ſociorum, qui ad latera Legionum Romanarum collocari ſolebant: enimvero cohortium nomen peditatui convenit; ut turmarum equitatui.

3. *Acies ornata armataque.*] Ornatam Glareanus intelligit, phalangem illam linteatam ſexdecim millium Samnitum: *armata* autem nomine reliquum exercitum paulò plus viginti millium. At ego utroque nomine univerſas indicari Samnitum copias arbitror. Nam nec linteata legio inermis erat: nec alius exercitus apparatu diſpar linteatæ legioni, ut auctor ipſe teſtatur extremo cap. 38.

4. *Emiſſo temerè pilo.*] Fortè non ita temerè, ſed juſſu ipſius Imperatoris: nam *pilum* proprium Romanorum telum erat, ut appareat mendacem hunc pullarium à ſuis non ab hoſtibus interfectum fuiſſe, & non ſine cauſa videtur imperaſſe ante prælium Centurionibus Papirius, ut pullarios inter prima ſigna conſtituerent.

Urb. cond. an. 460. Coss. Sp. Carvil. & L. Papir.

signa cecidit. quod ubi consuli nunciatum est, *Dii in prælio sunt*, inquit, *habet pœna noxium caput*. Ante consulem hæc dicentem corvus voce clara occinit; quo lætus augurio consul, affirmans, *nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse Deos*; signa canere, & clamorem tolli jussit.

XLI. Prælium commissum atrox. cæterum longe disparibus animis. Romanos ira, spes, ardor certaminis, avidos hostium sanguinis, in prælium rapit: Samnitium magnam partem necessitas ac religio invitos magis resistere quam inferre pugnam cogit. nec sustinuissent primum clamorem atque impetum Romanorum, per aliquot jam annos vinci assueti, ni potentior alius metus insidens pectoribus à fuga retineret. Quippe in oculis erat omnis ille [a] occulti paratus sacri, & armati sacerdotes, & promiscua hominum pecudumque strages, & respersæ [1] fando nefandoque sanguine aræ, & dira execratio, [2] ac furiale carmen, detestandæ familiæ stirpique compositum. [b] his vinculis fugæ obstricti stabant; civem magis quam hostem timentes. Instare Romanus à cornu utroque, à media acie, & cædere Deorum hominumque attonitos metu. repugnatur segniter, ut ab iis quos timor moraretur à fuga. Jam prope ad signa cædes pervenerat, quum ex transverso pulvis, velut ingentis agminis incessu motus, apparuit. Sp. Nautius (Octavium Metium quidam eum tradunt) dux alaribus cohortibus erat. pulverem majorem quam pro numero excitabant: insidentes mulis calones, frondosos ramos per terram trahebant: arma signaque per turbidam [3] lucem in primo apparebant: post altior densiorque pulvis equitum speciem cogentium agmen dabat. Fefellitque non Samnites modo, sed etiam Romanos: & [c] consul affirmavit errorem; clamitans inter prima signa, ita ut vox etiam [d] ad hostes accideret: *captum Cominium; victorem collegam adesse: anniterentur vincere prius quam gloria alterius exercitus fieret*. Hæc insidens equo inde tribunis centurionibusque imperat, ut vias equitibus patefaciant. Ipse Trebonio Cædicioque prædixerat, ut ubi se cuspidem erectam quatientem vidissent, quanta maxima vi possent, concitarent equites in hostem. Ad nutum omnia, ut ex ante præparato, fiunt. panduntur inter ordines viæ: provolat eques, atque infestis cuspidibus in medium agmen hostium ruit, perrumpitque ordines, quacumque impetum dedit. instant Vo-

INTERPRETATIO.

a *Apparatus sacrificii occultè celebrati.*
b *Constricti his rebus, quæ velut catenæ fugam prohibebant.*
c *Falsam opinionem confirmavit Consul* tanquam veram.
d *Perveniret usque ad hostes.*

NOTÆ.

1. *Fando nefandoque sanguine.*] Indicat fusum permixtumque cruorem, hinc victimarum, inde hominum cæsorum.
2. *Furiale carmen.*] De quo cap. 38.
3. *In primo apparebant.*] Id est, in fronte ac primo aspectu.

lumnius & Scipio, & perculſos ſternunt: Tum jam 4 Deorum hominumque victâ vi, funduntur linteatæ cohortes: pariter jurati injuratique fugiunt, nec quemquam præter hoſtes metuunt. Peditum agmen, quod ſuperfuit pugnæ, in caſtra ad Aquiloniam compulſum eſt. nobilitas equiteſque Bovianum perfugerunt: equites eques ſequitur, peditem pedes, ac diverſa cornua, dextrum ad caſtra Samnitium, lævum ad urbem tendit. Prior aliquanto Volumnius caſtra cepit: ad urbem Scipioni majore reſiſtitur vi; non quia plus animi victis eſſet, ſed melius muri quam vallum armatos arcent. inde lapidibus propulſant hoſtem. Scipio, niſi in primo pavore, priuſquam colligerentur animi, tranſacta res eſſet, lentiorem fore munitæ urbis oppugnationem ratus, interrogat, *Satin' æquo animo paterentur ab altero cornu caſtra capta eſſe? ſe victores pelli à portis urbis?* Reclamantibus univerſis, primus ipſe ſcuto ſuper caput elato pergit ad portam: ſecuti alii teſtudine facta in urbem perrumpunt: deturbatiſque Samnitibus, qui circa portam erant, muros occupavere. penetrare interiora urbis, quia pauci admodum erant, non audent. Urb. cond. an. 460. Coſſ. Sp. Carvil. & L. Papir.

XLII. Hæc primo ignorare conſul, & intentus recipiendo exercitui eſſe: jam enim præceps in occaſum Sol erat: & appetens nox, periculoſa & ſuſpecta omnia etiam victoribus faciebat. Progreſſus longius ab dextra, caſtra capta videt: ab læva clamorem [1] in urbe, mixtum pugnantium ac paventium fremitu eſſe. & tum forte certamen ad portam erat. Advectus deinde equo propius, ut ſuos in muris videt; [a] nec jam integri quicquam eſſe, quoniam temeritate paucorum magnæ rei parta occaſio eſſet; accîri, quas receperat, copias, ſignaque in urbem inferri juſſit. Ingreſſi proxima ex parte, quia nox appropinquabat, quievere. nocte oppidum ab hoſtibus deſertum eſt. Cæſa illo die ad Aquiloniam Samnitium millia triginta trecenti quadraginta: capta tria millia octingenti & ſeptuaginta: ſigna militaria nonaginta ſeptem. Cæterum illud memoriæ traditur; non fermè alium ducem lætiorem in acie viſum; ſeu ſuopte ingenio ſeu fiducia bene gerendæ rei. Ab eodem robore animi neque [b] controverſo auſpicio revocari à prælio potuit, & in ipſo diſcrimine quo templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat Iovi Victori, ſi legiones hoſtium fudiſſet, [2] v pocillum mulſi, priuſquam temetum biberet, ſeſe facturum. id votum Diis cordi fuit: & auſpicia in bonum verterunt. Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

INTERPRETATIO.

a *Et rem non eſſe amplius in integro.*
b *Ob auſpicium dubium.*

NOTÆ.

4. *Deorum, hominumque victâ vi.*] *Vim* Deorum ait metum ex jurejurandi religione, quæ linteatos continebat: vim autem hominum, robur omnium Samnitium.

1. *In Urbe.*] Aquilonia.

2. *Pocillum mulſi.*] Alias *pauxillum mulſi* eodem ſenſu. Quid enim aliud *Pocillum*, quam exiguum poculum. Sed num potiùs *pocillo facturum*, ſupple, *ſacra Iovi Victori.*

Urb. cond. an. 460. Coss. L. Papir. & Sp. Carvil.

XLIII. Eâdem fortuna ab altero consule ad Cominium gesta res. Prima luce ad mœnia omnibus copiis admotis, corona cinxit urbem: subsidiaque firma, ne qua eruptio fieret, portis opposuit. Jam signum dantem eum nuncius à collega trepidus de viginti cohortium adventu, & ab impetu moratus est; & partem copiarum revocare instructam intentamque ad oppugnandum, coëgit. D. Brutum Scævam legatum cum legione prima, 1 & viginti cohortibus alaribus equitatuque ire adversus subsidium hostium jussit: quocunque in loco 2 fuisset obvius, obsisteret ac moraretur; manumque, si forte ita res poscceret, conferret: modo ne ad Cominium ex copiæ admoveri possent. Ipse scalas ferri ad muros ab omni parte urbis jussit, ac testudine ad portas successit: simul & refringebantur portæ, & vis undique in muros fiebat. Samnites, sicut antequam in muris viderent armatos, satis animi habuerunt ad prohibendos urbis aditu hostes: ità postquam jam non ex intervallo, nec missilibus, sed cominus gerebatur res, 3 & qui ægre successerant ex plano in muros, loco, quem magis timuerant, victo, facile in hostem imparem ex æquo pugnabant; relictis turribus murisque in forum omnes compulsi, paulisper inde tentaverunt extremam pugnæ fortunam. Deinde, abjectis armis 4 ad quindecim millia hominum & quadringenti in fidem consulis venerunt. cæsa ad quatuor millia trecenti octoginta. Sic ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res. Inde medio inter duas urbes spatio, ubi tertia exspectata erat pugna, hostes non inventi, septem millia passuum quum abessent à Cominio, revocati ab suis, neutri prælio occurrerunt. Primis ferme tenebris quum in conspectu jam castra, jam Aquiloniam habuissent, a clamor eos utrinque par accidens sustinuit: deinde è regione castrorum, quæ incensa ab Romanis erant, flamma late fusa certioris cladis indicio progredi longius prohibuit. Eo ipso loco 5 prope temere

INTERPRETATIO.

a *Eos suspensos tenuit clamor, qui æqualis ab utraque parte ad illos ferebatur.*

NOTÆ.

1. *Et viginti cohortibus alaribus, equitatuque.*] Quidam habent, & *decem cohortibus Alariis, equitatuque*. Et sanè *Alarii* Tacito sæpè dicuntur, qui alibi *Alares*. Hinc autem apparet cohortes Alares peditum fuisse, nihilque hic quidem habere cum equitatu commune qui ab illis perspicuè distinguitur.

2. *Fuisset obvius.*] Brutus scilicet Legatus cohortibus Samnitum adversùs Carvilium missis.

3. *Et qui ægrè successerant.*] Repetè ex superioribus, *& postquam Romani, qui ægrè*, &c.

4. *Ad quindecim millia.*] Alii undecim millia.

5. *Prope temerè sub armis.*] Gronovius, quia *fortè temerè* apud Terent. Ciceronem, nostrum sæpius legerat, hic quoque suspicatur fuisse *forte temerè sub armis*; quod tamen huic loco minùs convenit, quàm *propè temerè*: vult enim Livius has Samnitum cohortes non quidem omnino sine ullo ordine, sed non adhibitis exactè custodiis militaribus nocte ibi duxisse.

sub

sub armis strati passim, inquietum omne tempus noctis, exspectando timendoque lucem, egere. prima luce incerti 6 quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur 7 conspecti ab equitibus: qui egressos nocte ab oppido Samnites persecuti, viderant multitudinem, non vallo, non stationibus firmatam. Conspecta ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat: jamque etiam legionariæ cohortes sequebantur. Cæterum nec pedes fugientes persequi potuit: & ab equite novissimi agminis ducenti ferme & octoginta interfecti. Arma multa pavidi, ac signa militaria duodeviginti reliquere. alio agmine incolumi, [b] ut ex tanta trepidatione, Bovianum perventum est. Urb. cond. an. 460. Coss. L. Papir. & Sp. Carvil.

XLIV. [a] Lætitiam utriusque exercitus Romani auxit & ab altera parte feliciter gesta res. uterque ex alterius sententia consul captum oppidum diripiendum militi dedit: exhaustis deinde tectis, ignem injecit, eodemque die Aquilonia & Cominium deflagravere: & consules cum gratulatione mutua legionum suaque, castra conjunxere. In conspectu duorum exercituum & Carvilius suos pro cujusque merito laudavit, donavitque; & Papirius, apud quem multiplex in acie circa castra, circa urbem, fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papirium, fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumque hastatorum, armillis aureisque coronis donavit: Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostes: juvenem Papirium, propter navatam cum equitatu & in prælio operam, & nocte qua fugam infestam Samnitibus ab Aquilonia clam egressis fecit: centuriones, militesque, quia primi portam murumque Aquiloniæ ceperant. equites omnes ob insignem multis locis operam, 8 1 corniculis armillis-

INTERPRETATIO.

b *Reliqui, quantum ex tanto tumultu fieri potuit.*

a *Crevit exercitus Papiriani gaudium, ex eo quod Carvilianus quoque rem egregiè gesserat, & vice versâ.*

NOTÆ.

6. *Quam in partem intenderent iter.*] Aliàs *tenderent iter*, quod Latinum quidem est & Virgilianum, sed non idcirco damnandum *intenderent*. Est enim, *intendere*, idem quod dirigere: hoc autem Ciceroni usurpatum. *Cùm iter ad Mutinam dirigerem.*

7. *Conspecti ab equitibus.*] Mallem *conspectis equitibus.*

1. *Corniculis, armillisque.*] In quibusdam est, *Coronis armillisque.* At *Corniculi* nomen plura significat; sed in militia veteri duplex videtur ejus nominis usus fuisse, alterum pro minori cornu, quo milites officii sui admonebantur: alterum, pro militari præmio, quod formâ exiguo cornui simile, aut quod ut cornu eminebat. Quod ad primum attinet, Corniculi significatio ex officio Cornicularii colligenda est. Sigonius lib. 2. de antiq. Jur. Provinc. cap. 2. conjicit Cornicularium Tribuni militaris Ministrum fuisse, præsertim ex Frontini lib. 3. ubi dicitur, *tanquam Tribuni Cornicularius Vigilias excitavit.* Quasi Cornicularius Vigilias, Tribuni loco, circumjerit, atque ejus imperia corniculo ediderit. Hinc Cornicularii, mereri Corniculo dicti sunt, ut à Suet. in lib. de Clar. Grammat. *Orbilius primò apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia Cornicule, mox equo meruit,*

Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

que argenteis donat. Conſilium inde habitum, quum jam tempus eſſet deducendi ab Samnio exercitus aut utriuſque, aut certe alterius. Optimum viſum, quo magis fractæ res Samnitium eſſent, eo pertinacius & infeſtius agere cætera, & perſequi: ut perdomitum Samnium inſequentibus conſulibus tradi poſſet. *Quando jam nullus eſſet hoſtium exercitus, qui ſignis collatis dimicaturus videretur; unum ſupereſſe belli genus, urbium oppugnationes; quarum per excidia militem locupletare præda, & hoſtem pro aris ac ſocis dimicantem conficere poſſent.* Itaque literis miſſis ad ſenatum populumque Romanum de rebus ab ſe geſtis, diverſi, Papirius [2] ad Sepinum, Carvilius [3] ad Volanam oppugnandam legiones ducunt. 5 10

XLV. Literæ conſulum, ingenti lætitia, & in curia, & in concione auditæ, & quatridui ſupplicatione publicum gaudium privatis ſtudiis ce-

NOTÆ.

At Turnebus lib. 5. adverſ. cap. 10. Cornicularium dictum putat, quod Corniculo Tribuni militum præſint: *Nam ut in exercitu*, inquit, *& acie dicitur cornu: ità in cohortibus tribunorum militum, Corniculum; & fortè in ordinibus Centurionum.* A legionaria militia ad Provincialem ſub Præſidibus, atque ad Palatinam tranſlatum deinde Cornicularii, ut & Commentarienſis vocabulum tradit Aſconius ex ſimilitudine aliqua, ut videtur, muneris. Cujacius ad L. 2. Cod. de prox. Sacror. Scrin. *Cornicularios*, ait, *in imperio fuiſſe officiales qui aderant Cornibus ſecretarii*, ſive auditorii judicum, eamque laudat. Caſſiod. in rem 11. Variar. Alciatus in d. L. 2. ait Cornicularium accipi pro accenſo primi Scriniorum, vel principis proximorum. Idem in titulum de cohortalibus & principum Cornicularibus, intelligit *Corniculariorum* nomine adjutores principis cuſtodiæ, vel officialis. Secundo loco ſumitur *Corniculum* pro militari præmio, quod quale ſit nemo Veterum explicat. Marcellus Donatus ex eo quòd capitis tegumentum, quo Venetorum duces ornari ſolent *cornu* appellatur, vulgò *il corno*, exiſtimat *Corniculum* militare fuiſſe inſigne: quo ſtrenuorum militum caput honeſtarent Romani duces; illudque argenteum, vel aureum fuiſſe, cui inderentur plumæ: ſententiamque ſuam confirmat ex iconibus Galearum militarium, quæ ſæpe pennis adornatæ viſuntur. Sic in numiſmatibus argenteis Alexander Magnus capite galeato exhibetur adjectis cornibus; quo inſigni eum gaviſum conſtat, ut ſe Jovis Ammonis (Cornuti ſcilicet Dei) filium indicaret. Unde & apud Syro Macedonas Δικέρως nomine, & Chaldaïcè eodem ſenſu קַרְנַיִם *dilKarnaim* appellabatur. Nonnulli hodie apud nos magiſtratus etiam Superiores, ut & Regii Profeſſores, inter inſignia ſua Corniculum quoque numerant: id enim ſonat quod vulgò vocamus, *La Cornette*. Id latioris faſciæ genus eſt, quo caput ità circum volvebatur, ut in ſummo nodus, inſtar duorum cornuum emineret: quamvis hodie hoc ornamentum è collo pendeat. An ſimile quid, an equeſtre vexillum minus, quod etiam *Cornette* apud nos dicitur, Corniculi voce intelligendum ſit, quod equitibus tunc præmii loco ceſſerit, ſubtilioribus diſcutiendum, aut divinandum relinquo.

2. *Ad Sepinum.*] *Sepinum*, aut potiùs ex Ptolomæo, Frontino, & antiquâ inſcriptione *Sapinum* Samnii oppidum, hodie *Supino* dictum, eſt ſub Apennino ad fontes Tamari amnis in finibus Comitatus Moliſii verſus Terram Laboris.

3. *Ad Volanam.*] Ut in Samnio vicinove tractu fuiſſe *Volanam* oppidum hinc conſtat: ita qua ejus regionis parte fuerit ignoratur. An legendum *Velina*, ut circa Velini amnis fontes fuerit qui hodie in Aprutio ulteriore. Codex certè Memm. habet *Veliam*.

lebrātum eſt. nec populo Romano magna ſolum, ſed peropportuna etiam ea victoria fuit, quia per idem forte tempus rebellaſſe Etruſcos allatum eſt. Subibat cogitatio animum, quonam modo tolerabilis futura Etruria fuiſſet, ſi quid in Samnio adverſi veniſſet; quæ conjuratione Samnitium erecta, quoniam ambo conſules omniſque Romana vis averſa in Samnium eſſet, occupationem populi Romani pro occaſione rebellandi habuiſſet. Legationes ſociorum à M. Attilio prætore in ſenatum introductæ, querebantur, *uri & vaſtari agros à finitimis Etruſcis, quod deſciſcere à populo Romano nollent*. Obteſtabanturque Patres conſcriptos, *ut ſe à vi atque injuria communium hoſtium tutarentur*. Reſponſum legatis, *Curæ ſenatui futurum, ne ſocios fidei ſuæ pœniteret. Etruſcorum propediem eandem fortunam, quam Samnitium, fore*. Segnius tamen, quod ad Etruriam attinebat, acta res eſſet, ni Faliſcos quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret, arma Etruſcis junxiſſe. Hujus propinquitas populi acuit curam Patribus, ut feciales mittendos ad res repetendas cenſerent. quibus non redditis, ex auctoritate Patrum juſſu populi bellum Faliſcis indictum eſt: juſſique conſules ſortiri, uter ex Samnio in Etruriam cum exercitu tranſiret. Jam Carvilius Volanam, & 1 Palumbinum, 2 & Herculaneum ex Samnitibus ceperat: Volanam intra paucos dies, Palumbinum eodem quo ad muros acceſſit. Ad Herculaneum bis etiam ſignis collatis ancipiti prælio, & cum majore ſua quam hoſtium jactura, dimicavit. Caſtris deinde poſitis, mœnibus hoſtem incluſit. oppugnatum oppidum, captumque. In his tribus urbibus capta aut cæſa ad decem millia hominum: ita, 3 ut parvo admodum plures caperentur. Sortientibus provincias conſulibus, Etruria Carvilio evenit, ſecundum vota militum, qui vim frigoris jam in Samnio non patiebantur. Papitio ad Sepinum major vis hoſtium reſiſtit. ſæpe in acie, ſæpe in agmine, ſæpe circa ipſam urbem adverſus eruptiones hoſtium pugnatum: 4 neque obſidio, neque bellum ex æquo erat: non enim muris magis.

Urb. cond. an. 460. L. Papir. & Sp. Carvil.

NOTÆ.

1. *Palumbinum.*] An *Palumbini* memoriam ſervet locus duobus milibus paſſuum ſupra Capuam novam, qui nunc dicitur *Palumbara*, à quo vicinæ anguſtiæ vocantur, *il paſſo di Palumbara*, aſſeverare non auſim: etſi non ignorem non pauca Regionis Campanæ loca Samnitum armis ſæpe fuiſſe occupata.

2. *Et Herculaneum.*] De oppido Campaniæ Herculaneo, quod ſatis notum, alibi. At in Samnii finibus *Herculanei* mentio in tabula tantùm Itineraria exſtat, ni fallor, nec ſine mendo. Ibi enim ſub voce *Æcas* legitur *Herculus rani*. Sive igitur *Æcas* veterum pro *Troja*, ſive pro *Accadia* hodiernis Apuliæ locis accipias: dicendum erit *Herculaneum* hoc in Hirpinis fuiſſe, ubi nunc Principatus ulterior.

3. *Ut parvo admodùm plures.*] Apud Becharium: *ita ut pavore admodum plures caperentur*. Sigonius ex ſcriptis, quibus in hoc ſimilis. Memmianus, legit *parvo admodùm numero plures*, in aliis ſcribitur, *parvo admodùm plures*: eodem exemplo, quo dicimus *multò plures, aliquantò plures*. Uſitatius tamen eſt *paulò plures*.

4. *Neque obſidio, neque bellum ex æquo erat.*] *Obſidio* haud dubiè belli pars eſt: ſed bellum hic pro certamine accipitur: Quis tamen ſit horum verborum ſenſus . .

Urb. cond. an. 460. Coss. L. Pap. & Sp. Carvil.

ſe Samnites, quam armis ac viris mœnia tutabantur. Tandem pugnando in obſidionem juſtam coëgit hoſtes: obſidendoque, vi atque operibus urbem expugnavit. itaque ab ira plus cædis editum capta urbe: ſeptem millia quadringenti cæſi: capta minus tria millia hominum: præda, quæ plurima fuit, congeſtis Samnitium rebus in urbes paucas, militi concеſſa eſt.

XLVI. Nives jam omnia oppleverant, nec durari extra tecta poterat: itaque conſul de Samnio exercitum deduxit. Venienti Romam triumphus omnium conſenſu eſt delatus. triumphavit in magiſtratu, inſigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho. Pedites equiteſque inſignes donis tranſiere, ac [1] tranſvecti ſunt: [2] multæ civicæ coronæ, vallareſque ac murales conſpectæ. Inſpectata ſpolia Samnitium: & decore ac pulcritudine [a] paternis ſpoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur. nobiles aliquot captivi, clari ſuis patrumque factis, ducti. [3] Æris gravis tranſvecta * vicies centum, & ad triginta tria mil-

INTERPRETATIO.

[a] *Comparatur cum ſpoliis à Papirio triumphantis patre relatis, quæ ſatis cognita erant, eò quòd ſæpè ad loca publica ornanda adhiberentur.*

NOTÆ.

non facilè quis expediat: primâ quippe fronte videtur neutro bellandi genere pares Samnitibus fuiſſe Romanos, contra quam eventus ipſe docuit. Lux igitur huic loco quærenda eſt ex Cod. Florentino apud Gronovium in Addendis. In eo legitur *neque obſidio, ſed bellum ex æquo erat*: id eſt, non jam obſideri videbantur Sepinates, ſed æquali cum Romanis robore bellum velut libero campo agitare.

1. *Tranſvecti ſunt.*] Signatum verbum de equitibus ſolenni ritu vectis.

2. *Civica Corona, Vallareſque & Murales.*] De his alibi actum, & videndus Plin. lib. 16.

3. *Æris gravis tranſvecta, &c.*] In hujus loci lectione inque numero æris mirè diſſentiunt tum libri veteres editique, tum interpretes; legebatur alias. *Æris gravis tranſvecta vicies centum millia, & auri triginta millia.* Apud Bechar. eſt: *Æris gravis tranſvecta vicies centum millia, & auri triginta tria millia.* Gelen. *Æris gravis tranſvecta vicies centum millia, & quingenta triginta tria millia.* Quod ſequutus Vaſcoſanus, auri nullâ mentione; ut nec in Colbertino altero. Sigon. & alii habent: *æris gravis magna vis, tranſvecta vicies centies millies, & quingenta triginta tria millia.* Verùm hanc lectionem duplici ex capite impugnat non immeritò Gron. Primò quidem, quod verba illa, *magna vis* à libris melioris notæ abſunt. Deinde quòd ſumma illa adeò immodica ſit, ut tunc nullo ex triumpho ſperari potuerit. Etenim *vicies centies millies centena millia æris gravis*, Gall. *Deux cens milliards de ſols de cuivre d'une livre Romaine chacun. Prætermiſſis quæ excurrunt*, efficerent hodie ex ipſo æris pretio fere decies ac tercenties millies centena millia librarum Francicarum, *cent trente milliards de livres*. Quid ſi ad hæc adjicias auri triginta millia pondo, id eſt habitâ ratione æſtimationis qua apud nos eſt aurum monetale, circiter centies & ſedecies centena ac tria & quingenta librarum millia, Gall. *Seize millions cinq cens trois mille livres*. Quid ſi & argenti addatur quantitas (licèt in æris comparatione ſatis exilis) pondo nempe *mille trecenta* ac *triginta*: id eſt noſtratis pecuniæ quadraginta ſeptem millia cum octingentis atque octuaginta libris, *quarante ſept mille huit cens quatre-vingt livres*: in quantum excreſcet illa jam adeo

lia: idæs redactum ex captivis dicebatur. argenti, quod captum ex urbibus erat, P. M. CCCXXX. omne æs argentumque in ærarium conditum. Militibus nihil datum ex præda eſt. auctaque ea invidia eſt ad plebem, quod tributum etiam in ſtipendium militum collatum eſt: quum, ſi ſpreta gloria fuiſſet captivæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militi tum dari ex præda, & ſtipendium militare præſtari potuiſſet. Ædem Quirini, quam in ipſa dimicatione votam apud neminem veterem auctorem invenio (neque hercule tam exiguo tempore perficere potuiſſet) ab dictatore patre votam filius conſul dedicavit, exornavitque hoſtium ſpoliis: quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum forumque his ornaretur, ſed ſociis etiam coloniſque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum dividerentur. A triumpho exercitum in agrum Veſcinum, quia regio ea infeſta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit. Inter hæc Carvilius conſul in Etruria 4 Troillium primum oppugnare adortus, quadringentos ſeptuaginta ditiſſimos, pecunia grandi pactos, ut abire inde liceret, dimiſit: cæteram multitudinem oppidumque ipſum vi cepit. inde quinque caſtella, locis ſita munitis, expugnavit. Caſa ibi hoſtium duo millia quadringenti: minus duo millia capti. & Faliſcis pacem petentibus annuas inducias dedit: pactus ſ ♆ centum millia gravis 20 æris, & ſtipendium ejus anni militibus. His rebus actis, ad triumphum deceſſit: ut minus clarum de Samnitibus, quam collegæ triumphus fuerat; ita cumulo Etruſci belli æquatum. Æris gravis tulit in ærarium 6 trecenta nonaginta millia: de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ

Urb. cond. an. 460. Coſs. L. Papir. & Sp. Carv.

NOTÆ.

immanis ſumma? Ego ut credam auri nihil ex hac victoria ad quæſtorem perveniſſe, facilè adducor duabus de cauſis: tum quod tantillum argenti redactum video, quo carius rariuſque ſemper aurum ubique fuit: tum quod mox, cum militibus nihil datum dicatur ex præda, in ærarium tamen non niſi *æs argentumque conditum* narratur. Eos itaque tum mana tum typis exaratos Codices libens ſequar, qui æris tantùm, atque argenti meminere: legerimque ex Thuan. Cod. *Æris gravis tranſvecta vicies centum millia, & ad triginta millia*. Ubi præpoſitio *ad*, quemadmodum & Gronov. obſervat, idem proculdubio eſt ac *circiter*, ſive *plus minùs*. Summa ad noſtram rationem, reddet præter propter, librarum Francicarum, decies ac ter centena viginti millia: *treize cent mille livres*, aut paulo plus. Quæ ſumma redacta fuerat ex ære gravi quo vænierant captivi. Huic addita pecunia ante memorata ex argento in urbibus capto; exibit paulò minùs decies & quater centenis millibus librarum. *près d'un million quatre cens mille livres* Præter ſpolia quæ hic deſcribuntur. Ut autem hæc quantitas direptis pluribus opulentæ gentis urbibus, haud ægrè redigi potuit, ita pro illis temporibus non exigua fuit.

4. *Troillium*.] Mentionem Troillii nullibi reperi. Scripſerat fortè Liv. *Troſſillum*, ſive *Treſſulum*, quod Tuſcorum eſſe oppidum jam anteà vidimus. Id autem Cluver. putat eſſe, *Monte Fiaſcone*: ſed probabiliùs Holſtenius ejus loci veſtigia ſupereſſe addit duobus inde milliaribus, & nomen aliquatenus retinere vulgò *Troſſo*.

5. *Centum millia gravis aris*.] Sunt juxta pretium æris hodiernum apud nos quinque ferè ac ſexaginta millia librarum Francicarum.

6. *Trecenta nonaginta millia*.] Id eſt, 253500. librarum noſtræ monetæ.

Urb. Cond. an. 460. Coss. L. Papir. & Sp. Carvil.

7 de manubiis faciendam locavit; prope ædem 8 eidem Deæ ab rege Servio Tullio dedicatam, & militibus ex præda centenos binos asses & alterum tantum centurionibus atque equitibus (malignitate collegæ gratius accipientibus munus) divisit. Favor consulis tutatus ad populum est L. Postumium legatum ejus: qui, dicta die à M. Cantio tribuno plebis, fugerat in legationem (ut fama ferebat) populi judicium: jactarique magis, quam peragi accusatio ejus poterat.

XLVII. Exacto jam anno novi tribuni plebis magistratum inierant: iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alii suffecti. Lustrum conditum eo anno est à P. Cornelio Arvina, C. Marcio Rutilo, censoribus: censa capitum millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo. Censores vicesimi sexti à primis censoribus: 1 lustrum undevicesimum fuit. Eodem anno, coronati primum ob res bello bene gestas, ludos Romanos spectaverunt: palmæque, tum primum 2 translato è Græcia more, victoribus datæ. Eodem anno ab ædilibus curulibus, qui eos ludos fecerunt; damnatis aliquot pecuariis, via à Martis silice ad Bovillas perstrata est. Comitia consularia L. Papirius habuit: creavit consules. Q. Fabium Maximi filium Gurgitem, & D. Junium Brutum Scævam. ipse Papirius prætor factus. Multis rebus lætus annus; vix ad solatium unius mali, pestilentiæ urentis simul urbem atque agros, sufficit; portentoque jam simili clades erat. & libri aditi, quinam finis, aut quod remedium ejus mali ab diis daretur. Inventum in libris, 3 Æsculapium

NOTÆ.

7. *De Manubiis.*] Notat Godelevæus ex Gallico *Manubias* à præda ita distingui solitas apud veteres, ut præda sit propriè in corporibus ipsarum rerum quæ capiuntur: *Manubia* autem in pecunia quæ ex illis redacta est.

8. Eidem Deæ à Serv. Tullio dedicatam.] Sigonius observat Plutarchum in lib. de Fortuna Romanorum, cum multarum Ædium Fortunæ à Serv. Tullio dicatarum meminerit, nullam tamen sub titulo *Fortis Fortunæ* ab eo dedicatam referre: fatetur nihilominùs de ea scriptum esse apud Varronem. Sed quamvis nihil ejusmodi inveniretur, sufficeret ædem Fortis Fortunæ à Carvilio nunc dedicatam, vicinam fuisse ædi Fortunæ à Ser. Tullio, licèt non sub *Fortis* nomine dicatæ; hoc enim tantùm videtur velle Livius.

1. *Lustrum undevicesimum.*] Sigonius observat hoc Lustrum in Capitolinis fragmentis tricesimum numerari. Et facilè potuit in his numeris error incidere, ut pro XXX. scriptum fuerit apud Livium XIX. Idem Sigonius varietatis causam hanc affert, quòd Livius decem lustra, ante Censores creatos à Regibus, aut Consulibus acta, præterire videatur. Hinc sequetur ab aliquot paribus Censorum neglectam ejus rei curam, non tamen ab omnibus, qui eo munere functi non sunt. Quoniam quoties Censorum unus magistratu moriebatur, ejus Collegam Magistratu quo que abire necesse erat, nec superstes Lustrum condebat. Incuria quidem auctoris in tradendis ad suum quemque annum his magistratibus à plerisque interpretibus non injuriâ notatur.

2. *Translato è Græcia more.*] Apud Græcos nec iidem Ludi, aut iisdem Diis celebrabantur, nec palma victorum præmium erat. Hoc itaque tantùm à Græcis mutuati sunt Romani, quòd victores fronde in coronam plexa donandos censuerunt.

3. *Æsculapium.*] Medicorum hic Deus

4 ab Epidauro Romam arceſſendum. neque eo anno, quia bello occupati conſules erant, quicquam de ea re actum: præterquam quod unum diem Æſculapio ſupplicatio habita eſt.

NOTÆ.

habitus propter ſummam ejus artis peritiam: filius Apollinis fuiſſe dicitur, alium Mercurii fratrem ferunt, qui fulminae ictus fuerit.

4. *Ab Epidauro.*] Tres fuere ejus nominis urbes. Hic ea intelligitur quæ in Argolide ſita, ubi Æſculapius colebatur ſub forma ſerpentis: ideò ſerpens Epidaurius vocatur.

FINIS PRIMÆ DECADIS TIT. LIV.

Urb. cond. an. 460. Coss. Sp. Carvil. & L. Papir.

signa cecidit. quod ubi consuli nunciatum est, *Dii in prælio sunt*, inquit, *habet pœna noxium caput*. Ante consulem hæc dicentem eorvus voce clara occinit; quo lætus augurio consul, affirmans, *nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse Deos*; signa canere, & clamorem tolli jussit.

XLI. Prælium commissum atrox. cæterum longe disparibus animis. Romanos ira, spes, ardor certaminis, avidos hostium sanguinis, in prælium rapit: Samnitium magnam partem necessitas ac religio invitos magis resistere quam inferre pugnam cogit. nec sustinuissent primum clamorem atque impetum Romanorum, per aliquot jam annos vinci assueti, ni potentior alius metus insidens pectoribus à fuga retineret. Quippe in oculis erat omnis ille [a] occulti paratus sacri, & armati sacerdotes, & promiscua hominum pecudumque strages, & respersæ [1] fando nefando-que sanguine aræ, & dira execratio, [2] ac furiale carmen, detestandæ familiæ stirpique compositum. [b] his vinculis fugæ obstricti stabant; civem magis quam hostem timentes. Instare Romanus à cornu utroque, à media acie, & cædere Deorum hominumque attonitos metu. repugnatur segniter, ut ab iis quos timor moraretur à fuga. Jam prope ad signa cædes pervenerat, quum ex transverso pulvis, velut ingentis agminis incessu motus, apparuit. Sp. Nautius (Octavium Metium quidam eum tradunt) dux alaribus cohortibus erat. pulverem majorem quam pro numero excitabant: insidentes mulis calones, frondosos ramos per terram trahebant: arma signaque per turbidam [3] lucem in primo apparebant: post altior densiorque pulvis equitum speciem cogentium agmen dabat. Fefellitque non Samnites modo, sed etiam Romanos: & [c] consul affirmavit errorem; clamitans inter prima signa, ita ut vox etiam [d] ad hostes accideret: *captum Cominium; victorem collegam adesse: anniterentur vincere prius quam gloria alterius exercitus fieret*. Hæc insidens equo inde tribunis centurionibusque imperat, ut vias equitibus patefaciant. Ipse Trebonio Cædicioque prædixerat, ut ubi se cuspidem erectam quatientem vidissent, quanta maxima vi possent, concitarent equites in hostem. Ad nutum omnia, ut ex ante præparato, fiunt. panduntur inter ordines viæ: pro volat eques, atque infestis cuspidibus in medium agmen hostium ruit, perrumpitque ordines, quacumque impetum dedit. instant Vo-

INTERPRETATIO.

a *Apparatus sacrificii occultè celebrati.*
b *Constrictis his rebus, quæ velut catenæ fugam prohibebant.*
c *Falsam opinionem confirmavit Consul* tanquam veram.
d *Perveniret usque ad hostes.*

NOTÆ.

1. *Fando nefandoque sanguine.*] Indicat fusum permixtumque cruorem, hinc victimarum, inde hominum cæsorum.
2. *Furiale carmen.*] De quo cap. 38.
3. *In primo apparebant.*] Id est, in fronte ac primo aspectu.

ſumnius & Scipio, & perculſos ſternunt: Tum jam 4 Deorum hominumque victâ vi, funduntur linteatæ cohortes: pariter jurati injuratique fugiunt, nec quemquam præter hoſtes metuunt. Peditum agmen, quod ſuperfuit pugnæ, in caſtra ad Aquiloniam compulſum eſt. nobilitas equiteſque Bovianum perfugerunt: equites eques ſequitur, peditem pedes, ac diverſa cornua, dextrum ad caſtra Samnitium, lævum ad urbem tendit. Prior aliquanto Volumnius caſtra cepit: ad urbem Scipioni majore reſiſtitur vi; non quia plus animi victis eſſet, ſed melius muri quam vallum armatos arcent. inde lapidibus propulſant hoſtem. Scipio, niſi in primo pavore, priuſquam colligerentur animi, tranſacta res eſſet, lentiorem fore munitæ urbis oppugnationem ratus, interrogat, *Satin' æquo animo paterentur ab altero cornu caſtra capta eſſe? ſe victores pelli à portis urbis?* Reclamantibus univerſis, primus ipſe ſcuto ſuper caput elato pergit ad portam: ſecuti alii teſtudine facta in urbem perrumpunt: deturbatiſque Samnitibus, qui circa portam erant, muros occupavere. penetrare interiora urbis, quia pauci admodum erant, non audent. Urb. cond. an. 460. Coſſ. Sp. Carvil. & L. Papir.

XLII. Hæc primo ignorare conſul, & intentus recipiendo exercitui eſſe: jam enim præceps in occaſum Sol erat: & appetens nox, periculoſa & ſuſpecta omnia etiam victoribus faciebat. Progreſſus longius ab dextra, caſtra capta videt: ab læva clamorem [1] in urbe, mixtum pugnantium ac paventium fremitu eſſe. & tum forte certamen ad portam erat. Advectus deinde equo propius, ut ſuos in muris videt; [a] nec jam integri quiequam eſſe, quoniam temeritate paucorum magnæ rei parta occaſio eſſet; acciri, quas receperat, copias, ſignaque in urbem inferri juſſit. Ingreſſi proxima ex parte, quia nox appropinquabat, quievere. nocte oppidum ab hoſtibus deſertum eſt. Cæſa illo die ad Aquiloniam Samnitium millia triginta trecenti quadraginta: capta tria millia octingenti & ſeptuaginta: ſigna militaria nonaginta ſeptem. Cæterum illud memoriæ traditur; non ferme alium ducem lætiorem in acie viſum; ſeu ſuopte ingenio ſeu fiducia bene gerendæ rei. Ab eodem robore animi neque [b] controverſo auſpicio revocari à prælio potuit, & in ipſo diſcrimine quo templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat Iovi Victori, ſi legiones hoſtium fudiſſet, [2] v pocillum mulſi, priuſquam temetum biberet, ſeſe facturum. id votum Diis cordi fuit: & auſpicia in bonum verterunt. Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

INTERPRETATIO.

a *Et rem non eſſe ampliùs in integro.*
b *Ob auſpicium dubium.*

NOTÆ.

4. *Deorum, hominumque victâ vi.*] *Vim* Deorum ait metum ex jurejurandi religione, quæ linteatos continebat: vim autem hominum, robur omnium Samnitium.

1. *In Urbe.*] Aquilonia.

2. *Pocillum mulſi.*] Alias *pauxillum mulſi* eodem ſenſu. Quid enim aliud *Pocillum*, quam exiguum poculum. Sed num potiùs *pocillo facturum*, ſupple, *ſacra Jovi Victori.*

Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

XLIII. Eâdem fortuna ab altero conſule ad Cominium geſta res. Primâ luce ad mœnia omnibus copiis admotis, corona cinxit urbem: ſuſidiaque firma, ne qua eruptio fieret, portis oppoſuit. Jam ſignum dantem eum nuncius à collega trepidus de viginti cohortium adventu, & ab impetu moratus eſt; & partem copiarum revocare inſtructam intentamque ad oppugnandum, coëgit. D. Brutum Scævam legatum eum legione prima, [1] & viginti cohortibus alaribus equitatuque ire adverſus ſubſidium hoſtium juſſit: quocunque in loco [2] fuiſſet obvius, obſiſteret ac moraretur; manumque, ſi forte ita res poſceret, conſerret: modo ne ad Cominium ex copiæ admoveri poſſent. Ipſe ſcalas ferri ad muros ab omni parte urbis juſſit, ac teſtudine ad portas ſuccеſſit: ſimul & refringebantur portæ, & vis undique in muros fiebat. Samnites, ſicut antequam in muris viderent armatos, ſatis animi habuerunt ad prohibendos urbis aditu hoſtes: ità poſtquam jam non ex intervallo, nec miſſilibus, ſed cominus gerebatur res, [3] & qui ægre ſuccеſſerant ex plano in muros, loco, quem magis timuerant, victo, facile in hoſtem imparem ex æquo pugnabant; relictis turribus muriſque in forum omnes compulſi, pauliſper inde tentaverunt extremam pugnæ fortunam. Deinde, abjectis armis [4] ad quindecim millia hominum & quadringenti in fidem conſulis venerunt. cæſa ad quatuor millia trecenti octoginta. Sic ad Cominium, ſic ad Aquiloniam geſta res. Inde medio inter duas urbes ſpatio, ubi tertia exſpectata erat pugna, hoſtes non inventi, ſeptem millia paſſuum quum abeſſent à Cominio, revocati ab ſuis, neutri prælio occurrerunt. Primis ferme tenebris quum in conſpectu jam caſtra, jam Aquiloniam habuiſſent, [a] clamor eos utrinque par accidens ſuſtinuit: deinde è regione caſtrorum, quæ incenſa ab Romanis erant, flamma late fuſa certioris cladis indicio progredi longius prohibuit. Eo ipſo loco [5] prope temere

INTERPRETATIO.

[a] *Eos ſuſpenſos tenuit clamor, qui æqualis ab utraque parte ad illos ferebatur.*

NOTÆ.

1. *Et viginti cohortibus alaribus, equitatuque.*] Quidam habent, & *decem cohortibus Alariis, equitatuque*. Et ſanè *Alarii* Tacito ſæpè dicuntur, qui alibi *Alares*. Hinc autem apparet cohortes Alares peditum fuiſſe, nihilque hic quidem habere cum equitatu commune qui ab illis perſpicuè diſtinguitur.

2. *Fuiſſet obvius.*] Brutus ſcilicet Legatus cohortibus Samnitum adversùs Carvilium miſſis.

3. *Et qui ægrè ſuccеſſerant.*] Repetè ex ſuperioribus, *& poſtquam Romani, qui ægrè*, &c.

4. *Ad quindecim millia.*] Alii undecim millia.

5. *Prope temerè ſub armis.*] Gronovius, quia *fortè temerè* apud Terent. Ciceronem, noſtrum ſæpius legerat, hic quoque ſuſpicatur fuiſſe *forte temerè ſub armis*; quod tamen huic loco minùs convenit, quàm *propè temerè*: vult enim Livius has Samnitum cohortes non quidem omnino ſine ullo ordine, ſed non adhibitis exactè cuſtodiis militaribus noctem ibi duxiſſe.

ſub

sub armis strati passim, inquietum omne tempus noctis, exspectando timendoque lucem, egere. prima luce incerti 6 quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur 7 conspecti ab equitibus: qui egressos nocte ab oppido Samnites persecuti, viderant multitudinem, non vallo, non stationibus firmatam. Conspecta ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat: jamque etiam legionariæ cohortes sequebantur. Cæterum nec pedes fugientes persequi potuit: & ab equite novissimi agminis ducenti ferme & octoginta interfecti. Arma multa pavidi, ac signa militaria duodeviginti reliquere. alio agmine incolumi, [b] ut ex tanta trepidatione, Bovianum perventum est.

Urb. cond. an. 460. Coss. L. Papir. & Sp. Carvil.

XLIV. [a] Lætitiam utriusque exercitus Romani auxit & ab altera parte feliciter gesta res. uterque ex alterius sententia consul captum oppidum diripiendum militi dedit: exhaustis deinde tectis, ignem injecit, eodemque die Aquilonia & Cominium deflagravere: & consules cum gratulatione mutua legionum suaque, castra conjunxere. In conspectu duorum exercituum & Carvilius suos pro cujusque merito laudavit, donavitque; & Papirius, apud quem multiplex in acie circa castra, circa urbem, fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papirium, fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumque hastatorum, armillis aureisque coronis donavit: Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostes: juvenem Papirium, propter navatam cum equitatu & in prælio operam, & nocte qua fugam infestam Samnitibus ab Aquilonia clam egressis fecit: centuriones, militesque, quia primi portam murumque Aquiloniæ ceperant. equites omnes ob insignem multis locis operam, 8 [1] corniculis armillis-

INTERPRETATIO.

[a] *Crevit exercitus Papiriani gaudium, ex eo quod Carvilianus quoque rem egregiè gesserat, & vice versâ.*

[b] *Reliqui, quantum ex tanto tumultu fieri potuit.*

NOTÆ.

6. *Quam in partem intenderent iter.*] Aliàs *tenderent iter*, quod Latinum quidem est & Virgilianum, sed non idcirco damnandum *intenderent*. Est enim, *intendere*, idem quod dirigere: hoc autem Ciceroni usurpatum. *Cùm iter ad Mutinam dirigerem.*

7. *Conspecti ab equitibus.*] Mallem *conspectis equitibus.*

1. *Corniculis, armillisque.*] In quibusdam est, *Coronis armillisque.* At *Corniculi* nomen plura significat; sed in militia veteri duplex videtur ejus nominis usus fuisse, alterum pro minori cornu, quo milites officii sui admonebantur: alterum, pro militari præmio, quod formâ exiguo cornui simile, aut quod ut cornu eminebat. Quod ad primum attinet, Corniculi significatio ex officio Cornicularii colligenda est. Sigonius lib. 2. de antiq. Jur. Provinc. cap. 2. conjicit Cornicularium Tribuni militaris Ministrum fuisse, præsertim ex Frontini lib. 3. ubi dicitur, *tanquam Tribuni Cornicularius Vigilias excitavit.* Quasi Cornicularius Vigilias, Tribuni loco, circumjerit, atque ejus imperia corniculo ediderit. Hinc Cornicularii, mereri Corniculo dicti sunt, ut à Suet. in lib. de Clar. Grammat. *Orbilius primò apparitoram fecit magistratibus, deinde in Macedonia Corniculo, mox equo meruit,*

Urb. cond. an. 460. Coſſ. L. Papir. & Sp. Carvil.

que argenteis donat. Conſilium inde habitum, quum jam tempus eſſet deducendi ab Samnio exercitus aut utriuſque, aut certe alterius. Optimum viſum, quo magis fractæ res Samnitium eſſent, eo pertinacius & infeſtius agere cætera, & perſequi: ut perdomitum Samnium inſequentibus conſulibus tradi poſſet. *Quando jam nullus eſſet hoſtium exercitus, qui ſignis collatis dimicaturus videretur; unum ſupereſſe belli genus, urbium oppugnationes; quarum per excidia militem locupletare præda, & hoſtem pro aris ac focis dimicantem conficere poſſent.* Itaque literis miſſis ad ſenatum populumque Romanum de rebus ab ſe geſtis, diverſi, Papirius [2] ad Sepinum, Carvilius [3] ad Volanam oppugnandam legiones ducunt. 5 10

XLV. Literæ conſulum, ingenti lætitia, & in curia, & in concione auditæ, & quatridui ſupplicatione publicum gaudium privatis ſtudiis ce-

NOTÆ.

At Turnebus lib. 5. advers. cap. 10. Cornicularium dictum putat, quod Corniculo Tribuni militum præſit: *Nam ut in exercitu*, inquit, *& acie dicitur cornu: ità in cohortibus tribunorum militum, Corniculum; & fortè in ordinibus Centurionum*. A legionaria militia ad Provincialem ſub Præſidibus, atque ad Palatinam tranſlatum deinde Cornicularii, ut & Commentarienſis vocabulum tradit Aſconius ex ſimilitudine aliqua, ut videtur, muneris. Cujacius ad L. 2. Cod. de prox. Sacror. Scrin. *Cornicularios*, ait, *in imperio fuiſſe officiales qui aderant Cornibus ſecretarii*, ſive auditorii judicum, eamque laudat. Caſſiod. in rem 11. Variar. Alciatus in d. L. 2. ait Cornicularium accipi pro accenſo primi Scriniorum, vel principis proximorum. Idem in titulum de cohortalibus & principum Cornicularils, intelligit *Cornicularlorum* nomine adjutores principis cuſtodiæ, vel officialis. Secundo loco ſumitur *Corniculum* pro militari præmio, quod quale ſit nemo Veterum explicat. Marcellus Donatus ex eo quòd capitis tegumentum, quo Venetorum duces ornari ſolent *cornu* appellatur, vulgò *il corno*, exiſtimat *Corniculum* militare fuiſſe inſigne: quo ſtrenuorum militum caput honeſtarent Romani duces; illudque argenteum, vel aureum fuiſſe, cui inderentur plumæ: ſententiamque ſuam confirmat ex iconibus Galearum militarium, quæ ſæpe pennis adornatæ viſuntur. Sic in numiſmatibus argenteis Alexander Magnus capite galeato exhibetur adjectis cornibus; quo inſigni eum gaviſum conſtat, ut ſe Jovis Ammonis (Cornuti ſcilicet Dei) filium indicaret. Unde & apud Syro Macedonas Δικέρως nomine, & Chaldaïcè eodem ſenſu קַרְנַי *dilKarnaim* appellabatur. Nonnulli hodie apud nos magiſtratus etiam Superiores, ut & Regii Profeſſores, inter inſignia ſua Corniculum quoque numerant: id enim ſonat quod vulgò vocamus, *La Cornette*. Id latioris faſciæ genus eſt, quo caput ità circum volvebatur, ut in ſummo nodus, inſtar duorum cornuum emineret: quamvis hodie hoc ornamentum è collo pendeat. An ſimile quid, an equeſtre vexillum minus, quod etiam *Cornette* apud nos dicitur, Corniculi voce intelligendum ſit, quod equitibus tunc præmii loco ceſſerit, ſubtilioribus diſcutiendum, aut divinandum relinquo.

2. *Ad Sepinum.*] *Sepinum*, aut potiùs ex Ptolomæo, Frontino, & antiquâ inſcriptione *Sapinum* Samnii oppidum, hodie *Supino* dictum, eſt ſub Apennino ad fontes Tamari amnis in finibus Comitatus Moliſii verſus Terram Laboris.

3. *Ad Volanam.*] Ut in Samnio vicinove tractu fuiſſe *Volanam* oppidum hinc conſtat: ita qua ejus regionis parte fuerit ignoratur. An legendum *Velina*, ut circa Velini amnis fontes fuerit qui hodie in Aprutio ulteriore. Codex certè Memm. habet *Veliam*.

lebratum est. nec populo Romano magna solum, sed peropportuna etiam ea victoria fuit, quia per idem forte tempus rebellasse Etruscos allatum est. Subibat cogitatio animum, quonam modo tolerabilis futura Etruria fuisset, si quid in Samnio adversi venisset; quæ conjuratione Samnitium erecta, quoniam ambo consules omnisque Romana vis aversa in Samnium esset, occupationem populi Romani pro occasione rebellandi habuisset. Legationes sociorum à M. Attilio prætore in senatum introductæ, querebantur, *uri & vastari agros à finitimis Etruscis, quod desciscere à populo Romano nollent*. Obtestabanturque Patres conscriptos, *ut se à vi atque injuria communium hostium tuarentur*. Responsum legatis, *Curæ senatui futurum, ne socios fidei suæ pœniteret. Etruscorum propediem eandem fortunam, quam Samnitium, fore*. Segnius tamen, quod ad Etruriam attinebat, acta res esset, ni Faliscos quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret, arma Etruscis junxisse. Hujus propinquitas populi acuit curam Patribus, ut feciales mittendos ad res repetendas censerent. quibus non redditis, ex auctoritate Patrum jussu populi bellum Faliscis indictum est: jussique consules sortiri, uter ex Samnio in Etruriam cum exercitu transiret. Jam Carvilius Volanam, & [1] Palumbinum, [2] & Herculaneum ex Samnitibus ceperat: Volanam intra paucos dies, Palumbinum eodem quo ad muros accessit. Ad Herculaneum bis etiam signis collatis ancipiti prælio, & cum majore sua quam hostium jactura, dimicavit. Castris deinde positis, mœnibus hostem inclusit. oppugnatum oppidum, captumque. In his tribus urbibus capta aut cæsa ad decem millia hominum: ita, [3] ut parvo admodum plures caperentur. Sortientibus provincias consulibus, Etruria Carvilio evenit, secundum vota militum, qui vim frigoris jam in Samnio non patiebantur. Papirio ad Sepinum major vis hostium restitit. sæpe in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam urbem adversus eruptiones hostium pugnatum: [4] neque obsidio, neque bellum ex æquo erat: non enim muris magis

Urb. cond. an. 460. L. Papir. & Sp. Carvil.

NOTÆ.

1. *Palumbinum.*] An *Palumbini* memoriam servet locus duobus milibus passuum supra Capuam novam, qui nunc dicitur *Palumbara*, à quo vicinæ angustiæ vocantur, *il passo di Palumbara*, asseverare non ausim: etsi non ignorem non pauca Regionis Campanæ loca Samnitum armis sæpe fuisse occupata.

2. *Et Herculaneum.*] De oppido Campaniæ Herculaneo, quod satis notum, alibi. At in Samnii finibus *Herculanei* mentio in tabula tantùm Itinerariæ exstat, ni fallor, nec sine mendo. Ibi enim sub voce *Æcas* legitur *Herculus rani*. Sive igitur Æcas veterum pro *Troja*, sive pro *Accadia* hodiernis Apuliæ locis accipias: dicendum erit *Herculaneum* hoc in Hirpinis fuisse, ubi nunc Principatus ulterior.

3. *Ut parvo admodùm plures.*] Apud Bechavium: *ita ut parvore admodum plures caperentur*. Sigonius ex scriptis, quibus in hoc similis. Memmianus, legit *parvo admodùm numero plures*, in aliis scribitur, *parvo admodùm plures*: eodem exemplo, quo dicimus *multò plures, aliquantò plures*. Usitatius tamen est *paulò plures*.

4. *Neque obsidio, neque bellum ex æquo erat.*] *Obsidio* haud dubiè belli pars est, sed bellum hic pro certamine accipitur; Quis tamen sit horum verborum sensus . .

Urb. cond. an. 460. Coss. L. Pap. & Sp. Carvil.

se Samnites, quam armis ac viris mœnia tutabantur. Tandem pugnando in obsidionem justam coëgit hostes: obsidendoque, vi atque operibus urbem expugnavit. itaque ab ira plus cædis editum capta urbe: septem millia quadringenti cæsi: capta minus tria millia hominum: præda, quæ plurima fuit, congestis Samnitium rebus in urbes paucas, militi concessa est.

XLVI. Nives jam omnia oppleverant, nec durari extra tecta poterat: itaque consul de Samnio exercitum deduxit. Venienti Romam triumphus omnium consensu est delatus. triumphavit in magistratu, insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho. Pedites equitesque insignes donis transiere, ac [1] transvecti sunt: [2] multæ civicæ coronæ, vallaresque ac murales conspectæ. Inspectata spolia Samnitium: & decore ac pulcritudine [a] paternis spoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur. nobiles aliquot captivi, clari suis patrumque factis, ducti. [3] Æris gravis transvecta [x] vicies centum, & ad triginta tria mil-

INTERPRETATIO.

a *Comparatur cum spoliis à Papirio triumphantis patre relatis, quæ satis cognita erant, eò quòd sæpè ad loca publica ornanda adhiberentur.*

NOTÆ.

non facilè quis expediat: primâ quippe fronte videtur neutro bellandi genere pares Samnitibus fuisse Romanos, contra quam eventus ipse docuit. Lux igitur huic loco quærenda est ex Cod. Florentino apud Gronovium in Addendis. In eo legitur *neque obsidio, sed bellum ex æquo erat*: id est, non jam obsideri videbantur Sepinates, sed æquali cum Romanis robore bellum velut libero campo agitare.

1. *Transvecti sunt.*] Signatum verbum de equitibus solenni ritu evectis.

2. *Civicæ Coronæ, Vallaresque ac Murales.*] De his alibi actum, & videndus Plin. lib. 16.

3. *Æris gravis transvecta, &c.*] In hujus loci lectione inque numero æris minrè dissentiunt tum libri veteres editique, tum interpretes; legebatur alias. *Æris gravis transvecta vicies centum millia, & auri triginta millia.* Apud Bechar. est: *Æris gravis transvecta vicies centum millia, & auri triginta tria millia.* Gelen. *Æris gravis transvecta vicies centum millia, & quingenta triginta tria millia.* Quod sequutus Vascosanus, auri nullâ mentione; ut nec in Colbertino altero. Sigon. & alii habent: *æris gravis magna vis, transvecta vicies centies millies, & quingenta triginta tria millia.* Verùm hanc lectionem duplici ex capite impugnat non immeritò Gron. Primò quidem, quod verba illa, *magna vis* à libris melioris notæ absunt. Deinde quòd summa illa adeò immodica sit, ut tunc nullo ex triumpho sperari potuerit. Etenim *vicies centies millies centena millia æris gravis*, Gall. *Deux cens milliards de sols de cuivre d'une livre Romaine chacun. Prætermissis quæ excurrunt*, efficerent hodie ex ipso æris pretio fere decies ac tercenties millies centëna millia librarum Francicarum, *cent trente milliards de livres*. Quid si ad hæc adjicias auri triginta millia pondo, id est habitâ ratione æstimationis qua apud nos est aurum monetale, circiter centies & sedecies centena ac tria & quingenta librarum millia, Gall. *Seize millions cinq cens trois mille livres*. Quid si & argenti addatur quantitas (licèt in æris comparatione satis exilis) pondo nempe *mille trecenta* ac *triginta*: id est nostratis pecuniæ quadraginta septem millia cum octingentis atque octuaginta libris, *quarante sept mille huit cens quatre-vingt livres*: in quantum excresceret illa jam adeo

lia: ideæ redactum ex captivis dicebatur. argenti, quod captum ex urbibus erat, P. M. CCCXXX. omne æs argentumque in ærarium conditum. Militibus nihil datum ex præda eſt. auctaque ea invidia eſt ad plebem, quod tributum etiam in ſtipendium militum collatum eſt: quum, ſi præta gloria fuiſſet captivæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militi tum dari ex præda, & ſtipendium militare præſtari potuiſſet. Ædem Quirini, quam in ipſa dimicatione votam apud neminem veterem auctorem invenio (neque hercule tam exiguo tempore perficere potuiſſet) ab dictatore patre votam filius conſul dedicavit, exornavitque hoſtium ſpoliis: quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum forumque his ornaretur, ſed ſociis etiam coloniſque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum dividerentur. A triumpho exercitum in agrum Veſcinum, quia regio ea infeſta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit. Inter hæc Carvilius conſul in Etruria 4 Troillium primum oppugnare adortus, quadringentos ſeptuaginta ditiſſimos, pecunia grandi pactos, ut abire inde liceret, dimiſit: cæteram multitudinem oppidumque ipſum vi cepit. inde quinque caſtella, locis ſita munitis, expugnavit. Cæſa ibi hoſtium duo millia quadringenti: minus duo millia capti. & Faliſcis pacem petentibus annuas inducias dedit: pactus 5 ♆ centum millia gravis æris, & ſtipendium ejus anni militibus. His rebus actis, ad triumphum deceſſit: ut minus clarum de Samnitibus, quam collegæ triumphus fuerat; ita cumulo Etruſci belli æquatum. Æris gravis tulit in ærarium 6 trecenta nonaginta millia: de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ

Urb. condi. an. 460. Coſs. L. Papir. & Sp. Carv.

NOTÆ.

immanis ſumma? Ego ut credam auri nihil ex hac victoria ad quæſtorem pervenifſe, facilè adducor duabus de cauſis: tum quod tantillum argenti redactum video, quo carius rariuſque ſemper aurum ubique fuit: tum quod mox, cum militibus nihil datum dicatur ex præda, in ærarium tamen non niſi *æs argentumque conditum* narratur. Eos itaque tum manu tum typis exaratos Codices libens ſequar, qui æris tantùm, atque argenti meminere: legerimque ex Thuan. Cod. *Æris gravis tranſvecta vicies centum millia, & ad triginta millia*. Ubi præpoſitio *ad*, quemadmodum & Gronov. obſervat, idem proculdubio eſt ac *circiter*, ſive *plus minùs*. Summa ad noſtram rationem, reddet præter propter, librarum Francicarum, decies ac ter centena viginti millia: *treize cent mille livres*, aut paulo plus. Quæ ſumma redacta fuerat ex ære gravi quo vænierant captivi. Huic addita pecunia ante memorata ex argento in urbibus capto; exibit paulò minùs decies & quater centenis millibus librarum. *près d'un million quatre cens mille livres* Præter ſpolia quæ hic deſcribuntur. Ut autem hæc quantitas direptis pluribus opulentæ gentis urbibus, haud ægrè redigi potuit, ita pro illis temporibus non exigua fuit.

4. *Troillium*.] Mentionem Troillii nullibi reperi. Scripſerat fortè Liv. *Troſſillum*, ſive *Troſſulum*, quod Tuſcorum eſſe oppidum jam anteà vidimus. Id autem Cluver. putat eſſe, *Monte Fiaſcone*: ſed probabiliùs Holſtenius ejus loci veſtigia ſupereſſe addit duobus inde milliaribus, & nomen aliquatenus retinere vulgò *Troſſo*.

5. *Centum millia gravis æris*.] Sunt juxta pretium æris hodiernum apud nos quinque ferè ac ſexaginta millia librarum Francicarum.

6. *Trecenta nonaginta millia*.] Id eſt, 253500. librarum noſtræ monetæ.

4 ab Epidauro Romam arceſſendum. neque eo anno, quia bello occupati conſules erant, quicquam de ea re actum: præterquam quod unum diem Æſculapio ſupplicatio habita eſt.

NOTÆ.

habitus propter ſummam ejus artis peritiam: filius Apollinis fuiſſe dicitur, alium Mercurii fratrem ferunt, qui fulmine ictus fuerit.

4. *Ab Epidauro.*] Tres fuere ejus nominis urbes. Hic ea intelligitur quæ in Argolide ſita, ubi Æſculapius colebatur ſub forma ſerpentis: ideò ſerpens Epidaurius vocatur.

FINIS PRIMÆ DECADIS TIT. LIV.

Digitized by Google

T. LIVII
PATAVINI
DECADIS SECUNDÆ
SUPPLEMENTUM

Auctore J. FREINSHEMIO,

AD CHRISTINAM REGINAM

Digitized by Google

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQUE

PRINCIPI AC DOMINÆ DOM.

CHRISTINÆ,

DEI GRATIA SUEDORUM;

GOTTORUM, VANDALORUM,

CONTRIBUTARUMQUE PROVINCIARUM

REGINÆ, AC DOMINÆ,

DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ,

JOANNES FREINSHEMIUS *S. P. D.*

DOMINA,

PERQUAM evenit commodè, quod duobus è capitibus, quæ in dedicationibus librorum paginam utramque faciunt, alterum mihi supervacaneum in tantæ Majestatis fastigio pariter admirabilis humanitas Tua & eruditio fecit. Tot enim causſas, cur tibi Supplementum istud inscribam exsequendas habeo: ut si etiam argumentum opusculi, & quo fine quoque modo sit concinnatum, exponere necessum foret, non nisi longissimâ possem epistolâ defungi. Nunc autem duæ virtutum Tuarum quas dixi istâ me necessitate liberant: quando humanitas Tua effecit, ut opusculum dum nascebatur, perlegere velles; eruditio, ut quid adesset ei, quidve deesset, plenius intelligeres, quàm aut ego potuissem ostendere, aut quisquam. Itaque nec ingenii mei, nec eruditionis mediocritatem accusabo; remque nullam criminabor, quod institutum istud meum non felicius cesſit. brevitatem temporis, negotiorum impedimenta, valetudinis incommoda excusent, qui aliam quàm obsequii gloriam quæ-

runt, mihi conſcientia fuiſſecerit, quod & ſcribendo iſta, ſtudiorum Tuorum commodis, & edendo voluntatis Tuæ ſignificationi ſum obſequutus. Quippe quum ad Hiſtoriæ Liviane committendas reliquias; in quibus eo tempore ſtudioſè verſabaris, hunc velut tumultuarii operis pontem conſtruxiſſem; pro eximia illa Orbique notâ bonitate Tua, placere Tibi conatum meum teſtata es, ad eum finem, ut, tanquam Tibi profuiſſet, ad aliorum etiam utilitatem publici juris fieri oportere judicares. Quâ in re nonnullum & prudentiæ Tuæ & benignitatis ſpecimen viſus ſum animadvertere: hujus in eo, quod volebas omnium ſervire uſibus, quæ propriè in Tuos erant nata; prudentiæ, quod in recentibus his literarum incrementis, quæ Tuâ operâ Tuoque exemplo Septemtrio Tuus feliciter & cupidè accipit, provocabas ingenia diligentiamque hominum, limata & erudita ſcripta promptè edituris auctoribus, ſi etiam inculta iſta & horrida clementer accepta fuiſſe didiciſſent. Quum igitur videam non eos modò qui Tuum ad obſequium nati ſunt, ſed ex diverſiſſimis hominum atque populorum generibus permultos, mandata Tua cupidiſſimè ſuſcipere & exſequi: ego in obediendo ſegnis ſim, qui in tanto fideliſſimorum addictiſſimorumque famulorum numero, aut ſolus, aut inter paucos certè, peculiari quodam modo me Tuum eſſe intelligo. Sum ego quidem ejuſdem, cujus ſunt & omnia: nec aliunde veram felicitatem & ſine fine duraturam opperior: neque minores plerumque quam pro tanta ſpe animos gero. Sed quantum ad hujus vitæ officia pertinet, uti certiſſimis, nec Tibi ignotis, argumentis deprehendi, ab eo Tibi ſum donatus, unde mihi conſtans certuſque vivendi ſcopus eſt, quem ſi non, uti vellem deberamque, conſequor, ſequor certè: in iis quorum juſſus vetituſve modus eſt, neminem præter DEUM; in arbitrariis autem actionibus, neminem præter Te reſpicere: idque maximè conari perficere, quod Tibi maximè placere animadverto. Atque hoc ſatis firmum erat obedientiæ venerationiſque vinculum, etiamſi præterea nullis aut virtutibus alliceres animos, aut meritis obligares. Jam vero in utriſque tantum eſt, ut difficile dictu ſit, pluſne ob illas inſervire Tibi velim, an ob iſta debeam. Sentio incidiſſe me in locum anceps, & utrinque perplexum. Sive enim quod cupio, quodque juſtum eſt, dico quæ conſtitui, Tibi fiam injucundus, quæ lubentiùs virtutem & merita præſtas, quàm audis præſtitiſſe: ſive aliquid ex ea commemoratione detraho, detraho aliquid officio meo debitoque, detraho Tuis laudibus, quas etiam ardens deſiderio & favore quantovis adjutus & liberis permiſſus ſpatiis, nedum in unius epiſtolæ coactus anguſtias, pro dignitate nequirem exequi. Confido tamen temperamentum rei quod neque Tu vituperes, quum ex inſtituto præſenti, tum ex moribus utriuſque fore. Nam & ego profectò adulationem omnem Tecum deteſtor, neque ſanè ſuavius lo-

quàm aliquid aſſentatoriè, quàm Tu audias. Et pro acumine judicii Tui non ignoras, me hoc eſſe ingenio (quod pauci privati præſtare, & pauci Reges ferre poſſunt) ut ſi detur optio, prodeſſe Tibi cum periculo offenſionis, an placere per adulationem malim, citrà magnam hæſitationem illud videar electurus. Itaque ſecura hanc in partem peccari non poſſe, ne intercedas deſiderio meo. Liceat fateri quæ patimur, & ſi miſeros plerumque nemo queri vetat, cur nos Te Principe felices vetes modeſtè gloriari? Perire certè non debet aut Tibi rectè factorum ſola merces, aut nobis grati animi fructus. iterum accipimus beneficia, dum accepta prædicamus. Sed video quid accidat: dum impetro ſcribendi veniam, amitto ſpatium & locum. Quod igitur unum ſupereſt, quidquid eram prolaturus, id omne in paucas periodos congeram: ex unoquoque genere ſumma tantùm capita delibando. Ergo quod ad virtutes illas Tuas, quibus hoc imperium magnificè illuſtratur, attinet: ut breviter de jis quæ ſentio demonſtrem, aliquid à Tacito noſtro mutuandum eſſe video. Scis apud illum auctorem C. Cæſarem à Tiberio increpari, quaſi qui nullam ex L. Syllæ virtutibus eſſet habiturus, & omnia vitia. Ego verè puto in Te hoc inverti poſſe, ut omnes prædeceſſorum Tuorum habeas virtutes, vitiis, ſi quæ fuerunt, relictis: atque adeo ut priſtina illarum decora novis & antehac regno huic incognitis virtutibus augeas. Equidem prioribus etiam ſæculis non defuiſſe præclaros Reges arbitror; ſed tamen neſcio quomodo rem Sueticam nunquàm ad celebrem aliquam durabilemve magnitudinem evexerunt. Laus iſta totà GUSTAVIDARUM eſt: quorum nemo ſine ingenti aliquâ patriæ utilitate regnavit. Nam & errores quorumdam profuerunt: Ericique & Sigiſmundi caſus, quid offendere Reges poſſint, documento ſunt; quemadmodum & alios, quàm ſit intutum proritare Principis iracundiam, Caroli ſeveritas admonuit. Duos vero GUSTAVOS, & eorum immortalia beneficia, quis calamus, aut quæ oratio ſatis celebret? quorum uterque tantus fuit, ut ſi cum aliis contendas, facilè præferas; ſin compares inter ſe, faciliùs dicas & hunc & illum fuiſſe maximum, quàm uter major fuerit definias. Neque enim parum fallax & obnoxium errori eſt, amplitudinem Regum ex rerum geſtarum externo ſplendore arbitrari. nam has qui ſolas reſpiciunt, eos ad vera judicia exercitare neceſſum eſt. Evenit enim interdum in his quæ terram illuſtrant ſideribus, non ſecus atque in cœleſtibus, ut alia majora ſint, alia videantur. Hoc tamen apparet, per duos maximè Principes omnem hujus Regni gloriam extollere Deum conſtituiſſe, GUSTAVUM MAGNUM, & CHRISTINAM GUSTAVI FILIAM. Sed illi quidem bellicas magis virtutes tribuerat, ut tamen, quoties per bella poſſet, domeſticas quoque res accuratiſſimè peritiſſimeque tractaret: Te verò, DOMINA, quoniam ad majus opus, pacem videlicet reducendam, ſtabiliendam, perornandam ſer-

vabat, ſic inſtruxit, ut his tantis rebus eſſes modis omnibus aptiſſima; & nihilominus donec bellandum fuit, nihil etiam in iſto negotio ad ſummam laudem deſiderari in Te paterere. Quum enim in corpore ſit minimum, omnes eas virtutes, quibus ſummorum Imperatorum animi cenſentur Tibi ſuperfuere; conſilium in dubiis, conſtantia in adverſis, moderatio in proſperis, labor, prudentia, fides, in omnibus. Ita factum eſt, ut per multas ac illuſtres victorias, primo regni tui anno, cum Daniæ Rege, quarto cum Imperatore Romano pacem longè glorioſiſſimam & utiliſſimam Tibi Tuiſque comparares, quam quibus exornare modis inſtitueris, quis queat in tranſcurſu dicere? nominabo tamen Urbem creſcentem, oppida conſtituta, juſtitiam firmatam, levatum oneribus populum, mores emendatos, ſtudiorum honorem & fructus auctos, locupletatas Academias, erecta Gymnaſia, mercaturam invaleſcentem, opificia multa recens introducta, agrum ſupra veterem ſimplicitatem excultum, curam Tuam ad commoditatem itinerum, demenſionem viarum, conſtructionem diverſoriorum, denique ad ea omnia quæ videmus, quæ ſentimus, quorum utilitate fruimur, prolatum. Ut meritò beatos dicere poſſim populares illos meos Germaniæ populos, qui Tua ſub tutela in poſterum adquieſcent. Quos mecum & cum univerſis ſubditis ſuis ſic exiſtimare velim, propitii aut irati DEI non temerè ſignum certius habituros eſſe, quàm prout Te talem Principem tardè celeriterve Tuis adimet. Quod ſi quidam vel miſeriâ præteriti temporis oculos attollere non auſi, vel objectu nubecularum impediti ſerenum illud ſidus intueri, & exhilarari adſpectu ejus, refoverique calore nondum potuerunt; eos læta & optata omnia ex propinquo ſperare, non magnitudo ſolum tam benignæ lucis, ſed etiam conſtantia jubet. Non enim illi tanquam lychno aut faculæ adſcititius fulgor eſt, quo deflagrante fœdius appareat, quidquid relictum eſt; ſed ad Solis exemplar purus & proprius, qui neque conſumatur tempore, neque caſuum injuriâ evaneſcat. Quem ego certum habeo jamjam longiſſimè quibuſque diſſitis notiſſimum fore, omneſque illas quæ viſui eorum officiunt nebulas ita diſcuſſurum, ut neminem reperire aut tam cæcum poſſis, qui lucem illam videre nequeat, aut tam impudenter exiſtimationis ſuæ prodigum, qui videre ſe neget. Cæterùm ego, licet ſanè moleſtum eſt à cogitatione tam pulchrâ jucundâque animum abducere; tamen Virtutum iſtarum commemorationem juſtis voluminibus, ſæculis gentibuſque debitam, hujus chartæ, temporis, ingenioli, ſpatiis iniquis coërcere deſino. At in Tuis erga me beneficiis commemorandis, quando neque tam nota ſunt omnibus, & ad cauſſas hujus dedicationis propiùs pertinent; præterea Virtutum Tuarum non indigna ſcitu monumenta ſunt, audebo eſſe prolixior. Sed primo DEI noſtri deprædicanda mihi providentia eſt, quam in omni iſto negotio præſentiſſimam ſemper manifeſtiſſimamque cognovi. Quum

enim

enim ex eâ vivendi formula, quam certas ob rationes ſequi conſtitueram, per aliquot annos in Germania ſederem, uti nullius functionis appetens, ita ſuſcepturus quamlibet, ſi legitimè oblata fuiſſet; toto illo tempore nemo libertatem meam ullo vocationis nexu occupavit. Ego interim otium illud non ſegnitie contrivi; ſed illis operatum habui ſtudiis, quibus me ab ineunte ætate fuiſſe deſtinatum, ex iis quæ poſtea evenerunt, evidentiùs intellexi. Maturuit interea tempus, quo Tuo miniſterio debebar, DOMINA, venitque Argentoratum BENEDICTUS SKYTTE, quem Tu multis beneficiis, & poſtremò Senatoriâ dignitate, per juſtiſſimum favorem decoraſti. Sic vocatus, in Academiam Tuam acceſſi: ubi juventutem Tuam cum fide & curâ docens, quanquam arderem Te videndi deſiderio, dulcedini felicitatis nondum debitæ præſentis muneris neceſſitatem antepoſui. Quum ità tertium jam annum alloquio Tuo caruiſſem, ſuſceptâ nuper adminiſtratione Regni Tui, per occaſionem exſequiarum Ubſaliam Te contuliſti. Atque ex eo tempore collata propriè in me beneficia numerare ordiar. Supremus enim honor habebatur Patrono olim meo, JOHANNI SKYTTE senatori, cujus eximias laudes Oratione, quæ tum ex Profeſſionis meæ debito habenda fuit, celebrare ſum conatus. Atque hæc prima fuit Orationum, quas Te audiente habui: quo tempore quum ſereniſſimi vultus hilaritate, Te & intelligere omnia quæ dicerentur, & favere dicenti teſtareris, adeo ſum voluptate & admiratione captus, ut exinde non jam ut meam tantummodo Regnorumque Tuorum, ſed ut omnium virtutum ingeniorumque Principem colendam eſſe ſtatuerem. Atque eundem ſequenti biennio favorem ſum expertus, quoties Ubſaliam regreſſa, de rebus quas mandaveras verba facientem audiviſti. Subinde verò majoribus me cumulatura beneficiis, nihil tale non ſperantem modò, ſed ne cogitantem quidem, in aulam evocaſti: ubi quæ ſtatim aut mox à Te acceperim, vix longo ſermone poſſem enumerare. Præfeciſti me Bibliothecæ Tuæ, quâ nulla ſub initia ſtatim ſua fuit locupletior; cujuſque auxilio etiam in his concinnandis Supplementis maximopere ſum adjutus. Hiſtoriographi titulum impoſuiſti, ut res noſtrâ memoriâ geſtas gerendaſque, quum Tibi videretur, poſteritati traderem. Habitationem in Regia Tua, non commodiſſimam modò, ſed etiam (quod majus, ut in loco celeberrimo, mirum eſt) tranquilliſſimam; ſalarium, ut re ipsâ experior, invidioſum tribuiſti. Et quum hæc longè maxima viderentur, effeciſti ut præ illis quæ ſequuta ſunt, poſſunt leviora cenſeri. Quum enim Græcarum literarum amore flagrares, ſenſus eminentiſſimorum in civili ſapientia hominum ab ipſorum ore cupiens hauire, neſcio quomodo ignarum quid ageretur, ſed ſenſim irretitum, ad iſtud magiſterium ita propuliſti, ut tum demum me ſeriò docere intelligerem, quum Te jam multa ſeriò viderem didiciſſe. Iſtâ Tuâ arte factum eſt, ut eo tempore, quod intra proximum biennium (Regi-

nâ regnans, & belligerans, & Comitia ſæpe, & Senatum quotidie, & négotia alia plurima indeſinenter habens) huc impendere potuiſti, jam eò proceſſeris, ut poſt experimenta in Polybio, in Plutarcho facta, Platonem, at quem virum! ita legas, ut operæ meæ vix leviter egens, curſim exponas eleganti latinitate verbiſque ſignificantiſſimis: adeoque nonnunquam vitia verſionis ab eruditiſſimis hominibus magno labore procuratæ, per Te animadvertas, atque veris rationibus coarguas. Quibus ex rebus omnibus tantum tamque varium puriſſimæ voluptatis fructum capio, ut apud intimos familiarium ſimpliciter fateri ſoleam, me, ſi quid ad officium iſtud impendi temporis, aut laboris, aut denique cogitationum & fidelis curæ (moleſtias enim, conſcientiam teſtor, ſenſi nunquam) id omne mihi cujuslibet horæ pretio, quam apud Te exigere licuit, abundè penſatum arbitrari. Ut enim alia taceam, quantum in hoc uno eſt, Clariſſimæ Regum adeſſe quotidie, apud Te conſpici, à Te reſpici, familiaris ſpeciem, locum, gratiam obtinere? Certè tanta mihi felicitàs mea viſa eſt, ut non injuriâ, timere jam ipſam [illegible]. Quanquam enim per gratiam DEI quotidie me his omnibus exſpolio, [illegible] aut deſeri certus, tamen imbecillitate animi, & felicitate nimia poteram [illegible], nîſi certis argumentis in tempore docuiſſes, tantam fortunam non tam alieni meriti, quàm Tuæ voluntatis & gratiæ donum eſſe. Cæterùm in hoc ipſo, quod tantum eſſe dixi, quot ſunt eximia & propria? Tantùm vocationi meæ & ſtudiis mancipatus, hoc eſt, ut qui optimo jure, liber, nullis ab officio meo alienis miniſteriis deteror: nec tempori modò valetudinique, ſed etiam modeſtiæ ac pudori meo conſulis. non appareo, niſi quum ſtudia tractantur, ne ad hæc quidem injuſſus, irrumpo, ut otioſus & mutus ſpectator adſtem, cum temporis deperditi detrimento ſubiturus etiam ludibrium ſtolidè oſtentatæ familiaritatis. Nec operam meam vilem habes. Nihil tractamus quod tegi, nihil quod excuſari ſit opus. Dignas eas curas homine, dignas Rege, fateri cogitur, quiſquis non mavult imperitiam ſuam inſcitiamque confiteri. Atque hactenus eorum retuli partem, quæ mihi præſtitiſti. Sed urgent locumque reſiduum poſtulant quæ quum in alios contuleris, tantò magis in me collata eſſe judico, quod etiam pro aliis meæ preces valuerunt. Qua in confeſſione profectò ſubvereor, non modò ne mihi poſſit eſſe invidioſa: ſed etiam ne Tuam quoque Majeſtatem inceſſere audeant homines, quaſi ad concedenda quæ peterentur, æquò fueris indulgentior. Quibus reſpondeo, me haud dubiè agnoſcere & mirari bonitatem Tuam, quæ meritis meis longè majora tribuerit; ſed tamen illos etiam facilè æqualia aut potiora impetraturos, ſi reſpicere velint, quæ ego reſpexi. At quænam iſta ſunt? Primum, ne quid peterem, quod in ſe non eſſet æquum. alterum, ne, quod officio Majeſtatique Principis meæ non congrueret. tertium illud erat, quod per omnia iſta commoda, quæ aliis impetravi, ne unius quidem, quod ſciam, oboli pretio factus ſum locupletior.

Cæterùm

Cæterum in his ângustiis, ubi cogitare plurâ quam scribere licet, multa veniunt in mentem, quæ cogor prætermittere. Hoc tamen dicam, me dubitare, utrum ob parva beneficia, quæ me deprecante hominibus tribuisti, an ob magna plus Tibi debeam. nam ut in his pretium rerum, ita in illis humanitatis, majus est, quod animum istum quantælibet magnitudinis capacem interdum ad tam exigua demisisti. Regem fuisse accepimus, qui philosopho petente drachmam, conveniens hoc Regi munus esse negaverit: atque eodem mox petente talentum, negaverit hoc conveniens esse Philosopho. Tu eodem illo sophismate magnificentius usa es, in parvis, quæ me deceret accipere respiciens, in majoribus, quæ Te dare. Ergo pari clementiâ & miserorum aliquot hominum (quos ob hoc ipsum Tibi commendavi, quod quia miseri erant, eorum nemo miserebatur) habuisti rationem: & id fecisti, quod adhuc vix proferre audeo, tum ob magnitudinem rei, tum ob magnitudinem gratiarum quas Tibi, quum debeam amplissimas, in præsentiâ minimè possim explicare. Sed fortassis ego sum ineptus, qui Tua beneficia putem ullius oratione disertiùs, quàm Tuis factis operibusque laudari posse: aut meâ egere commendatione, quod Vangionum urbi majorem pecuniæ, in militum stipendium debitæ, partem clementissimè remisisti, quo beneficio conservatam illam esse reor, & ritè atque ordine facturam, si Te, tanquam alteram Conditricem suam, in omne deinceps ævum, quàm poterit exquisitissimis honoribus colendam arbitretur. Habebis igitur & Vangionum Rempublicam, & me privatim, in perpetuum hac obligatione devinctos, & in solidum debendi reos, nec enim dicere queam, uter majori Tibi jure omnia debeat, quæ accepit hoc beneficium, an qui impetravit. Potestne adhuc supersse quidquam, quod his omnibus quæ dicta sunt, æquandum, aut etiam præferendum videatur? Est certè. Meliorem enim me facere promisisti, non modò ut omnes, legibus moribusque; neque ut multos, exemplo; sed ut neminem adhuc alium, quadam quasi conversandi solicitudine curaque. Spopondisti namque mecum inquisituram, hoc est ostensuram, quales oporteat esse viros prudentes, quibusque possint vestigiis deprehendi. Hoc autem quum didicero, multò me quàm sim in præsentiâ melsorem fore confido. Istud igitur promissum tanti facis? inquies. Tanti, DOMINA, ut isthac obligatione Te ne regni quidem accepta parte cupiam liberare. neque verò Tibi, quandocumque jusseris, mentem illam veris clarisque rationibus adprobare defugio. Atque hoc Tibi præstare neque injucundum erit, ut conjicio, neque difficile, quæ ad ejus prudentiæ fastigium eniteris, qualem inter eos qui volunt eruditi videri, faciliùs invenias, qui doceant, quàm qui noverint. Hac igitur re meritò gloriar, quâ non alios modò hominum felicitate videor supergredi, sed Salomonis etiam ministros, quos ob auditam Regis sapientiam meritò beatos prædicari sentio, beatiores tamen futuros, si etiam peculiari quadam cura, quod non legitur, insti-

tuere ipſos ac edocere voluiſſet. Verùm, ut animadverto, quem mihi nec animus, nec argumentum feciſſet, cum charta facit ſcribendi modum. Deſinam igitur, DOMINA, quum Tuam Majeſtatem ſupplicíter fuero veneratus, ut non tam Libellum iſtum Tibi dedicari putes, quàm totum meum animum, adfectum, ſtudium, quidquid denique ſum, & poſſum, & habeo, ut Tuâ cauſâ ſimpliciter velim omnia, nullâ cum exceptione cujuſquam rei, niſi quæ vel conſcientiam meam læderet, vel vires egrederetur. SERENISSIMA. ET. OPTIMA. REGINA. DEUS. TE. SERVET. INCOLUMEM! Vovebam Holmiæ A. D. XV. Kal. Decembres, Anno Chriſtiano MDCXLIX.

LECTORI BENEVOLO S. P.

CAUSSA mihi ſcribendi, juſtæ VOCATIONIS officium, & voluntas ejus, cui poſt DEUM obedire maximè debeo. Materia, vetus Romana Hiſtoria, quatenus à Livio quondam expoſita, poſt pleramque Auctoris ejus partem deperditam, in multis aliis Antiquorum libris variè diſperſa, latuit veriùs, quam exſtitit. Hanc ego pro virili parte erui, contexui, etiam expolivi: hactenus utique, ut ſitus atque ſqualor detergeretur. Feſtinanter certè: quartum decimum intra menſem, poſtquam iterum Bibliothecæ meæ copia facta, libris effectis quadraginta quinque: quanquam impedirent morbi, curationes, moleſtiæ negotiorum, calumniæ litium, quarum rerum nunquam lætiór ſeges fuit. Adhibui tamen diligentiam & judicium quod potui, & Tibi quidem judicare licet, Benigne Lector, me verò non piget confiteri de animi mei ſententia: me neutiquam meruere, ne quis ex omnibus his ſcriptoribus, qui ſunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copioſius, verius. Neque tamen is ſum, qui me nuſquam erraviſſe putem. ſed ſicubi impegi, rem ita comparatam intelliges fuiſſe, ut non ſine ratione quadam erraverim: hoc eſt, ut errorem eſſe hominis, non pecudis appareat. Monitus autem gratanter emendabo quod opus fuerit: & ſi Tibi ſtudium meum probari cognovero, poſteriorem quoque Tomum, quamprimùm ejus rei facultas dabitur, extrudam. Vale. Dab. Vormatiæ, ex Muſeo meo A. D. IV. Kal. Septembr. Anno Chriſtiano MDCLIV.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECUNDA.

LIBER XI.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XI. LIVIANI.

CUm Fabius Gurges consul male adversum Samnites pugnasset, & senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc sibi ignominiam, eo maximè senatum movit, quod iturum se filio legatum pollicitus est: idque præstitit, atque ejus consiliis & opera filius consul adjutus, cæsis Samnitibus triumphavit. C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumpho securi percussit. Cum civitas pestilentiâ laboraret, missis legatis, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent: anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso, eodem locò sedes Æsculapii constituta est. L. Postumius consularis, quoniam cum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quartò renovatum est. Curius Dentatus Consul, Samnitibus cæsis, & Sabinis qui rebellaverant victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit. Coloniæ deductæ sunt, castrum, Sena, Adria. Triumviri capitales tunc primùm creati sunt. Census actus est, lustrum conditum: censa sunt civium capita CCLXXIII. millia. Plebs propter æs alienum, & graves & longas seditiones, ad ultimum secessit in Janiculum, unde à * *Q. Hortensio dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit. Res præterea contra Volsinienses gestas continet: item adversus Lucanos, contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuit.*

FRACTÆ jam multis prœliis Samnitium opes erant: neque dubium habebatur, quin bello finis imponi posset, si perculso & debilitato hosti quamminimum ad confirmandos animos spatii relinqueretur. Igitur Q. Fabius Consul ardens juventa, & confecti belli gloriam sibi comparare certus, delectu haud segniter acto, protinus in Campaniam cum exercitu profectus est. Samnites enim dura gens, & An. ab Urb. Cond. 461. Zonaras to. 2.

NOTÆ.

* *Q. Hortensio Dictatore.*] De eo Plin. 16. 10. Q. Hortensius Dictator, cum plebs secessisset in janiculum, legem in Esculeto tulit, ut quod ea tulisset, omnes Quirites teneret. Cujus rei meminit justinianus Instit. Tit. de jure natur. Item Gell. 15. 27.

Samnites bellum renovant.

ad deſperationem potiùs quàm timorem tot cladibus acta; quod ſuperioris anni Conſules ad triumphum ſuum legiones deduxerant, occaſione temporum uſi, non pœnitendas copias ex reliquiis priorum pugnarum & novis delectibus coegerant: & quoniam peſtilentiâ Romanos urgeri ſciebant, præterea Conſules, nec experientiâ bellorum, nec auctoritate magnopere metuendos, cum in annum factos eſſe audiverant; in ſpem erecti, Campanos ſemper ſpretos, tum autem ut auctores periculorum malorumque ſuorum inviſiores, populationibus & vaſtatione agrorum laceſſebant.

Liv. l. 7. c. 38.

Campani vaſtati.

II. Erat in duce Romano par dignitati Fabiæ domus animus, ſed contemptus toties à ſuis victæ gentis, & rei gerendæ cupiditas, conſilium eripuerant. raptim ad hoſtes exercitu ducto, quum præmiſſos ab Imperatore Samnitium ſpeculatores vidiſſet, qui conſpecto Romanorum agmine ſe recipiebant ad ſuos; univerſam hoſtium multitudinem fugere arbitratus, non locorum, non hominum explorato habitu, tanquam omnis victoriæ ſpes in celeritate poſita eſſet, quanta maxima feſtinatione poterat, ſigna inferri juſſit. Apud Samnites à ſuis præmonitos omnia circumſpectiùs acta ſunt: præcipi opportuna loca, ſtrui acies, alloquiis ducum accendi militis animi potuerunt. Igitur eventus prœlii qualis eſſe debuit, fuit. Feſſos ex itinere & curſu, turbatis ordinibus, tanquam ad prædam magis quàm pugnam venientes, inſtructus paratuſque miles haud magno negotio pepulit: Fabius, deſideratis ſuorum millibus tribus, majore etiam numero ſanciorum, quominus omnem exercitum amitteret, ſuperventu noctis defenſus eſt.

Zonaras.

Eutrop. Suidas in Fab. max. *M. Fabius à Samnitibus vincitur.*

III. Tum loco paulo æquiore capto, quantum in illa trepidatione fieri potuit, caſtra communita ſunt. in quibus haud multò melior quàm in ipſa acie aut facies rerum, aut fiducia animorum fuit. non requies foſſis, non cibus eſurientibus, non fomenta ſauciis ſuppetebant, tantùm cum armis egreſſi, prioribus in caſtris impedimenta omnia reliquerant. Igitur inter gemitus morientium & querelas ſuperſtitum tota nox exacta eſt, omnibus imminentem diem cum horrore ac deſperatione, ut ſupremam, operientibus. *Neque enim laboribus feſſos, exhauſtos vigiliis, vulneribus debiles, perculſos infelici prœlio, numero etiam multum imminuto, reſiſtere poſſe hoſtibus, quos incolumis adhuc, integris animis corporibuſque, & optima ſpe incenſus exercitus ſuſtinere nequiviſſet.* Rebus conclamatis, uti ſolet, remedium ab hoſtis errore fuit. Ille venientis alterius Conſulis fama perterritus, ne, ſi oppugnare caſtra Fabiana adortus eſſet, recentium copiarum adventu à tergo circumveniretur, rerum ſuprà ſpem felicium ſucceſſu contentus, motis caſtris iter aliò convertit. Digreſſis hoſtibus, Romani quoque ad tutiora loca ſe receperunt.

Zonaras.

Remedium ab hoſtis errore.

IV. Poſtquam iſta Romam adlata ſunt, magis ignominia quàm accepto detrimento mota civitas, moleſtiſſimè tulit, temeritate Conſulis effectum, ut bellum, quo diuturnius nullum fuerat, quum jam in exitu eſſet, nova ſpe repletis Samnitium animis, formidabilius iterum quàm à longo

tempore fuiſſet, renaſceretur. Neque tribuni modò plebis, quorum hæ propriæ artes erant, frequentibus ad populum concionibus invidia & odio cuncta repleverant: verumetiam apud patres agitata re atroces ſententiæ dicebantur. factúmque Senatus conſultum eſt, quo *certum antè diem Fabius Conſul ad dicendam Romæ cauſam adeſſe* jubebatur. Venientem magna vis accuſatorum adorta eſt: neque defendi factum quibat, & quod unum maximè prodeſſe debebat reo, Fabii ſenis gratia, in contrarium verterat. Minùs enim ignoſcendum ei putabant, qui à præſtantiſſimo viro genitus, & inter paternos triumphos educatus, non modo Romanum nomen, ſed ſuæ quoque familiæ laudes, & partas à majoribus victorias, per tantam imprudentiam acceptâ clade fœdaviſſet. Livii Epit. 11. *Fabius accuſatur.*

V. Exulcerati animi, & defenſionem paranti reo vix æquas aures præbituri, Fabii patris inſigni pietate primùm, mox etiam oratione leniti ſunt. Is enim veritus, ne propter rem malè geſtam filius ab exercitu removeretur, ab ipsâ quidem culpâ purgandâ penitus abſtinuit: Sed *ſua & majorum merita* modeſtè commemorans, *tam acerbam ſibi jam ſeni, tam ignominioſam genti Fabiæ notam* deprecabatur. *Neque tamen ſe poſtulare, ut cæteris tot Fabiis, qui ab ipſis prope Urbis primordiis Romanam rem virtute conſilioque auxiſſent; ut trecentis etiam illis, qui Rempublicam ſua & tantum non univerſi nominis Fabii internecione texiſſent, error unius condonetur; ſi immedicabilis ille ſit, majúſque commodum ex pœna filii ſui quam incolumitate proventurum eſſe videatur: ſe enim charitatem patriæ adfectibus aliis omnibus anteferre ſatis didiciſſe. Verum enimverò, quidquid in hoc adoleſcente metuendum fuit tranſactum eſt; bona autem quæ mens illius indoleſq; ac ſub me non ineptiſſimo magiſtro, uti vobis viſus ſum, inſtituta & exercita virtus pollicentur, adhuc expectari poſſunt, niſi ſpem iſtam, non quidem iniquæ, ſed tamen intempeſtiva ſeveritate præcidimus. Multis initio rerum gerendarum impegiſſe, ad prudentiam & cautionem profuit: qui erroris admoniti, mediocria ſæpè damna ingenti utilitate redemerunt.* Fabii patris pietas & oratio. *Multis impegiſſe ſæpe profuit.*

VI. *Et neſcio annon ad fortunæ potius invidiam, quàm hominis cujuſquam peccatum referri verius ſit, quod & Reipublicæ noſtræ, & Fabiæ genſis diuturna felicitas mediocri detrimento caſtigata eſt: quanquam benevolentia magis hæc Deorum, quàm invidia vocanda ſit, cujus beneficio adverſus exitiabilem ſuperbiam, quæ res nimium ſecundas ſequi ſolet, non tam damnoſa civitati clade, quàm ad documentum efficaci, conditionis humanæ admonemur. Quidquid id eſt, Quirites, mihi certè ſiniſtri aliquid præſagiebat animus, quum die comitiorum ſolicite vobiſcum agerem, ne filium meum Conſulem faceretis. Quum enim patrem meum, avum, proavum, alios majores meos ſæpiſſimè, adhæc meipſum quinquies hoc magiſtratu functum eſſe cogitarem, incipiebam vereri ut eadem in gente ſummos honores continuari, vel Dii, vel homines, animo ſatis æquo paterentur. Atque utinam vel iſto tempore, preces meæ valuiſſent; vel vobis beneficium veſtrum tueri placeret, ne quod honoris cauſa, me recuſante, tribuiſtis filio* Fabius cum populo agit, ne filium Conſulem faceret. Polixnus. Val. Max. 4. 1. 15.

meo, inaudita hactenus ignominiæ occasio utrique fieret: vosque temeritatis argueremini; quos, si priorem de Q. Fabio sententiam alio judicio rescinditis, aut dedisse imperium sine causa, aut abrogasse posteri credent.

VII. *At si mitiora decreveritis, & vestra vobis auctoritas, & Fabiæ gentis existimatio salva erit, errorque juvenilis, uti cum aliquo reipublicæ damno commissus est, ita majore cum ejus emolumento emendabitur. Sed quis spondere hoc ausit? Ego, Quirites; ego pro filio meo sponsorem me Reipublicæ dabo: &, quod Senatui Populoque Romano, deinde nostræ domui felix faustumque sit, Consuli legatus ibo, particeps futurus omnis fortunæ, quàm aut invenire dabitur, aut facere. Viget adhuc animus, neque ut in hac ætate virium corporis pœnitet: possum perferre militiæ labores, possum in acie stare, &, si nihil aliud, memoria veterum pugnarum terrere hostes, alacritatem augere nostrorum; & quod caput est, possum adolescentiam Consulis, quæ sola rerum secius gestarum causa est, regere consilio, & ætatis præfervidæ impetus senili cautione temperare. Nisi filii ingenium tenerem, eumque rectè monenti morem gesturum confiderem, nollem in fine propè vitæ sine dedecore actæ, post tot consulatus ex sententiâ meâ vestrâque gestos, post ingentes victorias & illustres triumphos, tot annorum laboribus periculisque partam belli domique gloriam, unius juvenis inconsultæ temeritati corrumpendam permittere.*

Fabius offert se legatum filio.

Val. Max. 5. 7. 1

VIII. Huic orationi nec ad movendos præsentium animos pondus; nec ad sponsionem melioris eventus fides defuit. Summo omnium consensu legatione decreta, rebus omnibus intentissima curâ provisis, non minore favore speque profectus Consul est, quàm antè convitiis & indignatione redierat. In itinere deinde & castris, nihil non ex disciplina veteríque Imperatoris artibus curatum est: & socii, quos Q. Fabius pater multis beneficiis & virtutis admiratione devinxerat, ad omnia quæ imperabantur, præsto fuêre. Milites etiam ipsi delendæ ignominiæ cupidi, consisique consiliis ejus ducis, sub quo eandem illam gentem, à se patribusque suis sæpè fusam fugatamque meminerant, copiam cum hoste confligendi dari votis omnibus desiderabant.

Omnibus adsentientibus. Dio. apud Valet. l. 8.

IX. Neque minores à recenti victoria Samnitibus animi erant: ita quum hi partum decus retinere; illi recuperare amissum niterentur, summis utrinque viribus concursum est. Et jam deteriore loco res Romana esse cœperat, Consulemque ipsum dux hostium C. Pontius Herennius cum delecta manu circumveniebat: quum animadverso filii periculo Maximus in confertum Samnitium agmen admisso equo se intulit. Sequutus est equitum globus, suprà solitam alacritatem pudore accensus, si tot florentissimi juvenes animis & robore à sene vincerentur. Hic impetus totius prælii fortunam traxit: sustinuere primum Romanæ legiones hostem, equitatus audacia animatæ, mox impulerunt: frustra obnitente Herennio, qui omnibus boni & ducis & militis muneribus eo die functus, dum redintegrare ordines, retinere fugientes, obsistere in-

Pugna cum Samnitibus.

Fabii filii virtus.

Orosius 3. 22.

C. Pontius Herennius capitur.

gruentibus tendit, neque inhibere fugam ſuorum potuit, & opportunitatem evadendi ipſe amiſit. Capta cum duce millia Samnitium quatuor: ad millia viginti prælium & fuga hauſerunt. Etiam caſtra hoſtium, in poteſtatem redacta ſunt, cum ingenti præda, quam ſtatim agri hoſtium latè vaſtati, paſſimque expugnata, aut dedita oppida luculenter auxerunt. Zonaras. Eutrop. l. 11.

X. Tanta rerum commutatio acceſſione unius hominis facta eſt, ut paulò antè victor exercitus à victo cæderetur: & cum Imperatorem à quo fuſus fugatuſque Conſul fuerat, ipſe nunc captivum abduceret, ingens populo Romano ſpectaculum, & ornamentum triumphi ſui: quem anno ſequente ad urbem reverſus ſumma omnium voluntate impetravit. Dum hæc à Fabiis in Samnio adminiſtrantur, etiam alter Conſul, D. Brutus, cui Faliſci provincia evenerat, proſperis rebus uſus eſt. Quippe adjutus à Sp. Carvilio legato (nam & Bruto legatum adjungi placuerat) viro bellorum & hoſtis gnaro, adversùs quem ſuperiore anno Conſul rem feliciter geſſerat: & cæteræ Etruriæ partem non exiguam perpopulatus eſt; & Faliſcos occurrere auſos prælio vicit. *D. Brutus Conſul Faliſcos vincit.* Zonaras.

XI. His rebus in Urbem nunciatis, quum tempus comitiorum veniſſet, Conſuleſque à rebus gerendis avocari parum è republica videretur, interregnum eſt initum. Interrex L. Poſthumius Megellus, comitiis quæ ipſe habebat, Conſul declaratus eſt: nullo ad eam diem exemplo, præterquàm Appii Claudii, quod bonus nemo probaverat. Sed Poſthumius non minore arrogantia magiſtratum geſſit, quàm acceperat. Jam primum nobilitate generis, & tertio tum conſulatu ineptè ferox, collegam ejus anni C. Junium Brutum, plebejum hominem, ut ſe longè inferiorem, olim habebat deſpectui. Ut verò de provinciis agi cœptum eſt, neque comparare cum Bruto, neque ſortiri voluit, *adminiſtrationem Samnitici belli extra ordinem* poſcens, *tanquam ſibi debitam*, quòd *duobus prioribus conſulatibus res ſeſe magnas adversus eundem illum hoſtem geſſiſſe* diceret. Multis in Senatu contentionibus jactato negotio; quum C. Junius ſe hominem novum adverſus gratiam & potentiam Collegæ jus ſuum obtinere non poſſe videret, ad extremum, *ne diſcordia conſulum bono publico fraudi eſſet, ſponte ſe cedere*, teſtatus eſt. *Interregnum.* Livius 27. 6. Livius 3. 35. Anno ab urb. cond. 462. *Poſthumius Conſul collegam ſpernit.* Dionyſ. apud Valeſ. Livius 9. 44. & 10 33.

XII. Premebat adhuc Urbem agroſque pertinax contagionis malum: quod tertium jam annum expertis omnia, neque divina ope ulla, neque humana pelli potuerat. Igitur ſive Sibyllinis ex libris, ſive Delphici oraculi admonitu (nam hoc quoque traditur) decem legati miſſi ſunt, qui Æſculapium ab Epidauro, qua in urbe natus eſſe credebatur, Romam arceſſerent. Quanquam enim perplexum ſatis reſponſum erat, neque providere eventum rei Patres poterant, obſequendum tamen diis ſtatuerunt; ipſos viam explicaturos eſſe rati, qua poſſent eorum facta procedere. Res inde mira dictu ſequitur; ſed multis fidiſque auctoribus, ipſaque ſtructura ædis, quæ tum in Tiberis inſula facta dedicataque eſt, compertæ veritatis. Quum apud Epidaurios mandata legati Romani ediditſent; excepti quidem beni- Suidas in poſthum. Valer. Max 8. 2. *Æſculapius Romam arceſſitur.* Ovid. Metam. l. 15. Pauſan. l. 2. Val. Max 8. 2.

gnè, ſed quia parum liquebat quid concedi poſſet, ut ipſi deportarent, quidquid ex uſu videretur, in templum Æſculapii deducti ſunt.

Plut. quæſt. Rom 94. XIII. Apud Græcos fermè locis apricis excelſiſque numinis iſtius conſtitutæ ſedes ſunt: Epidaurii quoque quinque millibus paſſuum ab urbe diſtans templum habebant, celeberrima iis temporibus fama, doniſque hominum, qui valetudinem credebant ibi recepiſſe, prædives. Huc adducti, dum ingentis molis ſimulacrum, Thraſymedis Parii nobili ingenio fabrefactum, admirantur; ingens « repentè ſerpens ex ipſis adytis prolapſus animos omnium horrore ſummo & religione perfudit. Sacerdotes enim venerabundi, *ipſum in hoc angue numen eſſe, & nonnunquam hac forma conſpici, ſalutari ſemper oſtento*, clamitabant. Biduo conſpectus in templo ſerpens, deinde iterum reconditus eſt: tertio die per medios ſpectantium venerantiumque cœtus rectà perrexit ad portum ubi Romana triremis ſtabat; quam ingreſſus, in tabernaculo Q. Ogulnii, qui princeps legationis erat, multiplici ſpirarum orbe ſe compoſuit. Ferebatur antiquitùs fabula *eumdem illum Æſculapium forma ſerpentis indutum, aliquando Epidauro Sicyonem mularum jugis deportatum fuſſe, Nicagora quadam, Echetimi uxore, deducente.*

Liv. 45. 28. Paul. & Auct. de viris illuſt. *Serpens pro Æſculapio.* P. Diacon a. a. Liv. Epit. 11. Pauſan.

XIV. Læti ergo prodigio Romani, tanquam præſentem Deum veherent, vela dedere, pauciſque diebus interjectum mare permenſi proſperrimo curſu Antium tenuerunt. Ibi quum inhorreſcens mare navigationem impediret, prorepens ex navigio ſerpens, qui totum per iter quietus ibi ſe tenuerat, in veſtibulum fani, quòd ea urbe celeberrimum erat, adlabitur, eoque loco tres continuos dies exigit: magno cùm metu legatorum ne avelli inde non poſſet; quòd toto eo tempore ad conſuetos cibos non reverterat: donec navigio redditum magna cum alacritate Romam detulerunt. Ad ſpectaculum incredibilis rei tota effuſa civitate paſſim in ripa fluminis quo ſubvehebatur poſitæ aræ ſunt, accenſique odores, & victimæ cæſæ. Jam ad eum locum perventum erat, ubi diviſus modico intervallo Tiberis inſulam efficit; quum relicta nave ſerpens eam inſulam, quæ pòſt *Æſculapii* vocata eſt, natatu petens, cerni ulterius ab hominibus deſiit. Patres *delectum à Deo locum* interpretati, decreverunt, *ut eadem in ſede templum Æſculapio ſtrueretur*. Morbi, ſive illa ope, ſive quod alioquin deſituri fuerant, ceſſavere. Templum mox inſignibus donariis, & hominum, qui *remediis ſalutaribus ab eo numine ſe adjutos* ferebant, prædicatione nobilitatum eſt.

Antium devehitur. Auctor de viris illuſt. *Et inde Romam.* Ovid. Valer. Max. Ovid. *Templum Æſculapii.*

Svet. in Claud. c 25. XV. L. Poſthumius Conſul ſuperbiam in Urbe adverſus collegam ſuum exercitam, etiam in provinciam detulit. Quum enim Q. Fabius Gurges, qui priore anno Conſul fuerat, ex Senatusconſulto proconſule res in Samnio gereret: ſcripſit ad hunc Poſthumius arroganter, *excedere* jubens *provincia ſua, ſe adminiſtrando ei bello ſufficere*. Obtendente *juſſa Patrum* Fabio, *neque integrum ſibi deſerere negotium quod Senatus impoſuiſſet*; quum Romam nunciata res eſſet, metus inceſſit, ne per diſcordiam imperatorum reſpublica detrimentum caperet. Quare *mitti ad Conſulem*

Tab. Marm. ap. Mercurial. de ar. gymn. Dionyſ. apud Valeſ.

legatos

legatos placuit, *qui verbis Senatus peterent, ut Fabium ad exercitum & in Samnio esse pateretur.* Quum alias absurdum & præfractum fuisse responsum ferunt; tum etiam vocem adjectam singularis pervicaciæ: *Non se Senatui, quandiu Consul esset, sed Senatum sibi dicto audientem esse oportere.* neve loquutus esse ferocius, quam fecisse videretur, protinus dimissis legatis Cominium (eam tum urbem Fabius obsidebat) cum exercitu progreditur, si alia ratione æmulum non posset, bello certaturus. Fœdum spectaculum præbuissent hostibus Romana arma, si pari stolidi- ditate qua petebatur, resistere Fabius voluisset. Sed ille natura & consiliis paternis moderatior, *non furori Consulis, sed utilitati Reipublicæ cedere* præfatus, provincia excessit. Cominium post paucos dies à Posthumio expugnatum est. Indè Venusiam ductus exercitus, hac quoque captâ circumlatum ad alia oppida bellum: quorum complura, partim vi, alia deditione in potestatem venerunt. Hostium in ea expeditione decem millia cæsa sunt, sex millia ducenti traditis armis fidei victoris se permiserunt. Non erant spernendæ res quas bello gesserat Consul, sed gratiam earum superbia contumaciaque corruperat.

Dionys. apud Valet.

Fabii moderatio.

XVI. Itaque quum ad Patres missa epistola de rebus suis perscripsisset, *Venusinamque urbem & agrum deducendæ coloniæ accommodatissimum esse* monuisset; accepta quidem res est, sed præterito auctore victoriæ consiliique ab aliis deducta sunt colonorum millia viginti, sic enim apud scriptores minime contemnendos reperio; ingens numerus, & prope excedens fidem, nisi quod videri potest inter gentes indomitas, communi adversus Apulos Lucanosque præsidio, collocari validam manum placuisse. Cæterum importunitas L. Posthumii, quemadmodum ipsi supra veteres offensas, ingentem conflavit invidiam; ita Q. Fabio ad favorem omnium valde profuit: eique, postquam ad Urbem venit, deque rebus à se gestis disseruit, triumphus haud ægre decretus est. Triumphavit proconsule de Samnitibus qui *Pentri* cognominantur Kalendis Sextilibus. Currum equo sequutus est senex Fabius; quem non adjutorem magis victoriæ, quam auctorem, spectantium deducentiumque voces celebrabant.

Venusia colonia deducta.

Horat. Sat. 2. 1.

Q. Fabii triumphus.

Col. Capitol. Plut. in Q. Fab.

XVII. Ipse summam rei bene gestæ gloriam ad Consulem populi Romani trahens, sicuti nomine legati, sic etiam modestia utebatur; haud minori cum voluptate honores filii intuitus, quam eum adhuc parvulum in curru suo circumtulerat, quum ipse triumpharet. Cæterum prædæ partem militibus Consul dedit: reliqua in ærarium relata: C. Pontius Samnis in triumpho ductus, mox securi percussus est. Vir acer & memorabilis, qui vim Romanam iis temporibus diu sustinuit, cladesque non contemnendas, sed ignominiam multo maximam ad Caudinas furculas intulit. Quem ajunt dicere solitum, *Si in ea tempora natus esset, quibus munera accipere Romani didicissent, se illos diutius imperare non fuisse passurum.* Ita tum fortuna Civitatis non armorum magis industria, quam innocentia morum stetit.

Dio. apud Valet. Val. Max.

Zonaras.

C. Pontius securi percutitur.

Livius Epit. 11.

Cic. de Of. 2. 22.

Fortuna Civitatis stat innocentia morum.

CAP XVIII. L. Posthumius interea non minus honoribus qui æmulo

Dionyſ. apud Vales. L. Poſthumii intemperies.

conceſſi, quàm qui ſibi negati fuerant, fremens, per impotentiam animi, cum auctoritate Patrum contumacia certando neque mederi acceptis vulneribus potuit; & ultro irritavit iras, quas modeſtia ſermonum factorumque mitigare debuiſſet. Quippe non querelis adverſus inimicos, non convitiis in ipſos ordines abſtinens, quo Patribus ægre faceret, prædam omnem militibus diſtribuit, exercitumque, priuſquam ſucceſſor mitti poſſet, dimiſit. Triumphum etiam contra voluntatem Senatus actum, quanquam ad ſecundum ejus conſulatum relatus ſit, ad hæc potius tempora pertinere crediderim; idque ſcriptores diligentiæ fideique non poſtremæ in hiſtoriis ſuis prodiderunt. Ob hæc facta recentioribus odiis petitus eſt: eumque ſimul atque magiſtratu abiit duo tribuni plebis corripuerunt, die ad populum dicta. Præter ea quæ memoravimus, crimini dabatur, *quod priuſquam paludatus ex Urbe exiret, ex legionibus ſuis delectos milites, ad duo hominum millia, in agrum ſuum ad ſaltum repaſtinandum miſerat: eoſque in opere iſto per multos dies detinuerat, immemor, non mancipia ſibi, ſed milites; neque ut ſuum agrum excoleret, ſed ut publicum extenderet, datos.* His criminibus acculatus atrociter, fruſtra tentata defenſione, ſuffragiis omnium tribuum damnatus, eique lis ducentis millibus nummûm æſtimata eſt.

Liv. 1. 10. 37.

Dionyſ.

Livii Epit. 11.

Eiuſdem condemnatio.

Anno ab Urb. cond. 463. Dionyſ.

XIX. Jam P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus novi Conſules magiſtratum inierant. Hi cum ſuis quiſque legionibus, Samnium populationibus agrorum, & ruinis urbium fœde vaſtavere: Samniteſque multis locis congredi auſos ingentibus cladibus ad pacem fœduſque petendum compulerunt. Quum enim tot prœliis juventutem pleramque, capto autem C. Pontio, conſilium etiam & ducem amiſiſſent; miſſis ad Conſules, & horum adſenſu Romam legatis, ut fœdus cum ipſis quarto renovaretur, impetrarunt: credo Romanis etiam vincendo feſſis, cupientibuſque bellum difficile, ipſiſque ſæpe calamitoſum, tandem aliquando certæ pacis tranquillitate componere. Illata primum Samnitibus arma M. Valerio tertium, A. Cornelio Coſſo Conſulibus reperio: quæ ad quartos & quinquageſimos inde Conſules vario Marte exercita, aut fœderibus parum diuturnis ſuſpenſa, populum utrunque occupatum ſolicitumque habuerunt.

Eutrop. l. 2.

Oroſ. l. 2. c. 2.

Fœdus cum Samnitibus quarto renovatur.

Liv. Epit. 11.

XX. An ex hoc bello triumphaverit Cornelius, in obſcuro eſt: de Manio non ambigitur; cujus fortuna eo fuit illuſtrior, quod aliis ſubinde victis hoſtibus, bis eodem in magiſtratu triumphavit. Quippe Sabini valida gens, & longa tum pace opulenta, ſive precibus Samnitium & propinquitatis miſericordia commoti; ſive victis vicinis ad ſe quoque perventuro incendio volentes obſiſtere, armata juventute Romani juris loca quædam invaſerunt. Adverſus hos egreſſus cum exercitu Curius, ut diduceret hoſtes, ſimul ne Sabinorum agri cladium bellicarum expertes haberentur, occultis itineribus copiarum partem miſit; datis mandatis, *ut quam latiſſime poſſent, terrorem ubivis vaſtitatemque faterent.* Ea neceſſitas, ad ſua tuenda diverſis abeuntibus agminibus, for-

Manius Curius bis in eodem magiſtratu triumphat.

Front. Strat. 1. 1. *Sabinos vincit.*

midabile Sabini exercitus robur ſoluit, facilemque adverſus diſperſos victoriam Conſuli præbuit.

XXI. Hac expeditione uſque ad Adriaticum mare perventum eſt: agrorum hominumq; tanta vis in poteſtatem venit, ut celebrata deinde fuerit Curii vox, qui pro temporum illorum diſciplina factis quam verbis promptior, quum explicare ſingula nequiret, *Tantum*, inquit, *agrorum cepi, ut ſolitudo futura fuerit, niſi tantum etiam hominum cepiſſem: tantum autem hominum, ut interituri fame fuerint, niſi tantum cepiſſem & agrorum.* Sabinis pacem orantibus, veteris ſub Tatio adfinitatis memoria, & quia minime gravibus odiis certatum fuerat, etiam civitas, ſed ſine ſuffragio, data eſt. Conſularus, quem anno ſequente M. Valerius Corvinus, cum Q. Caeditio Noctua geſſit, tenuis admodum ad nos fama pervenit, niſi quod ſub idem tempus colonias deductas eſſe reperio Caſtrum & Adriam, unde mari nomen, & Senam in Gallico agro. Veruntamen nondum conſuque pacatis illis regionibus, magis eſt ut accedam auctoribus aliis, qui coloniarum iſtarum originem ad inferiora tempora retulerunt.

Floruſ. 1. 15.

Auct. de Vir. ill. c. 33. *Sabini civitate donatur.* Flor. Vell. 1. 14.

Anno ab urb. cond. 464. Flor. *Caſtrum & Adria, & Sena, coloniæ.* Cic. de leg. 3. & L. 2 §. 30 ff. de Off. Jud.

XXII. Sed in Urbe coërcendis quæ in crebuerant maleficiis novus magiſtratus inſtitutus eſt, qui vinculis ſontium ſervandis, & quum animadverti oporteret, ſupplicio ſumendo auctores atque moderatores præeſſent, triumviri capitales appellati. Legis, à L. Papirio tribuno plebis eo de negotio latæ, hæc verba invenio: *Quicunque Prætor poſthac factus erit, quei inter cives jus dicet, treſviros Capitales populum rogato. iique treſviri, quicunque facti erunt, ſacramenta exiguito judicantoque, eodemque jure ſunto, ut ei ex legibus plebeique ſcitis exigere, judicare, eſſeque oportet.* Quo capite mulctarum quoque exigendarum poteſtas ipſis data videtur: *ſacramentum* enim iis temporibus vocari ſolebat, quod pœnæ nomine pendebatur æs, quoniam illud ob ſacrorum publicorum multitudinem, & anguſtias ærarii, ſacrificiorum impenſis deſtinari conſueverat. Cenſus quoque eo anno acti memoria non alia ſupereſt, quam quod *civium capita ducenta ſeptuaginta tria millia cenſa* dicuntur. Principem Senatus ab his quoque Cenſoribus lectum fuiſſe Q. Fabium Maximum certa conjectura eſt, quod aliunde ſcimus, ex ea gente continuum eum honorem tribus manſiſſe, ut Maximus accepcum ab Ambuſto patre, mox ad Gurgitem filium tranſmiſerit.

Epit. Liv. 11. *Triumviri capitales.*

Feſtus in voce Sacramentum.

Epit. Liv. 11. *Q. Fabius Max. Princeps Senat.* P. in hiſt. ann. 7. 41.

XXIII. Interea quum foris res ſatis lætæ eſſent, gravibus domi diſcordiis ſeditionibuſque laboratum eſt. Plebs ære alieno oppreſſa novas tabulas flagitabat, rem veterem, & ab ducentis amplius annis varie jactatam, ut turbulentus aliquis tribunus ad commovendos multitudinis animos ſtimulum eum admoverat; aut improbitate fœneratorum populi indignatio exarſerat. Sed ſub prioribus aliquot conſulibus, morborum aut hoſtium metus remiſſiores in urbe contentiones fecerat: Q. Marcio Tremulo, P. Cornelio Arvina Conſulibus; deinde proximo anno, quum M. Claudius Marcellus, C. Nautius Rutilus magiſtratum gererent; majores ali-

Seditiones ob æs alienum. Zonar.

Flores. Anno ab urb. cond. 465.

An. U.C. 466 quanto motus exiterunt. ad quos comprimendos, magis quam ullius alterius negotii bellive cauſa, dictatorem fuiſſe dictum exiſtimem Appium Claudium, qui deinde Cæcus eſt cognominatus, quem dictatorem fuiſſe, in antiquis monumentis reperio.

XXIV. Sane præter acerbitatem iniquiſſimi fœnoris, etiam nefaria C. Plotii libido, ægris jam hominum animis, ut citius atque vehementius exardeſcerent, ſubjecit faces. Huic T. Veturius, filius ejus Veturii, qui Conſul ob turpe fœdus Samnitium populo deditus fuerat, quum ob calamitatem domeſticam ad æs alienum compulſus ſolvendo non eſſet, in nexum ſe dedidit lubens, omniaque ſervilia miniſteria patienter exſequutus eſt. Plotius adoleſcentulum forma liberali, ex magna ſpe conſularis familiæ, ad infimæ fortunæ ſordes depreſſiſſe non contentus, etiam pudicitiam extorquere inſtituit, cui jam & rem familiarem omnem, & libertatem ipſam eripuerat. Deinde Veturium aſpernantem, & quidvis potius quam tantum flagitium pati paratum, verberibus crudeliſſimis lacerat: ille in publicum ſe proripiens, & ad conſulum tribunal ab accurente multitudine deductus, *de intolerabili crudelitate & libidine creditoris* queritur: & apparebant vibices, verberumque recentes notæ. Conſules igitur rem non negligendam rati, de ea retulerunt ad Senatum: dictiſque ſententiis Plotius in carcerem duci juſſus: omneſque per totam Urbem, quotquot æris alieni cauſſa nexi erant, lege de eo negotio lata, liberati ſunt.

C. Plotii libido. Tab. Marm. ap. Onuphr.

Val. Max. 5. 1. 2

Dionyſ. ap. Valeſ.

Val. Max.

Plotii liberatus. Dionyſ.

XXV. Non ſum neſcius, pro T. Veturio ab aliis Publium quendam, tribuni, qui inter Caudinæ pacis auctores fuiſſet, filium memorari: ſed & anno ante hæc tempora quadrageſimo ſimillimam ob cauſſam lex de nexis lata fertur. Cæterum nihil vetat, ut plurium fœneratorum ea improbitas fuerit; & priori lege, ut fit, etiam per debitorum patientiam, inter anguſtias rei familiaris nihil recuſantium, ſenſim neglecta, ejuſdem exempli recens factum admonuerit, ut in poſterum ea de cauſſa plenius atque diligentius caveretur. Sed populo non modo nexu, verum etiam fœnoris ſævitiâ liberari cupienti, gratæ licet ultionis legiſque impetratio non ſatisfecit. Verum, ut in morbis quibuſdam acrioribus remediorum diligentia quum mitigatus videri poteſt, magis accenditur dolor; non multo poſt adeo exulcerata res eſt, ut quum tribuni plebis legem de novis tabulis ſummo niſu perferre contenderent, neque minoribus aut copiis aut animis à creditoribus reſiſteretur, plebs exemplo majorum urbe relicta trans amnem in Janiculum montem ſecederet: obſtinato conſilio, niſi re impetrata, ad penates ſuos non redeundi.

Liv. 8. 28.

Zonar. Liv. Epit. 11. *Plebs in Janiculum ſecedit.*

An. U.C. 467. XXVI. Quum parum adverſus hæc opis in Conſulibus eſſet, (M. Valerium Poticum, C. Ælium Pætum fuiſſe conjiciunt) ad ultimum arduis temporibus remedium deventum eſt, ut dictator diceretur. dictus eſt Q. Hortenſius. Is adhibitis quæ tempus & cauſſa poſtulabat fomentis, quum eo maxime diſtineri pacem civitatis intelligeret, quod ſcita ſua contemni, legemque Publiliam ſperni plebs indigne ferret,

Epit. Liv. 11. Liv. 8. 12.

quànquam multis reluctantibus, cedendum temporibus esse censuit: novaque lege in Esculeto latâ, iterum accuratius sanxit, *ut quod plebs jussisset, omnes Quirites teneret*. His aliisque lenimentis revocatâ ad concordiam & lares suos plebe, Dictator sive morbi subita vi, sive curis & laboribus oppressus, quod antea nemini contigerat in magistratu mortuus est. Inde minor aliquandiu Ordinum in Urbe dissensio fuit: sed imperii sensim deformata dignitas, quum plebe ad ambitiosorum hominum fraudes parum cautâ, & vel potestatis exercendæ caussa quibuslibet rogationibus accipiendis facili, multa scisceretur, quæ reipublicæ decus, & ad extremum ipsa fundamenta convellerent. documentum insigne res regentibus, ne vulgus, si re familiari commoda uti possit, majora non cogitaturum, injuriis opulentiorum ad cupiditatem potestatis qua uti non didicit, adigi patiantur.

Plin. l. 16. c. 10.
Agel. l. 15. c. 27.
Lex Hortensia.
Aug. de civ. Dei l. 3. c. 18.
Vulgus non didicit uti summâ potestate.

XXVII. Legem quoque de suffragiis circum hæc tempora latam esse crediderim, qua patres in comitiorum incertum eventum auctores fieri cogebantur. Hactenus enim eo jure utebantur, uti magistratum gerere non posset, cui populi suffragiis datus esset, nisi patres auctores fuissent facti. Continebantur interdum hoc vinculo improvida plebis studia, & quanquam raro reprehenderent comitia patres, tamen quia jus ipsis erat, tanquam reprehensuri metuebantur. Tum vero ferente legem tribuno plebis Mænio, populi quidem aucta potestas; sed eadem opera salubris & reipublicæ decora comitiorum severitas debilitata est. Q. Hortensio dictatore mortuo, creatum alium, quidam auctores sunt, rei gerundæ caussa, Q. Fabium Maximum, cujus tertia hæc dictatura fuerit.

Liv. l. 27.
Lex de suffragiis.
Cic. pro Planco
Cic. in Bruto.

XXVIII. Ei L. Volumnius C. F. C. N. Flamma Violens magister equitum fuisse dicitur. Bellum enim ea tempestate cum Volsinientibus erat Etruscæ gente: id opportunum fuit, ad exhauriendum, quidquid in urbe, novis rebus pronum, ac superioris discordiæ nimium memor esset. Accessit etiam nova bellandi cum Lucanis caussa: qui Thurinos, Italiæ, qua magna Græcia est, civitatem, prægraves accolæ multis injuriis ad fidem Romanorum confugere compulerant: bellumque adversus Lucanos C. Ælio tribuno plebis rogante populus sciverat. Educti igitur exercitus, & utrobique res gestæ sunt, quarum memoria, cum auctorum qui eas perscripserant annalibus, amissa est. Thurini C. Ælio statuam & coronam auream dono dederunt. Consularus C. Claudii Caninæ, M. Æmilii Lepidi nulla re memorabili, quæ tradita reperiatur, insignis sequitur; nisi quod Etrusca & Lucana bella tum etiam gesta videntur. Manii etiam Curii de Lucanis reperitur ovatio: quæ & inter quatuor ejus triumphos, toties enim triumphasse illum invenio, numeranda est. Sed quo anno, quove in magistratu aut imperio res eas gesserit, ignoratur.

Pigh. Annal. Rom. An. 466
Bellum exhauriè senilium urbium.
Liv. Epit. l. 11.
Thurini ad fidem Roman. confugiunt.
Plin. l. 34. c. 6.
An. U. C. 468.
Etrusca & Lucana bella.
Auct. de vir. ill. cap. 33.

XXIX. Major inde moles & clade non contemnenda nobilis exorta est, bello cum Senonibus Gallica gente contracto. Hi sæpe bellum cum populo Romano, sæpe pacem habuerant; jamque decimum ferme annum

Bellum cum Senonibus.
Polyb. l. 2.
Liv. l. 20. c. 8.

poſt cladem in agro Sentinati acceptam, quum Decio ſe devovente magnus eorum numerus cæſus eſt, quieverant; niſi quod juventutem ſuam adverſus Romanos mercede ab Etruſcis conduci paterentur: tum vero majore cum manu quam aliquot ab annis ſuevissent, in Etruriam progreſſi, Aretium obſidebant. Arretini fœdus à Romanis & antea petierant, ſed eo negato, impetraverant inducias, quarum tempus nondum exierat. Cæterum major in eo ſpes erat venturi auxilii, quod arma Gallica nunquam concuti ſciebant, quin eam rem magnopere ad ſe pertinere Romani arbitrarentur. Itaque miſſis in urbem legatis, ut ſibi ſubveniretur adverſus communem hoſtem, petebant. Interea ſe circumegit annus, quo C. Servilius Tucca, L. Cæcilius Metellus Conſules fuerunt. Pro Cæcilio Cœlium annales quidam memorant: Sed Cœliæ gentis inferior nobilitas ante annum ab Urbe Condita ſexcenteſimum ſexageſimum, conſularem imaginem nullam habuiſſe creditur.

Polyb. *Aretium obſidetur.*

An. U. C. 469.

Liv. 10. 37.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECVNDA.

LIBER XII.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XII. LIVIANI.

Cum legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti eſsent, bello ob id Gallis indicto, * *L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæſus eſt. Cum à Tarentinis claſſis Romana direpta eſset,* ** *duumviro qui præerat claſſi occiſo, legati ad eos à ſenatu, ut de iis injuriis quererentur miſſi, pulſati ſunt. ob id, bellum iis indictum eſt. Samnites defecerunt. Adverſus eos, & Lucanos, & Brutios, & Etruſcos aliquot præliis à compluribus ducibus bene pugnatum eſt. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cum in præſidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Jubellio miſsa eſset, occiſis Rheginis Rhegium occupavit.*

P. Cornelio, Dolabellâ, Cn. Domitio Calvino Conſulibus, quum iterum Gallici belli terror ſe commoviſſet, multoſque Tuſcorum arma cum Senonibus ſociare nunciaretur, Aretinorum periculum ſibi minime negligendum eſſe Patres cenſuerunt. Sed quia neque Dolabella ex Volſinienſi agro, neque ex Lucania Domitius exciri ſine rerum gerendarum incommodo poterant; *L. Cæcilium Metellum prioris anni conſulem, tum prætura fugentem, ad Aretinos obſidione liberandos quamprimum coactis copiis exire* Senatus juſſit. Ne tamen temere ſumptum eſſe bellum videretur, præmitti legatos placuit, nunciaturos *Aretium in fide Romanorum eſse: juſtiuſque facturos videri Gallos, quando fœdus cum Romano populo habeant, ſi adverſus amicos atque ſocios juventutem ſuam conduci non patiantur.* Hæc legatio quum pagos Senonum circumiret, Britomaris quidam regii generis forox adoleſcens, cujus pater inter Etruſcorum auxilia cæſus à Romanis fuerat, inſanâ vindictæ cupiditate flagrans, non homines modo comprehenſos, ſed & ipſa ſacroſancti muneris inſignia, minutatim diſſecuit ſparſitque.

Ann. ab U. C. 470.

Polyb. l. 7.

Marian. Scotus.

Appian. Ap. Pul. Urſ. *Legati Romanorum ad Senones.*

Violantur à

NOTÆ.

* *L. Cæcilius Prætor.*] In ejus occiſi locum ſuffectum fuiſſe M. Curium teſtatur Polybius.

** *Duumviro qui præerat claſſi occiſo.*] Veteres libri teſte Sigon. habent *Duumviro qui præerat claſſi*, notatque Duumviros navales creari cœptos ann. Urb. Cond. 440.

Digitized by Google

Senones victi & excifi.

Epit. Liv. 12.

Appian.

II. Reſ tam atrocis fama quum hinc in Urbem, inde in caſtra Dolabellæ Conſulis accidiſſet, irritatis vehementer animis, bellum Senonibus indictum eſt: ſtatimque miſſos fecit Etruſcos Dolabella, magniſque itineribus cum exercitu per Sabinum ac Picenum agrum, ad fines Senonum contendit. Senones ſubito hoſtium incurſu, & abſente copiarum ſuarum robore, cum paucis & inconditis occurrentes facile profligantur. Conſul nullo dato victis ſpatio exurit vicos, ædificia omnia diruit, vaſtat agrum omnem, denique puberibus occiſis, imbelli mulierum & puerorum multitudine abducta, quam pauciſſima poteſt humani cultus veſtigia in locis relinquit. Britomaris captus, & vario cruciatuum genere tortus, ad triumphum ſervatur. Per eoſdem dies haudquaquam pari fortuna res apud Aretium geſtæ. L. Cæcilius prætor ante ipſum oppidum cum Senonibus Etruſciſque adverſo Marte conflixit. Septem tribuni militum, multique præterea inſignes viri cum ipſo Prætore cæſi ſunt: ex legionibus & auxiliis hominum millia plus minus treſdecim deſiderata.

Dolabella Senones vaſtat.

Dionyſ. ap. Ful. Urſ.

Appian. *L. Cæcilius vincitur à Senonibus.*

Polyb.

Aug. de Civit. Dei 3. 17. Appian.

III. Sed minor apud Gallos hujus victoriæ lætitia, quam cogniro patriæ excidio luctus atque conſternatio fuit. Contractis qui ubique per Etruriam militabant popularibus, homines iræ ac doloris pleni, conſilii ſpeique inopes, quum ſedes, quibus reciperentur, nullas uſquam haberent; quaſi fato quodam ad exitium eos trahente, Romam pergendi capiunt impetum: *non aliter patriæ ſuæ vaſtatoribus rependi vicem poſſe, quam ſi urbem ipſorum ſimili clade affectam intueri cogerentur, neque minoribus animis viribuſque, cauſſis etiam acrioribus ab Aretio Romam petere; quam majores ſui ab ejuſdem Etruriæ oppido Cluſio profecti, eandem illam urbem occupaſſent.* His inter ſe vocibus inſtincti, ruunt: natura impatientes moræ, & tum, ut incautos hoſtes opprimerent, etiam conſilio properi. Sed per hoſtilem regionem ducentibus, varia impedimenta objecta ſunt: ſpatiumque fuit, quo provideri adverſus hunc tumultum poſſet.

Senones Romam pergunt.

Eutrop. l. 2.

Appian.

IV. Ita rejecti, dum per ignota & infeſta omnia, nulla certa deſtinatione vagantur, in Domitium Conſulem incidunt: protinuſque cum eo conferunt manus. Sed adverſus rationem atque diſciplinam infelix temeritas fuit: occiſis in prœlio multis, reliqui deſperatione atque rabie accenſi, ferrum, quod fruſtra in hoſtes ſtrinxerant, ſuis corporibus admoverunt. Ita florentiſſimam modo nationem, ob ſcelus interfectorum legatorum tam velox tanque vehemens ultio comprehendit; ut aliquot menſium intervallo penitus exciſa, inter gentes, quarum jura violaverat, numerari deſierit. Nam & parvæ Senonum reliquiæ, quæ ad Bojos, vicinam & conſanguineam gentem, ſe receperant, eodem anno à Dolabella Conſule internecione deletæ ſunt. Quum enim atrocitate cladium ſuarum, & ejuſdem calamitatis metu, Bojos Etruſcoſque conciviſſent, ad lacum, qui Vadimonis appellatur, pugna commiſſa, magnus Etruſcorum numerus cæſus eſt, Boji perpauci effugerunt,

Senonum natio excidatur.

Flor. 1. 13: *Etruſci & Boji vincuntur.*

Polyb. & Flor.

gerunt, Senonum omne nomen ita periit, ut nemo ſupereſſe putaretur ex ea gente, quæ Romam urbem incenderat.

V. Sub id tempus, Senam coloniam deductam eſſe vero propius videtur: quo Romanis univerſa regione potitis, nomen Senonum in ea parte Italiæ funditùs interiit. Etruſci tamen Bojique, ſequente ſtatim anno, quum ex iis qui puberes interea facti fuerant, exercitum ſupplevíſſent, iterum fortunam pugnæ tentare ſunt auſi. Tum igitur à Q. Æmilio Papo victos fuiſſe crediderim: hujus enim & C. Fabricii conſulatus primus eum in annum incidit; Papoque provinciam Etruriam obveniſſe conſtat. Sed in pleriſque annalibus qui adhuc leguntur, rerum iſtarum memoria, majorum interventu obliterata eſt. Quod enim tot continuis bellis atque victoriis, maxima virtutis & potentiæ incrementa Romanus populus quotidie caperet; adductæ in metum, quæ adhuc per Italiam ſui juris erant civitates genteſque, maximum atque periculoſiſſimum conflavere bellum: junctis, tanquam ad communes omnium hoſtes prædoneſque opprimendos, conſiliis & viribus. Neque differri arma viſum eſt, donec adhuc Bojorum Etruſcorumq; reliquiæ diſtinendis Romanorum copiis ſufficerent.

Polyb. Plin. l. 15. Polyb. Dionyſ. ap. Ful. Urſ. An. ab Urb. Cond. 471. Liv. Epit. 12.

VI. Primi Samnites, fracto rurſum fœdere cum Lucanis Brutiiſque palam ſociantes conſilia, proruperunt. Sed hos C. Fabricius Conſul compluribus prœliis vicit. Uno maxime memorabili, quum Thurinam urbem iterum premente Statio Statilio, ſignis collatis dimicatum eſt; fuſiſque magna cum ſtrage hoſtibus, ipſa etiam caſtra expugnata captaque. Memoriæ proditum eſt, quum ſtrenue caſtra defenderentur, ſcalas adferente quodam vaſti corporis juvene, Romanos animatos, plenam victoriam reportaviſſe. Cæſa dicuntur in prœlio & caſtris hoſtium millia viginti: quinque millia, cum ipſo imperatore, ſigniſque militaribus viginti capta ſunt. Poſtero die quum donaret eos Conſul quorum inſignis opera fuerat, *vallaremque coronam ei ſe daturum* dixiſſet, *qui caſtra hoſtium primus tranſcendiſſet*, quæſitus ingenti ſtudio reperiri non potuit, ſi miles fuiſſet, ultro ſe oblaturus huic tanto honori. Creditum igitur vulgatumque eſt, *Martem ipſum auctorem ejus operis cauſſamque victoriæ fuiſſe*: Conſuliſque edicto ſupplicatio ei eſt habita, militeſque laureati magna cum lætitia ſupplicatum ierunt.

Dionyſ. *C. Fabricius Samnites vincit.* Plin. l. 34. 7. Val. Max. l. 8. Aur. Miſcel. 24. 15. *Mars pro Romanis pugnaſſe creditus.*

VII. Conſpirantes adverſus Romanum populos, nullis adhuc auxiliis publice Tarentini juverant: qui præcipui fœderis iſtius auctores, tamen aliorum laboribus quam ſuo diſcrimine laceſſi Romana arma, bellique eventum prætentari, ſapientius arbitrabantur. Sed minime diu tenuit iſta diſſimulatio, quin caſu quodam inſanæ plebis temeritatem provocante, civitatis conſilia nudarentur. Jam tum ea Italiæ ora, conſuetudine Græcorum, à quibus Tarentus cæterarumque urbium pars pleraque conditæ fuerant, deliciis ſpectaculorum atque hiſtrionum immodice gaudebat, præcipua Terentinorum luxuria, quos adeo corruptis moribus egiſſe memorant, ut plures epulas ludoſque ſolemnes reciperent, quam

Tarentini bello Romano ſe involvunt. Strabo l. 6.

Flor. 1. 18. anni dies essent. Forte in theatro majore juxta portum sito ludos spectabant; quum L. Valerius (alii Cornelium nominant) duumvir navalis, decemque Romanæ naves portum introituræ se ostendunt: pernicioso utrisque errore; quum ignari rerum omnium Romani tanquam amicum & hospitale litus peterent; Tarentini conscientia væcordes, classem hostili animo consilioque missam esse interpretarentur. Adest Philocharis, quem ob turpitudinem vitæ cives sui *Thaidem* appellabant; is veterum quorundam fœderum illata mentione, fas esse Romanis negat Lacinium promontorium præternavigandi: *obviam iri stolide ferocibus barbaris, superbiamque malo coërceri* jubet. Acclamat temeraria multitudo præ continua crapula non bene mentis compos. Hominis fœdissimi de tanta re sententia omnium adsensu accipitur. nec mora, decurritur ad arma naveseque: Romani nullam ad rem minus quam ad pugnam parati, fugæ se committunt. Sed celeriter insequentibus Tarentinis evadunt naves quinque, totidem à pluribus circumventæ in portum rediguntur: ex his deprimuntur cum ipso duumviro quatuor; una capitur: homines ætate & robore militari interficiuntur; cætera turba in servitutem venditur. Mox ab eadem animi levitate bellum Thurinis inferunt, criminantes *eorum opera Romanum ea in loca veniisse, qui Græci quam essent, barbaram gentem, quam cognatos vicinosque Tarentinos. dubiis rebus defensores habere maluissent*. Urbs in potestatem redacta diripitur: ejiciuntur principes: præsidium Romanum pacta incolumitate dimittitur.

Zonar. Appian *Auctor ejus consilii Philocharis.* Florus. Dio. ap. Ful. Appian. Otos. 4. 12 Zonar. Appian. Diod.

VIII. Romæ re audita, erat quidem pro magnitudine injuriæ non levis indignatio; sed bellum novum ea tempestate sumi non placuit: legatio, quæ de injuriis quereretur, decreta, mandatumque legatis, *ut captos restitui, Thurinis res ablatas aut æstimationem justam reddi, exules reduci, rerum istarum auctores populo Romano dedi postularent*. More Græcarum urbium in theatro concionem populi cogere Tarentini solebant: huc ægre admissi legati, turbam ebrietate & otio lascivientem repererunt. nam tum quoque dies festus agebatur. ibi quum legationis princeps L. Posthumius verba facere orsus esset, ludibriis petulantissimæ multitudinis exceptus, multo etiam acriores odiorum caussas retulit Romam, quam extulerat. Quippe tam contemptim habuerant eum, ut sermoni ejus de cætero quidem attenderet nemo: sed quoties aliquid ut ab homine Romano parum Græce prolatum esset, tota concio solveretur in risum, barbarum inerepantes convicia rentur: cultum Legatorum, nam togati aderant, explauderent: postremo etiam theatro extruderent, jura gentium nequiquam invocantes. Fœdum inde dictu, sed ad licentiæ popularis coërcendam temeritatem utile exemplum traditur. abeuntibus legatis inter confertam Tarentinorum turbam, quæ in ipso theatri exitu constiterat, scurra quidam Philonides (nam hoc quoque moribus suis corrupta civitas debet, ut celebrata sint annalibus scurrarum nomina; Tarentinorum

Liv. Epit. 12. Appian. *Romani legati Tarentum mittunt.* Dio. ap. Ful. Zonar. *Qui ludibrio habitur.* Dionys. ap. Fulv. Dio. Dionys. Appian. ap. Fulv.

principium ignoretur) ſacra legatorum veſtimenta, canis impudentis inſtar, urina reſperſit. Unius ſpurci & furioſi hominis ea nova videri potuiſſet, niſi protinus agnoviſſet temulenta civitas, riſuque & plauſibus factum illud comprobantium totum theatrum inſonuiſſet. Poſthumius hac voce edita, *accipimus omen ô ſcurra, quando & ea nobis datis, quæ non petimus*; converſus ad multitudinem, veſtemque ignominia adfectam oſtentans, ubi redintegratis cachinnis, etiam verſus in populum Romanum contumelioſos cani ſaltarique videt; *ridete*, exclamat, *ridete Tarentini dum licet: nam poſtea quidem large flebitis*. iratis ad hæc Tarentinis *& quo magis*, inquit, *ſtomachemini, prædico, veſtem iſtam ſanguine multo vobis eluendam eſſe*. Poſthæc, nullo alio accepto reſponſo, abnavigarunt. Val. Max. 2. 2. 5. Dionyſ. Dicit Poſthumius Tarentinos increpat.

IX. Jam Romæ magiſtratum occeperant L. Æmilius Barbula, Q. Marcius Philippus Conſules. His ſenatum habentibus, quum & prætextam (nam uti erat fœdata, eam attulerant legati) cernerent; & ipſis exponentibus cæterum injuriæ tam multiplicis ordinem diſcerent patres: commotis majorem in modum animis omnium, dubium non erat, quin armis vindicari contumeliam oporteret. Sed quia tot aliis adverſus validiſſimas gentes bellis diſtrictæ vires erant, ſtatimne, an poſtea, contra Tarentinos mittendus exercitus eſſet, parum expediebant: multoſque per dies ab orta luce ad oceaſum ſolis re in ſenatu diſceptata, quum alii *nihil tentandum priuſquam cæteræ civitates, aut ſaltem quæ finitimæ Tarento eſſent pacarentur*; *alii ſine mora decernendum eſſe bellum* pugnarent: poſtremo numeratis ſententiis Senatus conſultum factum eſt, *ut de bello Tarentinis inferendo ad populum ferretur*. Id quum populus conſenſu juſſiſſet; ad Æmilium Conſulem, qui jam in Samnium ad exercitum profectus fuerat, ſcriptæ ſunt literæ, *ut omiſſis præſentibus caſtra in Tarentino agro poneret, & niſi de illatis injuriis ſatisfaceret populus Tarentinus, eum juſto pioque bello perſequeretur*. Zonar. Dionyſ. Appian. An. U. C. 472. Appian. Dionyſ. Appian. *Bellum contra Tarentinos.* Zonar.

X. Tarentini non amplius cum paucis & inermibus hominibus, ſed inſtructo exercitu negotium ſibi futurum eſſe cernentes, tanquam ex diuturna crapula expergefacti, jam ſerio quid faciundum eſſet conſultabant. bellum accipere periculoſum; imperata facere ſervile videbatur: neque vitari utrunque poterat. Variantibus igitur ſententiis exſurgens quidam, *Quid fruſtra dies altercando terimus*, inquit, *Tarentini? Venerunt tempora, quæ facta magis quam verba poſtulent: ſed ad quæ ex uſu publico adminiſtranda conſiliis rectis opus ſit, & ore libero. Neque ſane moveor, quod antehac communi quodam liberarum civitatum morbo, dictis ad gratiam compoſitis, etiamſi crebro nocerent, eſtis oblectati. tum enim, ut ſit interres proſperas, quid potiſſimum reipublicæ conduceret, parum animadvertebatis. Jam autem in finibus noſtris exercitus Romanus, & ante ipſas portas hoſtilis terror eſt: eo magiſtro profutura jucundis facile diſcetis anteponere.* Appian. *Tarentini cujuſdam oratio.* Excerp. ex Diod. l. 21.

XI. *Neque ſic accipiatis, tanquam exprobraturus præterita ſurrexe-*

rim. nam veterem quidem culpam intempeſtive abjicere, inimici & alienis erroribus petulanter inſultantis animi eſt: probi viri & ſalutis communis ſtudioſi, peccata civitatis tegere, aut excuſare malunt, niſi quoties ad calamitatem publicam amoliendam, præteritarum offenſarum recordatio grande momentum habet. Nam ab errore quidem omni, homines quum ſimus, immunes haberi velle, nimium eſt ſuperbum: ſed ad eundem lapidem crebro impingere; neque ſaltem eventu temeritatem caſtigante ad cautionem erudiri, id vero jam vix bene humanum eſt. Ad unius hominis vocem naves Romanas depreſſimus: mox Thurios cognatam gentem hoſtilibus odiis vexavimus, quod ab Romanis defendi, quam à Lucanis Brutiiſque diripi maluerunt: legatos Romanorum per turpem dictu contumeliam violari tulimus. Bellum igitur quo carere potuimus, & grave bellum, & periculoſum, & improviſum, alieniſſimo tempore noſtro adtractum eſt. Denique jam in agro Tarentino Romana caſtra ſunt: & nos adhuc incerti omnium bellum formidabile an pacem indecoram ſatius ſit accipi, deliberamus.

Tarentinorum delicta. Flor. l. 18.

XII. *Atque utinam nunc demum obliti blanditiarum, obliti privatorum commodorum, dignitatem utilitatemque publicam ſpectantes in commune conſuleremus! eſſet unde vel fœdera honeſte, vel arma tuto ſumerentur. nunc in duas vos abire partes, & propemodum factiones video, non judiciis, aut ex conditione rerum ſumpto conſilio; ſed ſuis quiſque cauſſis ducitur. cur enim tam paucos juvenes & pauperes in ea ſententia eſſe video, quæ pacem laudat? aut cur nemini fere divitum & ſeniorum bellum placet? an alia tam æqualiter diviſæ civitatis cauſſa eſt; quam quod hi rebus quietis fœnori ſuo agriſque frui volunt: illi, ſi bellum conflatum ſit, in imperiis, aut ex licentia prædæ compendium ſperant? etiam olim hoc morbo laboramus, neque à longo jam tempore reſpublica noſtra hominibus caruit, qui domeſticas opes augere ſtuderent, etiam cum periculo & detrimento civitatis.*

Zonar. Juvenes & Pauperes bellum: alii pacem cupiunt.

Diod.

XIII. *Quibus omnibus occurrere poteritis rectiſſime (dicendum enim eſt quod ex præſentibus utiliſſimum eſſe cenſeo) ſi neque pacem cunctis ea conditionum vilitate, quæ jura liberæ civitatis minuat: neque veſtras tantummodo vires belli tam difficilis terroribus opponatis. Sæpe à majoribus copiarum noſtrarum imperium externis ducibus commiſſum eſt. Archidamum Ageſilai filium, poſtea Cleonymum, mox Agathoclem, Peloponneſo aut Sicilia evocavimus. Memoria noſtra, quum finitimorum armis infeſtaremur, Alexandrum Epirenſem patres noſtri acciverunt: eo conſilio non ſolum ipſi commodis rebus uſi ſunt, ſed etiam nobis florentes reliquerunt. Eſt eadem hodie inter nos & Epirotas amicitia: neque illi hodie exercitu ac duce minus valent. Et recens beneficium noſtrum Pyrrhus habet, quem Corcyræos oppugnantem juſta claſſe juvimus. Ergo non meum hoc, ſed qui ante nos Rempublicam hanc feliciſſime rexerunt, hominum ſapientiſſimorum conſilium eſſe exiſtimatote: quod vel ideo ſequi debetis, quia in priore exemplo*

Appian. Samb. l. 6.

Liv. l. 8. 24.

Paul. l. 1. Pyrrhum arcet ſuadet.

quaſi totam ejus rationem cum eventu ipſo perſpicere poteſtis.

XIV. *Sed tamen etiam alioquin argumenta magna ſunt & evidentia. Nemo inter noſtros ita excellit, ut ei æquo animo parituri ſint cæteri. quæ vero ſint æmulationis pericula quoties acri & potente cum hoſte res eſt, ſcitis: & quemcumque faceretis imperatorem, vel nimio pacis ſtudio; vel cupiditate gerendi belli, detrimentum veſtris rebus adferre poſſet, taceo adverſum Romanos, gentem armis induratam, non quolibet duce bellum tuto geri. Verum enimvero, quemadmodum nemo dubitat, virtute & conſilio militari ante Pyrrhum nemo eſt. ſed venire forſitan nolet? immo vero quia rerum gerendarum cupidiſſimus, bellum in præſentia nullum aliud habet,* Plut. in Pyrrh. c. 25. *non modo veniet ipſe lubenter, ſed etiam adducet copias validas & præliorum non rudes. & ne ab ipſo libertati noſtræ metuamus, iis cum eo conditionibus tranſigetur, quibus reſpublica in tuto ſit. Hac ratione fiet, ut bona* Commodo inſequatur oſtendit: *cum ſpe ſumere bellum, & vel impetrare pacem commodam, vel etiam dare glorioſam poſſimus. quanquam hoc potius eventurum non improbæ ſpei eſt, ut prius Romani nobiſcum æquis legibus tranſigant, quàm hoc rerum ſtatu Pyrrhum accipiant in Italiam, qui quondam ex eadem Epiro minoris aliquanto gloriæ potentiæque regem timuerunt.*

XV. Hoc conſilium non eo tantum vicit, quod publicæ ſalutis viam haud aſpernandam aperuiſſe videbatur; ſed etiam contrarias in opiniones diviſa concione, quum neutra pars, obſiſtente altera, pertendere poſſet, quod proximum erat, ſententiam, quæ media quodammodo videbatur, univerſi prætulerunt. Ferunt vulgato per civitatem rumore, decretum de Pyrrho acciendo factum eſſe, Metonem quemdam hominem frugi, ſumpta corona marcida & facula, ebriorum more, cum tibicina theatrum intraviſſe: populum Tarentinum, ſolita laſcivia, juſſiſſe, *ut progreſſi in medium, ille voce, muliercula tibia canerent.* tum Metonem, facto ſilentio, dixiſſe; *Bene facitis Tarentini, quod ſaltandi canendique copiam præſtatis quibuslibet: nam Pyrrho in urbem admiſſo vix erit, ut liceat amplius noſtro nobis arbitratu vivere.* Moto ad hæc populo, atque orto murmure, veriti qui auctores injuriarum adverſus Romanos fuerant, ne pacificis conſiliis valentibus ad ſupplicium ipſi dederentur, increpito vulgo, *quod ab homine temerario tam indigne derideri pateretur*, impetu facto, Metonem theatro exegerunt. ita nemine deinceps adverſante, decretum ratum fuit. Conſilium vincit. Plut. in Pyrrh. c. 26. Metonis factum.

XVI. At Romanus Conſul, quum nihil ab Tarentinis pacati reſponderetur, præterea mitti ad Pyrrhum legatos cum muneribus accepiſſet; ad belli conſilia converſus, agrum populatur, oppida alia pugnando, alia deditione capit, damno ac terrore complet omnia. Mittuntur etiam ad prohibendas injurias ab Tarento copiæ: fit conflictus acer, ſed ſuperiore Romano, multis ſuorum amiſſis, Græci in urbem compelluntur. Æmilius regionem omnem impune vaſtat uritque. Territis ea clade Tarentinis, ut multitudo, quanto ſecundis rebus inſolentior, adverſis Æmilius Conſul bellum Tarentinis infert. Zonar. Diod. 40. Zonar.

tanto impensius in timorem præceps est, Agidi, qui Romanæ amicitiæ retinendæ perpetuus auctor fuerat, imperium permittitur. Cupiditatem spemque pacis auxerant ex principibus quidam ab Romano duce dimissi, qui *humanitatem ejus, & cæteros etiam Tarentinos superiore prælio, aut per agros passim exceptos, indulgenter atque benigne haberi*, prædicabant.

Pyrrhi destinatio.

XVII. Sed mutavit animos erexitque Cineæ fiducia, cum auxiliaribus copiis ab Epiro venientis. Namque Pyrrhus ingens animi, & Magni modo Alexandri æmulatione vastissimum imperium spe complexus, ipsis quasi fatis invitantibus, ad perficienda quæ destinasset, pandi sibi viam credebat. Confirmatum etiam oraculi Delphici voce narrante, ambigui quidem sensus, & utramvis in partem facilis flecti, sed quod interprete cupiditate rex pro certo & secundo acceperit. quippe de belli quod susceperus esset eventu consulenti redditum responsum ferunt: *posse eum Romanos vincere*. Sed plus, opinor, animorum dabat Tarentina legatio, quæ *ex sua civitate, Lucanisque, Messapiis, & Samnitibus, cæterisque populis, qui eodem fœdere tenerentur, facile viginti millia equitum, trecenta quinquaginta peditum conscribi posse*, attulerat. His igitur copiis si Romanos in ordinem redegisset, haud magno negotio cæteræ Italiæ dominationem se adepturum sperabat. Inde brevis in Siciliam trajectus ostentabat insulam Agathoclis excisa domo vacuam & discordem: quam etiam hæreditario jure, quod ex Lanassa filia Agathoclis liberos suscepserat, suæ domui posse vindicari rebatur. His ex sententia confectis Carthaginem bello erat petiturus.

Aug. de Civit Dei 3. 17.

Enn. apud Cic. in divin. 2. 26.

Plut. in Pyrrh. c. 17.

Just. 18. 2. Plut.

Cineæ colloquium cum Pyrrho.

XVIII. Fama est Cineam præstanti sapientia virum, quo immodicas regis cupiditates, paratamque felicitatem præsentibus bene utendi turbaturas, ipsius quoque confessione coërcendas esse ostenderet; *quid de victis Romanis agere constituisset?* interrogasse. Atque illo subinde alias ex aliis victorias nascituras esse demonstrante, subjecisse; *quid igitur confectis istis omnibus acturi sumus?* Tum vero *pacis & otii bonis affatim fructuros* respondente, excepisse Cineam: *quid igitur vetat, ô Rex, quin statim iis fruamur, quum præsto sint, novis autem bellis suscipiendis corrumpi penitus amittique possint*. Sed Pyrrhus iterata legatione Tarentinorum, & ambitione sua victus, *patrium esse* respondit *Epirotis, non pro se tantum, sed etiam pro sociis & amicis bella capessere*. Cæterum tegendo interiori consilio suo, cum legatis anxie pepigit, *ut lato ipsis auxilio statim rediret domum, neque diutius, quam necessium esset, ab iis in Italia detineretur*.

Just. Diod. Ecl. ex l. 22. *Pyrrhus bellum apparat.*

XIX. Inde confestim ad bellum apparandum ingenti studio versus, navium longarum magnum numerum complevit; alias præterea, quibus equi virique transportarentur, adornavit: plerisque legatorum Italicorum, quo sub specie honoris obsidum vicem retineret, in delectu agendo copiisque conducendis usus, cæteros cum tribus armatorum millibus, addito, qui præesset Cineæ, Tarentum præmisit. Horum adventu spes pacis abru-

Zonar.

Pausan.

Plut. Zonar.

pta, abrogatum Agidi imperium, & uni eorum qui ex legatione redierant, decreto populi datum eſt. Neque multo poſt miſſus à rege Milo, Tarentinam aream firmavit præſidio, murorumque cuſtodiam & tutelam ſibi depopoſcit: gratulante imperita multitudine, quod penes peregrinos moleſtiam & labores eſſe, ſibi otium cum ſecuritate relictum exiſtimabat. annona igitur militibus, pecunia Pyrrho, alacriter decreta.

XX. Interea L. Æmilius tranſmarini militis adventu cognito, quo tutioribus locis hybernaret, exercitum in Lucaniam tranſducere inſtituit. Erat iter per anguſtos quoſdam calles, quos ab altera parte præruptæ inviæque rupes, ab altera mare claudebant: & intellecto ducis Romani conſilio Tarentini naves ſcorpionibus & balliſtis inſtructas admoverant litori; militemque per arctos & obnoxios tramites incedentem miſſilibus impetebant. Æmilius viam virtuti negatam aſtu explicuit, captivis quos in ultimum agmen rejecerat, latera prætexens ordinum, quæ periculo patebant. Horum miſericordia Tarentini, dum ſuos ferire metuunt, etiam hoſtibus pepercerunt. Hæc ferme eo anno ad Tarentum geſta. Romæ vero C. Fabricius Luſcinus, qui in conſulatu ſuo Samnitas Brutioſque & Lucanos præclare vicerat, triumphans Capitolium ingreſſus eſt. Eundemque honorem non ita multis poſt diebus Q. Marcius Conſul obtinuit; ex Etruria, rebus ibi proſpere geſtis, reverſus.

Front. 1. 4.

Æmilii ſtratagema. Zonar.

XXI. Quæ eum cauſſa, bello Etruſco nondum finito, ex provincia revocaverit, tempore alieno (nam Fabricius A. D. III. nonas Martias triumphavit) non traditur: ego æcitum à Senatu conjicio, qui tum exſpectatione Pyrrhi ſolicitus, præſidia undique conquirebat. Nam & eo primum tempore, quum tanta undique belli mole coorta, imperium pluribus exercitibus defendi oporteret, proletarii, quibus antiquitus vacatio militiæ fuerat, ſacramento rogari cœpere. arma, quæ parare per inopiam non poterant, publice data: ut legionibus alibi occupatis, hæc manus per globos in muris foroque diſpoſita, ſtationibus & excubiis urbem tueretur. Neque tamen his conſiliis averti potuiſſet imminens clades, niſi fortuna urbis imperaturæ periculoſiſſimis temporibus ingentes viros reſervaſſet, ac neſcio an maximos omnium, qui unquam in iſta civitate fuerint, non ita divitiis & ſplendore generis, quam contemptu opum, & à virtute nobiles. Hæc enim ætas Curios, Fabricios, Coruncanios tulit: nullarum imaginum aut facultatum viros, ſed ampliſſimæ gloriæ, quam rectiſſimi exempli homines, ſummo rei militaris uſu, parique morum innocentia pepererunt: utrobique ſalutares patriæ, quæ adverſus regem ambobus metuendum, non magis opus habebat viris, qui ferrum hoſtile retundere poſſent, quam qui aurum contemnere.

Oroſ. 4. 1. *Proletarii ſacramento rogantur.* Aug. de Civ. Dei 3. 17.

Ennius ap. Agell. 16. 11.

XXII. Pyrrhum interea vere non exſpectato peditum duo & viginti millia, tria equitum adducentem, elephantos præterea viginti, & funditorum ſagittariorumque modicam manum, orta in medio curſu tempeſtas ita jactavit, ut ab extremo periculo minimum ab-

Zonar. Plut. in Pyrr. c. 13. *Pyrrhus in Italiam navigat.*

esset. Classe disjecta, pluribusque navigiis adflictis, quum etiam prætoria navis laboraret, in mare se dedit Pyrrhus, & maximo cum labore vix tandem enatavit. Corporis tamen male habiti ægritudinem, animi robur sublevabat: & cura Messapiorum, qui suum in litus ejectum, omni studiorum officiorumque comitate coluerunt. Eorundem opera navibus quibusdam, quæ procellæ vim evaserant, adductis; pauci equites cum duobus elephantis, & minus duobus millibus peditum collecti. Cum hac niaTarentum venit. nu Tarentum processit: obviam egresso cum militibus suis, Regemque deducente Cinea. Magnis Tarentinorum gratulationibus exceptus, paucos dies quieti dedit. quo spatio quum civitatis mores ita comparatos esse cerneret, ut his obtinentibus, neque servari à quoquam possent, & ipsos quoque defensores suos pessumdaturi essent, dissimulavit in præsentia. Sed ubi paulatim convenientibus quæ disperse fuerant navibus, copias idoneas habuit; gymnasia & porticus, in quibus otiosa juventus dies totos obambulando nugandoque consumebat, occlusit: epulas compotationesque vetuit: solennia ludorum ex intemperantissimo usu ad justam mediocritatem reduxit.

XXIII. Post hæc delectum juniorum severe egit: monitis, ut solebat, conquisitoribus suis, *grandes eligerent, se eos fortes redditurum*. Hos ma-
Front. 4. 1. Zonar. Plut. Zonar. nipulis suorum permixtos, ne seorsim habiti seditiones agitarent, eadem duritia & severitate disciplinæ exercuit; capitis pœna infrequentibus pro-
Gravis est Tarentinis. posita. Qui vero in armis non essent, eos majorem diei partem in foro agere coegit. Quarum rerum insolentia, homines inter pudendas delicias nati educatique, mirifice angebantur, *servitutem* appellando, si perire socordia & luxuria cupientes, salvi esse cogerentur. Onerabat invidiam satellitum quorumdam regiorum intemperies, qui suo arbitratu hospitia deli-
Plut. Appian. Vales. gentes, etiam invitis & reluctantibus dominis occupabant. pariquc deinde licentia inter uxores eorum liberosque versabantur. Ergo fastidio præsentium multi relicta urbe in agros emigrabant: donec id quoque clausis portis adpositi custodes prohibuerunt.

Zonar. XXIV. Tum vero Tarentini se pro socio dominum accepisse sero intelligentes, quod unum poterant, per indignationem & questus sortem suam
Tarentini de Pyrrho querun tur. miserabantur, aliquanto liberius, ubi per aliquam idoneam causam convenientes, præter solitos animi adfectus, etiam vino incaluissent. Neque
Val. Max. 5. 1. 3. deerant qui ad Pyrrhum referrent: arcessitique nonnulli quod inter convivium parum honorifice de Rege loquuti esse arguerentur. Sed horum quidem periculum cujusdam inter eos simplex & ingeniosa confessio dissolvit: *Et hæc diximus*, inquit, & *longe graviora dicturi fuimus, nisi vinum defecisset*. Ibi Pyrrhus ut qui vini quam hominum eam culpam
Zonar. Plut. Pyrrh. c. 16. videri mallet, arridens dimisit eos. Cæterum diffisus civitatis moribus animisque, ut quemque plurimum apud Tarentinos auctoritate, consilioque pollere animadverterat, causis repertis structisve, ad filium
Justin. 18. 1. Ptolemæum (quem discedens ipse regno præfecerat annorum quindecim

cim adoleſcentem) ablegabat: alios per occultas inſidias de medio tollebat: erant quos adfectata humanitate complexus, inter familiariſſimos haberet, quo populo ſuſpectiores fierent. Pyrrhus Tarentinos graviter premit. Zonar.

XXV. In his Ariſtarchus erat, vir inter primates amore civium & eloquentia excellens: hunc quia nihilominus in magna apud multitudinem gratia eſſe cernebat, per cauſſam certi negotii navigare in Epirum juſſit. Ariſtarchus, quum refragari Regis imperio præſentis exitii; obedire, non quidem æquo velocis, ſed tamen æque certi viderotur: conſcenſa navi paulum provectus, flexit curſum ad urbem Romanam, & receptus in fidem de rebus multis magniſque Senatum largiter edocuit. Dum hæc Tarenti Pyrrhus adminiſtrat, nihilo ſegnius ad bellum gerendum apud Romanos delectus agebantur, cogebantur pecuniæ, miſſo ad ſocias civitates C. Fabricio, qui auctoritate gratiaque ſua deterreret à ſtudiis rerum novarum: quidam quorum ſuſpecta levitas erat, etiam præſidiis in opportuna loca impoſitis in fide retinebantur. Romanorum apparatus. Dio. ap. Fulv.

XXVI. Quidquid enim ubivis injuriæ acceptæ perſuaſione ægrum, aut cupiditate novandi turbidum erat: id omne, tot adverſus unam gentem conſpirantium populorum robur, & bellicoſiſſimi Regis exſpectatio commoverat. quo intentiores Romani, capita ſeditionum mature opprimendo, ſecuritati ſuæ providebant. Eo tempore caſus Prænestinorum principum memorabilis fuit: qui nocte jam ingruente quum adducti Romam eſſent, cuſtodiæ cauſſa concluſi ſunt in ærario publico, tum demum intellectis fallacis oraculi ambagibus, cujus fide popularibus ſuis, ad defectionem eos impulſuri, ſæpe ſponderant, in fatis eſſe, *uti Romanum ærarium à Prænestinis occuparetur*. Solicitos Patrum animos (nam & Fabricium à ſociis retineri audiverant, ut eo pignore ſuos ab Romanis incolumes reciperent; & ad Etruſcos, ad Umbros, ad Gallos contra populum Romanum incitandos, legatos mitti) nova inſuper cura oppreſſit rei quum facto ipſo atrocis, tum formidabilis exempli, ne apud omnes Italos alieniſſimo tempore Romana fides in ſuſpicionem & odium adduceretur. Zonar. Conſpirationes ſociorum contra Romanos. Dio. ap. Fulv.

XXVII. In extremo Italiæ litore contra Siciliam Rhegium eſt, Græci nominis, temporibus illis florens & opulenta civitas. Ea quum adventu Pyrrhi magnum & terribile bellum cerneret conſurgere, præterea claſſibus Carthaginenſium in illo mari vagantibus terreretur; diffiſa viribus ſuis arceſſendum à Romanis præſidium exiſtimavit. Miſſa ſunt militum millia quatuor, ex Campaniæ colonis ſcripta manus, & inde legio Campana appellata; tribuno militum Decio Jubellio deducente. His ab initio quidem neque fides in defendenda urbe, neque diligentia defuit. Deinde, quia belli propinquus metus nullus erat, paulatim otio & Græcæ conſuetudinis imitatione in luxum reſoluti, præſentemque copiam cum dura & laboriosa vita, quam eouſque egerant, comparantes, opportunitatem urbis, & incolarum felicitatem, ſermone cupiditatis & invidiæ pleno, in circulis hoſpitii ſuis agitare cœperunt. Polyb. l. 7. Rhegium à Romana legione per ſcelus occupatur. Liv. Epit. 12. Liv. 28. 3. Polyb.

XXVIII. Delectabatur eo facto Decius, qui & ipse pari vecordia ductus, sceleratum occupandæ urbis consilium pridem animo conceperat. Favebat occasio præsentis belli, quo sciebat ita distringi Romanos, ut Rheginam rem curaturi non essent: & in adverso litore Mamertinos, exemplum simul felicis sceleris, & similis perfidiæ haud dubios propugnatores, præterea communis patriæ necessitudine junctos, intuebatur. Nam & hi ex Campania oriundi, quum superioribus annis inter Agathoclis auxilia stipendium fecissent, à Messeniis pro amicis excepti, civibus trucidatis aut ejectis urbem occupaverant, domosque & conjugia miserorum inter se partiti fuerant. Etiam veterum Campanorum subibat memoria, qui Capuam possederunt, simili latrocinio Tuscis ademptam.

Decii præfecti vecordia. Mamertini Messanam proditorie occuparunt

Polyb.

Polyb. l. 2.

Liv. 4. 57.

XXIX. Quum res satis placeret, ea consultatio supererat, quonam modo facinus impune patraretur, neve, ut in urbe populosa, pauciores à pluribus circumventi cæderentur. Confingit epistolas tanquam à Rheginis ad Pyrrhum scriptas, ut præsidium Romanum ei proderetur. Vocantur secretò milites, epistolæ, quasi interceptæ, recitantur: queritur acerbe de perfidia Rheginorum Decius: ex militari multitudine quidam, ad hoc præparati, succlamant; *armis expediendam salutem, & exitium ipsis destinatum, in auctorum capita vertendum esse*; adest etiam ex compacto, qui nunciet *in Rhegino litore classem Pyrrhi conspectam esse, & secreta colloquia habita*. Miles supra priorem animi cupiditatem, etiam perfidia hostium & periculi metu accenditur. Consensu omnium in hanc sententiam discedit, *ut ignari imparatique oppidani opprimantur: cæde virorum facta, fortunæ publicæ privatæque omnes legioni cedant*. Fit facinus indignum & atrox: Decius quosdam ex principibus ad cœnam vocatos, inter sacra hospitalis mensæ obtruncat: alii passim in domibus suis trucidantur: majori parte Rheginorum interfecta, cæteri patria ejiciuntur, ab iisdem illis, quos paulo ante ut cum patria servarentur, amicorum atque sociorum nomine in eam acceperant.

Ordo facinoris opprimendorum Rheginorum.

Strabo l. 6. Diod. excerp. l. 22.

XXX. His patratis, nova fit publicæ rei forma: ædes atque facultates miserorum tanquam hostilis præda inter latrones dividuntur: cæde adhuc recenti, matronæ virgineſque maritorum atque parentum suorum interfectoribus nubere coguntur: jura nomenque Rheginæ civitatis crudelis & perfidiosa legio sibi vindicat. Sed bene consuluit mortalium generi DEUS, quod plerunque scelerum insignium exempla, eadem & vindictæ illustris documenta sunt: ne quis magis successu maleficiorum animari ad paria consilia possit, quam exitu eventuque deterreri. Adeo veræ felicitati cum facinorosis non convenit: neque ulla certior est insania, quam existimare, scelere quemquam fieri beatiorem. Ut enim quæ post hanc vitam manent supplicia, quæ maxima sapientes esse sciunt, nulla putentur: (solet enim hominum incredibilis stultitia vix iis habere fidem, quæ vident: nedum ut inexpertis moveantur) attamen etiam quum prosperrime procedunt omnia, interno vulnere lacerat animum delictorum conscientia: viventium nomen,

Nova Reip. forma Rhegii.

Hominum incredibilis stultitia.

Rhegium occupatum.

mortuorum memoria, apud homines in odio & detestatione est: ac plerumque idipsum quoque, quod fœdissime partum, laboriosissime retentum est, non DEO, non hominibus inulta scelera diu patientibus, ingenti cum dolore eripitur.

Decii cæterorumque perfidorum pœna. Liv. 28. 21.

XXXI. Juvat hic referre breviter Decii Jubellii cæterorumque furoris ejus participum pœnas, quæ quidem earum temporibus his connexa sunt: nam extremum exitium, interea variis casibus torti, decimum in annum distulerunt, ut in tempore memorabimus. Igitur prædonibus istis non diu lætæ, aut etiam inter ipsos tranquillæ res fuere. Metum à Romanis & Pyrrho utcumque, præter occasionem temporum, Mamertina societate propellebant; & consilio neutros lacessendi. Hoc enim tutissimum visum ex præsentibus, inter initia sua, dum ex violenta & subita origine nova civitas coalescit abstinere bello: quod neque adversus Regem se tuto sumpturos esse videbant; & promptiorem sperabant à Romanis veniam, si contra ipsos arma non tulissent. Prima dissensionis caussa, ut inter latrones oportuit, ex iniqua divisione raptarum rerum orta est. Ejectus per seditionem Decius Messanam confugit: qui Rhegii erant milites scribam ejus M. Cæsium imperatorem legerunt: eodem honore Decius, quum pecuniam secum grandem adtulisset, à Mamertinis auctus est; neque læta sibi, neque diuturna fortuna.

Diodor.

Val. Max. 2. 7 15: Diodor.

Decii fatum.

XXXII. Nam evenit, ut oculorum gravi ægritudine correptus, medicum insignem accïendum curaret; ultione divina jam ad plures acerbioresque pœnas nefarium hominem rapiente. Adductus ergo medicus est Rheginus domo, sed quia multis ab annis Messanæ habitaverat, origine non Decio tantum, nunquam ulli Rheginorum se commissuro, sed pleriſque ejusdem urbis incolis incomperta. Ille memor patriæ, & injurias ejus ulciſci certus, persuadet homini, se strenuum quidem adferre remedium, sed eventus tuti, celerrimæque efficaciæ. Sic admoto medicamento quod cantharidum succo temperaverat, vetitoque tolli, priusquam ipse reversus ad ægrum esset, sine mora conscenso navigio, ex urbe Messana profugit. Decius incredibilt dolore satis diu tolerato, postquam medicus non redit, amoveri collyrium jubet: eo diluto, luminibus orbatum se reperit. Ita infamis exul, contemptus, cæcus, animo & corpore ægro, tanquam vinculis constrictus, ad pœnam servatur: miro quodam divinæ ultionis ingenio, ut ab eo cui salutem suam crediderat, cladem istam pateretur; qui prius ipse, quos tueri debuerat, immanitate perfidiaque circumvenisset. Quæ documenta historiis consignari tradique generis humani interest; cui nunquam satis persuadetur, quantum à recta prudentiæ ratione absit ea calliditas, per quam ob falsa quædam bona virtute fideque spretis, per fœdas & iniquas libidines in vera mala ruitur.

Appia. ap. Vales.

Diodor.

Medicus cantharidum succum imponit oculis Decii pro collyrio.

Appian. ap. Vales.

Per calliditatem ob falsa bona in vera mala ruitur.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECUNDA.

LIBER XIII.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XIII. LIVIANI.

Valerius Lævinus Consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit: elephantorum maxime insitata facie territis militibus. Post id prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia versa in hostem invenit: populabunduſque ad urbem Romam processit. C. Fabricius missus ad eum, ut de redimendis captivis ageret, frustra ut patriam desereret à rege tentatus est. captivi sine pretio remissi sunt. Cineas legatus à Pyrrho ad senatum missus petiit, ut componendæ pacis caussa Rex in urbem reciperetur. de qua re quum ad frequentiorem senatum referri placuisset: Ap. Claudius, qui propter invalitudinem oculorum jamdiu à consiliis publicis abstinuerat, venit in Curiam, & sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. [1] *Cn. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit. censa sunt civium capita* CCLXXVIII. *millia.* CCXXII. *Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est.* [2] *Cum Carthaginensibus quarto fœdus renovatum est. Quum C. Fabricio consuli,* [3] *is qui ad eum à Pyrrho transfugerat, polliceretur se regi venenum daturum, cum indicio ad regem remissus est. Res præterea contra Etruscos, Lucanos, Brutios, & Samnites prospere gestas continet.*

Consulum provinciæ Anno ab Urbe condita CDLXXIII.

INterea Romæ parte copiarum ad præsidium urbis, & incertos belli casus retenta, novis Consulibus exercitus & provinciæ datæ sunt. P. Valerio Lævino Tarentini & Pyrrhus; Ti. Coruncanio Etrusci belli reliquiæ obvenerunt. Lævinus magnificum ad famam & terrorem ratus, hostem à se lacessitum videri; simul utile civitati, si quamlongissimè belli metum & incommoda ab agro Romano avertisset: confestim in Lucaniam moto exercitu, castellum opportuno situ operibus permunivit, valido præsidio impo-

Zonar.

NOTÆ.

1 *Cn. Domitius Censor primus ex plebe lustrum condidit.*] Non fuit primus ex plebe Censor Cn. Domitius (sic enim Vett. libb. vocant) etenim C. Martius Rutilus auctore Livio primus ex plebe censor fuerat. Sed Domitius primus è plebe Lustrum condidit.

2. *Cum Carthaginensibus quarto fœdus renovatum.*] Adversus Pyrrhum, ut Polyb. l. 3. testatur.

3. *Is qui ad eum à Pyrrho transfugerat.*] Hunc Timocharem Ambraciensem vocat Valerius Antius: Quadrigarius autem Niciam apud Gell. l. 3. cap. 8. quem vide.

ſito, quo & Pyrrhi cœpta tardarentur, & Lucani, quorum perfidia timebatur, ad hoſtem non auderent deſciſcere. Audito Romani Conſulis adventu Pyrrhus, quamquam ſocii nondum convenerant, turpe ſibi & detrimentoſum fore judicans, ſi inter primordia belli formidinis indicium ullum edidiſſet; cum copiis quæ aderant, incontanter obviam progreſſus eſt. Plutar. in Pyrrh. c. 14. Pyrrhus Lævino obviam progreditur.

II. Ut tamen per cauſſam aliquam honeſtam traheret negotium, caduceatorem miſit cum literis, quarum hæc ſententia fuit. *Rex Pyrrhus Lævino Salutem. Audio te contra Tarentinos venire cum exercitu. Sed eo dimiſſo, cum paucis ad me venito: cauſsa enim cognita, quod alteros alteris præſtare æquum erit, etiam nolentes præſtare cogam.* Ad hæc Lævinus: *Nos neque controverſiarum noſtrarum te ſumimus arbitrum, neque hoſtem pertimeſcimus. Tu vero abſurde facere videris, cauſsas alienas cognoſcere ſatagens, qui propriæ culpæ reus, nondum Italiæ, injuſſu noſtro, initæ pœnas nobis pependiſti. Ergo non adverſus te minus, quam adverſus Tarentinos inſtructo cum exercitu venio, Marte judice, auctore generis noſtri, de noſtro jure diſceptaturus.* Neque diu moratus ſigna movit; & inter Pandoſiam & Heracleam urbes, loco campeſtri, ab hoſtilibus caſtris diviſus Siri amne, conſedit. Fama eſt Pyrrhum ſpeculandi cauſſa ad amnem progreſſum, quum caſtra Romana diligenter ſpectaviſſet, uni ex amicis, cui Megacles nomen erat, dixiſſe; *Ordo certe barbarorum iſtorum minime barbarus eſt: at facta mox noſcemus.* Pyrrhi literæ ad Lævinum. Zonar. Plutarch. Pyrrhus caſtrametationem Romanam laudat.

III. Tum autem ad ripam firma collocata ſtatione, quæ tranſitum tentantes arceret, opperiri ſocios conſtituit: ſuper rationem belli, quod Romanos in hoſtili regione rerum neceſſariarum inopia laboraturos eſſe ſperabat, etiam fiducia Lævini anxius: cujus ille admirationem novo teſtimonio nuper anxerat; dimiſſis impune hoſtibus, qui ad exploranda caſtra venerant: & adjecto, *ſibi præterea majorem alium exercitum eſſe.* Inter hæc, ut vicinis caſtris, velitationes continuæ fiebant: ad ſummam rerum proficiebatur nihil. Igitur diebus ferme quinquaginta per hæc leviora certamina conſumptis; Conſul, quod iiſdem cauſſis ad feſtinandum prœlium, quibus Pyrrhus ad differendum movebatur; milites in concionem vocatos conſilii ſui certiores facit, adverſus novi hoſtis metum confirmat. Pyrrhi famam, belluarum terrorem, quantum poteſt, elevat: denique rebus ita ſe parat, ut vel volente cum hoſte congrediatur, vel etiam invitum cogat ad certamen. Zonar. Fiducia Lævini. Front. 4. 7. Zonar. Gotefr. Viterb. Otto Friſing. Conſul prælium capit.

IV. Itaque poſtquam Pyrrhum manere in ſententia videt, equitatum omnem, tanquam ad agrorum prædam excurſurum, præmittit: ipſe cum inſtructis legionibus opperitur, donec in adverſa ripa tumultus & clamor fiat. Equites magno à caſtris intervallo circumvecti, qua incuſtoditum flumen erat, transjiciunt; ſtationem pro hoſtili ripa collocatam curſu petunt: Epirotæ, ſubita re perterriti, ad caſtra ſua ſe recipiunt. Pyrrhus intellecto hoſtem adeſſe, equitatum omnem, tria millia erant, quanta maxima celeritate poteſt, ad amnem rapit: ſperans Romanos Pugna committitur. Plutarch.

Pugna cum Pyrrho.

inter tranſeundum ordinibus ſolutis, & æco vado cum iniquitate aquæ ſolique luctantes, occupari poſſe. Sed quum Romani equites ſe objeciſſent, invectus ante primum ſuorum agmen, non imparem famæ ſuæ pugnam edidit, ſplendidis armis conſpicuus, neque minus inſigni robore animique præſentia: quum ita totam aciem conſilio imperiiſque regeret, tanquam omni alio labore ſolutus eſſet; ita ubi res poſcebat adcurrens prœliaretur, tanquam ſolum ad ſe militis officium, ad alium univerſæ rei cura pertineret.

Pyrrhus dux & miles bonus.

V. Interea Leonnatus quidam Macedo, quum ex hoſtibus quemdam notaſſet, qui cæteris omiſſis omnibus, unum in Regem tota volitantem acie intentus, quacumque parte illum ſe inferre vidiſſet, eo quoque equum agebat, monuit Pyrrhum. Cui ille, *fatum*, inquit, *ô Leonnate, mortalium effugerit nemo. Cæterum neque hic Italus mecum, neque alius quiſquam, impune congredietur*. Vix eloquutus hæc fuerat, quum Oplacus (hoc nomen erat viro, Fretanæ turmæ præfecto) infeſta lancea equum percutit Regis: atque illius equum viciſſim excipiens Leonnatus ibi circumfuſi Regis amici Oplacum pugnantem interficiunt; Regem eripiunt. Sed iſte caſus magnopere perculit regios, ipſum eſſe cæſum opinantes. Quare ut confirmaret ſuos, ſimulque pericula ſibi intentata declinaret, paludamentum & arma cum Megacle commutat: illoque in pugna relicto, ad phalangem ordinandam adducendamque pergit. Occurrunt & Romanæ legiones. certatur diu acerrime, eventu adeo dubio, ut memoriæ ſit proditum, ſepties alternante prœlii fortuna, modo Romanos hoſtium, modo Tarentinos Epirotaſque Romanorum terga vidiſſe.

Pyrrhi periculum.

Zonar. Plutar.

Pyrrhus arma commutat cum Megacle.

Acerrimum certamen.

VI. Sed proxime deſperationem Pyrrhi res adduxerat Megaclis ædes, quem regiis armis monſtratum ex diverſa acie fortiſſimus quiſque regis interfecti gloriam adfectans impetebat: donec eques nomine Dexter, interempto detractam chlamydem galeamque maximis cum clamoribus ad Conſulem ferrens, fidem patratæ cædis utrique exercitui fecit. Jam omnia terroris atque conſternationis apud Græcos plena erant: fugiſſentque haud dubiè niſi quam primum nudo capite obequitans Pyrrhus, *ſeque vivere & adeſſe* voce magna teſtatus, tantumdem fiduciæ Romanis, quantum ſuo militi formidinis deſperationiſque dempſiſſet. Lævinus adeſſe tempus ratus quo ultima remedia experiretur, ſignum equitibus ſuſtulit, quos in inſidiis collocaverat, ut terga hoſtium incurrerent. At Pyrrhus in hoc agmen elephantos agi jubet, ipſos quoque in ultimum terrorem hoſtium reſervatos.

Front. 2. 4.

Plutarch. Pyrrhus fugam ſuorum ſiſtit.

Zonar.

VII. Id conſilium adflixit ſpes Romanas, eventumque totius pugnæ ſecundum Pyrrhum dedit. nam & homines ipſi vaſtorum corporum mole, terribilique ſuperſtantium armatorum ſpecie ſtupentes, quodvis potius ingens & formidabile portentum, quam animalium à natura productorum formam videre videbantur: & equi ad conſpectum odoremque & ſtridorem tum primum viſarum belluarum exterriti, protinus confuſis ordinibus, qua

Front. 2. 4. Pauſan. 1. Romani vincuntur.

Flor. 1. 18.

Plin. 8. 6.

cuique proximum erat, abripiebantur; ſeſoreſque vel exeutiebant, vel fruſtra renitentes ſecum auferebant in fugam: & in ſuorum aciem incurrentes omnia trepidatione tumultuque miſcebant. Inſequutis elephantorum rectoribus, multi fugientium ab iis qui in turribus belluarum conſtiterant, vulnerati ſunt: plures ab elephantis ipſis confecti obtritique. Sed Conſule omnia experto, cohærebat utcumque acies; donec immiſſa Pyrrhi imperio Theſſalica ala male reſiſtentes fregit disjeciteque. Zonar. Plutarch. Theſſalici equitatus virtus. Front. a. 6.

VIII. Neque dubium habetur, quin eo ſitu loci quo tum concluſi tenebantur, cæſi omnes capti-ve forent, ni præter conſuetudinem Pyrrhi, qui hoc imperatorium rebatur, non pertinaciter inſtare fugientibus, ne alio tempore deſperatione ſalutis acrius reſiſterent; etiam præceps in veſperam dies regios à perſequendo deſiſtere coëgiſſet. Adjuvit etiam fortuna reliquias infelicis exercitus, quod elephantus accepto vulnere converſus, etiam cæteros barritu turbavit. Ea res morata hoſtes, ſpatium fugientibus dedit, quo tranſmiſſo amne pervenire in Apuliam poſſent; ibique urbis cujuſdam munitionibus adverſus inſtans periculum tegerentur. Cæſa eo prælio Romanorum ſociorumque peditum millia quatuordecim & præterea octingentos ſeptuaginta reperio; ducentos quadraginta ſex equites, captos in univerſum mille octingentos duodecim; in his equites duos & octingentos: amiſſa ſigna militaria duo & viginti. Eutrop. l. 2. Elephantus vulneratus cæteros turbat. Goteſt. Viterb. Oroſ. 4. 1.

IX. Quo magis miror, auctores qui hæc tam adcurate exſequuti ſunt, negare numerum ex regio exercitu deſideratorum adnotatum eſſe: quum Dionyſius ſcribat Lævinum amiſiſſe paulo minus millia quindecim; tredecim intereſſe ex victoribus: Hieronymus autem Cardianus æqualis iſtorum temporum ſcriptor, de Romano exercitu non plus ſeptem millibus cecidiſſe tradat; de regio, intra quatuor millia. Sed hoc inter omnes conſtat, flore ducum militumque ſuorum victoriam eam Pyrrho conſtitiſſe: exceptæque dicuntur voce, *non minus victum ſe eo prælio quam victorem diſceſſiſſe* ferentis. etiam quum Tarentino Jovi ſpolia donaque figeret, falſus hoc fertur, inſcripto ejus ſententiæ titulo; querentibuſque ſociis reſpondiſſe: *næ ego, ſi iterum ſic vicero, ſine milite revertar in Epirum!* Ipſum quoque Regem hoc prælio grave vulnus accepiſſe auctorem habeo: ſed quoniam alii tale nihil tradiderunt, caſuſque diverſarum pugnarum miſceri nonnumquam video; non auſim uni, in ſilentio plurium & accuratiorum, credere. Plutarch. Cæſorum numerus; Pyrrhi voces de ſua victoria. Oroſ. 4. 1. Juſt. 18. 1. 7.

X. Magna profecto pertinacia certatum eſſe hoc etiam argumento fuerit, quod poſtridie ejus pugnæ, quum cæſorum corpora Pyrrhus inſpiceret, quæ ad humanitatis & clementiæ famam humari juſſerat; Romanos omnes in hoſtem verſos honeſtis vulneribus oppetiiſſe cernens, exclamavit: *O quam proclive mihi erat Orbis imperio potiri Romanos habenti milites!* Neque contentus eſt eorum, quos in poteſtate habebat, animos appellatione blanda magniſque promiſſis adoriri, ut apud ſe ſtipendia facerent: & abnuere perſe- Liv. Epit. 13. Pyrrhus Romanos occiſos laudat, humanitas. Eutrop. Flor. 1. 18. 7. Zonar. Pyrrhi Dio. ap. Valeſ.

verantes nihilo sequiùs humaniter clementerque habuit; & vinculorum, & omnis quæ fortunam captivorum comitari solet, contumeliæ expertes. Oros. At Romanos prœlio tàm male acceptos alia mox clades terruit, ut longe impar detrimento, ità majoris aliquanto formidinis & religionis. Nam ad manifestam deorum iram referebatur, quod pabulatores forte dimissos subito coorta tempestas ita perculerat, ut inter horribilem cœli fragorem cadentibus fulminibus quatuor & triginta interirent, adflati & semimortui relinquerentur duo & viginti: jumentis etiam eodem turbine extinctis aut debilitatis complurибus. Plutarch.

Pyrrhus victoria utitur. XI. Pyrrhus interea quum vacua & deserta Romanorum castra cepisset; victoria non segniter usus, promovit copias, vastandisque proximorum quorumque agris, ab amicitia Romanorum permultos populos avertit. Supervenere deinde socii Lucani Samnitesque. quibus leviter castigatis *quod pugnaturo non adfuissent*, partem tamen spoliorum dedit: eo ipso magnopere lætus & exsultans, *quod præter suas copias Tarentinis tantum auxiliis adjutus, Romanorum ingentem numerum fudisset*. Intento in victoriæ fructum Pyrrho, alia ex parte Lævinus curando saucios, colligendo dispersos, manum rursus haud contemnendam effecerat, & Senatus, quanquam multi culpam acceptæ cladis imputabant Consuli, Fabriciusque dixerat, *non sibi Romanos ab Epirotis, sed Lævinum à Pyrrho victum videri*: supplementum ei mittendum censuit. Justin. 18. 1. Lucani Samnitesque socii Pyrrhi Zonar. Appian ap. Fulv. Urs.

XII. Quum voce præconis edictum esset, *qui in occisorum locum patriæ navare operam vellent, ut nomina darent*; certatim dantibus, celeriter duarum legionum numerus expletus est. His copiis auctus Consul, Pyrrhi vestigia sequendo, quibus poterat exercitum ejus incommodis vexabat: & quùm occupandæ Capuæ consilia Regem agitare comperisset; festinanter exercitu ducto, prævenit eum, eunctisque ad defensionem paratis, ab invadenda urbe deterruit. Pyrrhus Neapolin flexo itinere: atque ibi quoque spe sua frustratus, protinus ad ipsam Romam magnis itineribus Latina via contendit. Jam ab Anagnia & Hernicorum agro, Fregellis obiter expugnatis, Prænestе pervenerat, intra vicesimum ab Urbe lapidem; sed urbani magistratus simul atque de clade auditum fuerat, novis delectibus ex Senatusconsulto juniores armaverant; aliudque non invalidum auxilium Pop. Romani fortuna tempore necessario providerat. Consul enim alter Tib. Coruncanius meliore fortuna cum Etruscis congressus, universam gentem novis fœderibus obstrinxerat: & ad tutelam patriæ revocante Senatu, nullo alio hoste distractus cum exercitu victore adcurrebat. Capuam defendit Lævinus. Appian. ap. Fulv. Ur. Flor. 1. 18. Plutarch. Appian. Zonar.

Pyrrhus in Campaniam regreditur. XIII. Pyrrhus quum Etruscos ad arma retrahere frustra tentavisset; præter urbem suis præsidiis tutam, duos Consulares exercitus, alterum à fronte, alterum à tergo imminere cogitans, in Campaniam regressus est. Ubi Lævinum majoribus sibi copiis, quam ante eladem habuisset, occurrere videns, *cum Hydra Lernæa sibi negotium esse dixit, cujus præcisa capita paulo post, numero etiam aucto, renascerentur*. Quia tamen Eutrop. Flor. 1. 18. 18.

. men priori victoriæ confidebat, eduxit copias, & tanquam pugnaturus inſtruxit. quoque ſuorum ſimul alacritatem experiretur, ſimul perterrefaceret hoſtem; clamorem tollere milites, ac elephantos ad barritum ciendum incitari juſſit. Redditus eſt à Romanis longe major atque terribilior clamor: unde de animis utrorumque conjectans, abſtinendum ſibi prælio in præſentia judicavit: & victimarum exta parum læta cauſſatus, exercitum in caſtra, & inde, magna cum præda & captivorum agmine, Tarentum reduxit. Zonar.

XIV. Romani qui duriſſimo tempore de conſtantia ſua nihil remiſerant, ſed de totius belli eventu ſemper amplas ſpes & orationes magnificas habuerant; præmia virtutis tum maxime celebranda rati, L. Æmilio Barbulæ ob res in conſulatu geſtas decreverunt triumphum: iſque de Tarentinis, Samnitibus, & Sallentinis, qui inter auxilia Tarentinorum fuerant, AD. VI. Idus Quintileis triumphavit. Sed P. Valerio Conſuli negotium datum, *ut Setinum in agrum abductis exercitus victi reliquiis, caſtra muniret, hyememque ſub pellibus agere cogeret.* Per eadem tempora quum de captivis in Senatu agitatum eſſet, *redimine eos placeret?* iſta ſententia tenuit. credo præcipue moviſſe animos equitum caſum, quos fortiter ſuſtentata pugna donec elephanti aberant, horum ſuperventu conſternati equi ſine ulla ſeſſorum culpa cædendos vinciendoſque hoſtibus præbuerant. Miſſi ſunt hujus negotii cauſſa præcipuæ dignationis legati, P. Cornelius Dolabella, Senonum deleta gente nobilis, C. Fabricius Luſcinus, Q. Æmilius Papus, qui biennio ante collegæ in conſulatu fuerant. Appian. Plut. Conſtantia Romanorum L. Æmil. Barbulæ Triumphus. Tabul. Capitol. Front. 4. 1. Dionyſ. ap. Fulv. Cic. in Bruto. c. 34.

XV. Pyrrho à natura magnorum animorum indiviſa comes inerat humanitas; ſed hanc ambitione auxerat, errore pervulgato miniſtras imperii virtutes eſſe putans, cui uni intemperantiſſime deditus, huc rationes ſuas omnes referebat. Et quanquam audacia bellique artibus nemini ſua ætate ducum poſtponendus eſſet; omnia tamen prius experiri ſolebat, quam armis rem permitteret: animoſque hoſtium, ut quiſq; opportunus erat, metu, cupiditate, voluptate, miſericordia, denique conditionum æquitate ac utilitate moliebatur. Igitur nunciato Roma legatos venire, tot conſulares ad Majorem certe aliquam rem mitti ſuſpicatus, pacis componendæ mentionem illaturos eſſe ſperabat. Quo igitur & tutior, & honoratior acceſſus eorum foret, ad ipſos uſque fines agri Tarentini Lyconem natione Moloſſum cum præſidio miſit obviam: ipſe vero cum ornato equitatu venientibus extra portam occurrit: deductoſque perquam honorifice ac hoſpitaliter, rebus omnibus laute atque liberaliter habuit. Illi quæ ad moderationem animi pertinent præfati, *quanta ſortis inconſtantia; quam ſubitæ bellorum vices eſſent, neque præſciri futura poſſe;* mandata edunt: *ſe ad recipiendos captivos ſuos veniſſe, ſive certo in capita pretio redimi, ſive cum Tarentinis aliiſque permutari paceretur.* Pyrrhi mores. Polyæn. Stratag. 6. 6. Zonar. Val. Max. 5. 1. Hiſt. Miſcel. P. Diac. a. 16. Dio ap. Fulv. Legatos Rom. liberaliter habet. Dionyſ.

XVI. Pyrrhus nihil magnæ rei ſine conſilio amicorum ſtatuere conſueverat: quo tum quoque convocato, Milo quidam ſuadebat, *ut cap-* Legatorum Oratio.

tivis retentis fortuna ſua uteretur, neque bellum niſi perdomitis Romanis omitteret. Longe diverſa Cineæ oratio fuit: qui commemorata *Senatus populique Romani conſtantia, quam ſæpe extremis temporibus ſuis invictam oſtendiſſet;* ſubjecit: *Aliorum fortaſſis hoſtium aut mores oderimus; aut contempſerimus arma: cum hac gente, ó Rex, amicitiam tibi potius quam bellum habendum eſſe cenſeo, neque reddi modo captivos, ſed etiam donari ex uſu tuo fuerit. neque differendum arbitror, quin legatos cum muneribus Romam mittas, qui conditionibus æquis pacem conficiant.*

XVII. *Hoc enim illud tempus eſſe arbitror, quo rem tibi neceſſariam, ſi quid judico, etiam cum dignitate facere poſſis. Nunc enim rebus adhuc proſperis de pace agens & facilius, quæ volueris, impetraveris; & nulla alia cauſſa, quam animi ſolita magnitudine, pacem obtuliſſe videberis iis, quos integrum fuiſſet armis ad ſervitutem cogere. Et abſit quidem omen, tuæque res, ſicut cœperunt ire, pergant. Sed tamen homines ſumus; & ſi fortuna verterit, neque tam facile porro negotium erit pacis, neque pari cum decore tractabitur.* In hanc ſententiam loquutis quoque cæteris, & ipſe Rex adſenſus, vocari legatos Romanos jubet. Qui ubi venerunt, hunc in modum egiſſe fertur: *Res equidem indigna eſt, quam facitis Romanis! Quum enim amicitiæ mecum ineundæ rationem nullam habeatis, bello captos repetitis; ubi reddidero, iiſdem illis adverſus me uſuri. Quod ſi igitur revocatis ad meliora & utriſque profutura mentibus fœdus atque ſocietatem mecum inſtituitis; veſtros & cives univerſos, & ſocios quos cepi, ſine pretio recipite; Sin vero vobis hoſtiles animi manent, neque ego pro ſano me facturum arbitror, ſi odia veſtra tot fortium virorum manibus inſtruam. Neque vero tanta mihi rei nummariæ difficultas eſt, ut pecuniis Romanorum indigeam; quos decebat potius, ſi amici eſſemus, liberalitate mea locupletari.* Simul non ſpernendi pretii munera legatis dari juſſit; *plura ſe & meliora aliàs daturum* profeſſus.

Dionyſ. ap. Fulv. Ur. Pyrrhi Oratio.

Appian. ap. Fulv. Vrſ. Munera legatis data. Zonar.

XVIII. Hæc in commune legatis omnibus præſentibus dicta actaque. Cæterum cum ſolo deinde C. Fabricio longior & accuratior ſermo fuit: neque referre piget, quod apud idoneos auctores reperi.

Dionyſ. ap. Vrſ. Zonar.

Dionyſ. ap. Vrſ.

ecce tibi lector Pyrrhi, Fabriciique imagines ex nummis deſumptæ.

Pyrrhi ad Fabricium oratio.

Quum itaque remotis arbitris colloquerentur; inter cætera regem ita dixiſſe poſtea vulgatum eſt: *Ego vero quum cæteros Romanos omnes amicos habere expeto; tum præſertim te, C. Fabrici, quem inter cæteros civili militarique virtute præſtantiſſimum eſſe judico. unum deeſſe tibi indignor, quod re familiari anguſtiore utens, debitum magnis viris ſplendorem tueri minime potes. Sed hanc fortunæ injuriam ego diutius tibi moleſtam eſſe non patiar, daboque auri argentique facti & infecti eam copiam, qua ditiſſimorum quorumq; cenſus facile vincas Hoc enim in primis loco fortunæque meæ convenire perſuaſum habeo, eximiorum hominum, qui potius gloriæ quam pecuniæ accumulandæ ſtuduerunt, gravem inopiam conſolari: id quidem ego valde pulchrum opus eſſe reor: neque magnificentiæ regiæ vel monumentum illuſtrius uſquam poni, vel anguſtius diiſque gratius donarium ſuſpendi poſſe. Quare non tam dediſſe beneficium putabo, quam accepiſſe, ſi meis te copiis adjuvari ſiveris.*

Pyrrhi colloquium cum Fabricio.

Pyrrhus ingentes opes Fabricio polliceturi.

XIX. *Neque tamen id à te petiturus eram, ſi mihi glorioſa largitio tantum, tibi vero parum decora fuiſſet: nunc autem quia non ad proditionem aut indignum moribus tuis facinus ullum emeris; quid eſt; cur hoſpitale munuſculum, amiciſſimo animo oblatum, infeſto & pertinaci vultis aſpernari? Ego enim aliud à te deſidero nihil, niſi quod à viro optimo patriæque amantiſſimo fieri poſſit, imo debeat, ut Senatum à præfracta illa pervicacia ad æquitatem & conſilia mitiora tranſducas, quod res eſt docendo, neque bellum ſine maximo veſtro & damno & periculo geri; neque à me, qui Tarentinis auxilium pollicitus, primo etiam prœlio victor diſceſſi, integra fide atque dignitate deſeri poſſe. Neque vero me delectat vobiſcum dimicare, quos amicitia mea quam odio digniores arbitror: & multis interea negotiis obortis, quæ præſentiam meam deſiderent, in regnum meum reverti mallem. In hoc fidem quam poſtulabis dabo, quò & tu de animo meo ſecurus eſſe poſſis, & cæterorum dubitationes tollere: ſi qui forte negabunt Regibus tuto credi poſſe propter unius aut alterius veſaniam, qui nullo intellectu honeſti, pactis atque fœderibus, donec utilia viderentur, ſtantes, ſimul atque levitatis pretium apparuit, fidem quàm occaſionem negligere maluerunt. Pace vero confecta, nihil aut mihi jucundius, aut utilius utriſque fieri poſſit, quam ſi mecum in Epirum naviges, primo inter meos loco, & in bello legatus futurus, omniſque fortunæ meæ particeps. Nam & ego poſſeſſionem nullam pretioſiorem eſſe puto, quam fortis & fidelis amici. & animo tuo Regiæ fortunæ apparatus, Regiorumque negotiorum majeſtas congruit. Hæc ergo ſi in commune contulerimus, quæ maxima per homines cenſentur bona, viciſſim alter alterum adjuvantes nullo negocio adipiſcemur.*

Plut. in Pyrrh. p. 43. Quas integra dignitate accipi poſſet.

Regibus tuto credi poſſe.

Appian. ap. Fulv. Vrſ. Pyrrhus Fabricium ad ſe invitat. Dionyſ.

Nulla poſſeſſio pretioſior quam fortis & fidelis amici.

XX. Hic ubi finem dicendi Rex fecilſet, poſt modicum intervallum Fabricius infit: *De virtute quidem, ſi quid ejus in me belli domive animadverti potuit, mihi ſupervacaneum eſt quidquam attingere; quando tam aliis de ea credidiſti. neque itidem de paupertate neceſſum eſt exponere,*

Fabricii reſponſio ad orationem Pyrrhi.

Fabricii reſponſio ad orat. Pyrrhi

quod exigui agelli tugurioliique dominus, non fœnore, neque mancipiorum operis, ſed laboribus hujus corporis alor. nam & iſta referentibus aliis, exiſtimo te accurate didiciſſe. Si vero me deteriore ob paupertatem conditione, quam Romanorum quemlibet, eſſe ſuſpicaris; certe, ſive ultro, ſive alienam ſequutus opinionem ita conjeciſti, mirifice falſus es. Mihi enim contemptis opibus virtutem & officium ſectanti nullus unquam miſeriæ ſenſus fuit, neque fortunæ meæ, vel in privatis negotiis, vel in publicis ingemui. qua enim tandem cauſſa convicium ei facerem; niſi forte crimini dabo, quod in iſta paupertate mea, his omnibus, quæ cuilibet animo magno excelſoque ſola deſideranda videntur, non modo cum divitibus, ſed etiam præ illis, in patria perfruor.

Fabricii paupertas honorata. Appian. Marcell. l. 24. 9. Dionyſ.

XXI. *Honoribus enim qui apud nos ampliſſimi ſunt, fungor: bella graviſſima rego: ſplendidiſſimis adhibeor legationibus: religionum ſanctiſſimarum curam gero: vocor in Senatum: de ſumma republica rogor ſententiam: laudant me multi imitanturque hilariter: neque minoris fio quam quilibet in civitate noſtra potentiſſimus: videorque ſpecimen & exemplum ad virtutem gloriamque capeſſendam eſſe cæteris; nihil in hæc omnia ſumptus de meo faciens, ſicuti neque aliorum quiſquam. Nam alibi quidem, ubi plerumque privatim opes magnæ, publicè vix mediocres ſunt, magiſtratus ex re familiari dignitatem ſplendoremque loci ſui ſuſtinent: noſtra civitas longè diverſis inſtitutis utitur; neque fortunis privatorum ulla parte gravis eſt. Omnis iſte apparatus, quo noſtri cives, quotquot ad rerum magnarum adminiſtrationem deliguntur, magnifice inſtructi ſunt, præbetur publice. quæ res exæquat omnes, neque pauperrimo alicui quidquam patitur ad tuendum publicum aut ſuum decus deeſſe, neque ditiſſimo ſupereſſe. Quando igitur pauperrimus omnium, tamen locupletiſſimo cuique nulla in re bona cedo; quid eſt, quod de fortuna queri debeam? an poſtulandum erat, ut me Regibus parem faceret, quibus ingentes auri cumulos licet recondere?*

Zonar. Dionyſ. Romanis magiſtratibus omnia præbentur publice. Pauperrimi & ditiſſimi idem cultus.

XXII. *Sed hæc quidem ad publicam vitam: in privata vero tantum abeſt ut mea mihi inopia ſit oneri aut incommodo; ut contra quoties me cum divitibus iſtis compono, mea ſors incomparabiliter videatur beatior: & ego me inter illos plane paucos numerem, quibus, quanta eſſe in vita poteſt felicitas contigerit: eoque nomine & mihi plurimum gratulor, & gratias ago paupertati meæ. Quum ſupervacua perſequi mihi ineptum & otioſum eſſe videatur; neceſſaria vero agellus recte colenti diſpenſantique ſuppeditet; neſcio quem in uſum de majoribus divitiis debeam eſſe ſolicitus. nam omnem mihi cibum fames ſuaviſſimum efficit; omnem potum ſitis: ſomnum facilem & tranquillum labore paro: veſtis, ſi frigus arceat, mihi ſe probavit ſatis: in ſupellectili, ut quodque ad uſum, cui deſtinatur, maxime commodum atque parabile eſt, ita placet impenſius. quare ſic quoque ſim injurius, ſi accuſem fortunam, quod mihi non majores facultates ſubminiſtraverit illa, quam natura mea deſideret: quæ mihi, neque cupiditatem*

Paupertatis munia.

Omnem cibum fames ſuavem efficit; omnem potum ſitis.

Fabricii responſio ad orat. Pyrrhi.

ejus quod nimium eſset, ingenuit; neque profecto dexteritatem parandi.

XXIII. *Quare cum iſta paupertate mea, & aliis opulentiſſimis hominibus, & te quoque ipſo me copioſiorem eſse judico: nam ego tantum habeo, ut plus non deſiderem; tu, niſi Epirum, & cætera quæ tenes poſſidens, inopem te eſse crederes, in Italiam trajeciſſes? ſed pulchram facultatem, beneficia hominibus dandi, præſtat opulentia! ego per inopiam ſubvenire queo nemini! Hoc vero non magis me angit, quam quod aliis quoque rebus non ſupra modum inſtructus ſum: quod neque ſcientiam præcellentem mihi Deus, neque vaticinandi artem tribuit, quibus prodeſſe indigentibus poſſem: neque alia itidem permulta. Eorum vero quæ in me ſunt, ſi & civitati & amicis copiam facio, & unde quemquam juvare ullo pacto poſſum, id commune omnibus eſse patior; hoc quoque crimine hactenus me vacare poſſe exiſtimo. Neque vero tibi quidem hæc parva aut contemptibilia vocare licet, qui præ te feras illa videri maxima, adeoque ingenti pecuniæ modo emere paratus es.*

Zonar. Fabricius oſtendit ſe ditiorem eſse Pyrrho.

Dionyſ.

Civitatis & amicis etiam pauper prodeſſe poteſt.

XXIV. *Quod ſi vero ad ſublevandas neceſſitates egentium omnino facultates magnæ optandæ eſsent; atque hoc nomine pecuniarum poſſeſſio partem aliquam felicitatis faceret; uti vobis quidem regibus videtur; utra mihi via parandarum opum erat melior, ut à te nunc acciperem cum dedecore; an vero ut olim pararem, quum poſsem honeſtiſſimis rationibus? Nam mihi ſane ditеſcendi opportunitates præclaras reſpublica bene geſta præbuit. quum alias ſæpe; tum vero maxime ante hoc quadriennium, quando in Samnitas, Lucanos, Brutioſque Conſul cum exercitu miſſus, ampliſſimas regiones populabundus percucurri: præliis multis victor urbes opulentas vi cepi diruique: unde donatis largiter militibus, redditoque privatis quod reipublicæ in uſus belli mutuum dederant; res tamen ſupereſſet quadringentorum talentorum quæ in ærarium publicum intuli. Poſtquam igitur juſtas & decoras ex manubiis opes, quæ in promptu erant, aſpernatus ſum; & exemplo Valerii Publicolæ multorumque aliorum qui rem Romanam hunc in ſtatum produxerunt, gloriam pecuniis antepoſui: nunc à te munera capiam, contempta pulcherrima ditеſcendi occaſione, pudoris atque periculi plenam amplexus? & illam quidem opulentiam honeſtos juſtoſque ad uſus expendere liberrime & cum voluptate quadam potuiſsem: nunc vero ne hujus quidem boni ulla futura eſset copia.*

Fabricius poſſuit ditеſcere, ſed noluit.

Dionyſ.

Fabricius CCCC. talenta in ærarium intulit.

XXV. *Creditæ enim verius quam donatæ pecuniæ cenſendæ ſunt, quæ alieno beneficio obvenerunt, animoque ingenuo & erecto graves incumbunt, donec reſtitui queant: ut jam per hoſpitii, vel amicitiæ, vel benevolentiæ ſpeciem datæ acceptæque fuerint. Jam vero, quid futurum cenſes, ſi vulgata fama (neque enim celari poterit) magiſtratus, qui morum apud nos præfecturam ampliſſimam cum poteſtate exercent, quos Cenſores appellamus, pro jure ſuo, quo in civium vitas inquirere, & à patriis inſtitutis diſcedentes mulctare conſueverunt, me publice citatum cauſsam captorum*

Creditæ verius quam donatæ pecuniæ ſunt, quæ alieno beneficio obvenerunt. Cenſorum reverentia.

munerum dicere jusserint? Addunt plerique à Pyrrho, virum virtutis tantæ quantivis benè emi certo, acrius continentiam ejus constantiamque tentatam esse; post alia magnifica promissa, etiam parte regni oblata: neque motum esse Romanum, nisi hactenus, ut *se consilii Regii rationem expedire* negaret. *Si enim malum me virum judicas*, inquit *cur ambisti sin vero bonum; cur corrumpis?* Adjecisse deinde dicitur, *etiam ipsi Pyrrho negotium hoc neque jucundum futurum, neque conducibile, si processisset. Suam enim libertatem & amicis Regiis, & ipsi Regi gravem futuram: justitiam autem & abstinentiam si Epirotæ experti forent, relicto Rege ad ipsum transituros.*

Eutrop. l. 2.

Hor. l. 1. ep. 2. Auct. de Vir. ill. c. 35.

Zonar. Appian ap. Fulv. Urs.

XXVI. Quæ omnia, & quod deinceps adjecturus sum, variis ab auctoribus tradita conquiri exponique non inconveniens nec inutile judicavi; quo virorum, quibus fulta res Romana per durissimos casus ad imperii gloriæque incomparabilem magnitudinem pervenit, animi sensusque noscerentur: claroque sub exemplo facilius deprehenderetur, quibus moribus studere oporteat admirationi futuros homines, majoremque & meliorem transdituros posteris rempublicam, quam à majoribus ipsi accepissent. Igitur his ita dictis auditisque Regem in præsentia quidem quievisse accepimus: postridie vero vocari ad se Fabricium jussisse: parato ante ad perterrendum eum elephanto, qui à tergo colloquentium post aulæum adstans, magistri imperio repente diducto aulæo, super Fabricii caput demisit manum, horrendumque stridorem & barritum edidit. Sed vir ingens animi, quum sensim se convertisset, arridens, *Neque heri me aurum tuum pellexit*, inquit, *neque hodie perterrefecit bellua.*

Plutarch. in Pyrrh. c. 44

Plut. c. 43.

Fabricius metu & cupiditate pariter vacat.

XXVII. Deinde quum admotus cœnæ *de Græcis sapientibus* differentem audiret Cineam, *quibus Epicuri secta placeret, eos voluptatem in arce bonorum; reipublicæ curam inter præcipua felicitatis impedimenta ponere: similemque vitam agere Deos arbitrari; nulla rerum humanarum cura, nullo, neque in improbos iræ, neque in bonos favoris adfectu, soli otio voluptatique deditos*; exclamavisse Fabricium ferunt; *Dii faxint, isthæc sapientia Pyrrho Samnitibusque cordi sit, donec bellum cum populo Romano gerent!* Hi temporum istorum mores fuerunt: hæc magnorum virorum certamina, non opibus & luxuria, sed virtute, consilio, patientia, patriæ charitate excellere. Nec enim subiti impetus, aut ad præsentem usum meditatæ simulationis istæ voces fuerunt; sed perpetuo tenore vitæ verborum suorum fidem admirabiles potius nostris temporibus quam imitabiles viri adfirmarunt.

Cic. in Cat. c. 12.

De Epicuri secta judicium Fabricii.

Plut. l. 43.

Val. Max. 4. 3. 6.

Val. Max. 4. 4. 3.

XXVIII. Idem ille Fabricius, quum ejus tota supellex argentea salino uno constaret, & patella, quæ tamen ipsa corneo pediculo sustineretur; Samnitium legatis pecuniam & supellectilem splendidam dono adferentibus; planas manus ad aures, hinc ac oculos, nares, os, gulam, deinde ad imum usque ventrem deducens: *donec his*, inquit, *imperitare potero, nihil deerit: vos autem pecuniam ad eos, qui hac indi-*

Fabricii supellex.

Hygin. ap. Agell. l. 14.

gent, *reportate*. Denique vitam universam sic exegit, ut in hæreditate ejus non esset, unde filiarum dos expediretur; glorioſa paupertate, quum ex ærario publico erogata pecunia Senatum puderet indotatas pati virgines, quas patrem non puduerat ita relinquere. Sed & cæteri Senatus principes eadem ferme virtute tolerantiaque tum agebant. Ex quibus Q. Fabium Maximum, qui toties in ſummis imperiis fuerat, qui Cenſura geſta, noluerat iterum Cenſor fieri, negans, *ex uſu Reipublicæ videri, ut iidem ſæpius Cenſores crearentur*; ſimili & paupertatis & amoris publici teſtimonio populus Romanus adfecit. mortuo enim tantum congeſſit æris, ut inde filius Q. Gurges & viſcerationem & epulum publice daret. Val. Max. 4. 4. 10. Romanorum principum virtus & tolerantia. Auct. de Vir. ill.

XXIX. Curius ab eadem altitudine animi Sabinorum munera, quemadmodum Fabricius Samnitica ſprevit. Æmilius Papus in pleriſque magiſtratibus collega Fabricii, Tib. item Coruncanius, aliique præclari viri, ex ſimilitudine morum amiciſſime inter ſe conjunctiſſimeque vixerunt: ut vere mihi temporum illorum ſpeciem amplexus animo videatur poëta, qui *moribus viriſque antiquis rem Romanam ſtetiſſe* prædicavit. His igitur animadverſis expenſiſque rebus, majore componendi cum hac gente belli deſiderio Pyrrhus inflammatus, ducentos ex captivis protinus ſine pretio reſtituit: cæteris ſi qui ad inſtantia Saturnalia Romam ad viſendos ſuos proficiſci cuperent, ejus rei poteſtatem fecit unius Fabricii ſequutus fidem, qui *reverſuros exactis feriis, niſi pax interea conveniſſet*, ſpoponderat. Eaque tum & gravitas Senatus, & ſingulorum fides fuit, ut ad diem à Patribus præſtitutam univerſi Pyrrho ſe reſtituerent; poſtquam obfirmatos ſuorum animos impellere nequicquam tetendiſſent. C. ic. L. Enn. ap. Cic. de Reſp. l. 5. Pyrrhus Romanos beneficiis vincere nititur. Aug. de civ. Dei 3. 21. Juſt. 18. 1. Plutar. in Pyrrh. c. 19. Appian. ap. Viſ. Flor. 1. 18. 14.

XXX. Rex enim callidus, hunc temporum articulum ſibi tenendum arbitratus, dum aſpectu chariſſimorum pignorum mollitos, & cupidine iſthæc retinendi incenſos animos, ad belli odia deponenda promptiores haberet, legationem mittere Romam ſtatuit, ut iis conditionibus quas Fabricio præſenti expoſuerat, pacis & amicitiæ fœdera conjungerentur. Petebat autem, *ut iiſdem fœderibus Tarentini comprehenderentur: Cæteri Græcorum Italiam incolentium, liberi, & ſuis legibus, agerent: Samnitibus, Apulis, Lucanis, Brutiis, quæ erepta à Romano forent, redderentur: Romani captivos à Pyrrho ſine pretio reciperent.* Erat apud Pyrrhum ea tempeſtate Cineas, cujus ſupra quoque facta eſt mentio; vir quum civilium rerum adprime gnarus, tum animo propoſitoque honeſtus: & qui naturæ proclivem indolem eruditione uſuque ad efficacem facundiam exercuiſſet. Hunc eas ob artes chariſſimum Rex habebat: crebroque prædicabat; *plurium ſe urbium imperium per eloquentiam Cineæ, quam armis ſuis adeptum eſſe.* Juſt. 18. 2. Appian. Cineas à Pyrrho mittitur Romam. Plut. in Pyrrh. c. 27.

XXXI. Romam iſte quum legatus veniſſet, callido conſilio moras nectens, priuſquam Senatum adiret, munera paſſim per illuſtrium domos Pyrrhi nomine miſit. Introductus deinde in curiam, quum Zonar.

App. Claud. Cæcus in Senatu.

P. Val. Lævino, Tib. Coruncanio Coss.

Regis virtutem & propensum in Romanos animum multis extollens, de conditionum quas adferret æquitate disseruisset, magna pars Senatus mota est, ut admittendas esse dubitaret. Quippe super cætera, *si socios suos oppugnare desinerent, tanta auxilia pollicebatur, ut iis haud difficulter imperium cæteræ Italiæ possent acquirere.* Sed quoniam ob magnitudinem rei, solicitis patribus, multos in dies extracta deliberatio, pacis futuræ suspicionem rumoremque fecerat; Appius Claudius, ob senectam & cæcitatem abstinere curia olim solitus, confestim in Senatum se deferri lectica jussit; ubi conspectum protinus exceperunt filii generique, honorisque & officii causa circumfusi deduxerunt ad locum dignitati ejus congruentem.

Plut. c. 19.

Cic. Phil. 1. 5.

Appius Claudius pacem cum Pyrrho dissuadet. Plut.

XXXII. Ibi, quum ipsius rei novitate, tum reverentia viri silentibus omnibus, expectantibusque cujus rei causa post longi temporis desuetudinem Senatum ingressus esset; ab incommodo valetudinis exorsus, *sibi quidem hactenus molestam fuisse cæcitatem* dixit, *nunc autem non modo illa delectari, ne quæ fierent, videret, sed etiam ægre ferre, quod aures nondum obsurduissent, ne tam fœda & Romano nomine indigna audire cogeretur. Quo enim vobis mentes illæ cesserunt? quo reciderunt spiritus? Certe præ vobis ferre solebatis, quam Alexandri Macedonis gloriam, ut invicti Regis; celebrari audiretis; non tam virtuti ejus quam felicitati famam istam imputandam esse: nam si Romana in bella fortuna ipsum impulisset, alium longe eventum futurum fuisse, aliamque de eo apud homines opinionem. At nunc quantum ab ista vestra magnanimitate defeceritis, respicite. Macedonibus superiores vos futuros confidebatis: at nunc Molossos & Chaonas perpetuam Macedonum prædam metuitis.*

Appian: ap. Urs.

Appii Oratio in Senatu.

Enn.

Plut.

XXXIII. *Alexandrum contemnebatis: nunc expavescitis Pyrrhum, ne ipsius quidem Alexandri, sed satellitis ejus, satellitem. qui fugiens potius veteres hostes, quam quærens novos, in Italiam trajecit: quibus copiis ne minimam quidem Macedoniæ partem retinere potuit; iisdem, si diis placet, imperium Romanis quoque paraturus. Hunc igitur nisi grandi infortunio mactatum ejicimus, certum habeamus, alios quoslibet merito nostri contemptu, tanquam ad paratam prædam, ita in Italiam cupide venturos esse. quid enim aliud de nobis quam de hominibus ignavissimis judicari poterit; si Pyrrhus in amicitiam receptus, etiam præmium referat illatæ nobis ignominiæ, quod ejus opera factum sit, ut Tarentinis atque Samnitibus ludibrium Romani debeamus.* Hic fere sensus fuit orationis, quæ ab ipso statim Appio est edita: qua omnium adeo sunt inflammati animi, ut severissimæ sententiæ auctorem sequuti, consentu decernerent *bellum prosequendum esse, Cineamque eodem die Urbe excedere, Pyrrhoque renunciare* juberent; *neque recipi eum in Urbem* (nam & hoc petitum fuerat) *neque prius quam Italiam omisisset, de amicitia & societate agi posse:*

Cic. Cat. c. 6. & Bruto c. 16. Patres bellum decernunt. Pyrrhum venire in Urbem vetant. Zonar. Livii Epit. 13. L. 2. §. 16. de O. J.

XXXIV. Paris deinde tristitiæ decretum ex ejusdem Appii sententia de capti-

captivis factum eſt, *eos neque adverſus Pyrrhum duci, neque adeo conjunctim uſquam haberi ſenatui placere; ſed alios alia in præſidia mitti, mutata ignominiæ ergo militia: ut qui equo meruiſſent, peditum ſtipendia facerent: qui pedites legionarii fuiſſent, ad levem armaturam tranſcriberentur. priores ordines recuperaret nemo, niſi bina hoſtium ſpolia retuliſſet.* Ajunt, legatis cum reſponſo tam atroci reverſis, miraculo Romanæ conſtantiæ attonitum Regem, *qualis Urbs ipſa, qualiſque Senatus viſus eſſet*, interrogaſſe; reſponſumque tuliſſe a Cinea, *Urbem templum ſibi viſam, Senatum vero Regum conſeſſum eſſe*. Poſt hæc demum geſta Fabricium ad Regem legatum veniſſe quidam putant: Sed, præter aliorum auctorum teſtimonia, rerum ipſarum recte animadverſarum ſerie erroris haud difficile convincuntur. Pace deſperata, converſi ad bellum animi, ac intenta cura facti utrinque apparatus hyemem ſatis negotioſam habuerunt.

Eutrop. l. 2. c. 15. de poſtul. Captivos receptos ignominia adficiunt. Zonar. Val. Max. 2. 7. 15. Front. 4. 1. Plut. Iuſt. 18. 2. Flor. 1. 18. 20. Partium apparatus. Plut. & Appianus.

XXXV. Hæc fuiſſe tempora puto, quibus ferunt Pyrrhum, quo naufragiorum caſus vitarentur, faciliuſque Itali ac Epirotæ ad auxilia mutua commeare poſſent, ab Hydrunte, qua longiſſime in pelagus procurrit Italia, ad Apolloniam ex adverſo ſitum oppidum pontes jacere cogitaviſſe, ſpatio quinquaginta millium: tanto enim intervallo circum eos locos Græciæ Italiæque litora dirimuntur. Idem poſtea molitus eſſe M. Terentius Varro dicitur; quum piratico bello Cn. Magni legatus Siculum Joniumque mare claſſibus obſervaret. Inter hæc Ti. Coruncanius Conſul, de Vulſinienſibus & Vulcientibus Etruſcorum populis, A. D. Kal. Februarias triumphavit. Inſignis eo anno Cenſura fuit, tum primum à plebejæ ſtirpis Cenſore luſtro condito. Cenſa referuntur civium capita ducenta ſeptuaginta octo millia, ducenta, viginti duo. Principem Senatus per ea tempora Q. Fabium Maximum legi conſueviſſe conſtat. hujus filium cognomento Gurgitem Cenſorem tum fuiſſe conjectura colligitur: Cn. Domitii certum nomen & quia luſtrum is condidit, jure plebis amplificato nobilitatum eſt.

Zonar. Plin. Appian. in Mithr. Tab. Capitol. Epit. Liv. 13. Cenſura inſignis. Plinius. Cn. Domitius primus ex plebe luſtrum condit. Panvin. in Faſtis.

XXXVI. Vere primo Pyrrhus contractis ſociorum copiis in Apuliam movit: multaque ibi oppida partim pugnando, partim conditionibus cepit. Adverſus quem novi Conſules P. Sulpicius Saverrio, P. Decius Mus, cum duobus conſularibus exercitibus profecti, caſtra caſtris oppoſuerunt prope Aſculum Apuliæ urbem, cognominem ei quæ eſt in Picentibus. Non erat dubium, quin collatis ſignis depugnandum foret: cæterum ne per dies aliquammultos hoc fieret, præter torrentem profundum, qui diverſos exercitus interfluebat, etiam mutuo metu contabantur. Romanos prioris fortuna prœlii, & victor Pyrrhus terrebat: Epirotis formidabilis erat Romanorum pervicacia, & alterius Conſulis fatale hoſtilibus legionibus nomen. P. enim Decium, patris aviq; exemplo ſua morte victoriam ſuorum redempturum eſſe fama vulgaverat: prœliorumq; quibus illi ceciderant evêtus, terribiles omnibus Decianę devotionis minas effecerat.

Zonar. Pyrrhus in Apuliam movet. Eutrop. Anno ab Vrb. Cond. 474.

Pugna altera cum Pyrrho.

P. Sulpicio Saverrione, P. Decio Mure Coſſ.

Metus ex ſuperſtitione. Liv. 8. 9.

XXXVII. Eam rem Pyrrhus haudquaquam negligendam ratus, convocatis militibus accurate docuit, *arbitria præliorum penes Tellurem deam, aut inferos, qui carmine illo ſolicitarentur, eſſe non poſſe: neque tam iniquos credi debere deos, ut in unius hominis veſani gratiam fata exercituum mutent donentve: non præſtigiis & ſuperſtitionibus, ſed pugnando victorias parari: vel ipſis Romanis teſtibus, qui non ſacrificulorum & vatum agmen, ſex armatas militum acies hoſtibus conſueverint opponere. Quia tamen ignari rerum plerumque ſuperſtitionum inanium ludibriis, quam veris timendi cauſſis acrius percellantur, hunc quoque metum præverti poſſe* oſtendit expoſito ornatu, quo priores Decii ſe devoviſſent: monitiſque militibus, *ſi quis ſimilibus inſignibus noſcendus occurriſſet, ab eo abſtinerent tela, vivumque comprehenderent.* ſed ipſi quoque Decio nunciandum curavit, *deſineret ineptire inter armatos: neque enim conſilium iſtud ſucceſſurum eſſe: & ſi vivus veniſſet in manus, forte graviora paſſurum, quam voluiſſe.*

Quem Pyrrhus conatur adimere ſuis.

Zonar.

Pyrrhi nuncium ad Decium Conſulem.

Conſulum reſponſum.

XXXVIII. Reſponſum à Conſulibus eſt: *ſe armis ſatis confidere, neque opus habere tantæ deſperationis auxilio. id quo magis ſcire poſſet, optionem ſe dare, ipſe tranſire flumen*, quod inter exercitus medium fuiſſe diximus, *an in ſua ripa Romanos expectare mallet: nam aut reductis copiis tranſitum regi tutum relicturos eſſe; aut, eo recedente, tranſmiſſuros: quo integro robore congreſſi, nulla alia in re, quam ſuis viribus animiſque ſpem victoriæ repoſuiſſe demonſtrent.* Puduit Pyrrhum timoris aut dubitationis ſignum ullum edere: quare poſteriore accepta conditione tranſeundi fluminis poteſtatem hoſtibus fecit. Levior jam ſua ſponte belluarum terror erat, ipſa conſuetudine videndi: manuſque earum facillime amputari poſſe, pugnæ prioris experimento conſtabat; qua C. Minucius quartæ legionis primus haſtatus uno gladii ictu proboſcidem elephanti præciderat. Sed tum alia quoque præſidia excogitaverant tutioris audaciæ. Equi ferreis obducti laminis currum trahebant, & ipſum contis ferro præfixis horrentem: in curru erant collocati milites, qui belluas inruentes miſſilibus aut igne jacto averterent.

Plin. 8. 7. Flo 1. 18. Præſidia excogitata contra elephantes. Oroſ 4. 1.

XXXIX. Cum hoc apparatu tranſgreſſis flumen legionibus, Pyrrhus ex diverſo exercitum inſtruxit, pro uſu, quem iis in rebus maximum, cum ſingulari quadam ingenii ſagacitate, ſupra cæteros ejus ætatis imperatores excellentem habere credebatur. Animadverſo igitur loci genio, qui propter aſperitatem ſoli & enata paſſim virgulta non niſi pedeſtrem aciem paterentur, equitatum elephantoſque locavit in ſubſidiis, dextrum cornu ſuis militibus & Samnitium auxiliaribus copiis firmavit; Brutios, Lucanos, Sallentinos, eſſe juſſit in ſiniſtro: Tarentinos, quorum virtuti minus credebat, in mediam aciem recepit. Conſulum acies legionarios habebat milites, auxiliis levis armaturæ aptiſſime intermixtis: parique ingenio & temperamento ſubſidiorum ordines diſtinxerant. Equitatus in cornua diffuſus, neque impedimento futurus

Veget. de re mil. 3. 24. Pyrrhus exercitum inſtruit. Zonar. Ammian. l. 24. Liv. 35. 14. Plutar. Conſulum acies. Front. 2. 3.

Plut.

Pugna altera cum Pyrrho.

erat pedestri prœlio, & si quis casus agendæ rei viam aperuisset, præsto erat. Inter exercitus non animis tantum, sed etiam numero pares (quadraginta utrinque millia fuisse constat) haud segnius quam debuit certatum est. ancipiti adhuc victoria prœlium nox diremit. Zonar.

XL. Postera luce Pyrrhus, quum impeditiora loca præsidiis præcepisset, in campum paulo æquiorem Romanos descendere coëgit. ibi elephantorum aliquis usus fuit: alia parte aciei, qua currus adversum eos parati constiterant, subito inducti, equos hostium, sicuti priore prœlio factum fuerat, perterritos averterunt in fugam: peditibus nihil magnopere nocuerunt. Valde diversa istius pugnæ fama est. *Secundum Romanos eventum fuisse* quidam auctores sunt, *etiam casu adjuvante victoriam: quum adversus Apulos impedimenta diripientes, missæ Regis imperio cohortes, cæteris copiis fugientium speciem discessu suo præbuissent, eoque metu & errore facta apud Regios fuga esset.* Quin & cæsorum ingens numerus exprimitur: *viginti millia de Pyrrhi exercitu; victorum ad millia quinque desiderata. Regem ipsum brachio pili jactu transmisso graviter vulneratum, quum fugientes retinere nequivisset; postremum fere omnium à satellitibus suis ex acie relatum: signa capta ex hoste tria & quinquaginta, Romana vero undecim amissa esse. Fabricium quoque, legatum alterius Consulis, vulnus accepisse.* Prœlium Pyrrhi cum Romanis alterum. Cujus valde diversa fama. Plutar. Zonar. Front. Eutrop. Plutar. Flor. 1. 18. Oros. 4. 1. Iust. 18. 2. Aliorum narratio. Plutar.

XLI. Ex diverso *parem hujus atque superioris prœlii fortunam fuisse* alii tradiderunt: *& vicinia castrorum defensos Romanos minus quidem sensisse detrimenti; sed tamen confusa fuga discessisse, sic quoque sex millibus amissis: de exercitu Pyrrhi tria millia quingentos & quinque cecidisse, idque in commentarios Regios relatum esse,* Hieronymus scribit. Atque hæc tanta non varietas modò, sed etiam pugna scriptorum me valde movet, ut iis potius credendum esse judicem, qui dubio eventu pugnatum esse tradiderunt. Solet enim, quoties pari fere damno discessum est, utraque pars sibi adserere victoriæ famam: quam deinceps aliorum negligentia, aliorum improbitas temere committit literis: pessimo facinore, magnaque cum infamia eorum, qui pro veris atque compertis, inani rumore vulgata, aut affectu serviliter corrupta, posteritati prodiderunt. Vnde dubium eventus fuisse colligitur. Liv. Epit. 13. Plut.

XLII. Quare propior vero videtur eorum annalium narratio, qui *semel tantum ad Asculum pugnatum esse* referunt: *& post acerrimam contentionem ac multas utrinque cædes, Sole jam occaso, vulnus Regis & direptorum impedimentorum casum, dirimendæ pugnæ locum, licet ægre, fecisse. Tum receptui signum esse datum in utroque exercitu, quum jam utrinque millia circiter quindecim occubuissent. Atque hoc fuisse tempus, quo Pyrrhus cuidam quasi de victoria gratulanti responderit:* si denuo sic vincendi sunt Romani; periimus. Adfirmant etiam hanc opinionem quæ sequuta sunt. Nam & Pyrrhus Tarentum concessit: & Consules hostem non insequuti, copias in hybernis per Apuliæ op- Annalibus etiam nonnullis eo ducentibus. Zonar. Et iis quæ postea facta sunt.

pidâ diſtribuerunt, quum anni tempus, & ratio belli, potius victoriam tam illuſtrem proſequi, alterum facile paſſum fuiſſet, altera etiam omnino coëgiſſet. Accedit, quod neque triumphatum ab his Conſulibus reperio, ſed & P. Decium Conſulem eo prœlio ſe devoviſſe, ſeque poſt patrem & avum pari genere mortis ſublatos, è continenti genere tertiam victimam reipublicæ præbuiſſe multi putant: quod hiſtoriis omnibus ſilentibus ne referendum quidem, nedum refellendum putaviſſem, niſi magnus auctor M. Tullius Cicero in philoſophicis quidem libris, ſed loco non uno poſuiſſet.

Tuſcul. quæſt. 1. 37. & de fin. 2. 19.

Plutar.

XLIII. Pugna ad Aſculum quocunque eventu certata reliquum anni quietum à bellicis expeditionibus habuit: ſed conſultationibus & apparatuum cura tempus omne conſumptum eſt. Pyrrhus quum veterum copiarum magnam partem, ducumque & amicorum pleroſque perdidiſſet, in Epirum miſit, cum mandatis, ut veniente vere milites & pecuniæ ſibi mitterentur. Sed priuſquam claſſis ea inſtrui poſſet, novæ ſpes exortæ conſilium Regis mutaverunt. Macedoniam olim Demetrio ademtam Pyrrhus tenuerat, deinde Lyſimachi vi extortam amiſerat, hanc iterum novæ occaſioni aperuiſſe videbatur Ptolemæi Cerauni caſus, qui à Gallis interfectus, dum bellum in Italia gerit Pyrrhus, uti turbatum regni ſtatum, ita vacuam poſſeſſionem reliquerat. Ea ratio ſuaſit ne copiis militaribus Epirus nudaretur: ſimul ne pateret injuriis Gallorum, vicinam adhuc Macedoniam urentium. Neque tamen eò tum acceſſit in Siciliam, vocantibus aliis cauſis, ut poſteà trademus.

Plutar. Macedoniæ inhiat Pyrrhus. Plutar.

Anno ab Vrb. cond. 475.

XLIV. Hyeme inter has curas circumacta novi Conſules ad exercitum venerunt C. Fabricius Luſcinus, Q. Æmilius Papus, qui alium quoque Conſulatum unà geſſerant. Hoc audito Pyrrhus etiam contra eduxit copias, & obſervare conſilia hoſtium inſtituit. Quum ita caſtra utrique locis haud valde diſtantibus haberent, res evenit ad memoriam celebris, & à pleriſque non ita magno diſſenſu tradita. Timochares quidam Ambracienſis in amicitia Regis honeſtum gradum obtinens ad C. Fabricium Conſulem furtim acceſſit, regem, ſi præmium ejus rei dignum daretur veneno tollere pollicitus. Id vero ſe per filios ſuos facile conſequuturum autumabat, quod inter pocillatores Regios illi haberentur. Fabricius, minime delectatus proditione, rem tamen perſcripſit ad Senatum. Senatus legatos ad Pyrrhum miſit, Timocharis quidem, qui quomodocunque Romanis prodeſſe ſtatuiſſet, inſidias non indicaturos; ſed monituros in univerſum, *uti Rex ageret circumſpectius, videretque, quorum hominum, quanque fidelium, miniſteriis uteretur*. Hæc ita apud Valerium Antiatem leguntur.

Agell. Timochares Pyrrho venenum parat. Cic. de off. 3. 22. Val. max. 6. 3. 2.

Agell.

Agell.

XLV. At Claudius Quadrigarius pro Timochare *Niciam veneficii iſtius promiſſorem* prodit: *neque legatos à Senatu miſſos, ſed à Conſulibus*; literis quoque Conſulum recenſitis, quibus detecto Niciæ conſilio, negant *ſe dolis aut pecunia pugnaturos; ſed virtute & armis: ſalvumque ab*

Sive ille Niciasfuit. Ammian. 30. 5. Tacit. a. 11.

Rom. abſtinentia & fœdus cum Chartag.

inſidiis Regem optare ajunt, *quem ſua victoria ſuorumque triumphorum ſplendidam ſperarent materiam fore*. Sunt qui *medicum Regis Fabricium eo de negotio coram aut literis adiiſſe, Conſuliſque indicio pœnas dediſſe Regi* tradiderint, *ſuſpendio necatum*. Sed ut hæc dubitationem habere poſſent, certum eſt errare, qui medicum à Curio ad Regem remiſſum eſſe ſcripſerunt. Ajunt Pyrrhum hoc tantæ virtutis experimento ſtupentem exclamaſſe: *Hic eſt ille Fabricius, qui difficilius ab itinere juſti & honeſti, quam à curſu ſuo Sol averti poſſit?* ſtatim certe ne vinci beneficio videretur, captivos quos habebat omnes Romanis reſtituit; Cineamque denuo miſit, ad pacem & amicitiam impetrandam. Plutar. Flor. l. 18. Eutrop. Pyrrhus iterum pacem offert.

XLVI. Minime decorum viſum eſt, vel donum ab hoſte accipere, vel ob lucrum potius, quam amore virtutis à facinore abhorruiſſe videri: gratis igitur ne acciperentur captivi, totidem pro his alii Tarentinorum Samnitiumque miſſi ſunt. Hanc publicam abſtinentiam conſpectiore mox fama privatorum eſt ſequuta gravitas; quum Pyrrhi munera (multa enim & precioſa utrique ſexui Cineas attulerat) non à viris modo omnibus, ſed etiam à mulieribus repudiata ſunt. quo quidem tempore, quum aſpernantibus quibus primum oblata fuerant, ad alios alioſque deferrentur; nemo vir mulierve tam aut tenuis aut cupidus inveniri potuit, ut recipiendis Regiis muneribus oſtium domus ſuæ patere vellet. Legatis deinde prius reſponſum redditum: *donec Italia Pyrrhus exceſſiſſet, hoſtem eum populo Romano fore*. Perplexum hiſce Regem, & neque bellum læto animo proſequentem, neque cupientem cum aliqua dignitatis jactura diſcedere, extricare viſa eſt Sicilienſis expeditio, quam poſt longam & ancipitem deliberationem, tandem ſtatuit ſuſcipere. Sic enim & Romanum bellum honeſte declinari poſſe ſperabat: & imperium inſulæ locupletiſſimæ occupari: ſimul vindictam de Carthaginenſibus, ut prior ab ipſis laceſſitus, ſumere cupiebat. Appian. Abſtinentia Romanorum. Liv. l. 14. 4. Juſt. Valer. Max 4. l. 14. Zonar. Appian. Sicilienſis expeditio Pyrrhi:

XLVII. Nam illi ſuſpecto Regis conſilio paulo ante, Magonem ducem cum centum viginti navium claſſe miſerant, *adverſus externum hoſtem externis etiam auxiliis populum Romanum adjuvandum eſſe* dictitantes; & quanquam illorum opera Romani non ſunt uſi, Senatu reſpondente, *ſe conſueviſſe talia bella ſuſcipere, quæ ſuo milite geri poſſent*; fœdus tamen inter utrunque populum quarto renovatum eſt. Prioribus capitibus additum, *ut ſive Romanus populus, ſive Pœnus cum Pyrrho fœdus faceret, nominatim exciperetur, ut his populis invicem auxiliari liceret, uter eorum bello peteretur: utque quoties utrivis eorum auxilio opus eſſet, naves à Carthaginenſibus præberentur: ſtipendia ſuis quiſque daret: auxilia Punica Romanos mari juvarent; exire navibus invita ne cogerentur*. Fœdus cum Carthaginenſibus renovant Romani. Liv. Epit. l. 13. Polyb. l. 25. Auxiliorum invicem dandorum leges.

XLVIII. Quo confecto, per ſpeciem pacis conciliandæ Pyrrhum adierat Mago, ſpeculaturus conſilia Regis, quem in Siciliam acciri Carthaginenſes audierant; claſſemque Romanis obtulerant, non tam illorum Juſtin. Mago ſpeculatur conſilia Pyrrhi.

Pyrrhus in Siciliam vocatus.

charitate curaque, quàm ut Pyrrhus Italico bello implicatus, res Pœnorum in inſula magnis ſucceſſibus efflorescentes non everteret. Tum quoque fretum, qua in Siciliam trajectus eſt, magno numero navium obſervabant, Rhegii quidem obſidendi ſtudium præferentes, ſed verius, ut Pyrrho tranſmittere cupienti viam intercluderent. His igitur de cauſſis ad Sicilienſia negotia adjecit animum: ſpes ipſi magnas faciente quum rerum ipſarum ſtatu, tum etiam legationibus Siculorum, quæ aliæ ſuper alias ex inſula venientes, *omnium votis expeti eum* adfirmabant, *tanquam unicum levamen malorum, quibus miſerrima terrarum nunquam acerbius conflictata eſſe videbatur*.

Diod. Ecl. ex lib. 21. & 22.

Sicilia miſerrima terrarum.

Siculorum inteſtina bella.

XLIX. Nam poſt Agathoclis miſerabilem magis quam indignum exitum, Mœno quidam, Ægeſta Siciliæ urbe oriundus, qui & venenum Regi dederat, adfectata tyrannide, à Syracuſanis Hicetæ prætore pulſus, ad Carthaginenſium opes ſe contulerat. ita bellum gravius, & Syracuſanis adverſum fuit, per quod tamen privatim opes Hicetæ creverunt: qui poſtea verſis in Agrigentinum Phintiam armis, inquietam diu inſulam tenuit; donec Thœnionis cujuſdam audacia, principatu, quem nonum jam annum obtinebat, pelleretur. Thœnioni dominationem retineri nitenti exortus eſt adverſarius ex Syracuſana nobilitate Soſiſtratus: diuque certatum inter hos armis eſt; inſulam, quæ Syracuſanæ urbis pars eſt (ipſi *Naſum* vocant) obtinente Thœnione, quum in cætera urbe Soſiſtratus tyrannidem ageret. Poſtremo quum utrinque nihil ex his diſcordiis præter communem interitum imminere cernerent; vocandum eſſe Pyrrhum conſenſu decreverunt: qui gener Agathoclis, filio ex Lanaſſa ſuſcepto ſucceſſioni proximus; animoque & viribus ad conſtituendas res Siciliæ ſuffecturus habebatur.

Diod.

Liv. 25. 24.

Diod.

Pyrrhus vocatur in Siciliam.

Appian.

L. His accedebant Agrigentini Leontinique principes, qui & ipſi ſuarum urbium, totiuſque adeo inſulæ imperium offerentes, una voce rogabant, *ut quamprimum in Siciliam trajiceret, feſſis rebus, & laboranti ſub barbarorum armis libertati, præſentia ſua ſuccurſurus*. Carthaginentes enim Syracuſanorum agris vaſtatis, ipſam quoque urbem claſſe centum navium, & pedeſtri quinquaginta millium exercitu terra marique clauſerant. Igitur Pyrrhus non ultra differendum ratus, Cineam, cujus ingenio fideque plurimum uti conſueverat, præmittit, cum Siculis civitatibus conditiones legeſque fœderum & amicitiæ compoſiturum. Ipſe ſocios diſceſſum ægre ferentes conſolatus, *ſi à Romanis premerentur, è vicina inſula in tempore adfuturum eſſe, novorum etiam ſociorum acceſſione inſtructiorem* ſe pollicitus. Quum autem præſidium in urbe Tarentina relicturus eſſet, ægre paſſi Tarentini, *ut ſibi vel præſtaret promiſſum auxilium in conditionibus quibus veniſſet; aut ſaltem urbem ſuam relinqueret liberam* poſtulaverunt. Neutra res impetrari potuit; nihil æqui reſpondente Pyrrho, ſed jubente *ſuum tempus expectari*.

Plutarch. Diod. Carthaginenſes Syracuſas obſident.

Plut.

Appian.

Tarentini nihil impetrant à Pyrrho.

Plut.

LI. Has inter curas Epirotæ Regis, Conſulibus bellum adverſus ex-

teros hoſtes facilius fuit. Res itaque contrà Etruſcos, Lucanos, Brutios, & Samnites proſpere geſtas hoc tempore lego. Cum Etruſcis minus fuiſſe certaminum apparet, quod ex eo bello triumphatum non eſt: neque cum univerſa gente, ſed cum una aut altera civitate pugnatum eſſe puto, quæ à Samnitibus diſceſſu Pyrrhi ſe nudari ſentientibus, acrius ſolicitatæ, poſita nuper adverſus Romanos arma reſumpſerint. Cæteris in populis, uti major aliquanto belli moles; ita victoria illuſtrior fuit. C. Fabricius Conſul, profecto, ut conjectura eſt, in Etruſcum bellum collega, quod Epirotis ceſſantibus unus Conſularis exercitus ſufficere videretur, Lucanos, Brutios, Tarentinos, Samniteſque cecidit: civitates aliquot, in quibus & Heracleam, adſtrinxit fœderibus: deque his populis omnibus ante diem Idus Decembres triumphavit.

Liv. Epit. 13. Etruſci vincuntur à Romanis.

Eutrop. l. 2. Item alii populi Italici. Cic. pro Balbo c. 22. Tab. Capitol.

LII. Comitiis deinde peractis Conſules in annum ſequentem deſignati ſunt P. Cornelius Rufinus iterum: C. Junius Brutus iterum. Cum Rufino nobiles etiam alii petierant; ſed hic ut fieret, effecit Fabricii favor: qui tempora Reipublicæ habens in conſilio, patriæ ſalutem privatis inimicitiis anteponebat. Nam ex diſſimilitudine morum ſimultas inter hos fuerat, quum Fabricius egregie firmus adverſum pecuniam, una communis boni cura duceretur: Rufinus opum cupidior, multa privati quæſtus ſtudio conſuleret ageretque. Verumtamen cum cætera induſtrius & bonus imperator eſſet, competitoribus haudquaquam pari armorum peritia & uſu præditis Fabricius præferendum eſſe judicaverat. Ferunt quum ei gratias deinde Rufinus ageret, *quod ſe homo inimicus Conſulem feciſſet, bello præſertim magno & gravi*, reſpondiſſe: *non eſſe mirandum, ſi compilari, quam venire maluerit*. Magna enim bellorum moles in Italia ſupererat; & Pyrrho in Sicilia (erat enim jam tranſgreſſus) omnia ſibi prona reperiente; haud abs re metuebatur, ne paulo poſt auctis acceſſione nobilis inſulæ viribus, ad bellum Romanum gravior hoſtis reverteretur.

Anno ab urb. cond. 476. Quintil. 12. 7. Simultas inter Rufinū & Fabricium. Dion. ap. Valeſ.

Cic. de Orat. 2. 66.

Pyrrhus in Siciliam tranſgreſſus. Agell. 4. 8.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECUNDA.

LIBER XIV.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XIV. LIVIANI

Pyrrhus in Siciliam trajecit. Cum inter alia prodigia fulmine dejectum eſset in Capitolio Jovis ſignum, caput ejus per aruſpices inventum eſt. Curius Dentatus, cum delectum haberet: 1 *ejus qui citatus non reſponderat, bona primus vendidit. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reverſum vicit, & Italia expulit. Fabricius cenſor P. Cornelium Rufinum conſularem ſenatu movit, quod is decem argenti pondo facti haberet. Luſtro à cenſoribus condito, cenſa ſunt capita civium* CCLXXI. *millia*, CCXXIIII. *Cum Ptolemæo Ægypti rege ſocietas juncta eſt. Sextilia virgo Veſtalis damnata inceſti, viva defoſſa eſt. Coloniæ deductæ ſunt,* 2 *Poſidonia & Coſſa. Carthaginenſium claſſis auxilio Mamertinis venit, quo facto ab iis fœdus violatum eſt. Res præterea contra Lucanos, Samnites, & Brutios feliciter geſtas, & Pyrrhi regis mortem continet.*

Liv. Epit. 14. Appian. Diod. Ecl.

DUm hæc in Italia geruntur, Pyrrhus exercitu & elephantis in naves impoſitis, ex Tarentino portu in Siciliam trajecit: poſtquam biennium, & menſes præterea quatuor, in Italia fuiſſet. Deductus à Thœnione, qui cum navibus occurrerat, maximaque Siculorum alacritate exceptus eſt, oppida ſua, copias, pecunias, naves, certatim tradentium. Ideoque Græcarum urbium omnium imperio brevi potitus, etiam Punicam ditionem univerſam armis obtinuit, una excepta urbe Lilybætana, quam opportunitate ſitus adjuti Carthaginenſes nequidquam oppugnante Pyrrho retinebant. Unde non abſque cauſſa ſpes

Pyrrhus magna Siciliæ parte potitur. Diod. Ecl.

NOTÆ.

1. *Ejus qui citatus non reſponderat, bona vendidit.*] Valer. l. 6. c. 30. non tantum bona, ſed & ipſum qui citatus erat veniiſſe à Curio ſcribit.

2. *Poſidonia, & Coſſa.*] Poſidonia eſt Pæſtum in Lucania. At pro Coſſa legendum Coſſa ex Vell. quæ urbs fuit Etruriæ, ex cujus ruinis crevit Anſedonia: fuit in ora Senenſis agri prope oſtia Peſciæ.

ingentes

ingentes animo complexus, relictis maximo filiorum patriis opibus, ex duobus reliquis, Regem alterum Italiæ, alterum Siciliæ constituere agitabat. Just. 23. 2. Pyrrhi destinata.

II. Erat omnino Regis istius ea tempestate magna fama, magnæque virtutes: & Siculi per annos sane multos externa simul ac civiliá bella, & nocentius utrisque malum tyrannidem passi, vel mediocrem aliquem Principem gratantibus animis laturi videbantur: Sed tamen ipse paulo post ad exigendas ab invitis pecunias, & potentiorum cædes versus, odium immane concitavit: etiam accedentibus cupiditatibus & arrogantia ministrorum, quorum ei vitia non minus ubivis, quam sua nocuerunt. Adeo post primam illam & præcipuam curam, ut ipsi quam optimi sint, nulla aut dignior aut salubrior esse Regibus solicitudo potest, quam ut amicos ex virtute deligant: quando inter privatos ob suam quisque culpam exosus est; principibus etiam aliena peccata imputantur. Sed hæc postea sequuta sunt. Tum vero calentibus adhuc studiis, primum à Tauromenitanorum principe Tyndarione (nam ea parte insulæ primum appulerat) mox à Catanensi populo maximis honoribus acceptus cultusque; eum pedestri exercitu Syracusas versus processit: Classem haud procul litoribus circumduci jussit, paratam instructamque, nec enim citra prœlii discrimen aditum ad Syracusanam urbem daturæ Carthaginensium naves videbantur. Plut. Dionys. Regibus amicorum vitia non minus nocent quam sua. Pyrrhus Syracusas procedit.

III. Sed evenerat, ut paulo ante hoc tempus triginta naves Punicæ alios ob usus à classe discederent; quæ quia nondum reverterant, eum reliquis aleam belli tentare Pœnorum imperator recusabat. Igitur nemine prohibente ingressus, Thœnione & Sosistrato tradentibus, pecuniam publicam, naves tectas centum viginti, apertas viginti, tela, machinas, æraque belli apparatum accipit. Hoc agenti superveniunt à Leontinis legati, quorum princeps Heraclidas urbem suam Regi, prætereaque copias, peditum millia quatuor, equites quingentos offerebat. Neque segnius aliis ab urbibus occursum est, quodam veluti torrente fortunæ. Pyrrhus humaniter exceptos habitosque, conciliata omnium voluntate suam quemque in civitatem remisit; ampliores jam animo spes agitans, & si destinata porro ita fluerent, etiam in Africam transiturus. Dionys. Diod. Ecl. l. 22. Leontini accedunt Pyrrho. Aliæque urbes. Plut.

IV. At sociis ejus in Italia haud perinde lætæ res erant: quos absente Rege & robore exercitus, adversus infestiores quotidie Romanos, Milo cum parte copiarum Tarenti relictus, non satis tutabatur. Hactenus tamen profuit, ut Tarentinis ad tempus dilatis ambo consules in Samnium signa converterent. Samnites quum agros suos uri, castella expugnari, totam belli molem in se versam, seque à sociis derelictos esse cernerent; animis ac viribus impares, desertis oppidis atque vicis in montes excelsos & arduos, cum uxoribus suis liberisque, ac charissimis rerum quas inter tumultum & trepidationem avehere potuerant, se receperunt. Apud Romanos Zonar. Interea socii ejus Italici laborant.

præter æmulationem ducum, etiam ex rebus prosperis & metu hostium, negligentia orta erat, perpetua felicitatis comes. Ea causa & damni aliquid, & aliquanto plus ignominiæ attulit. Quippe milites per abrupta & invia contemptim repentes, loco adjutus Samnis pepulit fudítque: multi saxis telisve obruti, aut in præcipitia deturbati, interierunt: alii quum neque receptus copia, neque pugnandi facultas esset, vivi capti sunt.

Negligentia Romanorum ex rebus prosperis.

V. Hic casus ducibus ad disjungendas iterum copias incitamento fuit: quum in collegam infelicis cœpti collata culpa, se quisque, si solus fuisset, melius atque prosperius rem gesturum fuisse prædicaret. C. Junius cum suis legionibus in Samnio mansit. P. Cornelius in Lucanos & Brutios convertit impetum. Ibi terrorem cladesque belli populationibus agrorum & villarum incendiis circumferenti, majoris aliquanto rei tentandæ occasio nata est. In extrema Italiæ ora, qua Orientem versus & Jonium mare Lacinii promontorii cornu protenditur, Croton est, veteri fama, & tum quoque non pœnitendis opibus, inclyta. Mediam iis temporibus interfluebat Æsarus, juxta quem frequentia utrinque ædificia murus duodecim millia passuum in circuitu patens ambibat. Hanc aperta obsidione cingere non ausus Consul, proditione occupaturum confidebat: quod à compluribus Romanæ factionis hominibus spes ei facta erat, posse urbem præsidio externo destitutam, studiis & auxilio eorum, quibus Pyrrhi dominatio gravis esse cœpisset, recipi, si copias mature muris admovisset.

P. Cornelius Lucanos & Brutios vastat.

Crotonem occupat. Ovi. Met. 15. Liv. 24 3. Zonar.

VI. Sed per eosdem forte dies, sive metu hostilis in vicinia exercitus sive jam proditione, quæ plerunque tegi diu non potest, suspecta: Crotonienses præsidium à Milone acciverant: veneratque Nicomacho duce Lucanorum valida manus, quæ ignarum rei Consulem, nulloque periculi metu confidentius ad mœnia suggressum, eruptione subito facta, non sine cæde vulneribusque multorum rejecit. Rufinus acceptum temeritatis detrimentum consilio correcturus, rumorem adversi certaminis ultro adauget; quoque majori perculsus esse timore videatur, cœpto se desistere simulat, colligi sarcinas jubet, ut quamprimum discessurus. In urbem, ut castris tam propinquis necessum erat, cito hæc nunciantur: præter probabilem rei causam juvatur eo quoque credulitas, quod verum hoc esse cupiebant: quum jam sponte hanc in partem inclinantibus animis, captivus quidam spe libertatis atque præmiorum inductus à Consule supervenit; tanquam inter festinationem discedentium occasione captata custodiam effugisset.

Fron. Strat. 3. 6.

Licet à principio repulsus.

Temeritatem consilio corrigit.

VII. Ille *Cornelium Rufinum, quod ad Crotonis oppugnationem parum haberet roboris, Locros pergere* narrat, *accitum à quibusdam urbem illam prodere pollicitis*. Adest paulo post & alter, qui de prioribus eadem; cæterum *jam iter ingressos esse Romanos* adserit. simul conspiciuntur eminus signa & agmen incedentium via quæ Locros ducit. Eo dolo

Stratagema P. Cornelii Nichomachus Crotonis præfectus decipitur. Zonar.

captus Nicomachus, per compendia viarum celeriter cum ſuis accurrit Locros, ut eam quoque urbem defenſurus. Quod ubi per occultos nuncios Rufinus cito comperit, converſo itinere Crotonem regreſſus, quanto conſilio ac prius meliore, tanto etiam eventu feliciore uſus eſt, diligentiamque ejus non modo ſecuritas hoſtium, ſed etiam fortunæ favor juvit. denſa enim nebula opportune texit accedentem, priuſque propemodum intra mœnia fuit victor exercitus, quam reverſum Crotoniatæ didiciſſent. Atque hujus victoriæ per ſe ſatis magna lætitia, ut ferme neutram in partem fortuna tenet modum; aliis ſubinde rebus haud minus lætis cumulata eſt. Front. Zonar. Zonar.

VIII. Nicomachus enim intellecto ſe in errorem inemendabilem incidiſſe, dum incertus conſilii Tarentum redit, exceptus à Rufino magnam ſuorum partem amiſit, & cum reliquis vix in tutum elapſus eſt; quum unam urbem defendiſſe non contentus, duas perdidiſſet. Nam & Locri ſucceſſu iſto animati, præſidio Pyrrhi præfectoque, quorum injurias diutius perpeti nequibant, trucidatis, ad amicitiam Romanorum ſe contulerunt. Rebus ad hunc modum procedentibus, non ideo in tantum ceciderant animi Samnitium cæterorumque populorum, quin ſuper inſitam pervicaciam, ſpe quoque Pyrrhi Regis, & nunciatis ejus in Sicilia ſucceſſibus, ad omnia quæ ſors ferebat perpetienda ſuſtentarentur. Et Tarentum recedens eadem patitur. Appian. apud Valeſ. Locri deficiunt ad Romanos.

IX. Pyrrhus enim (ut hujus etiam extra Italiam geſta, quod eorum temporibus locisque ad hæc negotiis ipſis cum Romanis rebus conjunctum eſt, exponantur) rebus apud Syracuſanos Leontinoſque conſtitutis, circa eadem tempora cum exercitu Agrigentum profectus, in ipſo adhuc itinere occurrentibus nunciis, ejectum ex urbe præſidium Punicum acceperat, & Agrigentinos ipſi ſe ſuaque omnia dedere paratos eſſe. Neque promiſſis abfuit fides. Venienti Soſiſtratus, qui & Syracuſas tradiderat, & urbem, & egregiæ juventutis octo peditum millia, octingentos equites adjungit, copias Epiroticis quas Pyrrhus adduxerat, nihilo deteriores. Oppida præterea triginta, quibus imperabat Soſiſtratus, eodem auctore ſe Regis arbitrio permiſerunt. His ita geſtis miſit Syracuſas, qui telorum omnis generis copiam, & machinas, quarum in obſidionibus urbium uſus eſſe poſſet, ſubveherent. Nam ad urbes Punici juris oppugnandas animum adjecerat, parato jam exercitu triginta millium, præter equites mille quingentos, &, quos in Siciliam trajecerat, elephantos. Diod. Ecl. l. 22 Pyrrhi geſta in Sicilia. Oppida triginta Pyrrho conjungit Soſiſtratus.

X. Prima ex his in poteſtatem venit Heraclea, ubi Carthaginenſium præſidium fuerat: exhinc Azonas cepit. ſtatimque ſequuti fortunam Selinuntii primum, mox Halicæi & Ægeſtani, deficiendo à Carthaginenſium amicitia, compluribus etiam aliis in eo tractu oppidis fidem audendi exemplum præbuerunt. Erycinos autem, & auxiliorum numeroſa manu, & munitionibus loci fidentes ſumma vi expugnare ſtatuit. Inſtructo igitur exercitu, armatus ipſe, ad mœnia Alia ipſe capit de Carthaginenſibus. Plut. in Pyrrho c. 22.

procedens, votum Herculi vovit, si dignum genere suo locoque bellatorem eo die se Græcis ostendisset. Postquam signum oppugnandi datum, crebroque missilium jactu propugnatores dimoti locum admovendis muro scalis fecerunt; primus omnium Rex enisus, adversus concurrentes undique hostes insigne certamen edidit: alios umbone deturbans; alios cædens gladio: magnitudine vero animi roborisque cunctos perterrefaciens. Neque magnifica tantum hæc ei pugna, sed etiam omni ex parte felix fuit: sine ullo suo vulnere, magna gloria parta, etiam urbem ipsam eodem impetu cepit: animatis non minus exemplo Regis cæteris, quam solicitis periculo: & utranque ob caussam summa contentione pugnantibus. Sacrificavit deinde Herculi, voti reus; ludosque varii generis magnifico apparatu per complures dies edidit.

Diodor. Plut.

XI. Hoc quoque anno Romæ de Lucanis atque Brutiis ante diem Nonas Januarias triumphatum esse reperio: Sed C. Junio triumphum illum adscribi miror; quum in his populis res Rufinus gesserit, duasque nobiles civitates receperit: quem etiam alios apud auctores triumphalem virum nominari video. Civitate ob Pyrrhi progressus haudquaquam secura, novi quoque terrores ex prodigiis & morborum lue accesserunt. Fœdi maxime omnis habitum est, quod Jovis Capitolini signum fulmine tactum, caputque vulsum non nisi arrispicum arte curaque reperiri potuit. Graviore non jam metu, sed clade urbem adfecit pestilentia, pecudes hominesque communi strage corripiens, sed præcipue gravidarum abortibus formidabilis; quum nulli propemodum jam aut partus humani, aut fœtus animalium ederentur incolumes, iraque Deorum omne viventium genus interiturum esse crederetur.

Triumphi Capitol. Triumphus de Lucanis atque Brutiis. Plin. 16. 6. & 33. 11. Prodigia & morbi Romanos terrent. Liv. Epit. 14. Oros. 4. 3. Aug. de civ. Dei 2. 17.

XII. Ea vis mali maxime insignem Q. Fabii Maximi Gurgitis alterum Consulatum effecit, in quo collegam habuit C. Genucium Clepsinam. Neque tamen à bello Samnitico Lucanoque cessatum est. magnasque clades hostibus inlatas duo certa sunt argumenta, quod eodem anno Q. Fabius de Samnitibus, Lucanis, Brutiis, triumphavit Quirinalibus: quodque ii populi miserunt ad Pyrrhum literas & oratores, *actum de se, nisi subveniretur, neque vim Romanam ulterius sustineri posse, extremamque necessitatem deditione præveniendam esse*, testaturos. Ea res, & quod senescentibus jam hominum studiis, aut ob injurias quasdam in contrarium versis, in Sicilia res ei duriores esse cœperant, permovit Pyrrhum, ut insula relicta copias in Italiam reportaret. Quod ejus consilium, & rerum inde sequutarum series, quo plenius nosceretur; paulo plura de rebus interim ab eo gestis referenda putavi.

Anno ab urb. cond. 477. Zonar. Nec tamen cessatur bello. Q. Fabii Triumphus. Justinus & Plut.

XIII. Post occupatam igitur Eryceem, præsidiumque loco impositum, ad Æginorum urbem profectus est, commodo ad Panormitanum portum situ, & munitionibus insignem. Ibi sponte oppidanorum receptus ad ipsam Panormum castra movit, cui ab argumento portus amplissimi pulcherrimique nomen est inditum: Hac quoque per vim occupata, quum in-

Pyrrhus Panormum occupat.

ſuper locum qui Epicirćte vocatur, inter Panormum & Eryceſin in monte amœno, ſed arduis acceſſibus, ſitum cepiſſet, univerſa jam provincia Carthaginenſium potiebatur, excepto Lilybæo. Hanc autem urbem non ita pridem Pœni condiderant, ut Motyenſibus ea ſedes foret, quorum oppidum Dionyſius Tyrannus bello Carthaginenſi diruerat. Quum igitur ex omni quod in Sicilia habuerant imperio ſpes ſuas unum iſtum in locum concluſas viderent Pœni; apparatus ad obſidionem à Pyrrho fieri ſentientes, majoribus eam viribus defendere decreverunt. Polyb. r. 8. Diod. Ecl.

XIV. Introducto igitur non ſpernendo robore militum, commeatuque copioſo, adhæc magna vi machinarum ac telorum (cujus rei facultas ipſis ampla erat, quod in poteſtate mare haberent) ad oppidum undique permuniendum magna cura ſe contulerunt. Præcipue, qua terra patebat aditus, crebræ turres excitatæ ſunt, lataque foſſa facta: celeriùs opere procedente, quod majore ſui parte ſtructum in cautibus marinis oppidum, toto illo ſpatio manu facta munimenta nulla deſiderabat. Miſſis interea legatis, quanquam ad bellum magnos apparatus fecerant, magnaſque copias, quum aliunde, tum etiam ex Italia, mercede conduxerant; *ſi pax æquis conditionibus impetrari poſſet, pecuniam & claſſem* pollicebantur. Pecuniæ mentionem non admiſit Pyrrhus, urbes quas occupaverat retinere cupiens; de Lilybæo tamen conceſſurus videbatur. Sed amici Regis, civitatumque Sicularum principes, *motu Carthaginenſium vacaturam eſſe inſulam* negantes, *donec illi tantum valentes claſſibus Lilybæum, tanquam ſcalas quaſdam ad exſcenſionem faciendam paratas tenerent;* perpulerunt, ut *unam eſſe* reſponderet *amicitiæ conditionem, ſi univerſa Sicilia cedentes, utriuſque imperii terminum eſſe mare paterentur.* Carthaginenſes Lilybæum muniunt. Zonar. Pacem petunt fruſtra. Plutar. Diod. Plutar.

XV. Ita ſpe pacis diſcuſſa protinus ad urbem ſigna movit; neque procul muris caſtra metatus, manipulis ita diſpoſitis, ut defeſſi à recentibus per vices exciperentur, oppugnationem orſus eſt. Sed Lilybętani, quum & numero propugnatorum, & machinarum apparatu juvarentur, locum tenuerunt. Tanta enim catapultarum ſcorpionumque vim Carthaginenſes invexerant, ut murorum ambitus capiendis omnibus minime ſufficeret. Quum igitur cujuſque generis miſſilium velut imber quidam in Regios ſpargeretur, multique paſſim caderent aut ſauciarentur, incœptum omiſerunt. Machinas deinde & ipſe fabricare inſtituit, præter eas quæ Syracuſis advehebantur: & effoſſis ſubter humum cuniculis, omnes obſidionum tentavit artes. Quum autem animoſe reſiſtentibus Pœnis toto fere bimeſtri nequidquam ſe fatigaſſet: videretque, donec apertus à mari obſeſſis aditus exituſque foret, expugnari Lilybæum non poſſe: obſidione ſoluta aliam in partem convertit impetum. Diod. Pyrrhus Lilybæum obſidet, vano conatu. Polyb. r. 56. Plutar.

XVI. Quippe adverſus Mamertinos freti accolas Græcæ quædam civita- Mamertinos vincit.

tes fidem regis implorabant, ſuper alias graves & crebras injurias etiam tributum pendere coactæ. Pyrrhus igitur exercitu propere ducto, quum iis in locis quoſdam Mamertinorum ad exigenda vectigalia miſſos comprehendiſſet, necaviſſetque: prælio cum occurrentibus facto diſceſſit ſuperior; ac multa eorum præſidia expugnavit diruitque. Et hactenus quidem rebus præclariſſime geſtis eximiam ſibi potentiam gloriamque Rex paraverat; præter alias virtutes etiam eximia humanitate amorem ſingulorum, ſtudia civitatum, non adeptus magis quam meritus. Sed felicitatem tantam, & quam exiſtimare fundatiſſimam potuiſſes, momento fere diſſipatam, præter levitatem ingeniorum, quæ iſtis populis nunquam defuit, & amicorum intemperiem, ipſius maxime Regis culpa traditur: qui adverſis egregius, ſecundis rebus, ut inter has ferme inferiores humanæ mentes ſunt, in ſuperbiam efferebatur.

Fazel. hiſt. Sicil. dec. 1. l. 2.

Plutar. Pyrrhi ſuperbia.

XVII. Quum igitur, ut ante diximus, ad efficienda cœpta claſſem ſibi neceſſariam eſſe duceret, naves autem haberet multas, ſed parum inſtructas à ſociis navalibus; remigibus acerbe conquirendis valde offendit civitates: repente mutatus, & ex priori lenitate ad ſuperba imperia, minaſque, & poſtremo ſupplicia, præceps. Sed hæc tamen, quia communis boni ſpecie tegebantur, utcumque tolerabant: poſtquam autem eos ipſos, quorum beneficio maxime Siciliam obtinuerat, interimi videre; non paulatim, neque mora interpoſita, ſed ſubito averſis animis, multi populi ab ejus amicitia deſciſcentes, ut cuique opportunum erat, alii Pœnis, alii Mamertinis ſe applicaverunt. Adeo nimirum crudelitas, etiam quum ſola eſt, ſemper gravis, penitus ſit intolerabilis, poſtquam adverſus benemeritos exercita, propriis odiis etiam ingrati perfidique animi deteſtationem adjunxit.

Siculi deficiunt à Pyrrho.

XVIII. Hanc autem in neceſſitatem vi cuncta tractandi ſe maxime videtur induiſſe, dum pravis ſuorum cupiditatibus conſiliiſque nimis obſequitur: His enim opes, amicis aut neceſſariis Agathoclis ademptas dono dabat; nihilo quam fuerant illi melioribus: magiſtratus urbium præcipuos ſatellitibus aut centurionibus ſuis committebat, neque ex inſtitutis aut moribus civitatum, neque in legitimum tempus, ſed quomodo & quoad ipſi placuiſſet. Lites atque controverſias publicorumque negotiorum adminiſtrationem omnem ad ſe traxerat, pleraque familiaribus committens, quos habebat avaritia luxuriaque deteſtabiles, qui cogendis per flagitium perdendiſque pecuniis pariter intenti, dum libidini ſuæ ſatisfacerent, jus injuriamque in promiſcuo habebant. Irritatis ob hæc animis, muſſare primum homines, mox palam queri: *cur igitur prioris ſtatus pœnituiſſet, ſi nunc etiam toleranda eadem forent? fruſtra vocatum receptumque Pyrrhum, ſi ſtudeat æmulari mores, quos puniturus adveniſſet. neque acriorem ullius injuriæ ſenſum eſſe, quam cujus auctor haberetur idem ille, qui vindex eſſe debuiſſet.*

Pyrrhus amicis nimium tribuendo, res ſuas everſit. Diom. apud Vales.

Plutar.

XIX. Jamque multi haud obſcure ſtudium novarum rerum præ ſe fere-

In Italiam revertitur.

bant; quum ille ad peſſima conſiliorum converſus, augere cãuſſas offenſionum, quam tollere maluit: quaſi, quod per injuſtitiam peccatum fuerat, emendari ſævitia poſſet. Interea Carthaginenſes animadverſo regem propriis viribus haud ſane validum, quotidie minore apud Siculos adfectu haberi; erecti in ſpem recuperandæ provinciæ, novum exertum miſerant: paſſimque transfugientibus qui Pyrrhi ſævitiam metuebant, negotium Epirotis magnum exhibebant. Pyrrhus per cauſſam Punici belli præſidiis in urbes introductis, ſplendidiſſimum quemque falſo proditionis crimine oneratos necare inſtituit: his de medio ſublatis, multitudinem facilius in officio manſuram eſſe ratus. Poſtremo Thœnionem & Soſiſtratum corripit, totius inſulæ longe principes, quorum præcipuis ſtudiis imperio Siciliæ potitum fuiſſe oſtendimus. Sed Thœnio quidem interfectus eſt: Soſiſtratus ad hoſtes effugit, non minus auctoritatis opiſque collaturus ad ejiciendum Sicilia Regem, quam ad imponendum confirmandumque contulerat.

Zonar. Pyrrhus augere cauſſas offenſionum, quam tollere mavult.

Dionyſ. Zonar. Diony.

Adjutores ſuos occidit, aut alienat. Plutar.

XX. Tum igitur certatim pleriſque ad Carthaginenſes deficientibus urbibus, nonnullis ad Mamertinos, res Epirotarum ex florentiſſimis anguſtæ malæque redigi cœperunt. In hoc ſtatu rerum non ingrata Regi ſociorum Italicorum legatio venit: quæ *cæteris omnibus amiſſis; vix paucas urbes hoſtem ægre à mœnibus ſubmovere* queſta, honeſtum diſcedere cupienti prætextum præbuit, ut partibus laborantibus auxilio futurus, non ejectus à Carthaginenſibus, in Italiam reverti voluiſſe videretur. Abiturus, quum opes inſulæ ſitumque, & hominum animos ſecreta cogitatione expenderet; dixiſſe fertur: *O amici, qualem Romanis atque Carthaginenſibus palæſtram relinquimus!* haud vano præſagio? quod paulo poſt longa inter hos bella, tot utrinque ſubmerſæ claſſes, tot acies cæſæ, ſatis ſuperque impleverunt. Cæterum hoſtium animis cum fortuna creſcentibus, neque tutus ex Sicilia diſceſſus Pyrrho, neque in Italiam appellenti tranquillum ad Tarentinos iter fuit.

Inſtimus. Tandem ex Sicilia diſcedit lubens. Plutar. Appian. Plutar.

Pericula Pyrrho objecta, Italiam repetenti. Pauſanias:

XXI. In ipſo freto trajicientem adorti Carthaginenſes, quum Epirotæ nulla ferme maritimarum rerum experientia, hominibus exercitatiſſimis pares eſſe non poſſent; ſeptuaginta naves depreſſerunt, cæteras reddiderunt inutiles. Ita cum duodecim navibus ex adverſo prœlio in Italiam effugit; qui navibus rectis amplius centum, & longe adhuc majori onerariarum actuariarumque numero curſum inſtituerat. Sed undique collecto quod militum ex adverſo prœlio litora tenere potuerat, ſtatim ita robuſtam effecit manum, ut Rhegii ſubito impetu expugnandi ſpem conciperet. Sed rejectus à Campanis Rhegium tenentibus, mox in periculum haud contemnendum incidit. Quum enim per loca cæca & ſaltibus impedita duceret, coorti ex inſidiis hoſtes turbaverunt noviſſimum agmen, multoſque milites cum duobus elephantis peremerunt.

In ipſo freto vincitur à Carthaginenſibus. Appian. Plutar. Appianus.

Zonar. Plutar. Inſidiis Mamertinorum excipitur in Italia.

XXII. Erat neque genere bellatorum, neque numero ſpernenda ma-

Polyb. l. 8. Plutar.

nus. Decem haud minus millia hominum in armis exercitatorum, Mamertini plerique, hi enim Rheginorum amicitia & cognatione conſiſi, intellecto Pyrrhum in Italiam reverti conſtituiſſe, fretum priores transjecerant, & ſpe prædæ in opportunis ad ſubitam irruptionem locis conſederant. In eo certamine quum pro ſolita audacia Pyrrhus ante prima ſigna pugnaret; in capite vulnus accepit. Ad quod obligandum quum ex acie pauliſper ſeceſſiſſet, quidam hoſtium magnitudine corporis & armorum cultu conſpicuus longe ante alios procurrens increpavit eum elata voce, juſſitque *prodire, ſi viveret*. Ibi Pyrrhus ardens ira, viſuque & manante per faciem cruore terribilis, impetum in provocatorem, fruſtra retinentibus ſuis; vertit: occupatumque illata in caput plaga proſternit. Memoriæ proditum eſt, eam gladii temperiem, eamque vim ferientis fuiſſe, ut infimum ad corpus vulnere continuato, partibus utrinque dilabentibus, medium hominem eodem ictu diſſecaret. Ejus ſpectaculi fœda novitate perculſi hoſtes, & ut majorem communi hominum ſorte virum reveriti, pugnam omiſerunt.

Sed virtute ſua ſe expedit.

Pyrrhi pugnacitas & robur.

XXIII. Pyrrhus hac moleſtia ſolutus, non ideo lætior agebat. Quod enim pars impedimentorum iſto prœlio amiſſa erat, & opes ex Siciliæ ſpoliis partas prioris cum Pœno pugnæ caſus intercepterat; in magna rei nummariæ difficultate, quum poſcentibus ſtipendia militibus non eſſet unde præberentur, dicatos Proſerpinæ theſauros ſpoliare coactus eſt. Fanum illud apud Locrenſes opinione ſanctitatis celeberrimum iis temporibus fuit: quam civitatem quum Pyrrhus animatis præſentia ſua Regiæ factionis hominibus recepiſſet; multa in Locrenſes fœda facinora edidit, cupidius & latius, quam interfecti præſidii poſtulaſſet ultio, cædibus & rapinis in miſeros graſſatus. Poſtquam autem nihil ſupererat, quod conferre homines vellent poſſentve, manus ad ſacram pecuniam extendere cœpit, peſſimis amicorum, qui plerunque nocentiſſimi cujuſque conſilii auctores fuerant, cupiditatem ejus inflammantibus.

Proſerpinæ theſauri ſpolianrus à Pyrrho. Liv. 29 18.

Peſſimis amicorum ſuadentibus. Appian.

XXIV. Erant autem hi Evagoras Theodori filius, Balacerque Nicandro, & Dinarchus Nicia genitus. Ii non ſuaſores modo fuerunt Pyrrho, neceſſitati omnia cedere prædicantes: ſed miniſterium quoque ſuum ſacrilegio præbuerunt: ingenti pondere auri, quod multos per annos ſubterraneis in ſpecubus adſervatum fuerat, eruto. Lætus ille, *religione intempeſtiva nihil ineptius, opeſque paratas non accipere dementis eſſe* dictitans, impoſitam navibus prædam Tarentum avehi juſſit: ipſe terra eſt profectus. Cæterum facinus ei ſuum non turpius cœpto, quam infelicius eventu fuit. Subita tempeſtas adorta claſſem, ventis ſub noctem mutantibus qui ferentes hactenus fuerant, naves in tenebris circumactas partim in fretum expulit. Sed quæ ſacram pecuniam vehebant, quaſſatæ laceratæque undis inrumpentibus cum ipſis hominibus interierunt: pecuniam autem reliquis ex naufragio tabulis hærentem,

Dio. & Dionyſ. ap. Valeſ.

Suidas in ἀβουλοτ. Appian.

Tempeſtas Pyrrhi naves perdit.

Theſauros Proſerpinæ refert in vicina ſanos litora. Appian. Diodor.

poſtridie

postridie quam exportata fuerat, in vicina fano litora fluctus retulerunt. Liv. 7. 3. Val. max. 1. 8. Suidas in παρεστηκώς.

XXV. Re intellecta, thesaurum omnem diligenter conquisitum referri ad pristinas sedes jussit; pacem numinis, ut putabat, hoc facto impetraturus. Neque tamen ideo melioribus deinceps fatis usus est; omnes ejus conatus, etiam quibus consilium & virtus non abfuisset, eludente fortuna. Quam ille rem & postea constanter ad læsi numinis iram referebat, uti Proxenus historiæ scriptor, atque ipse in commentariis suis Pyrrhus memorat: & recenti adhuc malo, quum Proserpinæ sacrificans, multis hostiis litare non posset; exarsit adeo, ut cunctos infelicis consilii auctores ac ministros, quique facinus istud aggressuro vel leviter consenserant, de medio tolleret. Atque hi quidem dignum moribus factisque suis exitum habuerunt. Pyrrhus autem institutum prosequutus, quieto deinceps itinere Tarentum pervenit. Pyrrhus postea mala fortuna usus. Dionys. Appian. Tarentum redit. Plutar. in Pyrrh. c. 33.

XXVI. Romani, quum majorem in modum urgeret pestilentia, Pyrrhique in Italiam reditu belli timor crevisset, nihil adversus ista vel humani præsidii, vel divini intentatum reliquerunt. Vetus erat opinio, pestilentiam clavo ab dictatore fixo sedari posse: eam spem tum quoque tentatam, clavique pangendi causa Dictatorem dictum esse P. Cornelium Rufinum, haudquaquam improbabilis conjectura est: quum & mali magnitudo ad omnia quærenda remedia stimulare mentes posset; & Rufinum anno sequenti à censoribus notatum fuisse constet, postquam bis Consul & Dictator fuisset: neque dictaturæ ejus vel certior inveniatur memoria, vel convenientior locus. Et adversus morbos quidem, ut potuit, provisum est: armorum cura majorem industriam contentionemque, præcipue ob difficultatem delectuum, postulabat. Nam præter diuturnitatem belli, etiam longo jam tempore infesta lues tædium rerum omnium hominibus injecerat: Citatique juniores militiam mira obstinatione detrectabant. Sed pervicaciam istam severitas & constantia M. Curii Dentati secundùm Consulis fregit. Pestilentiæ causa clavus à Dictatore pangitur. Pigh. in annal. Rom. Difficultas delectuum.

XXVII. Is enim, L. Cornelio Lentulo collega, magistratum jam inierat. Quum igitur in Capitolio delectum haberet Curius, respondente nullo, vocabula tribuum omnium in urnam conjici, quumque Pollia tribus exiisset, quod ex ea nomen primum sorte eductum erat, citari jussit. tacere perseverantis bona primum; deinde quum graviter de Consulis injuria questus tribunos appellasset, ipsum quoque vendidit: *nihil opus esse reipublicæ eo cive, qui nesciret parere*, præfatus. neque tribuni auxilio fuerunt: & postea quoque salubris exempli judicata res in consuetudinem transiit, ut delectu rite acto, qui miles factus non esset, in servitutem venderetur. Hoc terrore cæteri adacti ad nomina promptius danda: conscriptisque legionibus, quæ decretæ erant, in hostium ambo Consules moverunt: Lentulus in Lucaniam irruit; Samnitas adortus est Curius. Exçitus ad ejus rei famam Pyrrhus, lustrato Varro in Sat. Περὶ τοῦ ἀδικεῖσθαι. An. ab Urb. Cond. 478. Curius ad nomen non respondentem in servitutem vendit. Val. Max. 6. 3. 4. Liv. Epit. 14. Cic. pro A. Cæc. c. 34. Ambo consules in bellum profecti. Plutar. in P...

Tarenti exercitu ſuo, peditum ferme viginti millia, tria equitum recenſuit.

XXVIII. Cum his, & delecta Tarentinorum juventute, Samnium ingreſſus, Samnitas dicto minus audientes habuit, tardiuſque ad eum auxilia & infrequentius venere, animis non ob cladium modò magnitudinem feſſis, ſed etiam exulceratis, eo quod iſtarum cauſſam Pyrrho imputabant, tam triſtia non paſſuri, niſi proditis diſceſſu ſuo Italicis ſociis, expeditionem Siculam ille ſuſcepiſſet. Veruntamen ſic quoque magnis inſtructus copiis, partem earum in Lucaniam, ad diſtinendum alterum Conſulem miſit; ipſe Man. Curium oppugnare aggreſſus eſt, facilem ſibi reliquam victoriam fore ratus, ſi hunc ſuperaviſſet. Romanus autem, gnarus phalangi Macedonicæ, ſi expliçari poſſit, nullam aciem parem eſſe, locis impeditis ſe tuebatur: & quoniam ex Lucania ventura ſperabat auxilia, ſimul etiam auſpicia & exta parum læta erant, copiam pugnandi minime faciebat.

Pyrrhus Curium aggreditur.

Romanus deducit bellum. Front. Strat. 2. 2.

XXIX. Tanto vehementius cupiebat confligere Pyrrhus, priuſquam duo Conſulares exercitus conjungerentur. Igitur adſumptis ex omni exercitu promptiſſimis quibuſque, præter aliquot elephantos, noctu, quo falleret hoſtem, ad caſtra Romanorum ſtatuit accedere. Dum autem ad iter & oppugnationem futuram omnia apparantur, ipſe in ſomnum lapſus majorem ſibi dentium partem excidere, & ex ore copioſum erumpere ſanguinem imaginatus eſt. Eo viſu perpexus, abſtinere in id tempus rebus gerendis decreverat; ſed amicis obteſtantibus, *ne occaſionem forte non redituram elabi pateretur*, ſignum ad proficiſcendum dari juſſit. Circa Maleventum urbem (hoc enim tum adhuc nomine erat) montoſa, & ſylveſtria loca ſunt: quæ deinde paulatim æquioribus clivis dimiſſa, poſtremo in planitiem late patentem deſinunt, qui *Tauraſini Campi* appellantur. Itaque Pyrrhus ex inferioribus locis per objectos colles & ſaltus inſtituto itinere, quum lumina defeciſſent, erroribus & ignorantia locorum tardatus, luce jam orta ex caſtris Romanis conſpici cœpit.

Pyrrhus properat.

Dionyſ. ap. Vales.

Cluv. Ital. antiq. 4. 8.

Plutar. Ad caſtra Romana ducit

XXX. Commotis inopinato hoſtis adventu animis, quia tamen dubium haberi non poterat, quin pugnandum foret, extaque victimarum lætiora fuerant, Conſul celeriter ex caſtris progreſſus. primos quoſque hoſtium divulſos à ſuis & incompoſitos adoritur, pellitque: Hi in ſuos incurrentes totum agmen turbavere; cæſuſque eſt militum haud exiguus numerus, & nonnulli elephanti à ſuis relicti venerunt in poteſtatem victoris. Hic ſucceſſus animavit Curium, ut inſiſtendum fortunæ putaret, & cum univerſis copiis ad pugnam inſtructis paratiſque in campum ſe demitteret. Neque Epirenſes moram fecere. Concurſum eſt utrinque ferociter, ſed quod priore certamine Romanus ſuperior fuerat, plus etiam in præſens animorum atque ſpei attulerat. Cedentibus Epirotis, iterum à belluis ſubſidium petiit Pyrrhus, alteroque ſuo cornu fugiente, viciſſim in altero Romanos ad præſidia ſua pedem referre coëgit.

Conſul contra egreditur.

Prœlium committitur.

Pugnam cum Pyrrho.

XXXI. Firmam ibi ſtationem iturus in pugnam Conſul conſtituerat: hanc igitur recentibus viribus excipere prœlium, & elephantos amoliri jubet. Adverſus hæc animantia promptam atque facilem opem uſus monſtraverat: ignique magis quam ferro averti poſſe ſuperiores docuerant pugnæ. Parati igitur erant malleoli, ſtupa & pice multa obducti, quos incenſos ardenteſque in terga & turres belluarum jaculabantur: ii, ſive cuti elephantorum, ſive ligno turrium inſediſſent, untis prænacutis infixi hærebant. Quum igitur hi, & una varii generis miſſilia ex ſuperiore loco confertim jacerentur, elephanti partim terrore flammæ, partim dolore vulnerum in furorem acti, quum amplius à magiſtris regi nequirent, in ſuorum aciem retroceſſerunt, omnia, quo impetum verterant, trepidatione & clade miſcentes. Narrant initium ſtragis ab elephanto pullo ortum, qui telo ictus in capite, quum ſtridorem querulum edidiſſet, matrem primum ad notam vocem exſilientem deinde hac etiam tumultum augente, cæteras beſtuas omnes turbaverit averteritque.

Elephanti igni magis quam ferro avertuntur. Oroſ. 4. 2. Plutar. Pyrrhi aciem turbant. Florus. 1. 18. Zonar. Plutar.

XXXII. Magna ea pugna & numero cæſorum, & victoriæ fructu fuit. Tum enim debellatum eſt cum Pyrrho, neque cæteri deinceps Italſ diu, neque poſt Italiam, aliæ nationes Regeſque reſtiterunt. Triplo majorem ea pugna numerum in regiis partibus dimicaſſe tradunt. Octoginta enim peditum, ſex equitum millia fuiſſe: ex his qui plurimum, ſex & triginta millia, qui minimum, ſex & viginti cæſa memorant. captos mille trecentos, cum elephantis octo. Pyrrhus cum paucis equitibus Tarentum effugit. Capta ejus caſtra admirationi fuiſſe dicuntur, & in poſterum uſui. Antiquitus enim & Romani & alii populi caſtra paſſim per corpora cohortium conſtituere, mapaliorum in morem, ſolebant: primus totum exercitum Pyrrhus dimenſis rite ſpatiis ſub eodem vallo continuiſſe fertur: atque illo exemplo adjutos Romanos, additis quæ ex uſu viderentur; ad metationem caſtrorum, quam ſequentibus temporibus perfectiſſimam habuere, perveniſſe.

Dion. ap. Vales. Victoria Curii. Eutrop l. 2. Pyrrhus caſtra metandi artifex. Mont. Front. Strat. 4. 1.

XXXIII. Hic annus republica belli prælare feliciterque geſta, domeſticis quoque rebus & notabili ſeveritate diſciplinæ urbanæ fuit. Q. Fabricius Luſcinus, Q. Æmilius Papus, concordem cenſuram exercuerunt. multis equi publici adempti ſunt; quidam etiam in Senatu legendo prætereiti. Sed maxime inſignis ad memoriam P. Cornelii Rufini nota fuit. Bis Conſul & Dictator fuerat, rebuſque magnis bello geſtis triumphaverat. Hunc igitur Senatu moverunt Cenſores, cauſamque iſti animadverſioni ſubſcripſerunt, *quod eum comperiſſent argenti facti cœnæ gratia pondo decem habere*. Itque caſus non hominis modo, ſed familiæ ad longum deinde tempus fuit: nec ante Sullam Dictatorem quiſquam ex ea ſummis honoribus uſus eſt. Tanta temporibus iſtis parcimonia, tantuſque in eadem civitate poſtea luxus fuit, ut quæ ſuppellex apud poſteros contemptiſſimæ vilitatis argumentum futura erat, eadem à

Cenſura ſeveritas. Zonar. Liv. Ep. 14. Zonaras. Agell. 4. 8. Plutar. Val. max. 2. 9. 4.

Liv. Epit. C vium censorum numerus. Fasti Capitol.

prioribus pro intolerabili luxuria damnaretur. Censu perfecto lustrum conditum est: censa civium capita ducenta septuaginta unum millia, ducenta, viginti quatuor.

Consulum Thriumphi: Flor. l. 18.

XXXIV. In exitu anni Consul uterque triumphantes Capitolium invecti sunt: Prior Curius: cujus & triumphus quum fama rerum, & lætitia successus, tum etiam splendore pompæ illustrior fuit. Nam ad eam diem ex vicinis & pauperibus populis in apparatu triumphi nihil ferme nisi arma fracta, aut carpenta Gallica; in præda, nisi greges & armenta ducta fuerant; tum vero & varietate gentium quarum captivi ante currum ducebantur; & spoliorum pulchritudine ac magnificentia celebris species fuit: quum Epirotæ, Thessali, Macedones, Apuli, Lucani, Brutii, vincti ante currum agerentur: præferrentur autem tabulæ pictæ, signa nobilium artificum, aurum, purpura, cæteræque transmarinæ elegantiæ, & Tarentini luxus instrumenta. Sed præcipui miraculi gaudiique spectaculum elephanti fuere. Cum ipsis turribus suis quatuor (nam reliqui ex vulneribus interierant) tum primum Romæ visi sunt: vulgus à nomine animalis quod hactenus maximum noverat, & loci ubi primum conspexerat, *boves Lucas* vocitabat.

Man. Curii pulcher ac magnificus.

Seneca de brev. vitæ: cap. 13. Eutrop. Plinius.

Capit. marmi Lentuli obscurior, nec tamen spernendus. Plinius.

XXXV. Alterius consulis paucos post dies obscurior triumphus fuit. Neque tamen illi pœnitendæ res fuerunt. Samnites & Lucanos vicerat; oppida multa ceperat, sed comparatione Curianæ gloriæ, horum splendor æstimatioque decrescebat. Inter eos qui virtutis ergo donati sunt, Ser. Cornelio Merendæ auream coronam ex præda dedit, ob Samniticum quoddam oppidum, ejus maxime opera captum. Romanis ad hunc modum victoriæ suæ lætitia fruentibus, longe dispar animorum habitus apud hostes erat. Ii jam olim imperio Pyrrhi minime læti, post infelicem pugnam, animis timore atque indignatione plenis, nihil quietum agitabant. Rex ipse dudum Romani belli pertæsus, & nunc desperata penitus victoria, nihil nisi rationem tutius honestiusque discedendi meditabatur. Sed dissimulato interea consilio, hortabatur socios, *ne ob unum adversum prælium conciderent animis: non plus eos cladis postrema hac pugna accepisse, quam prima intulissent: neque ideo Romanos ad pacem etiam bonis conditionibus permoveri potuisse. horum constantiam si ipsi quoque æmularentur, seque fortunæ vertenti servarent, omnia commodius habitura; superesse vires ad hæc diuturno bello sufficturas. In Græcia multos potentes amicos se habere, à quibus certa auxilia expectare posset.*

Pyrrhus discessum ex Italia meditatur.

Iust. l. 24. Ptolemæus. Macedoniæ Rex. Pyrrhi artes in tegendo consilio abitus sui Dio ap. Vales.

XXXVI. Neque hæc incredibiliter fingebantur: quum & antea, præsertim à Ptolomæo qui Macedoniæ tum præerat, luculenter adjutus fuisset: & in magna existimatione apud Græcos barbarosque esset; aliisque beneficiorum memoria, aliis metu devinctis, ab Ætolorum gente temporibus istis potentissima, ipsisque Macedonibus, præterea Illyriorum regulis coleretur. Cæterum hæc ita jactabat, magis ut desciscere parantes socios in fide retineret, donec aperto ad navigandum

Digitized by Google

mari regnum repetere posset; quam quod aut bellum in Italia continuare vellet, aut magnam spem in transmarinis auxiliis haberet. Dimissis tamen circum Asiæ Macedoniæque Reges legatis; ab aliis pecuniam, ab aliis auxilia, ab Antigono, qui Macedoniam tenebat, utrumque postulabat. Hac spe utcunque retenta sociorum voluntate, quum interea dissimulanter omnia paravisset ad discessum, legati cum literis ab Antigono redierunt. Convocatis igitur suorum Italorumque principibus, non quidem quas acceperat literas recitavit, sed fictitias alias, quibus paulo post ab Antigono auxilia magna adfutura esse continebatur. Pausan. l. 1. Just. 25. 2. Polyænus Strat. 6. 6.

XXXVII. Hoc astu non sociis modo delusis, sed etiam Romanis qui propinquo loco præsidium agitabant, consequuta nocte citra ullum impedimentum vela fecit, Ceraunioſque montes (Epiri in promontorium est) tenuit. Sed quo minori turpitudine deseruisse bellum videretur, fidesque hominibus fieret, perfectis quibus evocatus esset rebus reversurum, Milonem ad custodiam arcis Tarentinæ reliquit; eique, ut non modo spe præmiorum, sed etiam paris exitii metu in fide maneret, scilam dedit, cujus lora erant ex Niciæ pelle, quem compertis in caput suum insidiis occiderat. Huic igitur addito præsidio militum, cum cæteris copiis, octo peditum millia, quingenti equites erant, sexto quam exiverat anno, patrium in regnum reversus est. Interea Romæ quum comitia centuriata haberentur, Pyrrhusque bellum instauraturus putaretur, M. Curium refici Consulem placuit; quod unus ille adversus Regem optime gesta re, ad reliqua quoque belli plus auctoritatis & fortunæ allaturus videretur. Ex patriciis Ser. Cornelius Merenda factus est, eum quoque provehente recenti gloria, & commendatione gentilis sui, sub quo priore anno militaverat. Pyrrhus in Epirum revertitur. Zonar. Plut. in Pyrrho c. 29. Anno ab urb. cond. 479. Curii auctoritas & fortuna.

XXXVIII. His consulibus in Lucanos, Samnitesque & Brutios conversa belli moles est. qui quum locis potius quam armis se defenderent, nihil rei ad reliquarum exemplum memorabilis geri potuit. Neque tamen imminuta inde Curii gloria est, sic quoque judicantibus omnibus, regem acerrimum, non modo cladem acceptam, sed etiam ducem adversus se denuo venturum Curium exhorruisse. Confecti itaque belli hujus, fugatique ex Italia Pyrrhi penes illum laus atque fama permansit. Anno qui tertium Curii consulatum sequutus est, primum ab Alexandrinis Regibus legati cum muneribus Romam venerunt; in C. Dorsonis, C. Claudii Caninæ magistratu. Ptolemæus cognomento Philadelphus, audita Pyrrhi fuga gratulatum misit, petitumque, *ut populi Romani socius & amicus haberetur*. Lætum id honorificumque Patribus visum, quod amicitia Romana ultro à tam potentibus tamque longinquis Regibus ambiretur: igitur comiter acceptis habitisque legatis, societatem cum Ptolemæo jungi placuit: simul delecti ex illustribus, qui confirmandæ ejus, reddendique officii gratia legatione ad Liv. Ep. 14. Prima legatio ab Alexandrinis Regibus. Eutrop. l. 2. Zonar. Anno ab urb. cond. 480. Euseb. a. 1729. Societas cum Ptolemæo jungitur. Dio ap. Vsf. Ep. Liv. Zonar.

Veſtalis virgo de foſſa.

Valer. Max. 4.3.9. Liv. Epit.

Regem fingerentur, Q. Fabius Gurges ex Conſularibus, & cum eo C. & Numerius Fabii Pictores, Quintuſque Ogulnius.

Marm. Capitol.

XXXIX. His profectis, adverſus Italicos populos, qui arma adhuc neceſſitate & deſperatione retinebant, à Conſulibus feliciter dimicatum eſt. Majores alterius res fuiſſe viſas, triumphus C. Claudii Caninæ argumento eſt, quem de Lucanis, Samnitibus, Brutiis, in magiſtratu ſuo duxit Quirinalibus. Sed rerum foris proſperarum lætitiam nonnihil turbavit Sextilia, quæ Veſtalis virgo quum eſſet, inceſti comperta, temeratis religionibus, infenſos civitati deos effeciſſe credebatur. Sed piaculis & ſacris placata deûm ira, ſacerdoſque verſo in noxium caput ſupplicio, ad portam Collinam viva defoſſa eſt. Iiſdem Conſulibus Colôniæ deductæ ſunt, Coſa in Volſcientibus, & in Lucania Pæſtum, quæ Græcis Poſidonia vocatur. Eam Lucani Sybaritis ademerant: ab his recens in ditionem populi Romani pervenerat. Illuſtrior anni ſequentis memoria eſt, qui finem belli non adverſum Samnitas modo cæteroſque, ſed etiam cum Tarentinis attulit.

Sextilia Veſtalis viva defoditur. Liv. Epit.

Oroſ 4.2. Vell.1.14. plin.3.5. Strabo l.5.

Finis belli Samnitici & Tarentini.

Anno ab urbe cond 481.

XL. L. Papirius Curſor, Sp. Carvilius ſecundum Conſules, Samnitas Brutioſque & Lucanum cum Tarentino populo provincias nacti, expectationem hominum (nam in ſpem hoc anno finiendi belli par iſtud Conſulum ſtudioſe delectum fuerat) conſiliis factiſque magnificis expleverunt: Et Samnites quidem à Carvilio perdomiti, primum atque ſeptuageſimum poſt annum, quam decertari cœperat, meliori quam antea fide conditiones pacis à Romanis impoſitas acceperè. L. Papirius Brutios & Lucanos magnis cladibus ſubactos ad pacem petendam compulit. Ut tamen in uno multorum finitimorum populorum bello, terminis quoque regionum ipſarum permixtis, etiam Papirio cum Samnitibus, Carvilio cum Brutiis Lucaniſque, & utrique cum Tarentinis res fuit. Nec enim modo copiæ Tarentinorum fuſæ fugatæque; ſed ipſa quoque civitas in fidem accepta eſt. Quod negotium, quia præter victoriam ex nobiliſſima urbe, Pyrrhi Regis mortem, & Carthaginenſium calliditatem, & prima æmulationum inter Pœnos Romanoſque initia continet, paulo accuratius explicandum eſt.

Liv.24.9 Samnites à Carvilio perdomiti. Zonar. Liv.31.31. Brutii & Lucani à Papirio.

Liv. Epit. Pauſan. l.1. Plut. in Pyrrh. c.17.

XLI. Pyrrhus ante biennium ex Italia ſic abnavigaverat, ut relicto in urbe Tarentina præſidio ſpem reditus ſui faceret; ea paulo poſt novo Regis iſtius in Macedonia ſucceſſu non parum aucta; Italorum animos adverſus præſentia damna ſuſtentaverat. Vir enim ardentis animi quum diu quieſcere non poſſet, Antigono, quod in Italia belligerantem nullis auxiliis juviſſet, bellum intulerat, eumque prœlio victum univerſo prope regno ejecerat. Unde Romanis quoque continuus per ea tempora metus fuit, ne auctioribus copiis regreſſus in Italiam, majus priore bellum excitaret. Sed inopinata mors Regis ſpes metuſque omnium ſubito incidit atque ſuſtulit. Pyrrhus enim, ut erat potentiæ in immenſum augendæ inſatiabiliter appetens, per

Pyrrhi ſucceſſus in Macedonia.

cauſſam reducendi in regnum Spartæ Cleonymi, qui cum Areo diſſidebat, Peloponneſum ingreſſus, ad illam etiam occupandam adjecit animum. Et Lacedæmonios quidem, licet urbe fruſtra oppugnata, magnis adfecit incommodis. Pauſan. Ingreſſus in Peloponneſum. Plutar.

XLII. Sed Argis interea, quum adverſæ factiones duæ eſſent, principes earum Ariſtippus Antigonum, Ariſtias Pyrrhum ad opprimendos inimicos advocat. nam & Antigonus, contra communem hoſtem Laconibus auxilio futurus, in Peloponneſum venerat. Ita diverſis portis, ſub eandem noctem, utriuſque Regis copiæ in Argivam urbem recipiuntur. Pyrrhus cognito urgeri ſuos, urbem & ipſe ingreſſus, quum die jam oriente lupum & taurum ex ære, certantium inter ſe habitu, vidiſſet; imminentis fati indicio exhorruit. Oraculum enim erat vetus, fatalem Æacidæ locum fore, ubi taurum cum lupo dimicantem ſpectaviſſet. Igitur retrahere copias, & ex urbe recedere cogitabat. Sed occurrentes cum Heleno Pyrrhi filio ſubſidiarii milites elephantique, clauſerant exitum: hiſque in urbem irrumpere, illis exire nitentibus, quum hoſtes etiam acriter inſiſterent cedenti turbæ, & in anguſtis viarum ſpatiis Argivi, Macedones, Epirotæ, quique cum Areo venerant Spartani Cretenſque, adhæc elephanti quidam truderent inter ſe truderenturque; omnia trepidatione & tumultu miſcebantur. Prœlium in urbe Argivorum.

XLIII. Dum inter hæc Pyrrhus ubique conſiliis, clamoribus, manu, ſervare ſuos, arcere hoſtes, ſatagit; à juvene quodam Argivo lancea leviter vulneratus eſt. Matrem hic habebat anum paupercula, quæ cum aliis mulieribus ex tecto domus prœlium ſpectans, quum Pyrrhum in auctorem vulneris ſui toto impetu ferri videret, periculo filii attonita, protinus tegulam corripuit, ac utraque manu libratam in caput Regis demiſit. Tam inhonorus & miſerabilis exitus Pyrrho fuit, quo majorem animi robore, ſolertia conſiliorum, ſcientia rei militaris, multiſque præterea corporis ingeniique bonis, ætas illa non tulit. Sed fructum laboris operumque ſuorum, & ornamenta virtutum, ambitione corrupit, felicior futurus, ſi ſuis rebus contentus; potentiſſimus autem omnium, ſi quam in quærendis opibus induſtrius fuit, tam in retinendis circumſpectus eſſe potuiſſet. Strabo l. 8. Pyrrhi vulnus. Ovid. Plony't ap. Valeſ. Mors & Elogium Juſt. 25. 4. & 5.

XLIV. Hæc igitur poſtquam in Italia ſunt audita, pro variis hominum ſtudiis, lætitia luctuve civitates adfecere. Sed alii quidem populi, qui ſuæ ſponte erant, pacem amicitiamque Romanorum, quibus poterant, conditionibus redimebant: Tarentinum, ne ſuis conſiliis uteretur, præſidium Epirotarum & præfectus arcis Milo vetabat. Inter quos res paulatim ex levioribus injuriis atque contumeliis in apertas inimicitias proceſſerat. Itaque maximis in difficultatibus conſtituti Tarentini, quum extra mœnia Romanos hoſtes, intus Epirotas haberent; miſſis legatis auxilium à Carthaginenſibus petiverunt. Pœni, qui Siciliæ magnam partem tenerent: & maritima Italiæ loca ſibi quam Italici petiuit amicitiam Romanam quærunt. Zonar. Tarentinorum & Milonis inimicitiæ. Oroſ. 4. 3. Liv. Epit. 14.

Romanis accedere mallent; ſpecie ad ejiciendum Milonem, cæterum ſi Tarento potirentur, etiam adverſus Romanos tuturi, cum inſtructa claſſe prompte accurrerunt. Quum inter hæc etiam L. Papirius Conſul adveniſſet, undique clauſa Tarentus erat, Romanis à terra urbem ſimul arcemque, Pœnis eamdem arcem à mari obſidentibus.

L. Papirii conſilium ad occupandum Tarentum. Front. ſtrat. 3. 3.

XLV. In hoc ſtatu rerum, quum haud minor Romano cura eſſet, ne Carthaginenſes arcem caperent, quam ne à ſe non caperetur, omnes victoriæ rationes ſubtiliter indagans, Milonem per idoneos internuncios tentat, *ſi Tarentum ejus opera obtinuiſſet, ipſum populareſque cum rebus ſuis incolumes dimiſſurum eſſe* pollicitus. Milo nihil ex præſentibus videns potius, cum Tarentinis agit, *ut junctis conſiliis de communi ſalute deliberarent*: ſenſimque perſuadet, *ut ſe legatum ad L. Papirium mitterent, de conditionibus ex omnium utilitate ferendis diligenter acturum*. Ut homines tædio curarum periculorumque feſſi lubenter adſenſi ſunt, ad Conſulem identidem profectus, quocum fallaciam iſtam compoſuerat, luculentas plerunque conditiones, & ſpem non pœnitendæ pacis certam referebat. Ea credulitas, ſi quid in animis Tarentinorum diligentiæ ac curæ ſuperfuerat, ſecuritate fiduciaque reſolvit: occaſionemque Miloni præbuit, qua non arx modo, ſed etiam urbs ipſa Romanis traderetur.

Milo Tarentum Conſuli prodit.

Zonar. Carthaginenſes diſcedunt. Oroſ. Liv. Epit.

XLVI. Carthaginenſes hoc eventu minime læti, ſed *amicos Romanorum ſe ferentes, neque aliam ob cauſſam quam ad expellendum Milonem venſſe*, diſceſſerunt. Auctores habeo, Pœnos à Romanis monitos, *ſi Tarentinæ rei ſe immiſcerent, contra fœdera facturos videri*, non modo denunciationem hanc inſuper habuiſſe, verumetiam in acie Tarentina contra Romanos auxilia Punica ſtetiſſe: qua ex offenſa maxime bellum quod adverſum Carthaginenſes in Sicilia geſtum eſt, eruperit. quanquam Pœni perjurio culpam tegere volentes, *nihil ab ſe dolo malo factum eſſe* juraviſſent. Ego ſicut non abnuerim vel inter ipſos duces tale quid agi potuiſſe; dum Romanus Pœni præſentiam ægre patitur, Pœnus inſtituto ſuo quam poteſt cauſſam prærexit; vel populos ipſos publice iſthæc diſputaviſſe: ita veriores belli mox exorti cauſſas alias fuiſſe exiſtimo; quod neque ſtatim bellatum eſt, & poſtea natum in Sicilia bellum, ob Mamertinos præcipue, manentibus adhuc Punicis fœderibus, exarſit. Aucto ad hunc modum imperio redeuntes Romam Conſules à gratulantibus excepti, magno omnium favore, magnaque ſua gloria triumpharunt.

Non ſine offenſa. Gotef. Viterb. Paul. Diac. hiſt miſc. a. 23.

Conſulum Triumphi.

Marm. Capit. Legati Alex. miſſi revertuntur. Juſt. 18. 2. Val. Max. 4. 4. 9.

XLVII. Inter hæc Q. Fabius Gurges & cæteri qui miſſi Alexandriam fuerant, in Senatu legationem renunciarunt. *Omni ſe genere hoſpitalitatis ac benevolentiæ acceptos habitoſque: munera venientibus magnifica miſſa: majora etiam data diſcedentibus. Sed priora quidem illa modeſte recuſari, magis ex dignitate abſtinentiaque Romana viſum eſſe: cætera quæ omnino recipienda fuiſſent, à ſe prius quam alia-*

rium

Legatorum Romanorum abſtinentia.

rum rerum quidquam agerent ; in ærarium populi Romani delata eſſe : Sed & Alexandriæ, quum ad ſolennes epulas invitatis, more apud Reges uſitato, coronæ aureæ miſſæ eſſent, eas ominis cauſſa acceptas, noctu ſtatuis Regis impoſuiſſe. Senatus & ſucceſſu legationis, & gravitate legatorum mire lætus, gratiis actis *quod ſua continentia mores Romanos externis quoque nationibus venerabiles reddidiſſent :* reſtitui munera, quæ in ærarium detulerant, præcepit. Continuo populus, *ita demum rempublicam optime geſtum iri* dictitans, *ſi diteſcendi ex publicis negotiis infame ſtudium tolleretur*; idem ſcivit: quæſtoribuſque pecuniam eam uti juſſi erant prompte reſtituentibus, digni hoc abſtinentiæ fructu homines, pari gloria & recuſarunt Ægyptias opes, & receperunt. Q. Fabium qui caput legationis ejus fuerat, hoc quoque nomine prælatum tot egregiis viris exiſtimo, ut à Cenſoribus M. Curio, L. Papirio Princeps ſenatus legeretur : quum nobilitate domus, & paternis meritis, ſimul conſulatibus duobus totidemque triumphis, nulli jam honori impar videretur.

Tacit. 2. 57. Juſt. Zonar. Val. Max. Front. de aquæduct u Q. Fabii honores. Plin. 7. 11. Front.

XLVIII. Iiſdem Conſulibus M. Curius Cenſor Anienis amnis aquam in Urbem ducendam locavit, ex manubiis hoſtium. Ex quibus adeo privatim ditari noluit, ut aliquando, quum à malevolis interverſæ pecuniæ argueretur, gutto ligneo, quo ad ſacrificia uti conſueverat, in medium prolato, juraverit *ſe nihil præterea de præda hoſtili ſuam in domum intuliſſe*. Vir profecto tum rerum geſtarum magnitudine, tum etiam aliarum virtutum illuſtribus experimentis meritus, ut quædam ejus inſigniora dicta factaque, modico excurſu adnotentur. Neque vero indignum, aut hiſtoriæ condendæ officio alienum judico ea referri, per quæ homines in republica verſaturi, haud ſane minus quam conſiliis operibuſque militaribus, ad felicitatem ex virtute petendam inſtruantur. Bello Sabino quum tantum prædæ fuiſſet, ut tum primum Romanos guſtum divitiarum cepiſſe ſcriptor hiſtoriæ Fabius autumet, Curius nihil ex tam opulenta victoria, præter conſcientiam famamque ſibi vindicans, in priſtina paupertate duritieque manſit: etiam publicæ continentiæ magiſter idem idoneus, & ſeverus cuſtos.

Auct de Vir. ill. c. 30. Anienis aqua in Urbem ducitur. Man. Curii Inſigniora dicta factaque. Strabo l. 5.

XLIX. Agri enim captivi parte maxima publicata, privatis haud amplius quaterna dena jugera viritim diviſit; ipſe quum ſenatus majorem ei portionem adſignaret, eodem quem cæteris dederat agri modo contentus fuit, *malum eſſe civem* dictitans, *cui non idem, quod aliis, ſatis eſſe poſſet*. Hæc deinde in Sabinis villa Curiana fuit, in qua forte rapas torrentem victi nuper Samnites quum adiviſſent, ingenſque pondus auri adferrent dono ; *ego hæc*, inquit, *in fictilibus meis eſſe malo, & aurum habentibus imperare*. Cui villæ cum vicina prædia ſenior Cato poſſideret, eo ventitabat crebro, tenuemque caſam, & ruſculum, quod vir tan-

Plut. in Apophr. Front. Strat. 4. 3. Villa Curiana. Plin. 18. 3. Plut. & Auct. de vir. Ill. A Seniore Catone frequentata. Cic. in Catone.

Romanorum antiqua ſimplicitas.

L. Papirio Curſore, Sp. Carvilio Coſſ.

tus poſt tres triumphos manibus ſuis foderat, cum recordatione vitæ abſtinentiſſime actæ contemplatus, animum ad parem conſtantiam, antiquæ ſimplicitatis & virtutis æmulatione componebat. Et profecto viris haud aliis opus fuit ad imperii futuri tam firma ponenda fundamenta, quæ & impoſitam molem perferre poſſent, & non exteris modo concutientibus reſiſterent, ſed ipſis quoque domeſticis vitiis ægre vixque convellerentur.

Plut. in Cat. Major.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECVNDA.

LIBER XV.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XV. LIVIANI.

*Victis Tarentinis pax & libertas data est. Legio Campana, quæ Rhegium occupaverat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Quum legatos Apolloniatium ad senatum missos quidam juvenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus. Picentibus victis pax data: coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio. Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit. Umbri & Salentini victi, in deditionem accepti sunt. * Quæstorum numerus ampliatus est, ut essent octo.*

SUPERATIS post multa certamina validissimis hostibus, partaque per Italiam pace, supererat ea deliberatio Patribus, quemadmodum victoria bene uterentur. Mulctari parte finium omnes, qui arma contra tulerant, populos placuit: severiore adversum Tarentinos vindicta, quanto intemperantius offenderant. arma navesque tradere jussis, muri quoque diruti sunt, tributumque civitati impositum: pax modo cum libertate concessa. Nihil deinde visum antiquius, quam perfidiam puniri legionis, quæ Rheginis dolo circumventis, oppidum eorum decimum jam annum pro suo possidebat. Hi quum ante providissent, Romanis rebus quotidie lætioribus, suum scelus inultum non fore, quidquid ad communiendam urbem, viresque defensioni parandas pertinebat, solicite administraverant: non ignari, quod fraude vique partum esset, nisi iisdem illis artibus diu retineri non posse. Præter insitam ferociam freti erant amicitia Mamertinorum; successuque adversus Car-

Zonar. Tarentini puniti. Liv. Epit. 15. Polyb 1. 7.

Rhegium tenentes defectores ad defensionem separant.

NOTÆ.

* *Quæstorum numerus ampliatus est.*] Ut octo essent, quod colligitur ex Tacito lib. 11. Annal. ubi vide Lipsium.

thaginenſes, deinde Pyrrhum, quo urbis ſuæ animorumque fortitudinem experti fuerant, hoſtibus ab obſidendi conſilio cito depulſis. Itaque in tantum creverant rebellium & deſertorum animi, ut Crotonem prodentibus quibuſdam capere auſi, præſidium Romanum trucidare, urbem diruere ſuſtinuerint.

Zonar. Oroſ. 4. 31

Anno ab urb. cond. 482. Obſidentur à L. Genucio. Zonar.

II. Igitur L. Genucio, qui cum C. Quinctio Conſulatum eo anno gerebat, mandata eſt ultio: compulſiſque intrà mœnia perduellibus urbs obſeſſa. Sed illis ſuas & Mamertinorum vires non inſtrenue opponentibus, quum incommoda quædam paſſus Conſul etiam rerum neceſſariarum penuria laboraret, ab Hierone, qui Syracuſis principatum obtinebat, frumento & milite adjutus eſt. Hic enim Mamertinis infenſus, etiam ſocios eorum Rhegium tenentes oderat: incrementis quoque Romanorum, ut eorum animos ad uſum ſequentium temporum beneficiis occuparet, movebatur. Sic ad extremum ad deditionem urbe coactâ Mamertinos certis conditionibus adſtrictos dimiſit Conſul, perfugas & latrones, quorum multi Rhegium, velut ad aſylum concurrerant, adfecit ſupplicio: legionarios autem milites abduxit Romam, ut de ipſis Senatus ſtatueret.

Liv. Epitt. 15. In poteſtatem veniunt. Zonar.

Val. Max. 7. 2. 15.

III. Magnum inde publicæ ſeveritatis exemplum ſequitur. Senatus primum *omnes qui adducti à Conſule fuerant, in carcerem condi* juſſit: *ut inde ad ſupplicium capitis promerentur*. Deinde, quum interceſſiſſet Senatusconſulto tribunus plebis M. Fulvius Flaccus, denuncians, *ne in capita civium Romanorum adverſus leges & morem majorum animadverteretur*; conſtantia Patrum tribunitii clamores ſpreti ſunt: ſupplicium que de nocentibus ſumptum. Ne tamen invidia facti tam acerbi, plebiſque mœſtitia gravior foret, ſi tanta hominum multitudo eodem tempore interficeretur; ſingulis diebus quinquaginta ducti ſunt, quos virgis cæſos ſecuri percuſſerunt. Senatus etiam corpora ſepeliri, mortemque cujuſquam eorum lugeri vetuit. Decius Jubellius, qui ad eam uſque diem oculis ſuis ſuperſtes vixerat, ut majore cum dolore moreretur; in carcere manus ſibi attulit. Plures auctores ſequutus legionem totam, hominum millia quatuor Romæ in foro ſecuri percuſſa retulit.

Supplicio adficiuntur.

Front. 4. 1.

Appian. ap. Valeſ.

Liv. 28. 28. Polyb. 1. 17.

IV. Sed verius puto quod à Polybio traditur, *ex ea legione vivos in poteſtatem veniſſe admodum trecentos; reliquum numerum dum urbs capitur ferociter repugnando cæsi maluiſſe, non ignaris omnibus, poſt delicta tam enormia nihil ex deditione aliud, quam plures cruciatus, mortemque graviore cum ignominia conjunctam expectari poſſe*. Urbs Rhegina prioribus incolis, quod eorum uſquam reperiri conquirique poterat, cum libertate legibuſque ſuis, reddita eſt. Hoc juſtitiæ fideique documentum Romanæ civitatis exiſtimationem largiter auxit: neque minus amoris eo facto, quam per arma metus apud Italicos vicinoſque populos quæſitum. C. deinde Genucii, Cn. Cornelii Conſulatus bellum cum Sarſinatibus habuit. Umbrorum

Rhegium prioribus incolis reſtituitur. Liv. 31. 31. Anno ab urb. cond. 483. Polyb. 2. 16.

Oſtenta: Argentum ſignari cœptum.

ea gens Apenninum incolentium, quibus cauſſis in armâ fuerit acta, quaque ſpe formidabili jam Romanorum potentiæ ſe oppoſuerit; ſilentibus ſcriptorum reliquiis, divinare non potui. Totius etiam belli ſeries penitus intercidit, nihilque ad nos ex veteri rerum iſtarum memoria pervenit, niſi quod à Cn. Cornelio de Sarſinatibus triumphatum eſt. Bellum cum Sarſinatibus Vmbris.

V. Aſperrimam his Conſulibus hyemem fuiſſe Romæ traditur; ut arbores emortuo ſucco aruerint, Tiberis denſa glacie concreverit, jumenta & pecudes inopia pabuli contabuerint, tantaque fuit inclementia cœli, ut in foro Romano nives horrendæ altitudinis per dies quadraginta continuos duraverint. Res inuſitata, ut fit, à multis prodigii loco habita, vehementi terrore hominum animos percelluit: intenſiore ſtatim metu, quum Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore magiſtratum ingreſſis multa cernerentur oſtenta, multa nunciarentur. Romæ enim ædes ſalutis, & pars muri ſub eodem loco, de cœlo tacta. Lupi tres ante lucem Urbem ingreſſi ſemeſum cadaver inculerunt, membratimque laceratum, in foro, ipſi ſtrepitu hominum exterriti, reliquerunt. Formiis mœnia fulmine ſæpius icta diſjectaque nunciabantur: & in agro Caleno deducta repente terra flammam erupiſſe alatam, quæ triduo toto flagrans quinque agri jugera uſque in cinerem exuſſerit, ut non modo fruges eo loco cunctæ, ſed etiam arbores radicitus emorerentur. Plus ea res timoris Romæ, quam calamitatis attulit. Nihil enim magnopere conſequutum eſt, niſi quod bellum à Picentibus ortum, annoque ſequente confectum eam quoque regionem Romanæ ditioni adjecit. Columna Capitol. Hyems aſperrima. Zonar. Aug. de civ. Dei 3. 17. Anno ab Vrbe Cond. 484. Oſtenta. Oroſ. 4. 4. Eutrop. l. 2.

VI. Interea in Urbe ſignandi argenti primum initium fuit, auctis jam ſucceſſu rerum opibus, quum ad eam diem æs tantummodo Romæ in promiſcuo pecuniæ uſu fuiſſet, tum autem denarii quinariique ex argento cuſi, qui pro libris totidem æris eſſent; aliique minores, qui dupondio & ſemiſſe quum æſtimarentur, ex re ſunt ſeſtertii appellati. *Moneta* dicta quod in æde Junonis Capitolinæ euderetur. Cognomen enim illud inditum Junoni fuerat, quod bello Pyrrhi & Tarentino conſulentes de pecuniarum inopia Romanos monuiſſet, *pecuniam non defore juſtitiam & arma volentibus*. Conſules Q. Gallus, C. Fabius ad comprehendendum Lollium Samnitem profecti ſunt: qui quum obſes Romæ fuiſſet, clam elapſus, caſtello quodam occupato faciebat latrocinia: popularium que animos vix adhuc certa pace compoſitos, ad defectionem incitabat. Liv. Epit. 15. Argentum ſignari cœptum. Zonar. Plin. 33. 3. Suid. in Μόνητα. Zonar.

VII. Atque is quidem cum collectitia & maximam partem inermi turba non diu reſtitit; in Caricinis (ea quoque Samnii pars eſt, Frentanis propior) laboris periculique pluſculum fuit. Dum locus munitus, qui prædarum Lollio receptaculum fuerat, expugnatur; ancipiti caſu, ex ſpe magna in timorem, ex timore ad victoriam ſubito ventum eſt. Inducti quidam ex propugnatoribus impunitatis pacto, nocte Caricini. Ptolem. Zonar. Anceps caſus.

ſubluſtri Romanos intra mœnia receperant. Concurrentibus ad tumultum oppidanis, quum manus conſeri cœpiſſet, magna vis nivis repente cœlo delapſa conſpectum eripuit prœliantibus. Ea res Caricinis adverſus locorum ignaros ita profuit, ut maximo in diſcrimine Romana ſigna verſarentur; jamque prope aberat, ut cogerentur referre pedem, quod inter tenebras fieri citra magnum detrimentum nequibat; quum ſubito ceſſante nivium caſu reddita luna eſt; eoque metu liberatis promptum ad victoriam iter virtute partum. Eæ turbæ impedimento videntur fuiſſe, ne Picentes iis Conſulibus perdomarentur.

Eutrop. l. 2: Ann. ab Urb. Cond. 485. Vell. 1 14. Liv. Epit. 15. Picentes domiti. Vell. 1. 14.

VIII. Inſequente autem anno P. Sempronius Sophus, Appius Claudius Cæci F. Craſſus conſulatu inito bellum illud aggreſſi, rem ex ſententia confecere. Sub eadem iſta tempora in Piceno, qui ager Senonum Gallorum fuerat, Ariminum colonis occupari placuit; Maleventum in Samnio: Sed nomine, quod ominoſum eſſe videbatur, mutato, *Beneventum* colonia dicta eſt. Sabinis, qui ante aliquot annos accepti in civitatem fuerant, tum ſuffragii quoque jus datum. In Umbria res etiam à Claudio geſtæ, Camarinumque oppidum captum; incolæ ſub corona venditi. ſed quia parum liquida fide geſtum ab Imperatore bellum videbatur, utilitatem populus Romanus juſtitiæ poſthabuit: *conquiſitoſque Camertes redimi ab emptoribus, receptiſque in civitatem locum ad habitandum in Aventino colle aſſignari, & prædia ſua reſtitui* juſſit.

Val. Max. 6. 5. 1.

Pigh. in ann. 485. Ejus victoriæ gaudium.

IX. At Picentinæ victoriæ majus gaudium fuit: reſque digna viſa, quæ denariis argenteis nuper cudi cœptis impreſſa, & pluribus ſtatim innoteſceret, & ad memoriam ſervaretur poſteritatis. Nummos Picum repræſentantes, Saturni filium (nam is gentis auctor creditur) & ab alia parte dextram à magiſtratu Romano porrectam ſupplicanti, ex Senatuſconſulto cudendos curavit Q. Cædicius Quinti Filius. Et certe luculentam ea gente pacata virium acceſſionem factam vel inde conſtare poteſt, quod trecenta ſexaginta Picentium millia in fidem populi Romani veniſſe traduntur. Eo bello triumphum Conſules meruerunt duxerunque: inſignior tamen P. Sempronii gloria, quod adverſus validiores hoſtium copias, periculoque & contentione majore certaverat. Res enim prodigioſa tum accidit, ut inſtructa utrinque acie, ſub ipſum committendi prœlii tempus, terra ſubito moveretur.

Plin. 33. 13.

Col. trium. CCCLX. Picentium millia in fidem veniunt. Eutrop. l. 2.

Front. Strat. 1. 12. Conſul confirmat ſuos terra moventes trepidantes

X. Sed Conſul apta tempori oratione territos militum animos confirmavit: *haud minus hoſtes religione non neceſſaria perturbatos* dictitans, *ejuſque victoriam fore, qui excuſſo inani metu adverſarium ſui non bene compotem prior invaſiſſet. Templo* deinde *Telluri deæ* voto, *ſi populo Romano victoriam dediſſet*; impetum in hoſtes fecit. Neque hi ſegnius excepere certamen, cædeſque tam atrox fuit, ut etiam victoris exercitus pars minor evaſiſſe dicatur. Ab hoc prœlio, quum alia Picentium oppida, tum caput gentis Aſculum, ſicu muriſque tutiſſi-

Flor. 1. 19.

Oroſ. 4. 4. Flor. 1. 19.

mus locus, Sempronio ſe dediderunt. Hujus deinceps exemplo Picentium omne nomen imperata facere pollicitum, à Senatu pacem obtinuit. Jam Italia tota, qua Siculum Joniumque mare ſpectat, perdomita, ſoli reſtabant Sallentini, qui ad extremas Italiæ oras colunt, qua mare ſuperum Jonio committitur. ad hos igitur à Picentibus bellum, veluti contagione quadam pervaſit, iiſque M. Atilio Regulo. L. Julio Libone Conſulibus indictum eſt. Crimini datum, quod Pyrrhum ex Epiro venientem, portubus oppidiſque ſuis recepiſſent. Strab. l. 6. Liv. Epit. Flor. l. 20. Sallentini bello petuntur. Eutrop. An. ab Urb. Cond. 486. Ænn. l. 6

XI. Cæterum commoditas portus Brunduſini, qui eodem vento ſpirante & dimittere naves poteſt, & accipere, faciliſque inde in Illyricum & Epirum trajectus, quodque opportunius videbatur ipſis Italiæ finibus imperium terminare, veriores belli cauſſæ putabantur. Triumpharunt ex his ambo Conſules una die, quæ fuit octava Kalend. Februar. Fuſis acie Sallentinis, nobiliſſimum eo tractu oppidum Brunduſinum ceperant: aliaque proſpere geſſerant: adjuti, ut ferebant, à Pale paſtorum dea, quæ *præmium victoriæ* petiiſſe ultro dicitur, *ut ædes ſibi Romæ dedicaretur*. Majori parte Sallentinorum ab his ſubacta, victoriam ſequentis anni Conſules abſolverunt. Numerius Fabius C. F. M. N. & D. Junius D. F. D. Nepos Pera fuere. Ab his Umbri ſimul atque Sallentini in deditionem accepti. Commoditas portus Brundufini. Zonar. Columna. Triumph. Flor. l. 20. Pales paſtorum dea. Anno ab Urb Cond. 487. Univerſa Italia perpacata. Liv. Epit.

XII. Sic univerſa jam Italia perpacata qua maribus & amne Pado finitur, è veſtigio per inſulas propinquas, & adſitam Jonio Adriaticoque pelago continentem, aliorum ſpe, aliorum formidine celebrari Romana magnitudo cœpta eſt. Nam quibus ſtudium erat per injurias vicinorum creſcendi, ſuis conſiliis impedimentum à Romano metuebant: aliis ex diverſo præſidium iſtud adverſus impotentiam adverſariorum, tanquam divinitùs oblatum amplexantibus. Primi omnium Apolloniatæ miſſis Romam legatis in amicitiam recipi petierunt. Urbs illa ſexaginta ſtadiis à mari recedit, à Corinthiis & Corcyræis condita, commodumque portum habet, qua proximus in Græciam à Brunduſio trajectus eſt. Illyricæ Macedonicæque circum gentes colunt: igitur inter potentes & cupidos libertatem ſuam ægre tuebatur. Ab Senatu non tam civitatis ejus opes, quæ tenues erant, quam ſpem futuri, & apertam ad majora occaſionem reputante perquam humaniter accepta eſt legatio. quo gravior mox vindicta fuit in quoſdam ordinis Senatorii juvenes, qui legatos orta contentione pulſaverant. Apolloniatæ legatos mittunt Romam: Strab. l. 7. Liv. Epit.

XIII. Q. enim Fabium neque magiſtratus dignitas, ædilitatem enim gerebat, neque generis amplitudo tutata eſt, quin Apolloniatibus ob eam noxam dederetur. Deditus eſt etiam Cn. Apronius itidem ædilis, ejuſdemque culpæ reus. *Hos* igitur *per feciales legatis Apolloniatarum tradi, quæſtoremque cum his Brunduſium ire* Senatus cenſuit, *ne quid in itinere legatis à deditorum propinquis amiciſve noceretur*. Magnum ſane fidei publicæ documentum; ſed non inferius prudentiæ: quum enim Eorum violatores deduntur. Dionyſ. ap. Vales. Zonar Val. Max. 6. 6. 5

opinione juſtitiæ nationum exterarum animos ad amicitiam ſuam attrahere deſiderarent; magnopere intererat, injurias eorum, qui primi ad ſocietatem jungendam veniſſent, quam accuratiſſime vindicari. neque enim quidquam deſtinatis eorum tam inimicum fieri potuiſſet, quam ſi commiſſum eſſet, ut & Apolloniatas facti ſui, & alios exempli pœniteret. Atque ab hac utilitate receptum, conſtanterque ſequutis etiam temporibus ſervatum eſt, ut qui legatos civitatis liberæ pulſaviſſent, iis, quorum erant legati, dederentur. Cæterum Apolloniatæ deditis in ſuum oppidum adductis, plus ſe commodi ex humanitate quam ex vindicta conſequuturos prudenter arbitrati, domum incolumes remiſerunt.

Sed ab Apolloniat. remittuntur. L. 17. ff de leg. Zonar.

Bini Triumphi Conſulum.

XIV. Hoc anno ab utroque Conſule, bini ſunt triumphi ducti. D. Junius ante diem quintum Kal. Octobres, Numerius Fabius ante diem tertium Nonas ejuſdem menſis de Sarſinatibus Umbrorum populo triumpharunt: Iterum Kalend. Febr. Fabius; Nonis Junius, de Sallentinis & Meſſapiorum gente quæ Sallentinos accolas auxiliis juverat. Is finis eo tempore bellorum Italicorum fuit. Nam quod anno ſequente, Q. Fabio Gurgite tertium, L. Mamilio Vitulo conſulibus, ad Volſinios geſtum eſt, non cum juſtis hoſtibus bellum, ſed adverſum ſceleſta ſervitia pro ſociis ultio fuit. Etruſcorum gens opulentiſſima Volſinii fidem populi Romani contra ſervos quondam ſuos implorabat. Uſi enim inepto conſilio, ſive quod ſuperioribus bellis attritas vires ita recreari poſſe ſperabant; ſive deliciis ipſi diffluentes, armorum laborem fugiebant: ſervis libertate & civitate donatis, ea permiſerunt. Inde communicatis etiam honoribus in Senatum legi, magiſtratuſque fieri cœperunt.

Anno ab Vrb. Cond. 488. Flor. 1. 21.

Vulſiniis civitas & arma ſervis data. Jo: Antioch. ap. Vales. Flor. 1. 21.

Contra dominos exercentur.

XV. Ita brevi oppreſſis veteribus civibus, translataque in ſe republica, datam à dominis libertatem adverſus ipſos inſolentiſſime exercuerunt. Matronas honeſtas virgineſque per vim conſtuprari: maritis parentibuſque de injuria conquerentibus pro vindicta legum, contumelias & ludibria rependi: arbitrio petulantiſſimorum nebulonum rapi, trahi, vexari omnia, Vulſiniis jam in morem venerat. Neve prætereatur inſigne monumentum, quem ad finem ſervilium animorum belluina impudentia poſſit procedere, ſi nacta potentiam fuerit; lege lata ſanxerunt, *uti libertinis in patronorum filias ac uxores ſtupri jus eſſet: floremque virginis ingenuo nupturæ primum aliquis ex ſuo ordine delibaret*. Vulſinienſes igitur veteres, quum neque ferre diutius miſerias iſtas, neque propulſare viribus ſuis poſſent; conſilio clam inter ſe habito, legatos Romam mittere decreverunt. Ii ſecretis precibus impetrato *uti privatis in ædibus Senatus cogeretur*, perniciem enim ſibi, ſi res emanaſſet, impendentem proſpiciebant: oratione flebili calamitates urbis ſuæ expoſuerunt. quâ moti Patres, opem miſeris ad recuperanda priſtina jura promiſerunt.

Zonar. Val. Max. 9. 1. a. Auct. de Vir. ill. c. 2. Zonar.

Privatis in ædibus Senatus datur Vulſinienſium legatis.

Res tamen proditur.

XVI. Sed hæc quum acta ſecreto putarentur, iis qui fuerant accuſati

per

per Samnitem quendam indicata ſunt. Is, quum in ædibus ubi Senatus convenerat, hoſpes domini ægrotaret, per oblivionem eo in loco relictus exceperat dicta prodideratque. Quæſtiones igitur de legatis Romæ reverſis habitæ ſunt; compertoque negotio, & ipſi & principes alii civitatis crudeliter interfecti. Eo juſtior inferendi belli cauſſa viſa: miſſuſque cum exercitu Q. Fabius Cos. occurrere auſos in fugam vertit, magnumque fugientium numerum cecidit: cæteros qui intra munimenta ſe receperant, actis operibus oppugnare inſtituit. Sed illis non ſegniter reſiſtentibus, quum levia ut ſolet certamina crebro fierent, Conſul, dum incautius inter tela verſatur, vulnus accepit, & in ejus deinde curatione deceſſit. Obſeſſi, caſu eo cognito eruptionem ſummis viribus fecere, ſpernantes exercitum interitu ducis turbatum ſi ſubito invaderetur, à mœnibus ſubmoveri poſſe.

Jul. Obſeq. de prodig. c. 27.

Conſul à ferocibus Vulſinienſium vulneratur.

XVII. Verumtamen eventus prœlii contrà dedit: excepti ferociter à militibus Romanis, & in urbem iterum cum clade compulſi ſunt. Huic ego pugnæ Decium Murem præfuiſſe crediderim: hic enim legatus eſſe Fabio, & poſt necem ejus donec ſucceſſor veniret, bellum adminiſtrare potuit. atque inde eſſe reor, quod apud negligentiores hiſtoricos, Vulſinienſis belli cœpti finitique titulus Decio Muri adſcriptus eſt. Cenſores eo anno creati Cn. Cornelius L. F. Cn. N. Blaſio, & C. Marcius, qui quum antea quoque cenſuram geſſiſſet, in hoc honore Conſorinus appellatus eſt. Memorabilis hujus Marcii moderatio fuit, qui accepta poteſtate, quam non ambiverat, populum ad concionem vocatum graviſſima oratione increpuit, *quod magiſtratum illum bis eidem mandaviſſet, cujus tempora, non aliam ob cauſſam, quam quia poteſtas nimia ejus eſſet, coarctanda ſibi majores judicaſſent*. Inde profecta lex eſt, qua cautum *ne quis Cenſor iterum fieret*.

Sed illi cum clade in urbem compelluntur.

Auct. de Vir. ill. c. 56.

Matm. Capitol.

Lex, ne quis Cenſor iterum fiat. Val. Max. 4. 1. 3.

XVIII. Eodem anno Quæſtorum numerus ampliatus eſt. Quatuor hactenus ſufficerant: Urbani duo: totidem ab bellum exeuntibus Conſulibus adjungebantur. Sed proximis aliquot annis, aucta majorem in modum republica, vectigalibuſque ac portoriis multis accedentibus, duplicari numerum iſtum neceſſe fuit. Appius deinde Claudius, qui in magiſtratu Caudex cognominatus eſt, & M. Fulvius Flaccus Conſules ſequuntur; annus cœptò primum adverſus Pœnos in Sicilia bello memorabilis. Tum enim inter duas potentiſſimas civitates inimicitiæ primum erupere, quæ multo poſt annos, illataſque & acceptas horrendas clades, non niſi alterius excidio finiri potuerunt. Sed prius de Carthagine quædam altius repetenda ſunt, quam ad bellorum iſtorum expoſitionem accedamus. erunt enim his in rebus enarrandis multa intellectu judicatuque difficiliora, niſi primum origo urbis & incrementa cognoſcantur.

Plut. Coriol. c. 1.

Liv. Epit. 15.

A. V. C. CD LXXXIX. Initium Belli Punici primi. Tacit. 11. 12. 6. Agell. 17. 12.

Carthaginis origo & incrementa.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECVNDA.

LIBER XVI.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XVI. LIVIANI.

RIgo Carthaginenſium, & primordia urbis referuntur, contra quos & Hieronem regem Syracuſanorum auxilium Mamertinis ferendum cenſuit Senatus: quam de ea re inter ſuadentes, ut id fieret, diſſuadenteſque contentio fuiſset: tranſgreſſis tum primum mare equitibus Romanis, adverſus Hieronem ſæpius bene pugnatum. Petenti pax data eſt. Luſtrum à cenſoribus conditum. cenſa ſunt civium capita CCXCII. *millia*, CCXXIIII. *D. Junius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Eſernia deducta eſt. Res præterea contra Pœnos & Volſcos proſpere geſtas continet.*

CARTHAGINEM à Tyriis Phœnicibus conditam eſſe, præter veteris hiſtoriæ fidem, etiam perpetua civitatum iſtarum, donec floruerunt, amicitia; præterea linguæ nunc quoque manentis manifeſta ſimilitudine certum atque teſtatum eſt. Ex ea gente ferunt Eliſam, quæ & Dido cognominata eſt, filiam Agenoris Belo geniti, quod Pygmalionem iiſdem parentibus ortum, ob injuſtam mariti ſui Sichæi cædem odiſſet, patria profugam, cum Africæ ſinum, peninſulamque in qua poſt condita Carthago fuit, tenuiſſe: parvis admodum rei tantæ initiis, ac potentiæ, quæ deinceps conſequuta eſt, ſpem nullam oſtentantibus. Quippe non plus terræ ab incolis emiſſe Eliſa creditur, quam corio bovis amplecti poſſet: hoc in tenuiſſima lora diſſecto majus aliquanto ſpatium, quam venditores intelligebant peti, comprehendit; arcique ſtruendæ ſufficit locus, quam ex eo *Byrſam* appellatam putant. Inde multis,

Juſt. 18. 5.

Eliſæ, quæ & Dido Carthaginis conditrix.

Appian. Lybic.

Strabo l. 17.

Liv. 34. 62.

Juſt. 18. 5. Arx Carthaginis Byrſa. Strabo l. 17.

commerciorum gratia cum advenis colendorum ſedes juxtâ ſtatuentibus, quum jam inſtar civitatis effectum eſſet; Afrique manſuetos homines & divites ſecum retinere cuperent facile adſenſi ſunt venientibus ab Utica legatis, qui *ſuo exemplo* (nam & Utica colonia Tyriorum erat) *ad condendam iis locis urbem* hortabantur. Ita convenit, ut Afri ſedem oppidi Phœnicibus concederent; hi annuum eo nomine vectigal penderent Afris. Juſtin. Vell. 1. 2. 6.

II. Operi perfecto Eliſa lingua ſua nomen impoſuit *Carthadas*, quod urbem novam ſignificat; Græci Carthedona, Romani aberrante, ut ſit, pronunciatione Carthaginem vocaverunt. Ea quum & vicinos faventes, & populum induſtrium, &, quod maximum eſt, ſapientem reginam haberet; admirandis incrementis brevi convaluit. Hæc ante Romanam urbem conditam anno circiter ſeptuageſimo acta videntur: nam inter auctores, ut in re tam antiqua, parum convenit. Sed Eliſæ quemadmodum vita caſuum varietate nobilis, ſic etiam memoranda mors fuit. Jarbas Africanæ cujuſdam gentis regulus nuptias ejus ambibat, ni adſequeretur, bellum minitans. Sed illa caſtitate inſigni, & mariti prioris amore, nuptias averſabatur: bellum rebus adhuc naſcentibus & teneris exitioſum fore intelligebat. Igitur tempore ad deliberandum ſumpto, quaſi tandem vicſſet animum, & ad nuptias Africanas adduxiſſet; in extrema tum urbis parte *regum exſtrui* juſſit, *priuſquam novum matrimonium ingrederetur, Sichæo ſuo inferias daturam* præferens, tum hoſtiis multis immolatis, ad ultimum ipſa conſcendit pyram, & gladio quem ſecum attulerat ſibi mortem conſcivit; charitate viri & civium propriæ incolumitatis curam ſuperante. Retulerunt Carthaginenſes quam potuere gratiam; & admiratione virtutum ejus, donec reſpublica ſalva fuit, pro dea venerati ſunt. ædes in loco ubi vitam exuerat ſtructa: ipſa *Dido* (ſic ſermone ſuo viraginem Pœni vocant) appellata. Carthaginis nomen. Cato ap. Solin. Bernegg. ad Juſt. 18. 6. 9. Juſt. Eliſæ mors. Sil. Ital. l. 1. Serv. in Virg. En. 1. 344. Dido cur vocata.

III. Quum deinde nemo unus ſucceſſione regni poſt Eliſam dignus haberetur, mixta optimatium & populi poteſtate gubernari civitas cœpit. Regia tamen appellatio manebat, ſed ii Lacedæmoniis regibus ſimiles erant; niſi quod nulli certæ domui addictus honos, ut quiſque nobilium divitiis & virtute cæteros anteibat, mandabatur. Hi foris bellorum adminiſtrationem habebant; unde *Prætores* atque *Dictatores* à Romanis, poteſtatem eorum cum ſua republica comparantibus appellari ſolent, domi principes conſilii publici erant, cum eo de negotiis civitatis ſtatuebant, de majoribus rebus, referebatur ad populum; ejus judicium in diſſenſu Regum atque Senatorum valebat. eidem jus erat etiam adverſus placita Regibus & conſilio ſciſcendi, ſi forte contra rempublicam eſſe (id autem licebat cuivis coarguere) viderentur. Quæ nimia populi poteſtas, quum adſentatorum ſtudiis, ut fieri amat, in immenſum augeretur, ſequentibus temporibus Carthaginenſium rebus vehementer nocuit; in Senatu porro Se- Arist. Polit. 2. 11. Carthaginenſis Reip. forma. Bongarſ. ad Juſt. 22. 7. Polyb. 6. 49. Nimia populi poteſtas. Liv. 30. 6.

niores triginta quaſi ſanctius conſilium erat: & horum in ordine univerſo plurima vis. Decoris publici diſciplinæque cuſtodiam cenſoria poteſtate Præfectus morum exercebat.

Corn. Nepos in Amilc. c. 3.

IV. Succeſſu temporum, majoribus jam populi Carthaginenſis opibus, plures ad bellum imperatores deligi cœperunt. Ex quibus præcipuæ virtutis & felicitatis Mago, quum duos filios, ſuis artibus inſtructos reliquiſſet, atque eaſdem illi quoque numeroſiori jam ſoboli veluti per manus traderent, evenit, ut ejus familiæ nimia potentia novis remediis coërcenda videretur: creatique centumviri, penes quos de ipſis quoque ducibus judicia forent; formidabilis poteſtas, vel amplitudine juris, vel diuturnitate temporis, perpetui enim erant: quum jam Reges ipſi non in perpetuum, neque longum adeo ad tempus, ſed annui crearentur: quos domi frequentius *ſuffetes*, id eſt judices nominabant, Conſulibus Romanorum ſimiles. Sed centumviros inſolentius ſe gerentes lex Hannibalis in ordinem coëgit, ſancito, *ut in ſingulos annos judices legerentur, neu quis biennium continuum judex eſſet.*

Mago. Juſt.

Corn. Nepos. Liv. 30. 7. Suffetes. Liv. 32. 32.

V. Sacra maxime Tyro advecta colebant; quædam etiam poſt adſumpta. Junonis cultus præcipuus: neque levis Æſculapii; cui magnificum templum in ipſa urbe ſtruxerunt. Apollinis etiam locuples ædes fuit, laminis aureis tecta, cum celebri ſimulacro, quod exciſa Carthagine Romam avectum, juxta circum maximum collocaverunt. Ad Herculem vero Tyrium quotannis magna cura delectam navem, cum decimis annuorum proventuum, aut partarum bello manubiarum, mittebant. Ab iiſdem conditoribus ſuis, alium etiam ritum horrendæ religionis hauſerant, ut Saturno, quem ipſi *Belum* vocant, quotannis victima humana facerent: cujus immanitatis reliquiæ ne cum ipſa quidem urbe tolli penitus abolerique potuerunt. Cæteros civitatis mores plerumque commerciorum utilitas moderabatur: quibus gens natura & majorum inſtituto deditiſſima, prudens imprudens omnes ſuas rationes conſiliaque accommodabat.

Religiones Carthaginenſium. Virg. l. 1. Strabo l. 17. Appian. in Punicis. Plutar. in Flamin. c. 1: Polyb. legat. 124. 3. Diod. 20. 14: Juſt. 18. 7. Belus. Heron. in Iſa. c. 4. & in Jer. 3. 37.

VI. Hinc inevitabili malo, divitiarum admiratio honoſque comitia corrupit magiſtratuum: virtutem pecuniæ ſubjectam debilitavit: populum inflammavit opum cupiditate; fraudumque & mendaciorum ſervili conſuetudine infecit: remquepublicam harum rerum ſe ſtudio totam tradere compulit. Inde enim proceſſit, ut neque fidei multum in Punicis fœderibus, & virium publicarum longe maxima pars in claſſibus eſſet; pedeſtris militia, robur atque firmamentum omnis imperii, nullo equeſtris aut modico in honore uſuque: quoties terra bellandum, mercenariis copiis res gereretur; quarum neque charitas ulla in rempublicam & fides venalis, & diſcordia moleſta, & conſpiratio terribilis eſſet. adeo capitali errore, ut non alius hoſtis, ante ultimum excidium, rem Punicam tam prope ad extremam deſperationem adduxerit. Neque minor ex ea malorum ſeges, quod qui in magiſtratibus & in curationibus erant, mutua

Divitiarum admiratio corrumpit Rempubli-cam. Cic. contra Rull. c. 35.

Polyb. 6. 49. Polyb. 1. 67. Polyb. 1. 65.

Magiſtratuum peculatus.

diſſimulatione peculatum impune exercebant: ut ſic quoque minus mirandum eſſe videatur, ſi bello inter has civitates exorto, ſuperiores Romani fuerunt; quorum Senatores duris temporibus ſuam pecuniam in publicum conferebant, quum Carthaginenſes rempublicam haberent quæſtui. Liv. 33. 32.

VII. Sæd hæc vitia cum ipſa urbe adoleverunt: quare primum quidem ut infirma & modica, non ægre tolerabantur: poſt aliquamdiu ſuſtinere potuit imperii magnitudo, & quidam ſingulari virtute duces, quorum maxime opera quidquid felicitatis Carthago habuit; comparatum ſtabilitumque comperio. Sed ab initio quidem adverſus Afros vectigal pro ſolo urbis repoſcentes dimicatum eſt: idque jus non niſi repetentibus bellum extortum. Inde prolatum etiam imperium: Africæque pars cultiſſima ſub ditionem populi Carthaginenſis redacta. In Sardiniam autem, deinde Siciliam, ut trajiceretur, maris opportunitas & illius inſulæ rudis ad reſiſtendum barbaries, hujus ob diſcordias perpetuas potentiorum injuriis expoſita pulchritudo invitavit. In Corſicam ex Sardinia facilis tranſitus, & inſulæ non opulentiſſimæ promptior occupatio fuit. At in Sicilia diutiſſime varia fortuna dimicatum eſt: maximaſque & victorias ex iis bellis, & clades, Pœni retulerunt. Singulari virtute duces. Juſt. 4. 3. Bella Carthaginenſium Juſt. 19. 2. Herod. 1. 165.

VIII. Hamilcar quidem Hannonis F. quum trecenta hominum millia in Siciliam deportaſſet, à Gelone victus, interiit. qua calamitate perculſi Carthaginenſes abſtinuere Sicilia, donec ab Ægeſtanis, quos Selinuntii premebant, exorati, Hannibalem Hamilcaris filio Geſcone natum emiſerunt. Is Selinunte ac Himera exciſis, magnam iterum potentiam Pœnis in Sicilia comparavit. Imilco Leptinem Dionyſii majoris fratrem ducemque in Siculo mari vicit, naveſque cepit aut depreſſit centum, virorum interfecit pluſquam viginti millia: multas Siciliæ civitates obtinuit; partem quoque Syracuſarum cepit: ſed orta repente peſtilentia, toto ferme abſumpto exercitu, cum paucis eum Carthaginem redire compulit. Neque tamen ſpem Siciliæ occupandæ abjecerunt Pœni, ſed paucis poſt annis eum alia claſſe Hannonem adverſus Dionyſium bellare juſſerunt. Poſtea Magonem ab Iceta vocatum, & ipſa jam Syracuſana urbe caſtra cum peditum ſexaginta millibus habentem Timoleon ejecit. Mox Hannibalem & Hamilcarem ſeptuaginta millia militum adducentes, idem Timoleon pugna magna vicit, caſtriſque exuit. Hamilcar Hannonis F. Diod. 13. 43. Hannibal Geſconis F. Diod 14. 60. Juſt. 20. 5. Plut. in Timoleon. c. 24. & 30.

IX. Sed haud temere velocior iis ullo bello majorve converſio fortunæ, quam adverſus Agathoclem fuit: qui victus in Sicilia, obſeſſus Syracuſis, nulla evidente ſpe ſalutis, ultro tranſduxit in Africam bellum, Carthaginenſeſque multis prœliis victos, deſciſcentibus paſſim Libybus, in maximum periculum metumque conjecit: domum deinde reverſus, Sicilia tota expulit, donec mors regis, & ex ea turbæ, ſpem iterum occaſionemque repetendæ poſſeſſionis aperuerunt. Exinde, ut diximus, vario Marte cum Pyrrho bellavere, ad extremum ſuperiores, Timoleon? Agathocles. Juſt. 22. 8. Juſtin.

Juſt. 23. 4. Interim etiam in Hiſpania civitates quædam ſtipendiariæ factæ, quum
Curtius 4. 4. Gaditanis opem adverſus accolas petentibus, cognato populo (nam & Gades Tyrii condiderant) auxilium Carthagine miſſum, vicinas aliquot Hiſpaniæ regiones Punici juris fecit.

Polyb. 1. 8. Siciliæ ſtatus initio belli Punici, I. X. Is ferme Carthaginis ſtatus erat, quo tempore bellum adverſus Romanos ſumpſere. Siciliam vero, qua Punicæ ditioni ſubjecta non erat, majori ex parte Syracuſani, & Rex eorum Hiero poſſidebat: reliqua Mamertinorum armis tenebantur. Ii donec Romanorum qui Rhegium occupaverant ſocietate uti potuere, ſua defendiſſe non contenti, etiam Punicos Syracuſanoſque fines incurſabant: denique oppida Siciliæ multa, quo vaſtationem agrorum, & alia incommoda redimerent, vectigal pendere coëgerunt. Sed expugnata urbe Rhegina, defectoribuſque ſupplicio affectis, nudati hoc ſubſidio Mamertini priores opes tueri nequiverunt: &
Polyb. 1. 10: Hiero Syracuſarum Rex: amiſſis ferme quæ extra Meſſanam tenuerant, de urbe ipſa cum Hierone Syracuſano dimicabant. De quo Rege, quoniam ipſe quoque temporibus eiſdem hoſtis populi Romani, mox per annos ſane multos ſocius & amicus fideliſſimus; & ingens ad res conſtituendas momentum fuit: paulo copioſius exponendum puto. Nam & in eo rara felicitas, & magna virtus, & prudentiæ vis eximia fuit: eaque tempeſtate Syracuſanorum opes & floruerunt cum Hierone, & conciderunt.

Hiero omnem fortunam ſibi debuit. XI. Hic igitur nullo neque divitiarum, neque gloriæ à majoribus relictæ, neque alio aliquo tali præſidio adjutus, omnem fortunam ſuam ſibi debuit: non ut plerique ad magnam potentiam ex tenui loco criminationibus meliorum, aut nece fugave adverſantium provectus; ſed modeſtia & in parandis opibus, & in habendis, ſingulari: recte conjiciens, nullum eſſe regnum ſtabilius, quam quod ita exercetur, ut magis hoc timeant amittere quibus imperatur, quam qui imperat. Itaque quum annos quatuor & quinquaginta præfuiſſet, idque iis temporibus, quibus
Liv. 24. 44: Polyb. l. 7. ap. Valet. colliſæ duæ potentiſſimæ civitates de principatu terrarum ſumma contentione pugnabant, ipſe nullo foris bello, ſi primos annos excipias, nullis domi inſidiis petitus, nonagenario major; quum ad eam ætatem, certo temperantiæ argumento, ſenſus integros corpuſque firmum pertuliſſet, obiit: non ſuis modo charus, ſed etiam apud Romanos pariter Græcoſque magna fama.

Gelon Hieronis F. XII. Quem & principatum deponere ſæpe volentem cives ſui publice prohibuerunt: & filius Gelon, qui natus annos plus quinquaginta ante Hieronem deceſſit, rara inter mortales moderatione, regno quam patre carere perpetuo maluit, eumque ad extremum uſque vitæ tempus conſtanti fide atque pietate percoluit. Is igitur Hieron ab Hierocle genitore, qui ſtirpem ſuam ad Gelonem veterem Siciliæ tyrannum referebat, expoſitus eſt: quod virum nobilem ſuſceptam ex ancilla prolem pudebat tollere. Sed omni humana ope deſtitutum apes, in os jacentis ingeſto melle, per complures dies aluerunt. Eo prodigio, reſponſiſ-
Juſt. 44. 5.

que aruſpicum, qui regiam puero potentiam portendi confirmabant, permotus Hierocles, infantem recolligit, agnoſcit, & in ſpem futuræ magnitudinis diligenter inſtituendum curat. tum igitur inter æquales diſcenti, à lupo in turba puerorum repente conſpecto tabulam ablatam eſſe aiunt: & mox militiæ tyrocinium auſpicanti aquilam in clypeo, noctuam in haſta conſediſſe. Conſilii virumque indicium id fuiſſe creditum eſt, ſummique, ob regiam alitem, faſtigii. Jo: Satisb. c. 13. Omen Hieroni oblatum. Juſt. 23. 4.

XIII. Sed certiora ſigna mox ipſe dedit, formâ & robore corporis eximio: verum ingenii, temperantiæ, comitatis, juſtitiæ, moderationis nomine clarior atque illuſtrior. Sæpe in acie, ſæpe adverſus provocantes ſingulari certamine congreſſus, ſemper victor, à Pyrrho multis militaribus donis virtutis cauſſa donatus eſt. Cujus poſtea ex genere Gelon Hieronis, filius Nereidam in matrimonio habuit. Pyrrho ex Sicilia fugato, quum inter Syracuſanum exercitum & urbanos, ſolenni temporum iſtorum morbo, iterum orta eſſet diſſenſio, in caſtris circa Merganam Artemidorus & Hiero militaribus ſuffragiis duces creati; conſiliis Hieronis, & amicorum ejus opera, clam intromiſſis militibus urbem in poteſtatem redegerunt. Ibi Hiero excelſum ſe virum & quanticumque imperii capacem oſtendit. Nam ex diverſis partibus occidit aut ejecit neminem; ſed clementia, moderamine, rectiſque conſiliis ita compoſuit motus, ut non minoribus ſtudiis eorum adverſus quos venerat, quam à quibus adductus fuerat, prætor Syracuſis crearetur. Hieronis forma & mores. Paul. l. 6. Juſt. 23. 4. Juſt. 23. 3. Polyb. l. 1. Polyb. l. 1. Prætor creatur.

XIV. Hic vero reipublicæ curam ut ſuæ toto animo complexus, quum à longo jam tempore vitium iſtud in Sicilia inoleviſſe cerneret, ut quoties magiſtratus copias eduxiſſent, vel in exercitu turbaretur aliquid; vel domi novarum rerum motus orirentur: circumſpicere aliquem cœpit cui res urbanas tuto crederet, ſi quando ipſe ab bellum exire cogeretur. Uxorem igitur duxit filiam Leptinis, qui magna inter cives auctoritate, vir etiam cum primis honeſtus fideique tenax habebatur. Ita proviſis domeſticis rebus, adverſus mercenariorum inſolentiam, remedium neceſſarium magis quam uſquequaque laudabile commentus eſt. Nam educto contra Mamertinos exercitu, quum illi juxta Centuripas occurriſſent, aciem ad Cyamoſorum amnem hoc dolo inſtruxit, ut inter cives mercenarioſque intervallo relicto, hos committere prælium juberet, tanquam ipſe cum urbanis ſignis alia parte impeditum & diſtrictum hoſtem invaſurus. Ita conductitii majore Mamertinorum numero circumventi cadunt: ipſe dum horum cæde diſtinentur hoſtes, otioſe tutoque Syracuſanas copias in urbem reducit. Mercenariorum inſolentiam retundit. Dolo uſus.

XV. Ad hunc modum repurgato, quidquid in exercitu ægrum, & ad ſeditiones pronum fuerat: urbanum militem ſtudioſe exercet: novas mercenariorum copias conducit: atque ita benevolentia multorum comparata, remoto audaciſſimo quoque, reliquis adverſus armatum & intentum mutire non auſis, principatum arbitratu ſuo adminiſtrat,

Diod. Ecl. l. 22. Cum Mamertinis bellum gerit.

Interea Mamertini recenti victoria ferociores, contemptim atque temere Syracusanorum fines populabantur. Adversus hos Hiero jam civibus & militi fidens, incontanterque egressus, ad ipsam hostium urbem, dimissis passim globis fere vacuam, castra posuit. Cujus intellecto discrimine Mamertini ad ferendam suis opem expedito cum agmine impigre accurrerunt. Hiero motis ex agro Mamertino castris Mylas urbem, & in ea milites mille quingentos capit: inde castellis aliquot aliis raptim potitus, Amesclum procedit, medio inter Agyrium & Centuripas loco situm. Id quoque, licet munitionibus & praesidio firmum esset, expugnatum diruit; praesidiarios in fidem acceptos sibi militare cogit: agrum Amesclanum Centuripinis Agyrinisque dividit.

Urbes aliquot occupat.

XVI. Hoc successu rerum alacrior denuo in fines Mamertinorum inruit; Alesum oppidum deditione capit: Abacaeninos atque Tyndaritas ipsorum voluntate adjungit. Sic ab utroque mari proximis Messanae urbibus Hieroni parentibus (nam ad Etruscum mare Tyndaritani habitant; Siculum Tauromenii accolunt, & ipsi Syracusanorum eo tempore socii) Mamertini in arctum coacti, Cio quodam praetore copias opponunt hosti, ad Longanum amnem in Mylaeo campo castra habenti. Pugna commissa, quum dubio Marte certaretur; subito in latera Mamertinorum recens impacta cohors, haud dubiam Hieroni victoriam tradidit. Nam ante praelium Hiero ducentos Messeniorum exsules, fortitudine & Mamertinorum odio praestantes viros, additis de suo exercitu delectorum quadringentis, *vicinum collem*, cui *Thorax* nomen est, *circumire*, *hostemque incautum improviso incursu turbare* jusserat. Ii mandata gnaviter exsequuti effecerunt, ut universus Mamertinorum exercitus internecione caederetur.

Mamertini Cio praetore pugnant. Sed Hieronis consilio vincuntur. Polyb. l. 9. Diod.

Cios ambigua praedictione delusus.

XVII. Cios re desperata jam nihil aliud quam mortem mereri manu cupiens, multis vulneribus affectus capitur, & in hostium castra deductus, fidem extorum aruspicumque praedictionem, alio quam speraverat eventu, comprobat. Nam ante pugnam immolanti vates inspectis extis promiserant, *fore ut in castris hostilibus pernoctaret*. Id ille in spem victoriae trahens, sero se ambigua praedictionis interpretatione deceptum agnovit. Hac aegritudine confectus, quum postridie inter equos captivos eum videret, quo filius in praelio usus fuerat, hunc etiam occubuisse conjectans, fascis fomentisque vulnerum revulsis spiritum indignantem effudit. Mamertinos clade comperta desperantes, jamque victori cum infulis supplicum occursuros, ex inopinato fortuna servavit.

Mamertini insperato casu servantur.

Strabo l. 6. Hannibalis dolus in eripiendis Hieroni Mamertinis. Diod.

XVIII. Forte sub idem tempus Hannibal Carthaginensium praetor, in Liparaeorum agebat insulis, quae Siciliae adjacent. Is audita Hieronis victoria, metuens ne Mamertinis penitus exsisis Syracusana potentia Carthagini gravis & intoleranda fieret, speciem gratulantis ad Hieronem ocyus venit: eumque moratus ne statim ad Messanam duceret, urbem ingressus est prior,

Romani à Mamertinis accerſiti.

prior, Mamertinoſque deditionem facere volentes non modo verbis ad ſpem retinendæ libertatis revocavit, ſed etiam præſidium ſuorum militum introduxit. Hiero aſtutia Pœni ſe deluſum intelligens, quum ad obſidionem jam difficiliorem futuram haud ſatis paratus eſſet, Syracuſas rediit; exceptuſque magna omnium lætitia, & ab univerſis copiis Rex acclamatus, poſtea quoque nomen iſtud civium externorumque conſenſu retinuit. Hierone digreſſo, Mamertini, quum fiduciam pauliſper reſumpſiſſent, de rebus præſentibus deliberantes, duas in factiones ſcindebantur. Alii *non eſſe dubitandum* autumabant, *quin Carthaginenſium tutelæ ſe permitterent : quum hoc non modo plures ob cauſſas conducibile, ſed etiam, admiſſo jam præſidio, neceſſitati proximum videretur.*

Polyb. l. 8.

Hiero Rex acclamatur.

XIX. Contrà dicebatur: *non minus infenſos Mamertinis Pœnos quam Hieronem fuiſſe: neque dubitandum quin illi non benevolentia, ſed cupidine dominandi Meſſanam defendere ſtatuerint; à multis jam ætatibus eos imperium adfectare Siciliæ, non exercituum, non claſſium damno, ne ſuarum quidem rerum metu & Africis bellis, ab improba ſpe deterritos. His igitur ſi ſe committant, claſſem validam, & ipſius Siciliæ plerumque partem jam obtinentibus, ſine exceptione ulla ſervituros eſſe. Minime igitur expedire vocari auxilio Carthaginenſes, populum impotentem, infidum, graviuſque jugum impoſiturum, quam à Syracuſanis timuiſſent. Præſidium Punicum, ſi eo tantum conſilio veniſſet, ne in manus Hieronis Mamertina civitas incideret; re jam perfecta dimitti bona cum gratia poſſe: ſi qua vero clandeſtina ſubeſſet molitio; etiam intenſiore ſtudio ancipitis amicitiæ fallacias præveniri oportere. Romanos igitur potius implorarent, armis invictos, fide præſtantes, neque cauſſam retinendæ ſub ſua ditione Meſſanæ, neque facultatem habituros: quibus in Sicilia ne veſtigium quidem ſoli, neque navalium rerum ullus uſus; aut adeo cura eſſet.*

Polyb. l. 8. Mamertinis ſuſpecta Pœnorum ſocietas;

Romanos ad ceſſi ſuadet.

Tanquam contentos Italiæ poſſeſſione tuta futuros.

XX. *Hos ſatis habituros, ſi Carthaginenſibus & Hieroni Meſſana urbe tanquam obice quodam & fræno cupiditatis objecta, ſecuram ab his Italiam retinere poſſint. Perſeverarent igitur Romanorum potius fidem, quam cujuſquam alterius gentis experiri: neque honeſte ipſos & parum opportune priora conſilia mutaturos eſſe, miſſis jam legatis, & auxilii ſpe impetrata.* Quippe ante poſtremum cum Hierone prœlium, diffidere jam rebus ſuis incipientes Mamertini, Romanorum opem uti conſanguineorum, imploraverant: & Conſulibus belli gerendi cupiditate plebem incitantibus, populus auxilium ferri Mamertinis juſſerat, ſed Senatus auctor fieri pudore contabatur. Qui enim modo ſuos ob Rhegium per ſcelus captum ſevero ſupplicio adfecerant, ii, ſi jam Mamertinis pari perfidia Meſſana potitis opitularentur, deſtrui videbant gloriam juſtitiæ ac fidei quam priore facto late quæſiviſſent. Cæterum clade Mamertinorum mox audita, quum jam dubium eſſe non poſſet quin relicti à Romanis, Pœnorum

Zonar. Polyb. l. 9.

Romanorum contrario in recipienda ſocietate Mamertinorum.

Zonar.

Polyb. opes respecturi essent, prævaluit sententia juvandos esse censentium: nam & in Senatu plures eodem inclinare cœperant, prospicientes ni fieret, Messanam statim, & paulo post cæteram Siciliam totam Carthaginensium fore. quod si evenisset, populum Romanum cum Pœno de Italiæ possessione certaturum.

Inevitabile inter cupidos & vicinos bellum. Sallust. frag. XXI. Nam istud periculum inevitabile, tum cupiditas imperii potentibus insita, tum ipso locorum situs efficiebat. Quippe Italiam a Liguribus & Venetis inter duo maria longo tractu procedentem, qua Brutiorum ager est; a contactu Siciliæ tenue fretum dividit. Neque dubitatur continentes olim has regiones fuisse; mox intereurrentibus aquis

Cassiod. Var. 1244. diremptas, sive humiliora ea parte loca mare acceperunt; sive major aliqua vis terræmotus aut incumbentium undarum, angustias Isthmi perrupit. à quo eventu *Rhegium* nominatum putant: tali enim aliquo vocabulo quæ rupta sunt, à Græcis appellantur. Itaque primos Siciliæ cultores ex Italia venisse credibile est; etiam ipso nomine confirmante conjecturam. Messanam enim ex adverso litoris Italici sitam civitatem Opici condidisse traduntur: quam quia in sinu falcis referente figuram est

Casaub. in Strab. posita, *Siciliam* credo appellarunt, quod advenientes postea Græci *Zanclem* sunt interpretati, utraque illa voce diversos apud populos falcem significante. Inde, ut solet, toti insulæ hæc appellatio hæsit, ut, ipsa quoque & Zancle, & à pluribus Sicilia vocaretur.

Siciliæ nomen. Strabo l. 6. Macrob.

Descriptio. Diod. Ecl. l. 23. XXII. Insula vero ista quum magnitudine, tum etiam fertilitate omnes, quæ in mediterraneo mari sunt, longe antecellit: olei, vini, frumenti optimi supra fidem ferax; populo frequens, multisque & maximis urbibus ad miraculum exculta: portuum autem situsque totius commoditate vix alius magnum imperium constituere cupientibus æque idoneus locus est. Nam Italiæ conjuncta ex diversa parte Africam respicit;

Flor. 2. 2. L. Ampel. c. 46 Zonar. Belli Punici prætextus, & causæ. alio ex latere Sardiniam: ab Oriente Peloponnesum & Græciam Jonio mari discretas habet: quaquaversum navigatione brevi, & ad emittendas accipiendasque classes facillima. Neque dubium est cupiditatem hac insula potiundi, quam eodem tempore & Romanus populus & Carthaginensis affectabat, causam bello dedisse, licet alia dicerentur. Nam Romani *Tarentinos contra fœdus adjutos* arguebant: Pœni *societatem cum Hierone, ut adversus se initam, criminabantur*.

Potentia utriusque populi. XXIII. Cæterum eo jam potentiæ civitas utraque pervenerat, ut evitari non potuerit, quin aliquando quaecunque de causa colliderentur. Quemadmodum enim arbores non magno intervallo consitæ, aliquam quidem diu non impediunt invicem magnopere; auctæ vero, alimentum atque suceum mutuo intercipiunt; quum grandiores fieri cœpere, radicibus & ramis commissæ atteruntur: ita surgentibus imperiis vix per naturam diutius fida manere potest concordia, quam donec ex trito quod medium fuerat, conjunctis jam finibus concurrentia urgeant inter se trudantque, neque priorem intra modum standi impe-

trabili voluntate; neque libero, niſi remotis obſiſtentibus, ad majorem amplitudinem procurſu. Accedebat ad has cauſſas in utraque civitate magna plebis & potentia, & ſuſcipiendi bellum cupiditas. Nam in Carthaginenſi republica vulgus valebat plurimum; quod auctis civitatis opibus, variis & ipſum commodis locupletari ſolitum, quæſtus dulcedine bella ex bellis ſeri non invitum patiebatur. Belli cupiditas. Ariſt. Polit. a. 11.

XXIV. Neque multum diverſa conditio Romanæ multi[tudinis] erat, quæ damna rei familiaris, ſuperiori bello illata, Siculis divitiis facile reparari poſſe ſperans, pro jure nuper Patribus extorto, ſententiam bellum ſuadentium plebiſcito confirmavit. Quo armatus Conſul Appius; quum alioquin victis antiquæ ſectæ viris major Senatus pars adſenſa eſſet, ſine mora C. Claudium tribunum militum cum paucis navibus præmittens, *obſervare occaſionem, & ſi qua obveniſſet, in Siciliam tranſire* juſſit. Ille quum Rhegium veniſſet, in cáſum dare triremes non auſus, quod longe majori Pœnorum claſſe fretum obſidebatur, piſcatoria navi conſcenſa Meſſanam vectus eſt. Ibi cum Mamertinis, ita ut præſens uſus poſtulabat, colloquutus; quum Pœnis roclamantibus parum proficeret, infecto negotio rediit. Sed paulo poſt cognito Meſſanæ diſcordiam eſſe, multis Romanos advocandos eſſe negantibus, magna parte Carthaginenſe præſidium haudquaquam æquis oculis adſpiciente, rurſus tranſmiſſo freto, quum alia tempori apta diſſeruit; tum hoc maxime interjecit, *ſe non niſi ad liberandam civitatem veniſſe: hoc ubi perfeciſſet, è veſtigio diſceſſurum eſſe.* Zonar. Polyb. l. 1. Liv. Epit. 16. C. Claudius in Siciliam mittitur. Auct. de Vir. Ill. c. 37. Zonar. Meſſanæ diſcordia.

XXV. Quum ad hæc Pœni reſponderent, *non eſſe Romanis laborem ullum ſuſcipiendum in liberanda civitate, quæ ſui juris eſſet: jam beneficio Carthaginenſium proviſum, ne Mamertini ſervire Syracuſanis cogerentur: faceſſeret igitur Romanus; aut ſi quam aliam juſtam haberet cauſſam cur eſſet Meſſanæ, exponeret.* negavit Claudius *liberam videri civitatem, in qua præſidium alienæ gentis, non ſponte oppidanorum ageret.* Ad ea quum reſponderet nemo, Pœnis præ ſuperbia, Mamertinis metu tacentibus, vir vafer & promptus, *apparet*, inquit, *ex hoc ipſo ſilentio veſtro, Carthaginenſium cauſſam injuſtam, & Mamertinos libertatis avidos eſſe: nam ni ita foret, & illi de jure ſuo diſſerere non gravarentur, & iſti, nulla, ſi cum Carthaginenſibus ſentirent, diſſimulandi cauſſa, palam & aperte inſtitutum illorum approbarent.* Ad hæc verba fremitu Mamertinorum orto, multiſque orationem illam ut veram & intimis ſenſibus ſuis congruentem laudantibus, ſatis in præſentia promotum eſſe putans Romanus, quod habitus tamen animorum exploraviſſet, Rhegium regreſſus eſt. Diſceptatio Pœnorum cum Claudio. Claudius explorat animos Mamertinorum.

XXVI. Neque multo poſt adornatis quas habebat triremibus, tentavit tranſitum. Sed Pœnorum præfectis & multitudine navium, & in maritimis rebus ſolertia longe inferior, ad hæc fluctuum illorum violentia, quos orta ſubito tempeſtas præter ſolitum exaſperaverat, repulſus, amiſſis Cum triremibus in Siciliam rediens repellitur.

aliquot triremibus, cæteris ægre ſervatis, in portum, unde exierat, rediit. Neque deterritus hoc incommodo, ut meliori alia opportunitate fortunam iterum experiri poſſet, naves reficiebat: quum ab Hannone (is Mamertino præſidio freticque cuſtodiæ præerat.) venerunt nuncii, quidquid triremium hominumve ſuperiore certamine Pœni ceperant, adducentes. Cupiens enim fœderum ruptorum infamiam Romanis impingere, conſilium hoc amplexus erat Hanno, queſtuſque *poſſeſſi Carthaginenſibus freti per vim tentatam navigationem eſſe*, ad pacem & fœdera majori denceps cura ſervanda provocabat. ſed audito, Claudium nullas conditiones admittere, niſi Meſſana præſidium deduceretur; freti-que trajectionem iterum moliri: exclamavit, *ſe vero non eſſe paſſurum, ut Romani vel manus in iſto mari abluerent*.

Cum triremibus in Siciliam rediens, repellitur:

Hanno Romanos ad fœdera ſervanda provocat.

Romani in Siciliam navigant.

XXVII. Neque tamen prohibere potuit, quin Claudius obſervata freti natura, captatoque tempore quum refluxum ejus etiam ortus commode ventus adjuvaret, priuſquam occurri poſſet, Siciliam teneret. Ibi Mamertinorum in portu repertorum coacta concione, perſuaſit, *ut Hannonem advocarent, tanquam de præſenti negotio cum eo deliberaturi*. Hanno enim oppidanorum diſcordibus animis parum confiſus, arcem cum ſuis occupaverat: neque concioni Mamertinorum ſe audebat credere. tamen veritus, ne hoc ipſum querelas eorum accenderet, ſi diffidere videretur, & per ſuam abſentiam ſe Romanis protinus adjungerent; in colloquium venit. quo per diſceptationes & jurgia diu extracto, adultimum injectæ à Romanis Hannoni manus ſunt, iſque in carcerem conditus, Mamertinis factum comprobantibus. Ita partim dolo, partim terrore circumventus, quum alia conditio nulla eſſet, arce Mamertinis reddita, præſidium deducere coactus eſt.

Hanno Meſſanam amittit.

Polyb. 2.

Val. Max. 2. 7. 1. Ideoque cruci adfigitur à ſuis. Polyb. 30. Diod. Ecl. l. 22.

XXVIII. Pœni re comperta ſupra modum exacerbati, quum alioqui duces ſuos ob mala conſilia quantumvis proſpero eventu punire ſolerent, ſimul ſtultitiam Hannonis, ſimul ignaviam accuſantes, in crucem miſerum ſuſtulerunt: & continuo navales terreſtreſque copias Meſſanam pergere præceperunt; alio Hannone, qui Hannibalis erat filius, ad res gerendas in Siciliam miſſo. Ille coactis ad Lilybæum copiis Selinuntem progreſſus, caſtriſque ibi factis, pedeſtrem exercitum reliquit: ipſe proceſſit Agrigentum, & arce communita, populum Carthaginenſibus amicum, ad ſocietatem armorum contra Romanos impulit. Hinc in caſtra reverſum repererunt ab Hierone legati, qui & ipſe Romanorum in Siciliam tranſitu minime lætus, hoc maxime opportunum tempus judicabat, quo conjunctis Punicis viribus, & ipſi & Meſſanam obtinentes barbari penitus ex inſula exterminarentur.

Hiero Pœnorum ſocius contra Romanos. Polyb. 21.

Diod. Ecl. l. 23

XXIX. Itaque colloquio cum Carthaginenſi duce habito, quum utrique Meſſanæ occupandæ ſpe excidiſſent, facile adverſus Romanum, utrorumque pari damno ſupervenientem, ſocietatem inſtituerunt. ut Meſſanam communiter obſiderent: neque quemquam in

Meſſanam obſident.

Digitized by Google

Sicilia, niſi aut Syracuſani, aut Punici juris eſſe paterentur. Ita Pœnus Imperator, præmiſſo caduceatore, qui Romanos, *ſi Carthaginenſium amici eſſe vellent, relinquere Meſſanam, & intra præſtitutum diem excedere Sicilia* juberet; totis viribus adverſus Mamertinos movit. Naves circa Pelorum ſtationem agere juſſæ: pedeſter exercitus ad Cubilia (*Eunas* Græci vocant) haud procul urbe Meſſana diffitum locum caſtra communivit. Venit & ex pacto cum Syracuſano milite Hiero, & ab altera urbis parte, circum montem Chaleidicum nomine, conſedit. Ita urbs undique circumdata, neque terra neque mari commeatum aut auxilia accipere tuto poterat. Zonaras. Romanum præſidium excedere jubent: Diod. Ecl. l. 23. Polyb. Zonar.

XXX. Sub idem tempus quum Punicus caduceator nihil à Meſſana pacati retuliſſet; Carthaginenſes partim ira, partim diffidentia permoti, omnes qui apud ipſos militabant Italici generis conductitios erudeliter occiderunt. Quæ poſtquam Romæ comperta ſunt, è veſtigio cum valido exercitu profectus Conſul Appius Rhegium venit: inde præmiſſis qui cum Pœnis & Hierone de obſidione ſolvenda agerent, ipſe fretum acri cuſtodia ſeptum ſciens, ſolicitus intentuſque rationem minore cum periculo trajiciundi circumſpiciebat. Legati Conſulis neque à Pœnis amicum reſponſum retulerunt, & ab Hierone accurata oratione ſunt increpiti, qui commemoratis in populum Romanum officiis ſuis, *Ambigo*, inquit, *meamne vicem doleam magis, an veſtram, Romani! Nam ego quidem amicos aliquanto quam exiſtimaveram deteriores; vos autem opinionem juſtitiæ ac fidei, qua apud omnes clarieratis, amiſiſtis. Adverſus Mamertinos nulla vobis unquam ſocietas aut amicitia fuit: fœdera cum Pœnis olim, mecum etiam nuper iciſtis.* Appius Conſul Rhegium venit. Hieronis expoſtulatio de Legatis Appii.

XXXI. *Hæc in gratiam aliorum nihil ad vos attinentium diſſolvere cupientes, poteſtis dicere, qua vel injuria noſtra, vel merito Mamertinorum hoc facitis? ſed quia Carthaginenſibus quod pro ſe dicant, non deerit; illorum omiſſa cauſsa, quæ me tangunt unum, in præſentia memorabo. Mamertini, boni populares veſtri, quum apud Syracuſanos, uti non ignoratis, ſtipendia feciſsent; ut in Italiam redirent dimiſſi. Meſſanæ, poſtquam à miſeris & credulis Meſſeniis tanquam amici & ſocii recepti ſunt, facinus poſt hominum memoriam longe fœdiſſimum ediderunt: intremptis noctu hoſpitibus ſuis, eorumque bonis, uxoribus, liberis, & urbe ipſa in poteſtate retenta. Quod niſi vos ipſi etiam eodem quo cæteri mortales omnes ſenſu nefandum & intolerabile ſcelus eſſe judicaviſsetis, profecto in iis qui Mamertinorum imitatione idem in Rheginos auſi ſunt, illud ipſum tam ſevere non ſuiſsetis vindicaturi.* Mamertinorum ſcelera. Meſſenios perfidiose deleverunt.

XXXII. *Qua igitur indignitate vos moti pœnas ab nefariis hominibus repetendas eſſe putaviſtis, eadem & ego moveor, ne Mamertinos impunitos pati poſſim. præſertim quum poſtea quoque latrociniis per univerſam Siciliam exercendis, primi ſceleris memoriam novis ſubinde facinoribus propemodum obruerint. Nam, ut alia ta-* Camarinam Gelamque exciderunt. Diod. Ecl. l. 23.

eeam, Camerina Gelaque urbes ab his exciſæ quum in fide Syracuſanorum eſſent, ſatis mihi graves cauſſæ videntur, cur hominum importuniſſimorum nefariam audaciam juſto pioque bello proſequamur. Quod ſi vero tuendos vobis eſſe propterea ſimulatis, quod eadem in Italia nati, quodammodo conſanguinei veſtri eſſe videantur: quanto juſtius fuit Rhegienſibus Italis parci, qui cives veſtri fuerunt? Qua in urbe recuperanda quum ego vos auxiliis & commeatu juvarem, divinare debui futurum ut aliquando me non leviores ob cauſsas Meſſanam obſidentem prohiberetis? ſed quid ego multis ago, Romani! nam profecto ſi penes vos aliqua adhuc fides famæque cura, ſi quis honeſti intellectus, ſi denique pudor ſupereſt; dubitare non debeo, quin me tam juſta tenentem arma veſtris viribus adjuturi potius, quam impedituri ſitis: ſin vero hæc vobis levia videri cœperunt; eventus quidem armorum incertus eſt: ſed hoc longe certiſſimum, omnes ubique mortales apertiſſime cognituros eſse: non ulla juris aut æqui ſpecie, non ob acceptas injurias, quod ne ipſi quidem audetis prætexere, nulla etiam Mamertinorum miſericordia, ſed ſola ambitione & nobilis inſulæ veſtro imperio adjungendæ improba cupidine, Romanos ad bellum nobis inferendum incitari.

Romanorum ambitio ſola cauſsa belli Siculi.

Appii ſtratagema in trajiciendo freto. Front. Strat. 2. 4.

XXXIII. Quum renunciata iſta eſſent, Appius olim animadverſo, excubantibus in trajectu validis claſſibus, ſine manifeſto periculo tranſfretari non poſſe; conſilium init callidi taris & aſtutiæ plenum: placere ſibi negat *Hieronem ab Romanis alienari: neque adverſus ipſum decretum bellum eſse; neque injuſſu populi ſuſcipi poſse*; die igitur prædicta ſocios navales præſto eſſe jubet, ac navigia ad curſum inſtructa haberi, tanquam domum abnavigaturus. Sciebat autem multos ex Syracuſanis atque etiam Punicis caſtris milites, per ſpeciem negotiatorum, Rhegino in portu verſari, per quos famam illam celeriter ad eos, quibus maxime perſuaſum hoc cuperet, perventuram eſſe judicabat. Sic igitur accidit, ut providerat. quippe quum die claro navibus conſcenſis juxta litus Italicum vela facere cœpiſſet; Carthaginenſes, quibus freti claudendi negotium datum fuerat, re ſtatim per ſuos nunciata, nullum jam hoſtilis tranſgreſſus periculum eſſe reliquum exiſtimantes, tranſitum incuſtoditum dimiſere, quo quemque ferebat animus dilapſi.

Zonar. Cuſtodum negligentia.

Polyb. 2. 11.

XXXIV. Conſul qui futurum hoc conjectaverat, converſo ſub noctem curſu, cum omni claſſe, nemine per tenebras venientem obſervante, nedum prohibente, in Siciliam vectus eſt. Audax id cœptum & periculoſæ aleæ plenum fuit: quum ignarus maris exercitus per freta, etiamſi hoſtis & tenebræ abeſſent, ſuo ingenio metuenda, cum rudibus & imperite fabricatis navigiis noctu rueret; dignaque res viſa, quæ etiam novi cognominis monumento poſteris innoteſceret. Quod enim caudicariis navibus multis in tranſvehendo milite uſus eſſet, admiratione facti *Caudicem* iſtius ævi ſimplicitas appellavit. Hactenus enim rerum maritimarum adeo

Appius in Siciliam venit. Senec. de brev. vitæ. c. 13.

nullus Romanis usus fuerat, ut ad hoc tanti momenti negotium, neque tectam navem, neque longam, ne lembum quidem unum haberent, sed triremibus quas Tarentini Locrique cum Eleatis & Neapolitanis commodato dederant, & actuariolis, quæ quinquaginta remorum essent, uterentur. Polyb. 1:

XXXV. Cæterum Appius, quum forte non longe ab eo loco, ubi castra erant Syracusanorum, appulisset; cohortatus suos, *certamque victoriam* ostentans, *si tale nihil suspicantes opprimerent*, protinus ad hostium oppugnanda castra pergit. Hiero subitō tumultu excitus, & ipse contra educit copias pro tempore instructas; fit aliquamdiu certamen acre; pelluntur Romani equites: sed legionibus fortissime prœliantibus vincitur Hiero, seque cum suis trepidus intrà vallum recipit. Appius spoliari corporibus hostium jussis, Messanam intrat, Mamertinosque præsentia sua ex timore magno recreatos spei melioris implet. Hiero victum se videns priusquam vidisset hostem (sicut ipse postea confessus est) fretique transitum à Carthaginensibus proditum suspicatus, quum ambigua mente multa secum agitaret, de summa rerum vereri cœpit: proximæque noctis silentio copias eduxit castris, & contento itinere Syracusas refugit. Zonaras: Hieronem vincit & fugat. Polyb. 1. Zonaras: Polyb. 11.

XXXVI. Eo submoto Appius, quum terrore victoriæ recentis ad Pœnos quoque debellandos uti vellet, militibus ut cibum tempori capiant imperat. deinde albescente jam die progressus, castra Pœnorum oppugnare instituit. Erant hæc loco satis tuto posita, & natura manuque diligenter permunita hinc mare, inde profundæ paludes, in peninsulæ ferme speciem ambibant. inter has angustum spatium, quo uno adiri poterat, ductus adversum irrupturos murus obsepiebat. Hic ubi vim fecissent Romani milites, neque locorum simul iniquitatem, & propugnantium multitudinem vincere possent, missilibus maxime sicut in urbium oppugnatione solet, rem gerentibus Pœnis, irrito incœpto desistere coacti recesserunt. Sæpe in bellis meliori fortunæ locum fors durior, & adversi ab initio casus fecere: dum his affecti, consiliis animisque majoribus acceptum detrimentum sarcire student; hostes felicitatis opinione blanda fascinati, neque satis adversum fortuita providentes, in temeritatem auferuntur. Polyb. 12. Zonar. Castra Pœnorum oppugnat.

XXXVII. Quod illo tempore Carthaginensibus usu venit. Qui repulisse hostem non contenti, tanquam fugientem eruptione ex castris facta prosequebantur: suæ virtuti, non munitioni locorum Romanos cessisse existimantes. Itaque postquam ex angustiis quibus defensi fuerant processere, mutata cum loco fortuna prœlii, magnusque eorum numerus cæsus est: reliqui ad castra, pars, ut cuique maxime promptum erat, in urbes circumjectas diffugere, neque deinceps quamdiu Messanæ Claudius fuit, castris suis excedere sunt ausi. Consul etiam cum natura loci & difficultate situs iterato pugnare minime consultum arbitratus, quum tempus ibi frustra terere videret; præsidio Messanæ Polyb. 20. Zonar. Pœnos prœlio vincit.

relicto in Syracusanorum sociorumque fines impressionem fecit: iisque impune vastatis, tantum concepit fiduciæ, ut jam ad ipsas Syracusas exercitum auderet admovere. Varia ibi fortuna certatum est; semel etiam Consul magno in periculo fuit: circumventusque foret, nisi mature capto consilio misisset ad Hieronem, quasi de conditionibus pacis acturus. Misit & ille certum hominem ex amicis: eum hoc cœpto colloquio, & de industria producto, sensim ex iniquo loco se subtraxit in tutum.

Polybius: Zonar. Appii periculum & astutia.

XXXVIII. Syracusani quoque sequuti, sermones de pace cum diversis Romanis instituerunt, conventumque foret, ni Hiero auctor fieri noluisset. His rebus gerendis major anni pars consumpta. tum Messanam rediit Consul, & inde cohortibus aliquot relictis ad tuendos Mamertinos, cum cæteris Rhegium trajecit: mox Romam decessit ad triumphum; quem de Pœnis & Rege Siciliæ Hierone, quod primus ille de transmarinis populis ageretur; magna omnium gratulatione duxit. Hoc initium Romanis tentandi maria, & hic successus cœptorum in Sicilia fuit. Cæterum & ista & sequentium temporum gesta Scriptorum ambitione corrupta sunt, quum eorum præcipui, Philinus Agrigentinus, & ex Romanis Fabius Pictor, dum ille Carthaginensium gloriæ, hic domesticæ nimium studet, officium & fidem insuper habuerunt.

Triūphus primus de Transmarinis. Silius l. 6. Eutrop. l. 2.

Polybius.

Historicorum mala fides.

XXXIX. Quorum levitatem merito Polybius arguit. quippe quum etiam privatorum minimis in caussis falso testimonio circumvenire quemlibet exsecrabile crimen habeatur; quanto fœdiore perfidia conditor historiæ principum atque populorum acta corrumpere censendus est: cui, neque mortalium commodorum quidquam, neque spiritus ipse pulchra veritate debebat esse antiquior, tanto minori spe veniæ, quod ne prætextum quidem mentiendi allegare idoneum ullum potest; cui, si libere quæ vera sciebat quacumque de caussa non licuisset tradere, tacere certe licuisset. Porro, dum in Sicilia Claudius Hieronem & Pœnos vincit, obsidionem Volsinienſium ad exitum deduxit alter Consul M. Fulvius, qui homines adversus vim desperatione validos, inopia rerum necessariarum & fame domuit. Facta deditione ingratum illud & insolens libertinorum vulgus cum cruciatu interemptum est: urbs etiam ipsa diruta: reliqui Volsinienſium & quod servorum fidem atque reverentiam erga dominos non exuerat, inattributas alibi sedes migraverunt. hoc quoque bellum dignum triumpho visum est: eumque Consul AD. Kalendas Novembres tanquam de Volsinienſibus egit.

Arguitur à Polybio.

Liv Epit. l. 6. Zonar. Volsinienſium servi puniuntur.

XL. Iisdem Consulibus à Cn. Cornelio, C. Marcio Censoribus lustrum conditum: censa sunt civium capita ducenta nonaginta duo millia, ducenta, viginti quatuor: numerus sane magnus & propemodum incredibilis, tot bellorum à primis ferme Urbis initiis nunquam cessantium, continua detrimenta; tot ex pestilentia morbisque sæviſſimis non minores belli cis strages, cogitanti. Cæterum aliis aliisque subinde populis in

Capitol. Colum. Civium censorum numerus. Suidas in Ἀριθμὸς πολιτῶν. ις.

Gladiatorii muneris origo.

in civitatem recipiendis, quod inſtitutum à Romuli ſapientia profectum poſteri conſtanter tenuerunt, invicta nulliſque cladibus ſuperabilis effecta eſt Reſpublica; quam nec à Pyrrho data damna, neque naufragia frequentia primo Punico bello, neque ſecundo Traſimenus & Cannæ potuerunt affligere, quin ex incommodis ſuis identidem alàctior ferociorque reſurgeret. Tac. 11. 24. Pop. Rom. ex incommodis alacrior refurgit. Dionyſ. 2. 17.

XLI. At in Græcia Làcedæmonii militari laude & ipſi percelebres, neque impares Romanæ virtuti, quoniam arcebant peregrinos, nec imperium quod pepererant, diu, neque libertatem ſuam ſemper tueri potuerunt. Sed quum Leuctrica pugna mille non amplius Spartiatæ cecidiſſent, protinus potentia civitatis corruit: Iterum ad Sellaſiam, Lacedæmoniorum ſex ferme deſideratis millibus, ſtatim amiſſa libertas eſt. Achæi vero ejuſdem Peloponneſi incolæ vicinos omnes æquo jure complexi, pulcherrimam conſtituerunt rempublicam, & manſuram, niſi Romanam potentiam tum etiam longe lateque imperantem, inſania paucorum in perniciem ſuam patriæque provocaſſet. Atqui tam diverſus eventus inſtituta tam diſſimilia neceſſario ſequutus eſt. Sicut enim naturæ congruit, corpus quod juſtum ad modum ſalubri cibo reficitur, robuſtius & longioris ævi eſſe; quam ſi ingenito contentum ſucco extra ſe natum alimentum omne aſpernaretur: ita florentiores fuere civitates, quæ ſuum efficere noverunt, quidquid uſquam egregii erat; quam quæ inepta quadam arrogantia habentes deſpicatui quod in ſua gleba natum non eſſet, ſemetipſas multis boniſque potentiæ quærendæ tuendæve adjutoribus ſpoliarunt. Pluta. in Ageſil. c. 49. Plut. in Cleo. c. 41. Rerumpublicarum quæ arcent peregrinos, & quæ recipiunt, comparatio. Juſt. l. 34. Sicut corpora ita civitates externo ſucco alendæ.

XLII. Idem annus rei ſane crudeli, ſed mox intemperantiſſime uſurpatæ, initium attulit, ut ſanguis humanus, in gratiam leviſſimi cujuſque ſpectatoris affatim fuſus, voluptas publica fieret. Barbari moris auctores M. & D. Junii Bruti, neſcio qua pietate defuncti patris cineres honoraturi, gladiatorium munus ediderunt, magno favore civitatis. Sed hanc humanitatis injuriam ulta peſtilentia eſt; quæ per iſtum & ſequentem annum atrociſſime ſæviit. Ob quam, quum Sibyllinos libros adiri placuiſſet, ira deûm immiſſam eſſe repertum. Ergo religiones profecto parum caſte haberi ſuſpicione orta, Pontifices diligentius obſervando & inquirendo, plurima ſacella fanaque à privatis occupata eſſe invenerunt; & Capparoniam ex Veſtalibus inceſti crimine teneri. Sed illa dum rea peragitur, ſuſpendio prævenit ſupplicium: in corruptorem ejus conſcioſque ſervos legibus animadverſum eſt. Loca ſacra ex privatorum temeritate priſcis uſibus vindicata. Gladiatorii muneris origo. Liv. Epit. Val. Max. 4. 2. 7. Oroſ. 4. 5. Religiones parum caſte habitæ. Aug. de Civ. Dei 3. 17. Oroſ. 4. 5.

XLIII. Sic exſoluta religionibus civitate Patres animum rurſus ad reipublicæ curam retulerunt; & quoniam Etruria jam pacata, nihil in Italia reliqui motus erat; ambos anni novi Conſules in Siciliam cum legionibus tranſgredi placuit. Fuerunt hi M. Valerius M. F. M. N. Maximus, qui in hoc honore Meſſalla appellatus eſt, & M. Octacilius C. F. M. N. Craſſus. Ab Anno ab urb. cond. 490. Ambo Conſules in Siciliam proficiſcuntur. Tabul. Rom.

his tranſportatis proſpere copias eadem in rebus gerendis proſequuta ſe-
Diod. Ecl. l. 23. licitas eſt. Quum enim Adranitarum urbe poſt brevem obſidionem per
Zonar. vim capta, Centuripinos circumſiderent, venerunt ab Alæſinis legati op-
Pœnos Syracuſanoſque ſæpe vincunt. pidum ſuum dedentes. Inde Conſules diverſas inſulæ partes obeundo, modo diviſis, modo junctis exercitibus, ut res & ratio ſuadebat, Pœnis Syracuſaniſque quoties congredi erant auſi proſſigatis, terrorem famamque late ſparſere: tantaque fortunam ſequentium facilitas, tantuſque impetus fuit; ut paulo poſt oppida haud minus ſeptem & ſexaginta numerarentur, quæ Romanæ fidei ſe permiſerant: quo in numero Tauromenitani quoque & Catinenſes fuere.

Eutrop. l. 2. Syracuſas obſident. Diod. Polyb. 1. 16. Pauſan. l. 6. XLIV. Unde Conſules imperatis, quæ volebant, auxiliis quotidie validiores, ad ipſas jam Syracuſas caſtra ponere ſunt auſi, obſidionem urbis meditantes. Quibus rebus animadverſis Hiero, quum ſuis atque Carthaginenſium viribus diffidere cœpiſſet, præterea plus apud Romanos eſſe fidei crederet, amicitiam & ipſe cum Romanis inire conſtituit: legatoſque cum mandatis de pace componenda ad Conſules miſit. Neque Romanis diſplicebat Hieronem à ſocietate Punica disjungere; maxime ut res annonaria ſuis legionibus expeditior eſſet. Nam Carthaginenſibus mare obtinentibus ex Italia tranſvehi commeatus nequibant; & ab ea prioris anni Conſul plus propemodum, quam ab hoſtibus incommodi moleſtiæque perſenſerat. Hierone vero adjuncto Syracuſanum regnum abundanti frugum copia, res neceſſarias Romanis affatim erat præbiturum.

Diod. Ecl. l. 23 Hieronis ſocietas Romanis utilis. Polyb. 1. 16.

Ejus leges. XLV. Itaque legibus his tranſactum: *ut Hiero quæ de Romanis ſociiſve eorum loca, quoſque homines cepiſſet, ſine pretio reſtitueret: argentique talenta centum penderet. Ipſe tuto imperaret Syracuſis, cæteriſque Syracuſani juris urbibus.* ex quibus erant præcipuæ Aeræ, Leontium, Megara, Elorus, Netini, Tauromenium. Legatis deinde ab Hierone Romam venientibus, eædem conditiones ratæ fuerunt, pacemque cum eo Rege ſervandam & Senatus cenſuit; & poſt paucos dies Cn. Atilio Calatino populum rogante, populus juſſit. Hoc fœdus in annos quindecim pactum, deinceps perpetuo manſit: Hierone magnitudinem Romanam ita colente comiter; hiſque viciſſim illius ſtudium tam benigne prolixeque remunerantibus, ut neutros eorum ſocietatis inſtitutæ pœniteret. Syracuſanæ pacis audita fama, Hannibal Pœnus, qui Hieronem obſidione liberaturus cum navalibus copiis jam Xiphoniam aeceſſerat, majori quam venerat feſtinatione receſſit.

Zonar. Polyb. 1. 16: Diod. Ecl. l. 24 Caſaub: in Polyb. Tab. Meſſan.

Diod. Perpetua Hieronis & Romanorum amicitia. Diodor Polyb. 1. 15.

Pœni multa oppida amittunt. Diodor: Zonar. Cic. Verr. 4. 33. XLVI Romani quum jam Hierone quoque ſocio & commilitone uterentur, non diu morati, Carthaginenſis ditionis oppida complura ſubegerunt. Et ab Adranone quidem, vico munito, Maecellaque poſt multorum dierum obſidionem diſceſſerunt inriti: cæterum Segeſtanos, occiſo Pœnorum præſidio ad ſe ultro deſciſcentes, receperunt. Præter alia cognationis neceſſitudine ſe Romanis fratribus favere dictitabant:

originem ſuam & ipſi ad Æneam ex Trojano incendio profugum referentes. Neque multo poſt Alienæ Romanis acceſſerunt; ad Hilarum vero, Tyrrhum, & Aſcelum, vi & machinis opus fuit; eoque ſeverius in victos conſultum. Quo terrore Tyndaritani proximos ſe periculo, & auxilia longe eſſe cernentes, quum ipſi quoque de tradenda Romanis urbe conſultarent, à Pœnis prohibiti ſunt. nam illi ex rebus ipſis conjectura capta quid ageretur, primores civitatis obſidum loco Lilybæum avexerunt: etiam frumento, vino, cæterarumque rerum apparatu abſportato. Zonar. Diodorus. Tyndaritanos ad Romanos tranſire prohibent.

XLVII. His temporibus Octacilii Craſſi Conſulis utilis & conveniens Romanæ diſciplinæ ſeveritas fuit. qui milites ab Hannibale turpi pacto incolumitatis ſub jugum miſſos, extra vallum tendere juſſit, ut hoſtium incurſionibus expoſiti, neque alibi quam in virtute ſpem habentes, confirmarentur animis, armiſque potius quam loco ſe tueri diſcerent. Poſt hæc & alia non majoris momenti geſta, quum hyems immineret, præſidiis per opportuna loca diſpoſitis, Conſules, reliquo exercitu in Italiam reportato, Romam redierunt. Ibi M. Valerio, cujus eo bello felicior & utilior opera fuerat, triumphus decretus, quem ante diem XVI. Kalendas Apriles de Pœnis & Rege Siculorum Hierone duxit. Prætervectum inter ſpolia horologium eſſe ideo adnotatum eſt, quia res ad eam diem incomperta Romæ fuerat. id Catina recepta deportatum, deinde in publico ſecundum Roſtra, in columna Valerius ſtatuit. Idemque tabulam in qua prœlium quo Pœnos & Hieronem vicerat, depictum fuit in latere Curiæ Hoſtiliæ propoſuit; quod ante eum fecit nemo, poſtea plerique. Otacilii Conſulis ſeveritas. Front. Stratag. 4. 1. Zonar. Faſti Capitol. Varro ap. Plin. 7. 60. Horologium in Triumpho prætervectum. Varro ap. Macrob. Saturn.

XLVIII. Meſſallæ cognomen huic Valerio ab urbe Meſſana inditum fuiſſe conſtat: ſed miror ab ea capta hæſiſſe, non contemnendis auctoribus credi: quum potius ideo impoſitum ipſæ res evidenter arguant, quod Meſſanam à Pœnis & Hierone diſceſſu Appii Claudii acrius infeſtatam, illis ſubmotis, hoc reconciliato, liberaſſet. Inter hæc quum adhuc peſtilentia vexaret Urbem, Dictatorem clavi figendi cauſſa dici placuit. Dictus eſt Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus: is magiſtrum equitum Q. Marcium Q. F. Q. N. Philippum duxit. Eodem anno Æſernia colonia deducta eſt: quum ſuperiore Firmum deducta eſſet, & ut quidam volunt, Caſtrum. L. deinde Poſthumius L. F. L. N. Megellus, Q. Mamilius Q. F. M. N. Vitulus Conſules facti. Sicilia provincia utrique data; legiones vero duæ tantum decretæ: ſufficere vilæ, poſtquam in ſocietatem accepto Hierone levius bellum factum erat: & rem frumentariam facilius expediri poſſe rebantur, ſi minor exercitus mitteretur. Meſſalæ cognomen Valerio inditum. Mirm. Capitol. Liv. Epit. 17. Æſernia, & aliæ coloniæ deductæ. Vell. 1. 14. Polyb. 1. 17. Anno ab urb. cond. 491.

XLIX. Conſules trajectis in Siciliam legionibus, ſociorumque contractis auxiliis, minores ſibi res prætermittendas rati, ad urbem Agrigentinam totis viribus obſidendam animum adjecerunt. Eam rebus omnibus Agrigentum obſidetur à Romanis.

Pœnorum apparatus.

Pœni largiſſime inſtruxerant, belli arcem habituri. Quippe quum Hieronem ab amicitia ſua defeciſſe, Romanos contra non perfunctorie rerum Sicularum curam capeſſere cernerent; diligentiore ad bellum apparatu opus eſſe rati, primum quidem præſentium virium majorem partem in Sardiniam miſerunt, quæ Italiæ litoribus inſidiaretur, ut hoc metu Sicilia Romanos abſtraherent: aut certe minoribus, quam voluiſſent, copiis rem ibi gerere cogerent. Mox Romanis ad ſua tuenda, Siciliamque novo cum exercitu repetendam pariter ſufficientibus, ſpe iſta falſi ex Liguribus Galliſque mortales multos, ſed plures adhuc ex Hiſpania mercede conductos, ſimul rerum ad victum neceſſariarum magnam copiam, Agrigentum miſerunt: ibi horreum annonæ, receptum exercituum ſuorum eſſe volentes, loco, & opportunitate ſitus, & magnitudine oppidi, præ cæteris quæ in Sicilia poſſiderent, his uſibus accommodato.

Zonaras.

Polybius.

Tota belli moles circa Agrigentum.

L. Circum hanc igitur urbem tota belli mole contracta, Conſules Pœnis intra munitiones compulſis, ad unum inde miliare caſtra locant. Erant tum in agris maturæ fruges, & quia diuturnam fore obſidionem apparebat, milites ſtudio demetendi colligendique frumenti, longius & incautius quam hoſte tam propinquo par eſſet, vagabantur. Neque Carthaginenſes imperite aut ſegniter occaſione uſi, magnam intuliſſent cladem, niſi tantumdem virtute reſtituiſſent Romani milites, quantum negligentia perdiderant. Quum enim frumentatores ſubitum hoſtis impetum ſuſtinere non potuiſſent, Pœni ad ipſa caſtra Romana perrexerunt, diviſoque agmine quidam vallum reſcindere parabant: alii cum ſtatione pro caſtris locata prœlium conſerebant. Tunc igitur, ſicut alias ſæpe, militiæ leges & incorruptus diſciplinæ rigor, rem ancipitem & exitio Romani exercitus caſuram, erexit.

Diſciplina Romana ſervat exercitum.

Pugna:

Victoria penes Romanos.

LI. Quod enim quacumque de cauſſa ſtationem deſeruiſſe capitale apud Romanos eſt; excubitores nihil in fuga ſpei repoſitum eſſe gnari, quanquam numero longe ſuperarentur, pugnam præſentiſſimis animis ſuſtinuere, multis quidem ſuorum amiſſis, ſed hoſtium interfectis pluribus: donec armari cohortes laborantibuſque ſuccurrere potuerunt. Ita & hic pulſi hoſtes, & qui vallum jam prope ceperant circumventi. magna ibi cædes fuit. cæteros ad urbem uſque Romani perſequuti ſunt. Ea res in poſterum & timidiores ad eruptionem hoſtes, & cautiores Romanos ad frumentandum fecit. Inde cum ſegnior eſſe cœpiſſet contentio, rarius, nec niſi ad levia certamina excurrentibus Pœnis, dividi copias placuit, & duabus urbis partibus, hinc ad Æſculapii fanum, inde via quæ Heracleam ducit, caſtra ſtatui. hæc foſſis utrinque permunita: qua urbem ſpectabant, adverſum eruptiones; foris, quo tutiora contra invaſuros eſſent, iterque ſubſidiorum in urbem introducendorum præluderetur.

Siculorum ſtudia erga Romanos.

LII. Medium inter duo caſtra ſpatium, frequentibus præſidiis ſtationibuſque ſeptum eſt. In his omnibus multum juvabantur operâ

Siculorum qui recens in fidem venerant: quorum jam una cum Romanis centum millia facta erant. Ab iisdem commeatus Erbessum usque subvehebantur: ab eo deinceps oppido (non aberat autem longe) ipsi Romani sua in castra deportabant. Ita fiebat ut affatim esset magna rerum necessariarum copia. Hoc in statu ad menses ferme quinque hæsit obsidio: quum neutris insigne ad victoriam momentum adeptis (præter leves enim velitationes tentatum nihil fuerat) res Punicæ deteriore loco esse cœperunt. Quia enim ingens hominum multitudo, haud minus quinquaginta millia bellatorum, tanto jam tempore idem intra oppidum conclusa annonam fere omnem absumpsisset; iperari vero subvectio nulla posset, aditus omnes Romanis solicite custodientibus; propugnatorum animi tam præsentibus malis, quam expectatione instantium haud mediocriter angebantur. L. M. bellatorum Agrigenti obsessa.

LIII. Igitur Hannibale Gisgonis filio, (nam hic rebus Carthaginensibus Agrigenti præerat:) crebris nunciis opem adversus famem & pericula poscente; cum militibus qui postea contracti fuerant, elephantisque, Hanno senior in Siciliam transmittitur. Peditum erant millia quinquaginta, sex equitum, sexaginta elephanti. Cum his copiis Lilybæum vectus, inde versus Heracleam movit: statimque venerunt ad eos qui deditionem Erbessi pollicerentur. Horum opera Erbesso potitus, unde hactenus ad castra Romana deferri commeatus consueverat, rem haud minimi momenti perfeciisse videbatur, quum excluſos omni propemodum facultate necessariarum rerum Romanos haud levius urgeret, quam ab his Agrigentini premebantur. Jamque de obsidione solvenda deliberatum erat non semel, nihilque propius factum, quam ut negotium istud pro desperato abjiceretur; nisi Rex Syracusanus omnes tentando vias nonnihil frumenti cæterarumque rerum furtim submittens, præsentem inopiam modico subinde levamento recreasset. Zonar. Hannibal Agrigenti præfectus. Hanno cum novo exercitu in Siciliam venit. Polybius. Diod. Ecl. l. 22. Polybius.

LIV. Hanno quum Romanos & penuria, & morbis qui sequi famem solent graviter affectus, suas contra copias viribus integris agere perpenderet, propius ad Romanos accedere, prœliique, si facultas daretur, fortunam experiri statuit. Elephantis igitur quinquaginta cæteroque toto exercitu adsumptis Heraclea profectus, Numidicum equitatum præmittit, qui hostium castris obequitans, eliceret Romanos equites, & in præparatas insidias deduceret. Numidis, uti mandatum erat, ad castra Consulum contemptim provolantibus, erumpunt Romani, propelluntque resistentes primo, deinde solutis ordinibus via qua venire Hannonem sciebant, refugientes, contento cursu persequuntur. Igitur quanto longius abripi se passi fuerant, tanto difficiliorem ad sua munimenta receptum habuerunt; multique eorum quum & recentes occurrissent copiæ, & qui paulo ante fugerant undique circumfunderentur, desiderati sunt. Romani penuria & morbis vexantur. Hannonis fiducia.

LV. Hoc eventu magis etiam ad ſpem ſummæ victoriæ confirmatus Hanno, collem quendam, Torum nomine, mille quingentis paſſibus à Romanorum caſtris diſtantem inſedit. Serius tamen aliquanto, quam inter exercitus tam propinquos ſperari potuiſſet, commiſſa pugna eſt; modo Romanis, modo Pœnis unius prœlii fortunæ ſpes univerſas committere formidantibus. Donec igitur pugnandi avidior Hanno fuit, Romani caſtris ſuis ſe tenuerunt: quod numero, & alacritate, ipſi detrimento equitum ſuorum perculſi & mœrentes, vincerentur. Poſtquam autem dubitatione ſua ſociorum animos langueſcere, hoſtes in ſpem erigi, duriuſque ſibi bellum cum inopia, quam cum Pœnis futurum arbitrati, certamen detrectare deſierunt; Hanno viciſſim tergiverſari cœpit, & omnia metuere.

Zonar.

Deinde contatio.

Polybius. Agrigentini urgentur.

LVI. Duo menſes ſic exacti, ut præter levia prœlia, quæ fiebant quotidie, nihil majoris rei gereretur. Ad extremum frequentibus Hannibalis precibus motus, qui & nuncios mittebat adſidue, &, facibus accenſis ſigna crebra edebat famem amplius obſeſſis tolerari non poſſe, multoſque ea peſte coactos ad hoſtem transfugere, dimicationi moram ulterius nullam adferre decrevit: eodem tempore Hannibale quoque cum ſuis eruptionem ex urbe facturo. Quæ quum animadvertiſſent Conſules intra ſua ſe caſtra quieti tenuerunt. eo ferocius Hanno aciem inſtructam oſtentare, & ubi nemo contra exit, ſub ipſa Romanorum munimenta ſuggredi, ad pugnam audacter provocare, contantibus timorem & ignaviam objicere: illi hoſtem levibus prœliis à vallo repuliſſe contenti, neque contra manentes ſtruebant aciem; neque recedentes inſequebantur. Hoc ubi per aliquot continuos dies factum, Pœniſque jam perſuaſum eſſet, nihil ultra auſurum Romanum, L. Poſthumius Conſul contemptum hoſtium in ſuam occaſionem ſolerter vertit. Inſtructis enim ſilentio copiis omnibus intraque vallum retentis, accedentem pro more Pœnum cum paucis ſubmovens, à prima luce ad horam diei ſextam velitando detinuit. tum demum recipientibus ſe hoſtibus productas ex caſtris legiones immiſit.

Ea res Hannonem ad pugnandum ſtimulat. Zonaras. Front. Strat. a. 2

Prœlium. Romani utrumque ducem hoſtium vincunt.

LVII. Hanno quanquam contra opinionem ſuam pugnandum ſibi videret, intrepide congreſſus in ſerum diei ambiguum certamen extraxit. Sed Romanos curatis bene corporibus, ad pugnam præparatos, æſtus, ſitis, labor, non æque fatigabat: Carthaginenſis autem acies ante commiſſum prœlium inedia & ſtando feſſa, quanto longius protrahebatur dimicatio, fatiſcentibus corporibus minus ad reſiſtendum virium habebat. Poſtremo conductitius miles qui in prima fronte pugnabat, diutius ſuſtinere laborem non potuit; neque ſolum ipſe ceſſit loco, ſed in elephantorum agmen, & alios à tergo ſtantes ordines trepida fuga ſe inferens, turbavit totam aciem, hoſtique acriter incumbenti terga dare coegit. Eadem felicitate tum quoque ab alia parte geſta res: Hannibalque quum eruptione pugnaviſſet, majore ſuo quam hoſtium detrimento in

Zonar.

urbem compulſus eſt. Capta Carthaginenſium caſtra ſunt : elephanti vulnerati tres, cæſi triginta, undecim in manus Romanorum venere: ſimilis & hominum fortuna fuit. de tanto exercitu pauci cum ipſo duce Heracleam evaſerunt. Diod. Ecl. l. 23. Carthaginenſium clades. Oroſ. 4 7.

LVIII. At qui in urbe clauſi erant, rebus plane deſperatis, nullam ſalutis viam ſibi relictam eſſe videntes, maximis terroribus affligebantur: quum Hannibal optimi ut in fortuna mala conſilii auctor, animadverſo Romanos & labore certaminis defatigatos, & lætitia bene geſtæ rei ſolutiores, negligentius ſolito excubias agere, circa tertiam vigiliam cum mercenariis exit oppido: & cratibus, quas hunc ad uſum ante paratas ſtramento compleverant, in foſſas injectis, transgreſſus, aliquantum itineris præcipit, donec Romani luce jam oriente quid actum eſſet ſentientes, partem extremi agminis deprehenderunt; Hannibal cum reliquis in tuta loca pervenit. At Agrigentini deſertos à Pœnis ſe videntes, multos eorum qui in urbe remanſerant, ſive per iram, ſive ut à victore gratiam inituri, concidere. Nec ideo minus direptum eſt oppidum : homines, amplius quinque & viginti millia liberorum capitum, in ſervitutem venditi. Polybius. Zonaras: Hannibal Agrigenti clauſus, ſolerter evadit. Zonar. Agrigentum diripitur. Polybius. Diodorus. Oroſ. 4 7.

LIX. Hoc maxime modo captum à Romanis Agrigentum eſt; ſeptimum intra menſem quam obſideri cœperat, magna cum utilitate gloriaque populi Romani, ſed multa quoque ſanguinis impenſa. quippe ſupra triginta hominum millia de Conſulum exercitu, Siculorumque auxiliis inter iſtam obſidionem varia peſte perierunt. Qua de cauſſa, ſimul quia nihil jam magnæ rei ob hyemem propinquam ſuſcipi poterat, Meſſanam redierunt. Anno deinde proximo eum imperio iverunt in Siciliam L. Valerius M. F. M. N. Flaccus, & T. Otacilius C. F. M. N. Craſſus, Conſules, prioribus ducibus ad ſpem triumphi Romam digreſſis. Carthaginenſes quidem claſſe tanquam ad vaſtandum Italiam miſſa, novos Conſules à Siciliæ cura diſtinere cupiverant; ſed ii conſtitutis circum litora globis militum, qui prædones arcerent, nihilominus in inſulam transjecerunt. Tunc quoque multa Siculorum oppida in fidem recepta, recenti cladis Agrigentinæ exemplo & metu : neque obſiſtentibus Pœnis, quos ſuper prælium adverſum etiam ſeditiones mercenariorum militum angebant: Gallis præcipue ob menſium aliquot ſtipendia non ſoluta tumultuantibus. Ad quos puniendos fraudem ejuſmodi commentus eſt Hanno. Ingens numerus in illa obſidione amiſſorum. Diodorus: Anno ab Vrb. cond. 492. Eutrop. l. 2. Zonar. Polybius. Pœni ſeditione mercenariorum anguntur. Front. Strat. 3. 15.

LX. Sermone blando mitigatos *modicum ad tempus quieſcere* jubet; *ſibi eſſe certam & propinquam oppidi cujuſdam locupletis occupandi ſpem* oſtendit: *ex ejus præda cumulate Gallis etiam pro ſolutionis mora ſatisfactum iri* confirmat. Ita ſedatis illis adeoque gratias agentibus, opportuno tempore, cum diſpenſatore ſuo quem habebat fideliſſimum agit, *ut ſpecie transfugæ, tanquam rationibus interverſis ad Otacilium Conſulem pergeret, indicaretque nocte proxima Gallorum millia quatuor ad ur-* Zonar. In his puniendis fraus Hannonis. Front. Strat. 3. 16.

Galli mercenarii P. norum cæduntur.

bem Entellinam proditorum opera recipiendam venturos, locatis inſidiis circumveniri poſſe. Conſul rem non ſpernendam arbitratus, licet transfugæ non omnino confideret; mittit delectam militum manum. veniunt & Galli ab Hannone decepti. Conſurgentibus ad hos excipiendos Romanis oritur prœlium atrox, in quo Galli omnes interfecti, quum inulti noluiſſent occumbere duplex Hannoni gaudium præbuerunt, conductitiorum inſolentiam, cum hoſtium haud exiguo detrimento non incallide vindicanti.

Front. de Aquæd.

LXI. Romæ interim de aqua Anienis in urbem deducenda Minucius Prætor in Senatu retulit. Opus illud ex manubiis Cenſor M. Curius locaverat. ſed variis exortis impedimentis, res nonum in annum prolata, tum retractabatur. Creatique duumviri Curius & Fulvius Flaccus: ſed Curio quintum intra diem defuncto, gloria deductæ aquæ penes unum Fulvium fuit. Sub id tempus Hamilcar in Siciliam Hannonis ſucceſſor Carthagine venit. Hannonem namque ex mala pugna domum redeuntem, ignominioſe exceperant Pœni, mulctatumque ſex millibus aureorum præfectura dimoverant. Eum Hamilcarem patrem Hannibalis, qui ſequens bellum Punicum adverſus Romanos duxit, fuiſſe, quidam ſimilitudine nominum decepti non recte tradiderunt. nam genitor Hannibalis Hamilcar extremis ejus belli temporibus in Siciliam cum imperio adoleſcens venit; ſed celebritas ejus effecit, ut alterius ignotioris Hamilcaris acta, Barcæ Hamilcari, omnium qui hoc nomine fuerunt nobiliſſimo adſcriberentur. Succeſſor igitur Hannonis Hamilcar, pedeſtri utique exercitu Romanos longe ſuperiores eſſe cernens, mediterraneas quidem urbes nullas audebat adgredi, neque ex locis montuoſis & arduis in plana deſcendere, ſed claſſe validus, qua haud dubie maris imperium tenebat, ea parte virium haud ſegniter utebatur, miſſoque iterum Hannibale ad vaſtandam Italiæ oram, ipſe Sicula litora circumvectus, pleraque maritima loca, quæ Romanis ſeſe adjunxerant, facile recuperavit. Qua re fiebat, ut Romanis loca procul à mari remota, Pœnis litoralia, & occupantibus facile, & tuentibus, æquo utrinque momento ſpes metuſque librarentur, neque facile penes utrum populum totius belli victoria eſſet futura, judicari poſſet.

Diodorus. Hamilcar in Siciliam venit.

Zonar. Alius Hamilcar Hannibalis pater. Cic. de off. Corn. Nepos Amilc. c. 1.

Polyb. l. 20. Zonaras. Romani mediterranea, Pœni maritima loca facilius tuentur.

JOAN-

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECVNDA.

LIBER XVII.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XVII. LIVIANI.

C. Cornelius Cos. *à claſſe Punica circumventus, & per fraudem veluti in colloquium evocatus, captus eſt. Cn. Dulius* Cos. *adverſus claſſem Pœnorum proſpere pugnavit, primuſque omnium Romanorum ducum navalis victoria duxit triumphum ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, ut revertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur. L. Cornelius* Cos. *in Sardinia contra Sardos, & Corſos, & Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit. Atilius Calatinus* Cos. *cum in locum iniquum à Pœnis circumſeſſum temere duxiſſet exercitum,* * *M. Calpurnii tribuni militum virtute & opera evaſit, qui, cum trecentis militibus eruptione facta, hoſtes in ſe convertit. Hannibal dux Pœnorum victa claſſe, cui præfuerat, à militibus ſuis in crucem ſublatus eſt. Atilius Regulus* Cos. *victis navali prælio Pœnis, in Africam trajecit.*

QUARTUS jam belli Carthaginenſis annus exierat, neque pœnitebat virtutis aut fortunæ Romanos: prœliis enim omnibus quotieſcunque congreſſi cum Syracuſanis, cum Pœnis fuerant, victores diſceſſerant: opulentas urbes oppugnando ceperant: aliæ conditionibus in poteſtatem venerant: ſed quando bellum in inſula gerebatur, neque commeatus, neque ſupplementa quum opus eſſet, ſubmitti poterant: & naves Carthaginenſium liberis & improviſis adpulſibus non modo Siculas urbes ad mare poſitas ex tuto vexabant; ſed etiam Italiæ oram ſubinde vaſtantes, & detrimentum imperio Romanorum; & ignominiam famæ inferebant, quum interim Africa indemnis, & periculorum malorumque omnium

Romanorum commoda & incommoda bello Punico in Sicilia.

Polybius.

NOTÆ.

* *M. Calpurnii Tribuni militum.*] Livius Calpurnium Flammam nominat lib. 21. Cato Q. Cæditium, alii Laberium appellarunt ex Gell. 11 1.7.

hoſtilium exſors haberetur. Itaque re diligenter deliberata Senatui Populoque Romano placuit, ut claſſe comparata, non terra tantum, uti cœperat, dimicaretur cum Pœnis, ſed etiam maritimæ aleæ fortuna tentaretur.

De iis deliberatio.

De navalibus rebus ſeria cogitatio.

II. Hæc prima Romanæ urbi de navalibus rebus ſeria cogitatio fuit: quam haud minus forti felicique opera complevit, ac animo conſilioque fidenti ſuſceperat. ut non immerito judicaretur, orbis imperium genti Romanæ deberi, cui adverſus exercitatiſſimum in re nautica populum claſſibus bellare volenti, nec ad rem adgrediundam audacia, nec ad regendam ſollertia, nec ad perficiendam conſtantia defuiſſet. Quum enim ad eam diem Romani adeo maritimam militiam non attigiſſent, ut neque viros qui navale prœlium vidiſſent, neque naves ullas bellicas, no fabricandarum quidem artifices idoneos haberent, maxima fiducia tantum opus adgreſſi, breviſſimo tempore & navigare cœperunt, & dimicarunt maritima pugna, & homines à multis ætatibus rerum earum peritiſſimos ſuperaverunt. Cura claſſis fabricandæ mandata Cn. Cornelio L. F. Cn. N. Scipioni Aſinæ, & C. Duilio M. F. M. N. qui Conſulatum recens iniverant.

Claſſis fabricatur. Oroſ. 4. 17.

Anno ab Urb. Cond. 493.

III. Navis erat una quinqueremis, quam Claudius quo tempore freti tranſitum meditabatur, cupidine pugnandi propius ad litus perlatam, lociſque vadoſis & brevibus impeditam pedeſtri manu ceperat: hujus ad exemplum claſſem exædificari Conſules juſſere, tantoque ſtudio inſtiterunt operi, ut ſexageſimum intra diem quam cæſa materia fuerat, claſſis centum ſexaginta navium in anchoris ſtaret. Sed nec ingenio minore quam induſtria Conſules expeditionem iſtam maturarunt. quum enim neque imperitos remiges in prœlii diſcrimen adducere conſultum putarent; neque exercendis iis tempus rerum gerendarum coarctare vellent, commenti ſunt rem uti prima ſpecie ridiculam, ita uſu eventuque prolixe commendabilem: ut interea dum naves compinguntur, futuri remiges in litore ſedentes officia ſua docerentur. Iiſdem enim ordinibus diſpoſiti, quos in ipſis navibus ſervaturi mox erant, hortatore in media turba collocato, ad illius vocem & præcepta, movere & impellere remos, iterumque quieſcere, haud aliter, quam navigantes ſolent, jubebantur. Hac imaginaria exercitatione tantum profectum eſt, ut poſtquam paratis jam navibus paucos dies in ipſo opere induſtriam ſuam probaviſſent, jam confidere ipſis auderent Conſules, ſuamque & legionum ſalutem credere.

Auct. de vir. ill. c. 37. Inventum ad exercendos in ſicco remiges. Plin. 16. 39.

Hortator remigum. Polyb. 1. 21.

Zonar. Polyb. 1. 21. Cn. Cornelius in manus hoſtium incidit.

IV. Provincias deinde quum ſortirentur, C. Duilio terreſtre in Sicilia bellum, Cn. Cornelio claſſis evenit. Qui adſumptis navibus ſeptemdecim Meſſanam progreſſus, quo in adventum claſſis, quam ſequi ut primum poſſet, juſſerat, neceſſaria præpararet; priuſquam ad fretum illa accederet, in manus hoſtium incidit. Factum id Boodis aſturia, quem Hannibal Punicæ claſſis imperator legatum habebat, & credulitate Conſulis,

qui Liparæis quibuſdam ab hoſte ſubornatis fidem habens, Liparæ urbis per proditionem occupandæ ſpem temere conceperat. Ibi circumventus à Punicis navibus, conſerere tamen manus, & pugnando ſalutem quærere cogitabat: niſi Boodes altera fraude ipſum & tribunos militum, quaſi de conditionibus cum Pœno loquuturos ſuam in triremem pellexiſſet. venientibus injectæ ſunt catenæ: quo terrore quum cæteri ſine certamine ſe tradidiſſent; Boodes navibus omnibus potitus captivos Carthaginem miſit. Polybius. Liv. Ep. 17. Boodis Punicæ fraudes. Zonaras. Florus 2. 2. Oroſ.

V. Simile mox Pœni ducis peccatum fuit, eoque majoris opprobrii, quod neque Romani Conſulis incogitantia tam recenti exemplo ad cautionem profuiſſet. Didicerat Romanam claſſem juxta litus Italicum vela facientem, ad fretum tendere; neque procul abeſſe jam poſſe. volens igitur eam ex propinquo conſiderare, ut numerum navium, & quæ in novo inſtituto Romanis agilitas & habitudo eſſet, accurate cognoſceret, cum navibus quinquaginta proficiſcitur: ſecurus futuri, & claſſe, ut in curſu tuto ſolet, navigiis temere permixtis, parum compoſita. Igitur in flexu cujuſdam promontorii quum in Romanam claſſem ordine commodo navigantem ſubito illatus eſſet; ante victus quam ad pugnam parare ſe potuiſſet, amiſſa meliori parte navium, poſtquam ipſe quoque ad extremum periculi veniſſet, cum cæteris vix effugit. Pœni ducis periculum. Victoria Romanorum. Polyb.

VI. Victrix claſſis, cognito Cornelii caſu, ſimul ad C. Duilium miſit nuncios, qui ſuum adventum ei ſignificarent; ſimul ad prælium ſe parabat, quod cæteras Carthaginenſium naves propinquis locis agere compererat. ibi dum ſolicitis animis incommoda ſuarum navium conſiderant, eaſque rudi opere conſtructas, à Punicis velocitate longe ſuperari reputant; venit cuidam in mentem machinæ ad comprehendendas hoſtium naves tenendaſque utilis, quam poſtmodum *corvos* vocaverunt. ejus hæc forma fuit. Tignum erat rectum teres, quatuor ulnas longum, craſſitie dodrantali, trocleam in ſummo habens; huic in prora navis defixo aptabatur ſcala ſex ulnas lata, longa pedes quatuor, compoſita ex tranſverſis tabulis, quas impacti clavi ferrei firmiter continebant, in ea machichina foramen relictum erat oblongum, quo tigno inducta complecteretur illud, eique cohæreret, per ſpatium ulnarum quatuor, quanta ipſius tigni longitudo erat. Florus 2. 2. Polybius. Ingenium ad comprehendendas naves. Ejus deſcriptio.

VII. Scalæ vero reliqua pars & tigno non inſerta, quæ ulnarum erat duarum, quibuſdam velut articulis ita dependebat, ut facile attolli demittique poſſet: in extremo ſcalæ validum affixum erat ferrum, piſtilli forma, præacutum, quod in capite annulum habebat, ex quo funis adligatus per trochleam tigni, in ipſam navis proram demittebatur. Tum quoties voluiſſent attracto fune erigebatur ſcala, remiſſo ruebat. quidquid comprehendiſſet infeſto ferrei ſtyli acumine defigens & vincens. Inter hæc C. Duilius Conſul pedeſtri exercitu tribunis tradito, ad naves venit: intellectoque Mylaiten regionem ab hoſte vaſtari; cum univerſa claſſe ad Uſus. Carthaginenſes claſſe congredi cupiunt.

eam oram proficiscitur. Grata res Carthaginensibus fuit, qui adversum mediterraneos homines & rei nauticæ imperitissimos, certam sibi victoriam pollicebantur: ipsi quoque documento futuri, nullum unquam hostem ita contemni oportere, ut quidquam de cavendi diligentia & disciplina remittatur.

VIII. Dux classis Hannibal, is qui copias ex Agrigentino eduxerat, septireme vehebatur, quæ fuerat regis Pyrrhi, hunc reliquæ naves sequebantur, non tanquam ad prœlium, per aciem & distinctos ordines; sed ut cuique pronum erat, hostium contemptu properantes: ac postquam propius suggressi suspensos ex proris adversæ partis minantesque corvos viderunt; rei novitatem admirati paulisper hæsere. tandem ferocissimo quoque imperitorum hominum rude commentum deridente, primæ quæquæ naves concitato impetu invehuntur. Tum vero demissi repente corvi, ut in quamlibet inciderunt, ita perforato tabulato hærentes invitam retinebant: milites autem Romani siquidem fors tulerat ut ex lateribus naves connecterentur, omni ex parte in hostiles insiliebant: quoties autem proræ tantum commissæ essent, per ipsum tignum adnexumque pontem armati bini transibant, tanto expeditius, quod utroque à latere scalæ lorica genu tenus alta, tutiorem incessum gradumque firmiorem præstabat: primi enim quique projectis ante se scutis frontem adversus hostium tela protegebant; pone sequentes sua scuta loricæ utrinque applicabant; sic etiam lateribus defensis, navem adversam collato gradu oppugnabant. fiebatque pugna non rostrorum, sed ensium virorumque cominus, & stataria similis.

Corvorum novitatem admirantur. Prœlium navale. Florus. Polybius. Front. Strat. 2:3.

Polybius.

IX. Unde Romano, qui robore præstabat, adversum homines leviter armatos, naviumque potius agilitate quam manibus confisos, facilis victoria fuit: celeriterque sunt expugnatæ naves Punicæ triginta: in quibus & prætoria septiremis capta est. Hannibal tamen, quum ex navi, quæ jam capiebatur, in scapham saltu se demisisset, captivitatem evasit. rapideque misso Carthaginem amico, qui famam cladis præveniret, imminens ob rem male gestam supplicium astu declinavit. Is enim curiam ingressus, quasi re adhuc integra consilium à Senatu petiit, *congrediendumne cum Romana classe videretur?* omnibus succlamantibus; *ne dubitandum quidem, aut differendum fuisse: fecit*, inquit, *& victus est*. Ita non audentibus incusare factum, cujus, antequam fieret, auctores esse pro se quisque voluissent, capitis pœna liberatus est Imperator, præfectura navium adempta.

Romanus vincit. Valer. Max. 7. 3. 7. Hannibalis commentum in evadendo supplicio ob rem male gestam. Zonar.

Auct. de vir. Ill.

X. Cæterum post fugam ducis è prœlio reliquæ Carthaginensium naves (supererat autem pars multò maxima) impedito consilio, quid faciundum esset, ambigebant: pudebat excedere pugna, nullo tum accepto incommodo, ne hoste quidem urgente: rursum Romanas naves aggredi corvorum metu contrabantur: ad postremum undique circumvecti, & nauticas artes omnes experti, ubi omni ex parte opponi sibi rostra & objici formidabiles illas machinas vident, desperata victoria discessere. Mersæ tradun-

Carthaginensium navium dubitatio.

Mox fuga.

tur eo prælio naves Punicæ quatuordecim, captæ una & triginta, cum ſeptem hominum millibus, poſtquam pugnando tria millia periiſſent. Hoc eventu C. Duilio Conſule adverſus Pœnos juxta Liparæorum inſulas certatum eſt: unde magnus Romanis etiam prædæ fructus, ſed longe ampliſſimus gloriæ famæque fuit. Conſul abſumpto terreſtri exercitu Segeſtam profectus, urbem à Pœnis ad extremum ſpei adactam, periculo exemit: inde Macellam pugnando cepit, Hamilcare nuſquam occurrere auſo: confirmatiſque civitatum amicarum animis, æſtate jam circumacta, Romam rediit.

Eutrop. l. 2. Oroſius. Flor. l. 2. Zonar. Polybius.

XI. Cujus diſceſſu res Punicæ rurſum efflorescere cœperunt. Primum enim ab obſidione Mutiſtrati, poſt ſeptimum menſem multis ſuorum deſideratis, diſceſſerunt Romani: deinde quum inter ipſos & auxiliares diſſenſione orta, ſeorſim à legionibus inter Paropum & Thermas caſtra metati ſocii eſſent; illorum væcordia utendum ratus Hamilcar, improviſa irruptione ſupra millia quatuor occidit: neque multum abfuit quin totus Romanorum exercitus eadem clade involveretur. Tum igitur multa iterum oppida, partim expugnata ſunt ab Hannibale, partim proditione capta. Quæ licet Romæ haudquaquam lætis auribus acciperentur, levia tamen damna præ gaudio navalis victoriæ reputabantur. Quum enim hactenus Romana virtus terreſtribus bellis invictam ſe præſtitiſſet, non abs re lætabantur iſto prœlio maritimarum quoque virium non contemnendam opinionem quæſitam eſſe. unde ad ſpem totius belli mirifice confirmatis animis, auctorem decoris inuſitati novis etiam honoribus dignum judicaverunt.

Diod. Ecl. l. 23. Duilii di ceſſu Punicæ res efflorescunt. Diod. Ecl. l. 23. Eutrop. l. 2.

XII. Primus itaque Duilius navalem triumphum de Siculis & claſſe Punica egit Kalendis Intercalaribus: tulitque civitas, quod honore iſto non contentus, alium ſibi nullo exemplo privatus ſumpſit, ut à cœna redeunti tibicinis inter cantum funale præluceret. Columna quoque roſtrata Senatuſconſulto poſita in foro eſt, ex Pario marmore candido, quæ merſarum captarumque navium, numerum, & ſummam ponduſque pecuniæ captæ complexa adhuc viſitur, ſed extritis vetuſtate vocabulis pluribus: auri tamen nummos captos eſſe ter mille ſeptingentos; argenteorum ſupra centum millia; æris gravis vicies ſepties centena millia pondo, ſatis agnoſcitur. Triumpho peracto comitia C. Duilius habuit, L. Cornelius L. F. Cn. N. Scipio, C. Aquilius M. F. C. N. Florus conſules facti. Provincias Conſulares Senatus decrevit Siciliam, & claſſem. Cui claſſis obveniſſet, ei in Sardiniam & Corſicam transjicere, ſi è republica videretur, permiſſum. Hæc ſors Cn. Cornelio quum eveniſſet, inſtructa claſſe profectus eſt.

Tacit. a. 49: Colum. Triu. Cic. Cat. c. 13. Duilii Triumphus & alii honores. Liv. Epit. 17. Plin. l. 4. 5. Sil. in fine l. 6. Pigh. Annal. Anno ab urb. cond. 494.

XIII. Hæc prima Romanorum in Sardiniam & Corſicam expeditio fuit, Inſulæ ſunt locis ita conjunctæ: ut eadem videri poſſint: cœli tamen ſolique natura, & quod ſequitur, hominum ingenio, multum diſſimili. Sardiniam ut imaginem humani veſtigii referentem *Ichnuſam* veteres;

Prima Romanorum in Sardiniam & Corſicam expeditio. Sall. hiſt. a. 1. & Plin. 3.

Silius l.2. itemque *Sandaliotin* dixerunt. *Inde Sardum Hercule Libyco genitum* ajunt *frequentatæ ab ſe inſulæ nomen quo hodie noſcitur impoſuiſſe*. Græcos etiam ad ea loca veniſſe cum Ariſtæo fabulis antiquis decantatum eſt; itemque poſt Iliaca bella, Trojanos. Terra neque ſpatio ſoli maximis ejuſdem maris inſularum, neque bonitate fertiliſſimis multum cedit. parens optima pecudum, frumenti optimi feraciſſima, metallorumque, ſed præſertim argenti, dives. Cœlo tamen haud æque ſalubri utitur, laudemque fœcunditatis apud exteros peſtilentioris aëris infamia corrumpit: per æſtatem enim morboſa eſt, & in locis fertilioribus, magis.

Sall. frag. Pauſanias. Ælian. hiſt. 12. 16. 34. Solin. c. 10.

XIV. Herbam præterea producit vehementis veneni apiaſtro perſimilem, quæ in cibo ſumpta mentem admit, nerviſque violenter attractis labia diſtorquet in ridentium ſpeciem; exitiali ſucco, niſi poſt vomitum lac aut aqua mulſa copioſe bibatur: ita vis iſtius mali præſens diluitur, cæteris deinde incommodis ea medentur, quæ in convulſionibus nervorum uſui ſunt. Etiam minimum animalculum per imprudentiam ſuperſedentibus mortiferum eſt. *Solpugam* vocant, formicarum genus, tanto periculoſioris malitiæ, quod & latet facile propter exiguitatem, & ab ignaris naturæ ejus, etiam animadverſum non timetur. Sardi variis ex barbaris mixta natio, quum ingenio ſuo permittitur, lubentius latrocinio quam agricultura victitant: pelta & brevi enſe armantur: thoraces ex pelle muſmonum conſuunt; arietes ita vocant, quos inſula gignit, non lanam ut alii, ſed pro ea pilum caprorum more geſtantes. Urbium celeberrima Caralis eſt, Africam ſpectans, & inde condita, cum pulcherrimo portu.

Mela 2. 7. Strabo l. 5. Herba Sardonica. Plin. 16. 16. Math. in Dioſc. 6. 14. Plin. 20 11 Lucan 9. 837. Strabo l. 5. Claud. de bello Gild.

XV. Corſica nec amplitudine nec opibus Sardiniæ comparanda, tertium tamen inter has inſulas magnitudinis locum obtinere creditur. nomen à Corſa, muliere quadam, accepiſſe incolæ tradunt; cujus ab armento taurus in hanc inſulam ex Liguria transjecerit. Græcis *Cyrnus* vocatur. Montuoſa eſt & aſpera, & pleriſque locis penitus invia, quare populum etiam terræ ſuæ ſimilem alit, nullo humano cultu feris propemodum ipſis intractabiliorem. Capti in ſervitutem vix manſueſcunt: ſed aut impatientia laboris & jugi vitam exuunt; aut contumacia & ſtupiditate moleſti ſunt heris. Mel in inſula copioſum eſt, ſed amari ſaporis, quale fit ex flore buxi, quam Corſica multam & craſſiſſimam profert. Idem tamen ſaluberrimum putatur; & ſunt qui longævos in Corſica homines fieri opinentur, quod mel iſtud ſuum in continuo uſu habeant. Oppida nec magna nec frequentia populo, ſed tamen ſupra triginta numerantur: ex quibus facile principes ſunt Aleria Phocæenſium Colonia; & Etruſcorum Nicæa. Hic quoque grave cœlum eſt, & præterea importuoſum mare.

Corſicæ deſcriptio. Sall. hiſt. 2. 7. Strabo l. 5 Lycus ap. Athen. l. 2. Plin. 29. 4. Mart. Capella. Corſicæ urbes. Diod. 5. 3.

XVI. Cum his igitur gentibus diu Carthaginenſes bella geſſere, & utriuſque inſulæ dominatione, præter inacceſſa loca potiti ſunt. Sed quia facilius erat rudes & feros homines vincere, quam domare; tum alia quibus eos continerent, excogitarunt, tum etiam quo res vitæ

Sen. conſolat ad Helv. c. 8.

Digitized by Google

neceſſarias ex Africa petere cogerentur, quidquid ubivis frugum fructuumve erat, corruperant, etiam ſupplicio mortis indigenis propoſito, ſi quis tale quid ſerere aut plantare inſtituiſſet: donec longa conſuetudine facti miriores imperium æquioribus animis pati didicerunt. Has ad inſulas navigationem eo tempore L. Cornelius Conſul inſtituit. & prius quidem in Corſica urbem expugnavit Aleriam, quo facto cæteras facile & citra laborem aut periculum adjunxit. Inde Sardiniam petenti claſſis occurrit hoſtium, quam aggreſſus Conſul, antequam ad manus ventum eſſet, in fugam conjecit.

Ariſt. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

Freinsh. ad Flor. a. 2. 15. L. Cornelius Aleriam expugnat. Zonar. Claſſem hoſtium fugat.

XVII. Mox ad Olbiam profectus, quum in portu multas Carthaginenſium naves ſtare vidiſſet, neque ſe ſatis à pedeſtri robore inſtructum ad oppugnationem urbis ſitu & defenſorum multitudine validæ crederet, omiſſo in præſens negotio, domum ad plures milites adſumendos abnavigavit. Per idem tempus ſervilis in urbe motus inter ipſa initia feliciter compreſſus, magna rempublicam ſolicitudine ſimul adfecit, & liberavit. Ad claſſem inſtruendam ex gentibus recens devictis navales locii frequentes cogebantur. eorumque tum ad quatuor millia Romæ convenerant, Samnites plerique. ii quod à mari abhorrerent, conditionem ſuam ſecretis ſermonibus miſerati, eo uſque exarſerunt, ut urbem incendere atque diripere agitaverint. jamque ad tria ſervorum millia in eandem ſententiam pertraxerant, quotidie ſumente vires conſpiratione, quum Erius Potilius præfectus auxiliorum prudenti conſilio periculum omne diſcuſſit.

Navalium ſociorum conſpiratio Romæ. Oroſ. 4. 7.

XVIII. Simulato enim ejuſdem factionis ſtudio, machinationes eorum omnes exacte perdidicit: genus, numerum, nomina ſingulorum qui in ea conjuratione eſſent, cognovit: loca, tempora, quibus auſuri quodque forent, exploravit. Nihil jam deerat ei quominus rem ad Senatum deferret, præter facultatem Curiam adeundi; nam voluntas ſupererat: ſed Samnitibus nuſquam incomitatum ſinentibus, perficere inſtitutum nequibat. donec excogitato dolo perſuaſit eis, *uti quo die Senatus haberetur in forum agminatim progreſſi, fraudem ſibi in dimetiendo frumento factam eſſe vociferarentur; inde naſcituram occaſionem* dicens *aut exſequendi conſilii ſui, aut certe ſpeculandi quid adverſus ſubitos ejuſmodi motus animi conſiliique Patribus eſſet*. quoque plus fidei faceret, ipſe proceſſit una, neque comitem modo ſe tumultus ejus, ſed principem ducemque præbuit. Unde vocatus ad Senatum, conſpirationis occultæ periculum commentique ſui cauſſas expoſuit.

Zonaras: Prudenti conſilio diſcutitur.

Mira ratio prodendi conjurationem, nihil ſuſpicantibus ſociis.

XIX. Patres diſſimulata facti conſcientia, miſerunt qui turbam illam blandis verbis delinitam domos abſcedere juberent; *daturos operam Patres ut injuria quæ facta diceretur ſublata, juris ſui cuique copia fieret*. Ita conjurati latere adhuc conſilium ſuum exiſtimantes digreſſi ſunt: nocte vero proxima ſuos quiſque ſervos; quos indicio Potilii ſceleris eſſe participes cognoverant, vinxit: Samnitium quoque plerique in

hoſpitiis ſuis comprehenſi. Neſcio an hæc cura, an vero aliud negotiorum aut valetudinis impedimentum C. Florum tenuerit, ne citius in Siciliam proficiſceretur. in qua Hamilcar poſt proximam victoriam res Carthaginenſium magnis profectibus reſtituebat. Quippe Camarina & Enna proditione receptis, Drepanum ubi portus egregius erat, communivit, & in oppidi formam auxit, tranſductis illuc Erycinis, quorum urbem, ne Romanis uſui foret, præter templum Veneris, everterat. Multa deinceps alia loca dolo aut armis in poteſtatem redegerat, totaque Sicilia potiturus videbatur, niſi Florus ob reſiſtas ne ſub hyemem quidem inſulam relinquere auſus obſtitiſſet.

Hamilcaris res proſperæ in Sicilia. Diod. Ecl. l. 23

Zonar.

Florum Conſulem ſub hyemem in Sicil. trajicere cogunt Oroſ. 4. 7.

XX. Facilius alteri Conſuli bellum cum Sardis & Carthaginenſibus ad Olbiam fuit. Quo reverſus cum auctioribus copiis, Hannonem invenit, quem Hannibale remoto Carthaginenſes rebus maritimis præfecerant. Pugna vehementi facta, Hanno fortiſſime dimicans, quum vinci ſuos videret, in confertiſſimos hoſtes irruens interfectus eſt, ſequutaque oppidi deditio. Conſul victoriæ famam etiam humanitatis adverſus hoſtem inſigni documento decoravit. Namè tabernaculo ſuo corpus Hannonis efferendum curavit, amplaſque ipſi fecit exſequias, ceſſantibus poſt mortem odiis, virtutem etiam in hoſte honorandam eſſe recte judicans. Inde recentis victoriæ terrorem exoleſcere non paſſus, multas & alias Sardiniæ urbes cepit, conſilio doloque virtutem adjuvans.

L. Cornelius Sardos & Carthaginenſes vincit. Val. Max. 5. 2. 2. Silius l. 6.

Front. 3. 9.

XXI. Solebat enim noctu appulſa litori claſſe, delectos ex cohortibus haud procul oppidis, quæ adoriri conſtituerat, exponere: qui locum inſidiis opportunum occupantes expectabant, donec ad ipſas urbes ſuggreſſus Conſul oppidanos in arma compulſos, ſimulatione fugæ longius à mœnibus elicuiſſet: tum illi advenientes curſu, vacuas defenſoribus urbes capiebant. eo aſtu complures in poteſtatem venere: tantumque vincendo proceſſum eſt, ut neque in Corſica neque in Sardinia Pœnorum exercitus conſiſtere poſſent. Qua de cauſſa minime dubitatum eſt, quin Romam reverſo triumphus ampliſſimus decerneretur. Triumphavit de Pœnis & Sardinia & Corſica ante diem V. Idus Martias, quum magnam ex inſulis iſtis prædam, & multa millia captivorum adduxiſſet. At in Sicilia C. Florus Proconſule Mytiſtratum obſidebat, locum munitum, & ſemel iterumque fruſtra tentatum.

Stratagema L. Cornelii: Florus 2. 2. Faſt. Capitol. Eutrop. l. 2. Zonar.

XXII. Ne tum quidem prius expugnari potuit, quam novus Conſul A. Atilius A. F. C. N. Calatinus veniret. huic enim Sicilia provincia; collegæ ejus C. Sulpicio Q. F. Q. N. Paterculo claſſis evenerat. Ii, quod Panormi Carthaginenſium hyberna erant, cum omnibus copiis eo profecti acie inſtructa fecere pugnandi copiam hoſtibus. Sed nemine contra prodeunte, Hippanam petierunt: quæ urbs ex itinere oppugnata ſtatimque capta eſt. Inde Mytiſtratum perrexit Atilius, quam acriter defenſam ad extremum fatigati lamentis mulierum atque puerorum propugnatores deſeruerunt. Ita præſidio Carthaginenſium noctu digreſſo,

Dind. Anno ab urb. cond. 495.

Mytiſtratum capiunt Romani. Zonar.

digreſſo, prima luce portas oppidani aperuerunt. Sed Romani, malorum quæ in obſidione pertulerant, nimium memores, obvios ſine diſcrimine ſexus ætatiſve cædebant: donec A. Atilius proclamari juſſit, *prædam & homines capientium fore*. Tum demum crudelitatem avaritia vicit; ſervatique Mytiſtratenſium reliqui ſub corona venierunt: urbs direpta eſt & diruta. Diodorus.

XXIII. Camarinam inde ductus exercitus, ob regionem parum diligenter exploratam, maximum in diſcrimen incidit. Pœnus enim imperator obviam profectus loca ſuperiora prior occupaverat: Romanaſque copias in vallem iniquam temere demiſſas circumſidebat. Certum ante oculos omnium exitium, & Caudinæ cladis imago verſabatur: niſi conſilium & virtus M. Calpurnii Flammæ, qui tribunus militum eodem in exercitu agebat, rebus pene deſperatis ſubveniſſet. Nam is P. Decii ſequutus exemplum, qui tribunus militum idem in Samnio fecerat, adſumptis militibus trecentis ad tumulum quemdam occupandum ivit: nulla ſpe evadendi, ſed amore laudis & ſervandi exercitus cupiditate ipſe militeſque ejus accenſi. Ferunt, quum eo duceret, ita ſuos adloquutum eſſe: *moriamur milites, & morte noſtra eripiamus ex obſidione circumventas legiones*. Atque ita factum eſt. hoſtibus enim in hos converſis dum acerrimâ pugna quantumvis multos morituri detinent, Conſul evolvere ſeſe locis infeſtis potuit: Carthaginenſes interfectis qui ſe objecerant, nihil in detectis jam inſidiis ponentes ſpei diſceſſerunt. Zonaras. Agell. 3. 7. Front. Strat. 4. 5. 10. M. Calpurnii Flammæ virtus. Liv. Epit. 17. Liv. 7. 34. Flor. Liv. 22. 50. Oroſ. 4. 8.

XXIV. Itaque Calpurnii miraculo proxima fortuna fuit. Qui repertus inter ſuorum hoſtiumque cadaverum cumulos, quum ſolus omnium adhuc ſpiraret, ſublatus atque diligenti cura refectus, quum inter multa vulnera lethale nullum accepiſſet, diu poſtea fortem fidelemque operam Reipublicæ præſtitit: magnoque terrori hoſtibus fuit. Qui ſi apud Græcos tantum virtutis ſpecimen edidiſſet, neque præmiorum, neque monumentorum ſatis potuiſſet decerni. nunc homini Romano tanti facinoris merces corona ex gramine fuit: memoria vero facti adeo negligens, ut vix de nomine fortiſſimi viri conſtet. eumdem enim *Calpurnium Flammam* plerique, ſed M. Cato *Q. Cæditium*, Claudius Quadrigarius *Laberium* vocatum eſſe tradiderunt. Cæterum emerſus ex his anguſtiis Conſul, quum & error pudorem, & periculum vigilantiam acuiſſet, majoribus iterum viribus & intenſiore cura oppugnare urbem aggreſſus, poſtquam ſine machinis parum proficiebat, ab Hierone petitas accepit. Earum violentiæ ceſſit murus, redactoſque in poteſtatem Camarinenſes majori ex parte ſub haſta Conſul vendidit. Et miraculo proxima fortuna. Auct. de Vir. ill. c. 38. M. Cato ap. Agell. Plin. 22. 6. Front. Strat. 4. 5. 10. Agell. 3. 7. Diodorus. Polybius. Camarinam occupant Romani.

XXV. Tum ad Ennam itum: ea quoque proditione recepta: præſidiarii partim à Romanis in oppidum admiſſis interfecti ſunt, alii fuga dilapſi ad ſuarum partium loca ſe receperunt. Sittanæ poſſeſſionem non dolus ſed virtus dedit: magna vi pulſis, qui defenderant, & urbe expugnata. Neque moram fecerunt minora quædam in ea Siciliæ Item Ennam & alia loca. Polyb. 1. 24.

Diodorus: Florus 2. 2.

parte oppida, quin protinus missis legatis Consuli se traderent. Qui præsidiis per commoda loca dispositis, in Agrigentinum agrum signa promovit, ibique Camicum castellum opera proditorum recepit. Unde pereulsi qui Erbessum tenebant, oppido relicto fugerunt. Sic Erbessus quoque ad

Polyb.

Romanos rediit. Hoc successu Consul animatus, & quod Liparæorum haud paucos sibi favere putabat, ad illorum urbem admovit exercitum. Ibi non pro cætera felicitate res processit. Hamilcar enim Romani ducis

Zonaras: Hamilcar Romanos cædit.

consilio sagaciter deprehenso, Liparam clam intraverat, intentusque tempus bene gerendæ rei expectabat. Quod Romanus quum ignoraret, audacius & incautius subiens muros, repentina Pœnorum eruptione turbatur. vulnerati sunt in eo conflictu permulti, cæsorum quoque non exiguus numerus fuit.

XXVI. Interea C. Sulpicius Consul in Sardinia cum Pœnis aliquoties prospere dimicavit. tantumque hinc accessit animi, ut Africam versus vela facere auderet. Id vero minime ferendum esse Carthaginenses arbitrati, Hannibalem qui ex Sicula fuga Carthagine adhuc agebat, iterum navibus suis præponunt, multisque & præstantissimis præfectorum navalium adjunctis, *classem hostilem à patriis litoribus repellere* jubent. Solvit is quidem ut pugnaturus: Cæterum quominus concurreretur, intercessit tempestas; quæ utrisque gravis incumbens, ad loca tranquilliora submovit invitos. Sardiniæ tamen portus ambo duces tenuerunt. Ibi quum in anchoris haberent naves, Sulpicius quo Pœnum in apertum mare perliceret, quosdam subornat qui transfugarum specie persuaderent Hannibali *Romanos iterum in Africam navigare*. Deceptus ille hoc vaframento celeriter educta classe, in Consulem idoneo loco præstolantem imparatus incidit: multæque naves Punicæ depressæ sunt, priusquam scire possent quid ageretur; quum Insidias Consulis tempestatis favor & opportune orta caligo texisset.

Orosius. C. Sulpicius in Africam navigat. Zonar.

Hannibalem vincit.

Zonar. Polyb.

XXVII. Tandem re intellecta reliquæ repetiverunt portum, aut in litus se ejecerunt; ibi profugientibus remigibus pleræque inanes captæ sunt. Hannibal enim desperato teneri portum posse, in oppidum Sulcos se contulerat: ubi seditione orta comprehensus à Carthaginensibus, qui eodem ex pugna confugerant, quod *ejus temeritatem & stultitiam cladis suæ causam fuisse* dicerent, crucique adfixus periit. Sed hæc victoria Romanis paulo post detrimenti nonnullius causa fuit. quum enim sublato classis Punicæ metu in vastatione agrorum contemptius & securius versarentur, improviso Pœnorum Sardorumque incursu, Hannone quodam duce, fusi sunt. Censuram hoc anno C. Duilius gessit, Janique templum apud forum olitorium struxit. Triumphi dehinc duo spectati: prior C. Aquilii Flori proconsule de Pœnis A. D. IV. Nonas Octobres; alter C. Sulpicii Consulis de Pœnis & Sardis, A. D. III. Nonas.

Hannibal crucifigitur. Liv. Epit. 17. Triumphus C. Aquilii Flori, & C. Sulpicii. Marm. Capitol. Tac. An. 2. 49. Marm. Capitol.

XXVIII. Quum deinde C. Atilius M. F. M. N. Regulus, & Cn. Cornelius L. F. Cn. N. Blasio iterum Consules essent, sacra quædam procu-

Anno ab urb. cond. 496. Zonar.

randis prodigiis fieri ſolita Senatus faciunda cenſuit; quod in Albano monte, lociſque aliis pluribus, atque adeo in Urbe ipſa, lapides frequentes grandinis inſtar deciderant. Latinas feriasinſtaurari, cauſſaque eorum Dictatorem dici viſum eſt. Q. Ogulnius L. F. A. N. Gallus Dictator, M. Lætorius. M. F. M. N. Plancianus magiſter equitum fuerunt. C. Atilius, qui claſſi præerat; ad Tyndaridem Siciliæ quum appuliſſet, claſſem Punicam ordine parum compoſito præternavigantem conſpicatus, ejus oppugnandæ conſilium ſubito cepit. Juſſiſque ſequi cæteris navibus, ipſe cum decem quæ primæ parari potuerunt, evolat; & ad Pœnos jam longius evectos ſumma velorum remorumque contentione pergit.

Frag. Capitol: Dictator ad inſtaurandas ferias Latinas.

Polyb. C. Atilius Punicam claſſem invadit.

XXIX. Hamilcar inea claſſe vehebatur, non contemnendus imperator: qui paucas ſibi naves inſtare videns, alias portu vix egreſſas eſſe, magnam partem etiamnum in anchoris hærere, converſo curſu C. Atilium ejuſque naves tota claſſe circumvenit. deprimuntur celeriter naves novem, impari adverſum tanto plures certamine nequidquam omnia expertæ. Prætoria tamen meliori quam cæteræ fuerant remigio inſtructa, ſociiſque navalibus præſentia Conſulis animatis vi perrupit, ſalutemque invenit. jam enim aderant Romanorum aliæ naves, quarum ſuperventu mutatur fortuna pugnæ, merguntur Punicæ naves octo, capiuntur cum ipſis remigibus decem: reliquæ ad Liparæorum inſulas intendunt curſum. Hæc mari geſta. terreſtrium copiarum ſegnius bellum fuit, urbe Lipara ſine ſucceſſu oppugnata. ſed in apertorum locorum vaſtationem deſæviit hoſtilis ira; eademque calamitas etiam Meliten inſulam haud longe diſſitam comprehendit. Ob hæc geſta C. Atilius Conſul triumphum navalem de Pœnis egit. Eodem anno etiam A. Atilius Proconſule ex Sicilia de Pœnis triumphavit A. D. XIV. Kalendas Februarias. lætæque tum Romanis res erant, qui non terreſtribus modo præliis, ſed etiam maritimis ſuperiores, non jam de Sicilia annexiſque inſulis, quarum imperium ſatis ſibi certum eſſe putabant; ſed de Africa invadenda, bellique terrore Carthaginis ipſius portis impingendo incipiebant conſultare.

Polybius.

Anceps pugna.

Zonar. Victoria Romanorum. Oroſius. Colum. Capitol. Auct. de Vir. ill. c. 39. Column. Capitol.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECUNDA.

LIBER XVIII.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XVIII. LIVIANI.

ATilius Regulus Cos. in Africâ ſerpentem portentoſæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit, & cum aliquot prœliis adverſum Carthaginenſes pugnaſſet, ſucceſſorque ei à ſenatu proſpere bellum gerenti non mitteretur, idipſum per litteras ad ſenatum miſſas conqueſtus eſt. in quibus inter cauſſas petendi ſucceſſoris erat, quod agellus ejus à mercenariis eſſet deſertus. Quærente deinde fortuna ut magnum utriuſque caſus exemplum in Regulo proderetur, accerſito à Carthaginenſibus Xanthippo Lacedæmoniorum duce, victus prœlio, & captus eſt. Res deinde à ducibus Romanis omnibus terra marique proſpere geſtas deformavere naufragia claſſium. T. Coruncanus primus ex plebe pontifex maximus creatus eſt, P. Sempronius, M. Valerius Maximus cenſores quum ſenatum legerent, XLII. ſenatu moverunt. luſtrum condiderunt: quo cenſa ſunt civium capita CCXCVII. *millia*, DCCXCVII. *Regulus miſſus à Carthaginenſibus ad ſenatum, ut de pace, & ſi eam non poſſet impetrare, de captivis commutandis ageret, jurejurando adſtrictus eſt rediturum ſe Carthaginem, ſi commutari captivos non placuiſſet. utrumque negandi auctor ſenatui fuit: & quam fide cuſtodita reverſus eſſet, ſupplicio à Carthaginenſibus de eo ſumpto, periit.*

Anno ab urb. cond. 497. Tab. Capitol. M. Regulus Africæ infert bellum.

CONSULATUM deinde L. Manlius A. F. P. N. vulgo Longus inivit, & Q. Cædicius Q. F. Q. N. cui in magiſtratu mortuo ſuffectus eſt M. Atilius M. F. L. N. Regulus, qui ſemel Conſul fuerat. Hoc anno demum Africa quæ hactenus cladium hoſtilium exſors egerat, ſentire bellum cœpit, Romanis in eam ingreſſis, poſtquam Carthaginenſium claſſem magna

pugna viciſſent. Quæ uti geſta ſint ipſiuſque Reguli utranque fortunam, & indignum viri virtute exitum, hoc libro exponemus. Anno ſuperiore eum C. Atilio Conſule Carthaginenſes ita prœlio navali contenderent, ut quanquam ipſi pluribus amiſſis navibus pugna priores exceſſiſſent, tamen quia Romanas etiam aliquot ſubmerſerant, ſe non inferiores fuiſſe interpretarentur: Romani contra eventum eum pro victoria haud dubia computabant. Ita fiebat, ut ſpe & fiducia pari populus uterque ſtudium maritimarum rerum per æmulationem ſummam proſequeretur. Polyb: 1. 25.

II. Igitur & Conſules in Africam transferre bellum juſſi, eum trecentarum triginta navium claſſe Meſſanam appulſi; atque inde litus Siciliæ dextrum legentes præter Pachynum ad recipiendas pedeſtres copias, tum caſtra circa Ecnomum collem habentes, pergebant: & ſub idem tempus Hamilcar imperator Pœnorum, & Præfectus claſſis Hanno, trecentarum ſexaginta navium duces, Carthagine Lilybæum, & inde Heracleam Minoam tranſgreſſi. eo in portu ſtationem agitabant: conſilia Romanorum obſervantes, & ſi verſus Africam inſtituere curſum auderent, prohibituri. Quod edocti Conſules ad utrunque caſum ſtudioſe cuncta comparant, ut ſive navalis prœlii tentandæ ſpes forent, ſive alicubi exſcenſionem fieri oporteret, conſilium in expedito haberent. Itaque pugnaciſſimis quibuſque militum in naves impoſitis, quatuor claſſes, tanquam ejuſdem univerſæ partes totidem, faciunt. legionem primam in prima claſſe, duas ſequentes ordine ſuo conſtituunt: in quarta collocant triarios. Claſſes utrinque: Oroſ. 4. 8. Hamilcar & Hanno conſilia Romanorum obſervant. Conſules claſſem dividunt.

III. Has copias ita diſponunt, ut ſingulis navibus treceni remiges, milites vero centeni viceni vehantur: ita numerus hominum in univerſa claſſe ad millia centum quadraginta accedebat. Hunc numerum aliquanto ſuperabant Pœni, plus centum quinquaginta millibus hominum adducentes. Et militum quidem genus præ ſuis parvi faciebant Conſules; major ea deliberatio erat, quum in alto mari pugnandum fore appareret; ubi celeritas navium & gubernatorum artes plurimum valent, quo ordine adverſus iſtud diſcrimen aptiſſime componi acies poſſet. poſtremo rationem inſtruendæ claſſis talem ineunt. Hexeres duas quibus Conſules ipſi vehebantur pariter in fronte ſtatuunt: utriqua harum hinc primam inde ſecundam claſſem longa & ſimplici ſerie adnectunt, ita conlocatis navibus, ut omnium proræ foras obverſæ eſſent: hexereſque propemodum conjunctæ irent, proximæ his longius inter ſe digrederentur: atque ita deinceps ſpatium inter duas oppoſitas naves relictum cum ipſis ordinibus creſceret. Pœnorum numerus. Ordo Romanarum navium.

IV. Sic minimo inter primas naves, maximo inter poſtremas intervallo, quum ex duabus iſtis claſſibus forma cuneatæ aciei effecta eſſet, tertiam deinde legionem admoverunt: quæ ſimplici navium ordine ſpatium iſtud inter priores duas apertum prætexens, triquetram totius aciei faciem exhiberet. Pone hanc, à tergo tertiæ claſſis, hippagines ſu-

nibus tractoriis ad naves tertianorum pertingentibus remulco trahebantur. Poſtremi omnium triarii navibus unam in ſeriem, ſed ſemicirculatem exporrectis ita priores ambibant, ut ab utroque cornu prominerent. Ita totum corpus fronte cava, poſtremis partibus ſolidis, roſtri navalis ſimilitudinem præferebat: non minus ad ſuſtinendam impreſſionem firmum, quam ad inferendam habile. Sed Carthaginenſium duces Romanæ claſſis adventu per exploratores cognito, quum urbem ſuam aditu facilem, imbelle vulgus, accolas leves & ad mutandam fidem pronos cogitarent; obviam ire decernunt, omnia prius experiri certi, quam tutum in Africam curſum Romanis navibus permitterent.

Triarii in claſſe:

Pœni duces obviam eunt Romanis.

V. Igitur ſuos paucis cohortati, *ut memores non de præſentibus modo, ſed omnibus, quos domi quiſque chariſſimos haberent, pugnandum eſſe; obfirmatis & alacribus animis prælium capeſſerent*, naves conſcendunt: bonaque cum ſpe ſua & navalium ſociorum ex portu evehuntur. Neque longe Romana claſſis aberat; itaque haud procul Heraclea pari utrinque robore concurritur. Pœni duces inter ſe ita comparaverant, ut in dextro cornu Hanno curaret (erat autem idem ille, qui apud Agrigentum infeliciter pugnaverat) cæteris præeſſet Hamilcar, naves autem ſuas animadverſa Romanorum acie quadripartito & ipſi diviſerant: Harum quæ totius aciei ſiniſtra erat in figuram arcus ſinuata, terram verſus inclinabat: cæteræ ſimplicibus ordinibus extentæ, proris navium in hoſtem verſis, ex his dextrum cornu in quo roſtratarum & quinqueremium celerrimæ erant, Hanno verſus altum mare quantum poterat exporrexit, ſi pugna aliunde commiſſa eſſet, circumdaturus hoſtem.

Proelium navale. Zonaras. Polyb. 1. 27.

Punica acies.

Hamilcaris aſtus.

VI. Neque diu morati Conſules in medias Pœnorum naves cum duabus claſſibus ſuis ſe intulerunt. Hamilcar, quo Romanorum aciem diſtraheret, ſuis præceperat, ut commiſſa pugna fugam continuo capeſſerent. Quod quum factum eſſet, Romanique cedentes avide perſequerentur; illis quidem ob celeritatem navium innoxia fuga fuit; at Romanorum acies uti voluerat Hamilcar prævideratque diviſa eſt, triariis & tertia claſſe ſuo adhuc loco ſe tenentibus. Quod ubi perfectum eſſe vidit, ſubito dat è navi ſua ſignum, ut converſis proris pugnam cum inſequentibus ineant: certatur ambiguo Marte, Pœnis velocitate & peritia nauticæ rei, Romanis robore militum longe ſuperioribus. Itaque quamdiu navium potius quam hominum pugna eſſe potuit, Punica res haud dubie meliori loco erat: ſed quoties corvorum jactu colligatis navibus cominus pugnari cœperat, penes Romanum erat certa victoria; quum miles manu fidens, & in conſpectu Conſulum pugnans, inſignitiore opera virtutem ſuam his approbare contenderet.

Virtute Romana eluditur.

Hanno triarios urget.

VII. Dum in ea parte ſic dimicatur, Hanno cum dextro cornu, quod hactenus immotum habuerat, in triariorum naves invectus à mari fecit impetum, magnaſque in anguſtias redactis moleſtum

omnino negotium exhibuit. Eodem ferme tempore ſiniſtra quoque Carthaginenſium acies, mutata priore forma, & æquata fronte roſtris infeſtis tertiam Romanorum claſſem, quæ hippagines remulco trahebat, invadit. Romani dimiſſis funibus ad reſiſtendum ſe parant: hic quoque fortiter confligitur. ita tribus locis, totidem navalia prœlia, magno intervallo diviſa naſcuntur. Quum ita ſatis diu dubia victoria certatum eſſet, tandem evenit, quod neceſſum eſt, ubi ſimul pluribus locis æquali virium robore pugnatur, ut quæ pars prima pulſa fuit, totius certaminis victoriam daret. Quum enim Hamilcar vim hoſtium ulterius ferre non poſſet, ipſius fuga cæteras etiam Punicæ claſſis partes ſtatim profligavit. Zonar. Tria ſimul navalia prœlia; Polybius: Victoria Romanorum.

VIII. Nam ex Conſulibus L. Manlio in captivis navibus conquirendis, & ad ſuas alligandis occupato, M. Regulus commiſſum alibi certamen videns auxilium ſuis ferre feſtinavit, aſſumptis ſecundæ claſſis navibus, quotquot ex priore pugna integræ illæſæque evaſerant. Celeriter opem iſtam ſenſere triarii, receptiſque animis quos prope ad extremum periculum adducti deſponderant, ſtrenue dimicare cum adverſariis cœperunt. Hanno quum & hos acrius reſiſtere ſibi, & à tergo ſe premi videret à recentibus, velis in altum datis imminens exitium prævenire ſtuduit. Quum inter hæc L. Manlius quoque tertiam Romanorum claſſem à Carthaginenſium ſiniſtro cornu ad terram urgeri conſpicatus, curſum eò intendiſſet, ſupervenit & M. Regulus, qui jam hippagines & triarios in tuto locaverat, ita ſubito facies rerum vertitur, clauduntur que & cinguntur, qui paulo ante Romanos circumdederant. quos equidem in arctum conſtipatos & velut obſeſſos olim peſſumdediſſent, niſi metu corvorum accedere veriti, ſpatium dediſſent Conſulibus, ut & ſuos eriperent incolumes, & Carthaginenſibus ſubito accurſu circumfuſi, naves quinquaginta cum vectoribus omnibus velut indagine caperent: paucæ reliquæ juxta litus ipſum ſe ſubducentes effugere. Corvorum uſus in navibus.

IX. Fuit hoc prœlium quum varietate caſuum, & contentione pugnandi, tum etiam amiſſarum utrinque navium multitudine inter pauca memorandum. Tres & ſexaginta Pœnorum naves captæ; ſupra triginta depreſſæ ſunt: victores quatuor & viginti naves amiſerunt fluctibus hauſtas; at in poteſtatem hoſtium nulla pervenit. Poſt hanc victoriam Meſſanam reverſi paucos dies navibus hominibuſque reficiendis, & ampliori commeatui parando dederunt. Inter quos Hamilcar quum Africam ab Romanis adiri vehementer nollet, prohibere vero vi & armis non poſſet, ad dolos ſe contulit; miſſoque ad eos per cauſſam petendæ pacis Hannone tempus extrahere ſategit, donec copiæ, quas Carthagine ſibi mitti ſperabat, adveniſſent. Prœlium memorabile. Navium captarum & depreſſarum numerus. Oroſ. 4 8. Zonaras. Polybius. Zonaras;

X. Hanno quum ad Conſules acceſſiſſet, audiretque voces *idem in illum ſtatuendum eſſe* clamitantium, *quod quinto ante anno in Cn. Cornelium Aſinam Conſulem Pœni deſignaviſſent*, aſtuto reſponſo pe- Hannonis aſtutum reſponſum.

Val. Max. 6. 6. rieulum intentatum eluſit: *hoc vero*, inquit, *ſi feceritis, jam nihilo eritis Afris meliores*. ſtatimque Conſules excepere ſermonem, tacere juſſis, qui vinciendum dixerant, convenienſque Romanæ gentis gravitate vox audita eſt: *Iſto te metu, Hanno, fides civitatis noſtræ liberat*. De pace, quia neque Pœnus ſerio agebat, Conſuleſque victoriam quam pacem malebant, fruſtra agitatum eſt. Africanam igitur expeditionem diutius differri non placuit. Neque Pœni duces obſtitere, quanquam inter ſe conſtituiſſent, quietum iter hoſti non concedere, ſed diverſis ex partibus carpere morarique. Cæterum Hannone ad præmuniendam Carthaginem feſtinante, Hamilcar nihil movere auſus, Heracleæ ſe continuit: naves Romanæ & ab hoſtibus & à tempeſtate pacatum iter habuerunt.

Romanæ gravitati conveniens vos. Zonar.

Polybius: Zonar.

Africanam expeditionem Romani quidam detrectant. Flo. 2. 2. Polybius. Zonar.

XI. Neque defuerant, qui longinquam navigationem, & hoſtile litus, ipſumque Africæ nomen exhorreſcerent; ante cæteros imperium detrectante tribuno militum Mannio: ſed adverſus hunc ita exarſit Regulus, ut virgas ſecurimque minitaretur, ni paruiſſet. ita demum præſtitum eſt obſequium Conſuli, formidinemque navigandi propior & major metus expulit. Hermæum promontorio nomen eſt, quod à ſinu Carthaginis in mare Siculum late procurrit: eam oram primæ Romanorum naves tenuerunt. ibi pauliſper exſpectato donec tota claſſis conveniſſet, litus Africæ prætervecti Conſules ad Clupeam urbem pervenere. hic legiones expoſitæ ſunt, navibuſque in portum ſubductis, vallum ac foſſa quo tutiores eſſent, circumdata: urbs quia deditionem abnuebat, obſeſſa, ſtatimque metu civium ſive dedita ſive deſerta (nam utrumque traditur) in poteſtatem Romanorum conceſſit.

Clupea ſit Romanorum.

Zonar.

Polybius. Carthaginenſium metus & curæ.

XII. At Carthaginenſes, quanquam ſane dura & inſueta paterentur, tamen gratulabantur ſibi, quod aliquanto mitiora formidatis acciditſent. Metuerant enim audito pugnæ navalis exitu, ne protinus ad ipſam Carthaginem victores copiæ ducerentur. Itaque nonnihil ex priore motu reſpirantes in contrahendas copias urbemque & ſuburbanam regionem tuendam intenti erant. Conſules interea miſſis Romam nunciis, qui & res hactenus geſtas docerent, & de inſtantibus ſententiam Patrum exquirerent, Clupeam muniunt, ut ea ſede belli uterentur: præſidioque ad urbis & agri cuſtodiam impoſito, cum cæteris omnibus copiis longius progreſſi, cultiſſimam regionem, utpote quæ poſt Agathoclis tempora ferrum hoſtile non viderat, perpopulantur: villas magnificas multas deſtruunt: magnam quadrupedum prædam; hominum præterea ſupra viginti millia abducunt: nemine prohibere auſo. oppida quoque multa vi aut deditione capiunt: in his perfugarum aliquem numerum deprehendunt, magnamque vim captorum proximis bellis civium Romanorum liberant: quos inter & Cn. Cornelium fuiſſe erediderim, qui proximo poſt biennio Conſul iterum factus eſt.

Conſulum acta & progreſſus in Africa. Zonaras: Polybius.

Zonaras.

Polybius.

XIII. Dum hæc aguntur, qui Romam à Conſulibus miſſi fuerant, cum

cum mandatis Senatus revertuntur. jubebatur autem *alter eorum in Africa manere cum ea parte virium, quam retineri ex republica judicaſſent; alter cæteram claſſem & copias Romam reducere*. Sic imminente jam hyeme, manſit M. Regulus cum quindecim ferme peditum millibus, equitibus quingentis, & navibus quadraginta: claſſem reliquam mancipiis & præda onuſtam L. Manlius Siciliæ litora tuto prætervectus in Urbem reportavit. Septem & viginti millia captivorum ab hoc Romam deducta reperio: navalemque de Pœnis decretum ei triumphum eſſe. Poſt hæc Ser. Fulvius M. F. M. N. Pætinus Nobilior, & M. Æmilius M. F. L. N. Paullus Conſules facti. His Sicilia & claſſis provinciæ decretæ; Regulum res in Africa proſperrime gerentem ex medio curſu victoriarum revocari non placuit: juſſuſque Proconſule bellum in Africa adminiſtrare.

Eorum alter in Africa manere jubetur. Zonaras. Polybius. Zonaras. L. Manlii præda & Triumphus. Oroſ. 4. 8. Colum. Capitol. Anno ab Urbe Condita CDXCVIII.

XIV. Id Senatuſconſultum nemo accepit ægrius, quam idem ille, cujus in honorem factum fuerat. Igitur literis ad Senatum miſſis ea de re queſtus eſt, interque cauſſas petendi ſucceſſoris poſuit, *villici ſui morte (is agellum heri quem habebat in Pupinia, jugerum ſeptem coluerat) mercenarium occaſionem nactum, amoto inde inſtrumento diſceſſiſſe. quare neceſſariam eſſe præſentiam ſuam, ne rure deſerto non eſſet unde uxor liberique ſui alerentur*. Decrevitque Senatus, *ut ager M. Reguli publice coleretur, res amiſſæ redimerentur, uxori liberiſque ejus alimenta præberentur*. Ii cum mores fuere! Sed ego quoties hæc atque talia lego tradove, temperare non poſſum, quin cum animo meo recogitem, quanto ſit virtuti firmior à laude, quam ex pecunia merces. quippe tam multis poſt ætatibus gloria M. Reguli manet: aliorum opes cum dominis, & ſæpe ante ipſos perierunt.

Regulus ægre ferit imperium ſibi prorogari. Liv. Epit. 18. Front. Strat. 4. 33. Val. Max. 1. 8. 19. Sen. ad Helv. Dio ap. Valeſ. Ager M. Reguli publice colitur. Polybius.

XV. Carthaginenſes interea duobus domi conſtitutis ducibus Aſdrubale Hannonis F. & Boſtare, tertium etiam Hamilcarem ex Sicilia accivere, qui cum peditum quinque millibus, equitibus quingentis Heraclea Carthaginem propere venit. Hi communicato inter ſe conſilio ſtatuerunt, *non mœnibus, ut ad eam diem factum fuerat, continendum exercitum; neque Romanos impune quidvis agere jmundos eſſe*. ſic animis ad bellum gerendum incitatis exercitus educitur. Interea M. Regulus proxima quæque ſubigendo in loca pervenerat; per quæ flumen Bagrada labitur: ad quod caſtra habentes Romanos improviſa peſtis & damno non mediocri, & terrore adhuc majore pereulit. Magnitudinis enim portentoſæ ſerpens aquatum profectos milites invaſit; territiſque & nequidquam repugnantibus multos ingentis oris hiatu ſorbuit: alios ſpirarum voluminibus & caudæ verbere obtrivit: nonnullos ipſo peſtilentis halitus adflatu exanimavit: tantumque negotii M. Regulo facceſſere potuit, ut totis viribus cum eo de poſſeſſione amnis fuerit dimicandum.

Carthaginenſium duces, eorumque conſilia. Zonaras. Florus 2. 2. Bagrada flumen, & ibi ſerpens portentoſæ magnitudinis. Liv. Epit. Val. Max. 4. 4. 6. Oroſ. 4. 8.

XVI. Quod ubi cum jactura militum fiebat, neque vinci aut vulnerari draco poterat, duriſſima ſquamarum lorica, quidquid telorum ingere-

Tubero apud Agell. 7. Pugna cum ſerpente.

retur, facile repellente; confugiendum ad machinas, advectiſque balliſtis & catapultis velut arx quædam munita, dejiciendus hoſtis fuit. Poſt aliquot jactus in vanum emiſſos ingens ſaxum ſpina dorſi perfracta, vigorem impetumque formidabilis monſtri reſolvit. Sic quoque difficulter confectum eſt. tanto cum horrore legionum & cohortium, ut *ſe oppugnare Carthaginem, quam alteram talem beſtiam malle* fatererentur. Neque diutius ibi morari caſtra potuerunt, quin tabo infectas aquas, & omnem circa regionem fœtore jacentis peſtifero adflatam ſugerent. non ſine rubore aliquo humanæ ſuperbiæ, quæ non raro viribus ſuis nihil negatum eſſe, ſtolide putat. Exercitum certe Romanum, imperatore M. Regulo, terra marique victorem unus anguis & vivus exercuit, & interfectus ſubmovit. Quare nec puduit Proconſulem, hujus etiam hoſtis ſpolia Romam mittere, timoriſque ſui magnitudinem & victoriæ gaudium publico monumento fateri. Corium enim belluæ detractum in Urbem devehendum curavit: quod centum viginti pedes longum fuiſſe dicitur: & in templo quodam ſuſpenſum, ad Numantini uſque belli tempora duraviſſe.

Plin. 8. 4.

Oroſius. Silius l. 6. Val. Max.

Humanæ ſuperbiæ fugillatio.

Corium ſerpentis in templo ſuſpenſum. Zonaras. Polybius. Plin. 8. 4.

XVII. Motis à Bagrada caſtris, verſus urbem Adin exercitum duxit Conſul, obiter expugnatis vaſtatiſque oppidis & caſtellis quæ in itinere occurrerant. Ad Adin vero quam capere majoris erat operæ, vineis machiniſque adhibitis juſta inſtituta eſt obſidio. Ad quam prohibendam Pœni duces quum celeriter accurriſſent, in colle quodam caſtris quidem Romanis imminente, ſed impedito ſylvoſoque conſederunt. M. Regulus ingenio ſitus & genere copiarum hoſtilium æſtimato, quum illis peditem ſuo noviquam comparandum, ſed in elephantis & equitibus ſpei plurimum eſſe videret, cæterum eam virium partem in aperto campo formidabilem futuram, iniquitate locorum excludi, inutilemque reddi; ſtultitia hoſtium ſapienter uſus, priuſquam errorem ſuum animadvertere ac corrigere poſſent, in ſuis caſtris eos oppugnare ſtatuit. Quapropter hortatus milites, & cætera quæ ſuggerebat ratio diligenter exſequutus, nondum certa luce caſtris egreditur, aciemque in adverſum collem, ubi Carthaginenſium erant caſtra, erigit.

Regulus Adin obſidet.

Zonaras.

Polybius.

Caſtra Pœnorum oppugnat.

XVIII. Pœnos ipſa primo Romanorum audacia territabat, quod numero pauciores ex inferiore loco tantas copias in munimentis ſuis aggrediebantur: deinde major inde tumultus fuit, quod equites & elephanti, unde plurimum auxilii ſperaviſſent, non modo nullam utilitatem, ſed ultro perturbationem & impedimentum adferebant. Ipſum quoque tempus augebat trepidationem, quod inopinantes & magnam partem adhuc ſopitos Romanus invaſerat. Itaque multi ſuis in cubilibus trucidati ſunt: alios trepida fuga palantes, & quo ſe reciperent neſcios, inſidiæ ſecundum vias conſocatæ exceperunt. Mercenariis tamen Pœnorum Hiſpanis Galliſque raptim inſtructis, & extra vallum alacriter certantibus, in ancipiti aliquandiu victoria fuit:

Pœni cæduntur. Zonaras. Polybius.

fugiente jam legione prima; totuſque Romanorum exercitus impulſus foret, ni cohortes alia ex parte circumgredi juſſæ, hoſtem cedentibus inſtantem opportune à tergo aggreſſæ forent. tum etiam qui paulo ante locum deſeruerant, recolligi, & ad repetendam pugnam animari potuere. Sic utrinque impetitus hoſtis, quum aliquamdiu fortiſſime reſtitiſſet, cedere coactus eſt. Romani nutantes confirmantur.

XIX. Quod ubi fieri Carthaginenſes videre, continuo ſe ejiciunt caſtris, & contento ſtudio fugiunt. Et elephantis quidem equitibuſque, poſtquam planiora loca attigere, facilis & tutus receptus fuit: peditatum paulo longius perſequuti victores, ad caſtra diripienda redierunt. Hac pugna Pœnorum ſeptemdecim millia cæſa, quinque capta referuntur, cum elephantis duodeviginti. Eventus hujus prœlii non modo totam circa regionem, ſed etiam longius diſſitos populos Romanis conciliavit, diebuſque non ita multis oppida circiter octoginta in fidem venere. Unde Pœnos in magnas anguſtias redactos propemodum exanimavit capti à Regulo Tunetis nuncium, urbis tam munitæ, & quæ ad duodecimum à Carthagine lapidem poſita, ne occultum quidem hoſtibus fineret eſſe, quidquid ibi fieret, tum ad ipſam urbem, tum ad mare propinquum patente proſpectu. Oroſ. 4. 9. Eutropius l. 2. Zonaras. Oroſius. Victor Regulus oppida circiter LXXX. capit. Liv. 30. 9.

XX. Neque ſolum Romani belli terror circumſteterat, ſed Numidæ quoque veteribus odiis, occaſione nova ſtimulati arma moverant; vaſtandoque & urendo Punicos agros plus etiam terroris & cladis quam Romanus hoſtis inferebant. & in urbem undique confugientes ruſtici non conſternationem modo maximam, ſed jam famem quoque faciebant: abſumente magnam annonæ vim tanta mortalium multitudine, & reliquam adhuc copiam avaritia dominorum occultante, qui ex calamitate publica quæſtum aucupantes, cum ipſa rerum neceſſariarum penuria pretium earumdem auctum iri quotidie ſperabant. Unde factum eſt ut pronis auribus legatio M. Reguli acciperetur, qui belli confecti titulum ambiens, timenſque ne quis Roma ſucceſſor miſſus eum interciperet, Pœnos ad pacem hortabatur. Et Tunetem Carthaginiensium. Numidæ hoſtes Pœnorum. Pax inter Regulum & Pœnos fruſtra tentata. Zonaras.

XXI. Itaque miſſi ſunt ad eum quidam ex principibus, ſed quum à M. Regulo qui ſe certam in manu habere victoriam putabat, intolerabiles conditiones ferri viderent, infecto negotio diſceſſerunt: *Sicilia* enim *& Sardinia tota cedere, Romanis captivos gratis reddere, ſuos pecunia redimere, belli ſumptus omnes reſtituere, prætereaque vectigal annuum pendere* jubebantur. His alia, neque minus moleſta addebantur: *ut eoſdem cum Populo Romano hoſtes amicoſque haberent: ne navibus longis, præterquam una uterentur: Romanos autem quotieſcumque ſignificatum eſſet, triremibus inſtructis quinquaginta juvarent.* Obſtupefactis ad hæc legatis, & *ut mitiora imperaret* orantibus; *vincendum, aut vincentibus obtemperandum eſſe* reſpondit. Quibus in urbem relatis exacerbati Pœni, quanquam rebus admodum acciſis uterentur; omnia tamen prius pati decreverunt, quam eas ad- Dio. ap. Urſ. Duræ conditiones pacis à Regulo propoſitæ. Diod. Ecl. l. 23. Polybius.

Dio. mittere conditiones, quas nihil aliud niſi captivitatem civitatis ſuæ ſervitutemque eſſe arbitrabantur. In eo ſtatu rerum naves quæ ad conducendum militem in Græciam miſſæ fuerant, collecta mercenariorum haud exigua manu redierunt.

Xanthippus Chartaginem venit. Polybius. Florus a. 2. Puoicorum ducum errorem detegit. Polybius. XXII. In his Xanthippus quidam erat genere Lacedæmonius, qui patriæ diſciplinæ quam edoctus à pueritia excellenter fuerat, uſum rei militaris haud inferiorem adjunxerat. Ille rebus quæ eouſque geſtæ erant intellectis, & reliquo Punicarum copiarum, elephantorum, equitum apparatu cognito; non dubitavit jactare palam, *Carthaginenſes non à Romanis, ſed à ſemetipſis victos eſſe, per imperitiam ducum, qui viribus ſuis uti neſciviſſent.* Hoc ſermone celeriter vulgato, vocatus à magiſtratibus Xanthippus, rationes ſententiæ ſuæ promit tam evidentes, ut prope manibus contrectari poſſint; *in faciundis itineribus, in caſtris ponendis, in prœliis committendis, loca prorſus incommoda deligi conſueviſſe* docet. *Si ſuum conſilium audiant, non incolumitatem modo, ſed etiam victoriam promittit.* Probant hanc ſententiam quum cæteri civi-

Zonaras. Polybius. tatis principes, tum ipſi duces: & laudabili modeſtia patriæ ſaluti ſuam exiſtimationem poſthabentes, homini peregrino deferendum imperium

Et imperio accepto corrigit. exercitus ſui conſentiunt conſciſcuntque: Xanthippus accepta poteſtate quotidie milites ex urbe educens, campeſtribus exercitiis ad ſervandos permutandoſve ordines, ducumque juſſa celeriter exſequenda adſuefacit: copias hanc diſciplinam cum priore comparantes admiratione ſui, fiduciaque melioris deinde ſucceſſus implet: tota civitas recreata ex rebus fere deſperatis ad expectationem futuri erigitur.

Inde fiducia redit Pœnis. XXIII. Hanc alacritatem omnium, ubi duces vident, animo & ipſi recepto in hoſtem iterum ducere conſtituunt: ſuoſque uti tempus poſtulabat adhortati, cum duodecim fere millibus peditum, quatuor equitum, & elephantis non multo paucioribus centum adverſus Romanos progrediuntur. Romanos unum illud movebat, quod inſtituto priore mutato Pœnos, vitatis editioribus aſperiſque locis, per plana camporum videbant incedere: ſed perpetua felicitate in ſuperbiam elati, vinci ſolitas copias ductoremque Græculum deſpiciebant. Neque Regulus

Regulus ſucceſſu elatior. Zonaras. intactus erat hoc fortunæ obſequentis blando veneno. igitur quum ſe maritimas Pœnorum vires, quum pedeſtres fregiſſe, oppida ferme ducenta, hominum ad ducenta millia cepiſſe, urbemque ipſam Punicam variis incommodis laborantem cogi ad deditionem poſſe reputaret; pa-

Auct. de Vir. ill. c. 40. cem tolerabili conditione petentibus negavit, ſcripſitque Romam, *portas Carthaginis à ſe metu obſignatas teneri.* Ita magnos etiam animos ſæpius in ſecundis rebus moderatio, quam in adverſis conſtantia deſeruit.

Zonaras. In loca ſe dimittit hoſtibus opportuniora. XXIV. Cæterum Pœnis caſtra loco æquo habentibus, M. Regulus cui in peditatu plus roboris, eoque montoſa & arduæ loca ſectanda erant, nihil referre virtutis putans, ubi dimicaret, non timuit & ipſe campo ſe credere, etiam ad majorem oſtentationem fiduciæ, flu-

vio, qui medius fuerat tranſmiſſo: paſſuumque fere mille duocentorum intervallo ab hoſte conſtitit. Xanthippus Romani ducis imprudentiam conſpicatus, *hoc illud tempus eſſe, quo promiſſa ſua Carthaginenſibus exſolveret*, reſtabatur. quod enim Romanos ex itineris labore defatigatos, qualibus optaviſſet locis, nactus erat: ſuam fore victoriam non dubitabat. tempus etiam opportuniſſimum ad pugnam videbatur; quod præcipiti jam in veſperam die, Afris, locorum gnaris, ſive vincerentur, effugium per noctem facilius erat futurum; ſive vincerent, nihil ad victoriam perſequendam impedimenti. Conſultantibus ergo Pœnis quid agendum eſſet, *deorum hominumque fidem* invocans, *ne tam præclaram occaſionem perderent*, ad prœlium capeſſendum omnes impulit, eo facilius, quod ipſi milites Xanthippi nomen inclamantes, inſolita alacritate hoſtem ultro poſcebant. Appianus. Xanthippus Pœnos hortatur ad dimicandum. Zonaras. Polybius.

XXV. Summa igitur rei Spartano permiſſa, educit ille exercitum, inſtruitque hoc modo: Phalanx Carthaginenſium, in qua robur erat peditatus, in ſubſidiis conſtituitur: huic, ſpatio relicto conveniente, prætexuntur elephanti, ſimplici ſerie latitudinem phalangis exæquantes. in utroque cornu expediti cum equitibus, poſt hos in dextro, mercenariorum gravis armatura collocatur. Acie ſic ordinata velitibus imperat, uti telis emiſſis ſe recipiant in apertos ad hunc uſum ſuorum ordines: & hoſte jam à validioribus excepto rurſum erumperent à cornibus, Romanorumque cum adverſa phalange pugnantium latera repente incurſarent. Regulus contra copiis ex more inſtructis, quum elephantos in prima Pœnorum acie ſtantes conſpexiſſet, conſilium celeriter capit: leviter armatos in frontem adducit, in ſubſidiis locat denſos legionum ordines, equites in cornua diffunduntur. fit acies in altitudinem firma, ſed multo quam fuerat anguſtior. Acies inſtruuntur. Front. Strat. 2. 2. Polybius. Front. Strat. 2. 2. Polybius.

XXVI. Ita quum & ab elephantis & ab equitibus hoſtium periculum eſſet; adverſus belluarum quidem irruptionem recte proviſum, ſed in locis patentibus ſpatium equitatui hoſtium datum, ut circumfundi contractis ordinibus poſſet. Prœlium ab elephantis cœpit, quos in adverſum agmen agi Xanthippus juſſit, conſeſtimque Romani clamore ſublato arma pulſantes contulerunt gradum. Ab equitibus etiam utrinque in cornibus pugna commiſſa. ſed longe hic minore Romanorum numero, quum ſuſtineri vis hoſtium non poſſet, cito fuga facta eſt. At è peditibus qui ſiniſtri adſtiterant, ſive elephantorum occurſum vitaturi, ſive faciliorem ſperantes de mercenariis victoriam, horum in aciem irruunt, verſoſque in fugam ad vallum uſque caſtrorum hoſtilium perſequuntur. Polybius. Prœlium committitur.

XXVII. Non æque facile reliquis adverſus elephantos certamen fuit: quorum intolerabili mole diſſipabantur ordines, proterebantur armati, agmina tota tanquam ruina ſternebantur. Suſtinebat tamen incumbentes ipſa aciei denſitas, aliiſque alii ſubſtituti ordines: donec ſimul locis omnibus Front. Strat. 2. 2. Polybius.

Frontinus. laborari cœptum: dum extremi quique ab equitibus circumventi, priores quotquot jam elephantorum aciem perruperant, ab integra & instructa phalange hostium, & adsultantibus utrinque velitibus excepti, passim trucidantur. Neque minus cædis in ipsa fuga fuit. per aperta loca & plana effusos elephanti Numidæque equites immissi straverunt.

Polybius. Frontinus.

Regulus capitur. Florus l. 2. Polybius. M. Regulus cum militibus fere quingentis vivus in manus hostium venit. ex toto exercitu non amplius duo millia hominum qui mercenarios loco pepulerant, festinato abitu Clupeam incolumes præter spem evaserunt. Romanorum sociorumque millia circiter triginta sunt interfecta. De Punico exercitu ceciderunt non multi, præter octingentos ex mercenariorum agmine, quod adversus sinistrum hostis cornu dimicaverat.

Eutropius. Polybius.

Carthaginensium gaudium. XXVIII. Tanta re perfecta quum exercitus spoliis cæsorum, & imperatore Romanorum capto superbus Carthaginem reverteretur; obviam effusa urbanorum multitudo; alii in vicis aut domibus consistentes incredibili cum voluptate, spectaculo quale paulo ante vix optare ausi essent, fruebantur: vix tantæ felicitatis vel gaudium, vel etiam fidem capientibus animis. Qui enim modo proxime in desperationem adducti non regionem tantum suam, sed urbem ipsam, aras, focos amittere timuerant: ii tantam rerum commutationem subito factam esse, quanquam viderent, vix audebant credere. Sed maxime in ipsos duces intenti omnium oculi animique erant: quum modo Xanthippum, modo Regulum intuentes, hujus æstimatione magnitudinem sui imperatoris metirentur extollerentque. *quantum illum esse virum oportet, qui ducem acerrimum, fortunatum bellatorem, victorem superbum, hostem implacabilem, terrorem pestemque magnæ Carthaginis, exercitu florentissimo, existimatione amplissima, libertate denique ipsa tam facile tamque celeriter exuisset?*

Diod. l. 23. ap. Vales.

Xanthippi admiratio.

Silius l. 6 Polybius. XXIX. Augebat admirationem habitus viri, quod sub exiguis membris, adspectuque non nimis decoro, ingentem virtutem occultaverat. Quibus ex rebus multum Xanthippo gloriæ, sed nec minus invidiæ nascebatur. Quo in monstro profligando non minore prudentia, quam in bello conficiundo usus, quanquam diuturnus ipsi factorum suorum fructus Carthagine deberetur, relinquere spes ancipites & insidiarum plenas, & ante mutationem animorum aut fortunæ domum regredi statuit. Hoc enim plerunque ingenio homines agunt, ut patriæ studium in ore, privatum in animo magis habeant: igitur quamdiu quidem honores & divitias incolumi civitate quærere tuerique possunt, amorem illius ardentissimum præferunt: ubi periculum est ne ad alios ob magnam virtutem & eximia merita hæc concedant, longe malunt deesse qui publicæ rei prosint, quam esse qui obsint suæ.

Et in vitanda invidia ingenium. Oros. 4. 9.

Peregrina virtus invidiosa. XXX. Donec autem alios æquiparare posse putant, occultius atque remissius invident; quum vero longissime relicti, comparatione propinqua se premi sentiunt, opesque & magistratus quos ipsi sitiebant,

Digitized by Google

penes alios esse: quod virtute desperarunt, per calumniam & criminationes meliorum consequi student. Ita fit ut optimo cuique plures inimici sint, plurescque insidiæ struantur: sed adversum has homini indigenæ in propinquis & amicis suis præsidium est: peregrinus hoc auxilio destitutus, malitiam degenerum animorum acuit ipsa facilitate nocendi, quod insidiantibus magis expositus, vel everti citra maximum laborem potest, vel citra periculum offendi. Xanthippum igitur hæc sagacissime perpendisse, quæ sequuta sunt, evidenter adfirmarunt. *Abnavigantem* enim *per quosdam à Carthaginensibus immissos submersum* ferunt, *post acceptum beneficium illius auctorem gravatis exosisque, quo extincto famam etiam peregrina virtute servatæ civitatis exspiraturam crediderint.* Polybius. Xanthippo insidias pro beneficio reddunt. Zonaras. Appianus.

XXXI. Alii de fato Xanthippi non eadem; sed *Punicam tamen perfidiam argunt. datam enim discessuro navem veterem & rimarum plenam, sed ad speciem firmitudinis recens picatam: cæterum virum nequaquam decipientibus facilem, animadversa fraude, dissimulanter aliud navigium conscendisse, creptumque periculo esse.* Non minoris perfidiæ, sed ob numerum peremptorum crudelitatis odio superior, iisdem temporibus perpetratas res traditur. Mercenarios enim ob navatam insigniter operam præmia paulo tumultuosius efflagitantes, in naves impoluerunt, facta ipe alio quodam loco tributum ipsis iri quod peterent. Sed à præfectis navium, quibus id negotii datum clam fuerat, in deserta quadam insula expositi relictique, quum omnis humanæ opis egenos, sine alimentis, sine navibus, neque manere fames, neque abire pelagus sineret, fœdo horrendoque genere mortis, extabuerunt. Zonaras. Perfidia & crudelitas Punica. Liv. 28. 12. Zonaras. Diod. 5. 27.

XXXII. Apud alios auctores facinus hoc ad superiora tempora referri reperio, quibus Syracusani bellum cum Pœnis habuere: nomenque mansisse infami deinceps insulæ, ut Ostodes (ossuariam possemus dicere) vocaretur. Ea post Liparam, occidentem versus in alto mari sita est. Quæ facta quomodocunque aut quocunque tempore evenerint, à cætera Pœnorum immanitate nihil abhorrens habent. Neque igitur mirandum est, qui in socios adjutoresque suos hoc animo fuerunt, si adversum hostes iidem se gesserunt inclementius. Quanquam profecto cæteros captivorum satis tolerabiliter habuisse feruntur: quod & ipsi multos ex suis in potestate Romanorum esse sciebant, quos permutatione instituta cupiebant recipere. Dissensus auctorum. Ostodes insula.

XXXIII. Sed adversus M. Regulum neque abscondere iram neque moderari potuere, quin omnibus modis vexarent virum angerentque. cibum enim præbebant, non qui vel voluptatis aliquid adferre sensibus, vel vigoris corpori posset; sed qui tenuissima refectione spiritum infelicis ad producendas ejus miserias detineret: at acerbiores erant contumeliæ perpetuæ, inter quas consueverant creberrime elephantum aliquem adducere, cujus barritu exterritus, & invisa specie tortus, nec animo nec Pœnorum crudelitas in M. Regulum.

corpore posset requiescere. postremo ita maceratum exagitatumque in carcerem publicum conjecerunt. Quæ postquam audita sunt Romæ, non dolore modo ingenti, sed etiam metu, civitatem perculerunt. Timebatur enim ne Carthaginenses acerbitate calamitatum suarum, & victoriæ fiducia stimulati, reddere vicem hostibus, & quid malorum perpessa Carthago foret, Romanæ urbi persentiscendum dare cuperent, auderentque.

Romanorum metus.

XXXIV. Quare Consulibus mandavit Senatus, *ut Italiam quam possent diligentissime munirent præsidiis; ipsi cum navibus quamplurimis Siciliam, inde, si videretur, Africam adeuntes, Pœnos ab Italia petenda propiore metu distinerent*. Cæterum Carthaginensibus antiquior cura fuit civitates à Romanis occupatas recipere, Afros qui a se hostes desciverant mulctare, in rebellione persistentes ad obsequium armis cogere. Sed Clupea quidem ab Romanis strenue defensa est: in Numidia, aliisque populis Africæ, magnum magis bellum, quam difficilis victoria fuit. Interea quum in Italia validam adornari classem comperissent, omissa quam obsederant Utica, naves veteres reficere, novas exædificare, ad prohibendos Africo litore Romanos omnia studiose parare cœperunt. At Consules incredibili diligentia tantum effecerant, ut æstatis initio naves jam trecentas quinquaginta instructas ornatasque haberent. Quibuscum in Siciliam profecti, postquam ibi satis tuta omnia, nihilque mali, præterquam quod in exspectatione & metu fuerat, reperissent; præsidiis ubi maxime opus erat relictis, cum cætero exercitu protinus Africam versus contenderunt.

Carthaginenses Afros qui defecerant multant. Polyb. 1. 36.

Clupeam defendunt Romani. Zonaras.

Zonaras. Strabo l. 17.

XXXV. Sed tempestate Colsuram delati, (inter Africam & Siciliam, qua Lilybæum promontorium est, posita est insula) vastatis agris, & urbe ejusdem nominis capta, præsidium imposuerunt. Inde ad Hermæum promontorium perrexerunt, quod medio inter Carthaginem & Clupeam situ, alterum Carthaginensis sinus cornu claudit. Eo loco quum Pœnorum naves occurrisent, acrique certamine duas inter classes dimicaretur, auxilio venere suis à Clupea Romani, momentumque hoc paribus eousque rebus, ad victoriam fuit. Pœni naves quatuor supra centum submersas, triginta captas ab hostibus, militum ad millia quindecim amiserunt: ex Romanis mille centum periere milites, cum navibus novem. Tum Uticam profecta classis, expositusque miles juxta ipsam civitatem castra munivit: venerunt eodem Carthaginenses copiæ, quas Hannones duo ducebant: ita pedestri quoque prælio res gesta, deteriore Pœnorum fortuna; qui hic quoque circiter millia militum novem perdiderunt.

Colsuram capiunt. Strabo l. 17.

Pugna navalis victore Romano. Eutropius. Orosius.

Polybius:

Zonaras.

XXXVI. Capti sunt inter hos aliquot viri nobiles, servatique à Consulibus, ut per hos M. Regulus, & qui cum eo similem casum subierant redimerentur. Deliberatum inde est de prælentibus: magnaque spes fuerat Africam retineri posse. verumtamen regione quaquaversum vastata, quum fames timeretur, abduci Romanos

M. Reguli redimendi cura. Polyb. l. 36.

manos qui Clupeam tutati fuerant, Siciliamque repeti placuit. Avecta eſt una ingens præda, quam in urbem Clupeam M. Reguli rebus adhuc proſperis comportatam victoriæ recentes cumulaverant. Perventum erat in Siciliam tuta navigatione, nimiumque felices fuiſſent Conſules, ſi felicitati ſuæ modum ſtatuere didiciſſent. Romani relinquunt Africam. Eutropius; Polybius.

XXXVII. Sed quia, dum in Italiam revehuntur, eadem opera quaſdam urbes Siciliæ maritimas recipi poſſe putabant: nequidquam obteſtantibus navium gubernatoribus, *ne inter Orionis & Canis exortum, quæ infeſtiſſima navigantibus ſunt ſidera, obverſum Africæ litus, intutum & importuoſum præterveherentur*: tantam tempeſtate eladem perpeſſi ſunt, ut vix aliud in hoc genere proditum ſit exemplum illuſtrius. denique de navibus trecentis ſexaginta quatuor, vix octoginta, onerum jactura facta, ſervari potuerunt. hippaginum quoque, cæterorumque variæ formæ navigiorum numerus haud minor periit: ut ita cadaveribus hominum animaliumque & fractis navium tabulis, à Camarinenſium ora, ubi peſtis illa claſſem invaſerat, Pachynum uſque litus omne compleretur. Tam dura in ſorte non leve ſolatium adflictis humanitas Hieronis regis attulit: qui benigne exceptos, veſtibus, cibo, naviumque armamentis adjuvando, Meſſanam uſque deduxit incolumes. Naufragium patiuntur. Eutropius. Diodorus. Polybius. Humanitate Hieronis ſublevantur. Diodorus.

XXXVIII. Sed Carthaginenſes hoc fortunæ beneficio non ſegniter uſi, Coſſuram inſulam urbemque receperunt: & ſine mora in Siciliam transjicientes, Agrigentum duce Carthalone circumſeſſum, quia non ſubveniebatur, exciderunt, diruerunteque. multi hic mortales interfecti captive: cæteri quibus per mediterranea loca in ditionem Syracuſanorum effugium fuit, in vico juxta fanum Jovis, Olympium vocant, conſedere. Neque longe aberant à ſpe totius Inſulæ recuperandæ Pœnorum duces, niſi audito Romanorum in reparanda claſſe ſtudio, confirmati ſocii fortibus animis præſentem metum toleraſſent. Tanta enim diligentia huc incubuerant Conſules, ut vix credibili celeritate, intra unum trimeſtre naves novæ centum viginti compingerentur. Cum his Cn. Cornelius L. F. C. N. Scipio Aſina, & A. Atilius A. F. C. N. Calatinus iterum Conſules, impoſitis ex novo delectu ſtrenuis militibus, primo quoque tempore ſolvere juſſi. Zonaras. Pœni Agrigentum diruunt. Diodorus. Zonaras. Polybius. Diligentiæ Roman. in reparanda claſſe.

XXXIX. Magnum inconſtantis fortunæ documentum Cn. iſte Cornelius fuit: utili ad fortiter tolerandas adverſitates exemplo. quippe quum ſeptimo ante anno Conſul inſidiis Pœnorum circumventus, captivitatem, vincula, carcerem, quidquid in humanis rebus aut ſordidiſſimum, aut miſerrimum habetur, pertuliſſet; non cætera modo ſuæ dignitatis ornamenta, ſed etiam ipſum illud Conſulare faſtigium, faſceſque non ſponte relictos, tanto majore gaudio recepit, quanto acerbiore caſu perdiderat. Conſules Meſſanam tranſgreſſi aſſumptis quas ibi repererant navibus, ex ſuperioris ferme naufragii reliquiæ erant, cum navibus ducentis quinqua- Anno ab Urbe condita. CDXCIX. Val. Max. 6. 9. 11. Inconſtantiæ fortunæ documentum Cn. Cornelius. Polybius. Diodorus.

Cephalœdiũ capiunt Romani. Cluv. Sic. ant. 2. 4. Diodorus.

ginta ad oſtium ămnis Himeræ acceſſerunt, oppidumque Cephalœdium ad duodeviceſimum inde milliare in eodem litore ſitum, prodentibus quibuſdam, receperunt. A Drepano, nam illuc curſum flexerant, quum neque ſtatim potiri loco potuiſſent, & obſidionem agitantibus Carthalo ſuppetias urbi veniret, propoſito fruſtrati receſſerunt.

Polybius. Diodorus.

XL. Nec ideo ſegniores ad audendum facti majorem aliquanto rem feliciter confecere. Panormum enim directo curſu, Punicæ ditionis principem urbem, & occupato portu, juxta ipſos oppidi muros fecerunt exſcenſionem, recuſanteſque deditionem Panormitanos foſſa valloque circumdare inſtituerunt. Favebat labori natura regionis materiem copioſam arboribus paſſim enatis ſubminiſtrans. Itaque cito perfectis operibus, quum oppugnationem ſtrenue urgerent, machinarum ope turrim ad mare ſitam dejecerunt: mileſque per ruinas irrumpens multa cum hoſtium cæde urbem exteriorem, quæ nova dicebatur, expugnavit. Neque vetus urbs diu morata eſt: quum enim magna in eam multitudo confugiens, plus ex urbe nova terroris quam commeatus intuliſſet; brevi dejectis perieuli cogitatione animis, & fame jam imminente, legati venerunt ad Conſules, corporibus exceptis, omnia dedituri. Non aecepere Conſules, gnari res obſeſſis anguſtas eſſe, niſi pretio ſtatuto redimerentur. Pactæ ſunt in capita minæ duæ: redempta capitum millia quatuordecim. cætera multitudo, millia ferme tredecim, cum reliqua præda venierunt.

Panormum obſident. Polybius.

Et capiunt. Zonaras.

Diodorus.

Multa Siciliæ oppida ad Rom. deficiunt. Polybius. Triumphi duo navales. Zonaras.

XLI. Clara ea victoria fuit, magnæque & ſubitæ utilitatis. multa enim ejus oræ oppida, quædam etiam longius diſſita, Pœnorum ejectis præſidiis, ſocietatem Romanam complexa ſunt; principio ab Jetinis orto, ſequutiſque ſtatim Solunrinis, Petrinis, Tyndaritanis, aliiſque. Rebus ita geſtis præſidioque Panormi relicto Meſſanam Conſules, deinde Romam redierunt. Pœni abeuntibus inſidiati, naves aliquot onerarias, cum pecunia quam vehebant, abſtraxere. Romæ deinde continui triumphi duo ſpectati. Duxerunt prioris anni Conſules, prorogato imperio, de Coſſurenſibus & Pœnis, navalem utrumque. Prior Ser. Fulvius A. D. XIII. Kal. Febr. triumphavit: M. Aimilius poſtridie. Annus, quem ab Urbe Condita quingenteſimum numerant, Africanam expeditionem habuit, ſed inanem & ſine fructu. Cn. Servilius

Marm. Capit.

Anno ab Urbe Condita D. Polybius.

Cn. F. Cn. N. Cæpio, C. Sempronius Ti. F. Ti. N. Blæſus Conſules in Sicíliam trajecere. ubi tentato fruſtra Lilybæo, in Africam direxere curſum, ducentis ſexaginta navibus inſtructi. Litus hi legentes Africæ, multiſque locis exſcenſionem facientes, oppida multa ceperunt, prædaque magna potiti ſunt.

Africam infeſtant Romani. Zonaras. Oroſ. 4. 9.

XLII. Majoris tamen rei nihil geri potuit, quod commodiſſimorum quorumque locorum aditu prohiberentur, occurrentibus ubique Pœnis, qui minus jam impedimentorum & plus animi habebant, receptis quæ M. Regulus tenuerat, punitiſque defectoribus.

Halmicar enim Numidiam Mauritaniamque pervagatus, tractum eum omnem perpacaverat, imperatis pœnæ loco mille talentis argenti, & viginti millibus boum, punitisque principibus, qui faviſſe Romanis arguebantur, quorum ad millia tria patibulo adfixi ſunt. Neque tamen hoſtium occurſus, quam ignorantia locorum, & cæcæ ſub aquis inſidiæ, formidabilior Romanæ claſſi fuit. Subvectos ad Meningem, Lotophagorum inſulam, quæ minori Syrti vicina eſt, recedente maris æſtu vadoſa loca tenuere: donec jactura levatas naves, & extrema omnia metuentes, præter ſpem reverſi fluctus explicuerunt. Oroſius. Hamilcar Mauros & Numidas pacat. Appian. ap. Urſ. Polybius.

XLIII. Ita non impune peſtem evidentiſſimam elapſi, & loca tam infeſta horrentes, ſine mora fugientium in ſpeciem vela fecerunt: ignari non minus ipſis ſupereſſe periculum quod adirent, quam quod evitaverant. Et Panormum quidem redeuntibus innoxium iter fuit. Cæterum Italiam petituros, dum Palinuri promontorium flectunt, quod à Lucanis montibus in mare procurrit, magna tempeſtatis vis adorta, longas naves ſupra centum ſexaginta, cum hippagînibus & onerariis multis, profundo merſit. Quare continuis hoc genus cladibus mœſta civitate, quum imperium maris ipſæ etiam undæ ipſique venti Romano negare viderentur, decrevere patres, ne amplius ſexaginta navium claſſis, ad præſidium Italiæ, commeatuſque exercitui qui in Sicilia eſſet ſubvehendos haberetur. Alteri tamen Conſulum C. Sempronio calamitas iſta non obſtitit, quin triumphum de Pœnis ageret Kalendis Aprilibus, decimo poſt die quam de jiſdem Cn. Cornelius Proconſ. triumphaſſet. Solin. c. 30. Romanæ claſſis pericula. Diodorus. Zonaras. Romani cogitationem maritimarum rerum abjiciunt. Eutropius: Polybius. Faſti Capitol.

XLIV. Cenſores eo anno Romæ fuerunt, ſed mortuo in magiſtratu L. Poſthumio L. F. L. N. Megello, qui idem præturam tum geſſerat, etiam D. Junius D. F. D. N. Pera, cenſura ſe abdicavit. Æſtate vero proxima C. Aurelius L. F. C. N. Cotta, P. Servilius C. F. Cn. N. Geminus, Conſules, in Siciliam profecti, inter alia quædam oppida, etiam Himeram fluvio, cui adjacet, cognominem obſidione receperunt; ſed vacuam incolis, quos noctu Carthaginenſes eduxerant. Juvit tamen loci non ignobilis poſſeſſio, quodque deleta ſic eſſet ignominia, quam Romani nuper ad eam urbem incurrerant, occupandarum Thermarum (nam & hoc ejuſdem urbis nomen celebratur) certa ſpe per militarem avaritiam excidendo. Quidam enim ex captivis, cui Thermis cuſtodia portæ cujuſdam commiſſa fuerat, ut proditione urbis libertatem redimeret pactus dimiſſuſque, hora conſtituta miſſis ad recipiendam urbem militibus portam aperuerat. Horum præcipui quum ingreſſi eſſent, prædaque potiorem partem avertere cuperent, *portam obſerari* jubent, *neminique præterea ſuorum aditum dari*. Quod ubi factum eſt, Thermitanique ſtrepitu excîti ad arma concurrerunt; neque reſiſtere ob paucitatem ſuam, neque adjuvari à ſuis quos arcuerant valentes, dignum ſtultitia ſua exitum fecere, ad unum omnes interfecti. Cenſor, collega mortuo, ſe abdicat. Polybius. Anno ab Urbe condita DI. Himera, poſt infelicem eo. natum, à Romanis occupatur. Diodorus. Oroſius. Dignus ſtultitia conſilii exitus.

Zonaras. C. Aurel. Liparam obsidet.

XLV. Thermis Himerensibus in potestatem redactis, C. Aurelius Consul, Liparam, quæ jam aliquoties a prioribus ducibus tentata irrito conatu fuerat, obsidere cogitans, ex Romanis copiis, quæ per universam Siciliam erant, plurimos fortissimosque milites delegit: eosque, acceptis ab Hierone navibus, in Liparæorum insulam trajecit. Unde quum ad auspicia repetenda Messanam rediturus esset, P. Aurelium Pecuniolam adgnatum suum (apud alios Q. Cassium tribunum militum lego) obsidioni præfecit, opera tueri diligenter, de cætero abstinere pugna jussum. Sed is posthabito Consulis mandato, suæ gloriæ cessurum ratus, si per absentiam illius capta Lipara foret, ad oppugnanda mœnia duxit: non impunita temeritate, nam neque expugnare urbem potuit, & multis amissis, eruptione in recedentem facta, aggere præterea incenso, castra ægre tutatus est. Sed reditu C. Aurelii quum mutata fortuna esset, magna hominum cædes in urbe capta est edita: deinde ad tribuni pœnas itum, quem adempto militiæ gradu, virgis cædi Consul, & stipendia inter gregarios pedites facere coëgit; memorabili severitate, cujus & alia quædam exempla in eodem illo Consulatu C. Aurelius edidit.

Front. Strat. 2. 7. 4. Zonaras.

Et capit.

Timasitheo gratiam referunt Romani. Liv. l. 28.

XLVI. Recepta Lipara, Timasithei, qui locis istis quondam præfuerat, posteris datum, ut immunes à tributis & vectigalibus essent. adeo ne tempore quidem intercidere sinebat gratissimus populus veteris beneficii memoriam, quod Timasitheus craterem aureum Delphico Apollini dono à Romanis missum, quem piratæ Liparæi ceperant, legatosque qui eum deferebant, salvos & in Græciam & deinde Romam reducendos curaverat. Erectam deinde castellum munitissimum, Romani cum peditum quadraginta millibus, & equitibus mille obsidere adgressi, neque capere potuerunt, neque cum Pœnis ausi sunt collatis signis confligere. Nam ex M. Reguli casu tantus elephantorum terror Romanas legiones incesserat, ut ex eo tempore prœliorum aleam fugerent. sæpe in Lilybetano agro, sæpe in Selinuntio instructis adversum hostes ordinibus steterunt, vix aliquando passuum sexcentorum intervallo dirempti: sed neque pro solita prius alacritate prœlium incipere, neque omnino in plana se demittere tutum rati, loca ardua & inaccessa sectabantur.

Diodorus.

Elephantorum terror apud Romanos. Polybius.

Carthaginensium spes & curæ.

XLVII. Unde Carthaginenses majorem in modum confirmati, quum & pedestri exercitu jam confiderent, & mari quoque majores à tempestate Romanis, quam ex adversis prœliis sibi accidisse clades judicarent, etiam decreto Senatus, de classe omittenda, cognito: recipi Siciliam posse speraverunt, si novæ eò terrestres maritimæque vires mitterentur. Sed maxime pecuniarum inopia premebat: impensis belli tam diuturni omnes & olim reconditas, & quæ quotidie cogebantur opes hauriebantur. Ergo legatis ad Ptolemeum Ægypti regem, quocum amicitia ipsis erat, missis, duo millia talenta pecuniæ mutuæ petiverunt,

Zonaras.

Appian. Iulv.

Rex qui Romanos, & ipſos amicos ſocioſque ſuos, offendere nollet, pacis auctorem atque pararium utriſque ſeſe obtulit. Sed re fruſtra tentata, petitionem ſuam Pœnis denegavit, *amicos adverſum hoſtes, non adverſum alios amicos ſibi adjuvandos videri præfatus*. Sub ea tempora Romæ Tib. Coruncanus primus ex plebe Pontifex Max. factus eſt. Ptolemæus pacem inter Pœnos & Romanos fruſtra tentat. Liv. Epit. 18.

XLVIII. Cenſores is quoque annus habuit, quod munia magiſtratus ejus, altero cenſore mortuo, altero abdicante, peragi anno ſuperiore non potuerant. M. Valerius M. F. M. N. Maximus Meſſalla, P. Sempronius P. F. P. N. Sophus luſtrum ſeptimum atque triceſimum condiderunt. eo cenſa ſunt capita civium ducenta nonaginta ſeptem millia, ſeptingenta nonaginta ſeptem. Triſtis hæc & ſevera cenſura fuit: in Senatu recenſendo, tredecim moti: juvenes quadringenti ademptis equis publicis ærarii facti. hoc quidem C. Aurelii Conſulis querela effecerat, coram Cenſoribus arguentis, *quod in Sicilia, quum neceſſitas poſtularet, ad opus juſſi accedere, imperium detrectaviſſent*. Conſul ne hac quidem ſpretæ diſciplinæ ultione contentus, etiam apud Patres obtinuit, ne eis emerita jam ſtipendia ſolverentur. Neque minus, ut illa fuerunt tempora, ob vigorem diſciplinæ intente cuſtoditum, quam ob res geſtas decretum ei triumphum opinor, quem de Pœnis & Siculis A. D. Idus Apriles egit. Tab. Rom. Civium Rom. numerus. Val. Max. 2. 9. 7. C. Aurelii ſeveritas. Front. Strat. 4. 1.

XLIX. Proximus deinde annus plus minarum quam eventuum habuit; nam ex magnis utrimque apparatibus quum mutuo metu tenerentur, æſtas nullo majore negotio memoranda tranſiit. L. Cęcilius L. F. C. N. Metellus, C. Furius C. F. C. N. Paeilus, Conſules, legionibus in Siciliam deportatis, neque laceſſiverunt ipſi hoſtem magnopere, nec ab eo laceſſiti ſunt, quanquam novus Pœnorum imperator Aſdrubal cum ducentis navibus, elephantis centum quadraginta, peditumque & equitum millibus viginti recens adveniſſet. Ea res Senatum denuo de claſſe paranda conſultare coëgit: quippe trahendo in longum bello rempublicam exhauriri ſumptibus, neque poſt M. Reguli cladem ſuis legionibus priſtinum vigorem manſiſſe; & ut terra proſperrime res ſuccederet, tamen prohiberi Sicilia Pœnos non poſſe, donec imperium maris penes illos eſſet, haud obſcure videbant. Ergo rurſus ad priora conſilia revoluti, victoriæ ſpem in navibus habere, illaſque ſumma cura reficere, aut ædificare cœperunt. Col. Capitol. Magni apparatus, & ſegne bellum. Anno ab Urbe Condita DII. Oroſ. 4. 9. Polybius. Senatus denuo de claſſe paranda conſultat. Eutropius.

L. Interea quum L. Metello Panormi relicto, C. Furius ex Sicilia domum reverſus comitia Conſularia habuiſſet, C. Atilius M. F. M. N. Regulus, L. Manlius A. F. P. N. Vulſo, facti: uterque iterum. His mandata claſſis inſtruendæ conſcribendorumque ſociorum navalium cura; L. Metello prorogatum imperium, iſque proconſule bellum in Sicilia adminiſtrare juſſus. Aſdrubal alterum ex Romanis ducibus, cum dimidia parte virium abiviſſe cernens, ſecumque reputans jam à Anno ab Urbe Condita DIII. Polyb. 1. 59. Claſſis inſtruitur. Aſdrubal in

Panormitanum agrum caſtra transfert. Diodorus:

longo tempore, quanquam inſtructæ ex adverſo acies eſſent, Romanos metu contatos fuiſſe; quum jam neque voces ſuorum, qui ſegnitiem ejus increpabant, diutius ferre poſſet; omnibus cum copiis Lilybæo egreſſis, difficili per Selinuntiorum fines itinere, Panormitanum agrum attigit, ibique caſtra metatus eſt. Forte Panormi cum exercitu reliquo Procos. agebat, ut æſtate jam adulta, ſociis ad demetendas fruges condendaſque præſidio eſſet.

Zonaras.

L. Metelli ſtratagema ad comprehendendos ſpeculatores.

LI. Hic audito hoſtium ſpeculatores occultos Panormi degere, univerſos qui in urbe eſſent procedere in concionem juſſit. deinde præcipiens ut ſeſe mutuo prehenderent rogando ignotiorem quemque, *quis eſſet, aut cujus rei cauſſa Panormi ageret*, exploratores deprehendit. Ex quibus ubi didicit, quid apud hoſtes ageretur, animadverſo plus temeritatis quam conſilii in expeditione Pœnorum eſſe, quo magis ad ineptam fiduciam incautos proliceret, ſimulavit metum & intra munimenta urbis ſe continuit. Ferocior ergo factus Aſdrubal, promotis caſtris agrum Panormitanum vaſtat, urit, fruges corrumpit, adipſos uſque urbis muros populationem profert. neque moveri hoc vel damno, vel pudore, proconſul: ratus, ſi paululum ſuſtinuiſſet, utrumvis in Pœnos cum ingenti fœnore derivatum iri. maxime vero ut flumen Orethum, quod meridiem verſus urbem præterlabitur, tranſirent hoſtes, exſpectabat. hoc enim ſi factum eſſet, præmeditatam expeditamque victoriæ viam habere rebatur. Id ut adſequeretur, quum rebus cæteris in ſpeciem timide adminiſtratis, tum propugnatores in muris raros conlocando, & animum ſuorum & numerum ab hoſte deſpici cupiebat.

Alterum ſtratagema ad illiciendum Adrubalem in loca iniqua? Polybius. Fazellus de reb. Sic. 2. 4.

Front. Strat. 3. 17.

Diodorus. L. Metelli conſilium caſus adjuvat. Pœnorum negligentia.

LII. Hoc conſilium, quum & Prætor hoſtium audacia ſua, & improviſo caſu ſors juviſſet, ex ſententia proconſulis ceſſit. Nec enim defuit Aſdrubal tum copias pedeſtres, tum equitatum & elephantos omnes tranſducere, poſitis juxta muros oppidi caſtris, tanto cum contemptu conteſſæ, ut putabant, hoſtium formidinis, ut neque vallo ſibi neque foſſa opus eſſe judicantes, nullis defenſa munimentis tentoria figerent. Eo quum lixæ mercatoreſque ingentem annonam plurimumque vini convexiſſent, mercenarii Carthaginenſium avide hauſto mero, clamoribus diſſonis tumultuque & ſtrepitu, qualis ebrietatem ſequi ſolet, omnia complevere. Tum vero tempeſtivum proconſuli viſum, emiſſis expeditis hoſtes ad pugnam prolicere, proceſſitque res ita feliciter, ut aliis aliiſque ſubinde prorumpentibus, tandem totus Aſdrubalis exercitus è caſtris educeretur.

Polybius.

Pugna ad Panormum.

LIII. Ibi L. Cæcilius proconſul partem velitum ante foſſam urbis diſponit. his imperat; *ſiquidem elephanti propius ſubgreſſi eſſent, denſa in eos tela conjiciant: ſi urgeantur ipſi, refugiant in foſſas, atque rurſum inde conentur.* ſordidos opifices & forenſem turbam comportare miſſilia jubet, & extra muros projicere, ne copia horum veliti-

bus deſit : ſagittarios in muris locat ; ipſe cum cohortibus gravioris armaturæ intra portam , dextro hoſtium cornu obverſam , inſtructus paratuſque conſiſtit . Interea qui prœlium commiſerunt , modo multitudine hoſtium preſſi , ſervatis ordinibus referebant pedem , modo recentibus ſuorum auxiliis confirmati , quæ proconſul idemtidem ſubmittebat laborantibus , pugnam ſuſtinebant : quum rectores elephantorum æmulatione incenſi , quo ipſi potius , quam Aſdrubal auctores victoriæ fuiſſe viderentur , concitatis belluis proturbant adverſarios : & ad urbem ſe recipientibus incaute inſtantes , ad ipſam uſque foſſam progrediuntur.

Rectores elephantorum cladis Punicæ cauſſa. Front. Strat. 1. 7.

LIV. Ibi vero, quum & à mœnibus ſagittarum nimbus rueret , & à recentibus qui ante foſſam ſteterant , haſtæ velitares confertim jacerentur , confecti vulneribus elephanti ſævire , converſique quo dolor & ira ferebat incumbere ſuis , proterere obvios , perturbare & diſſolvere ordines armatorum cœpere. quo animadverſo proconſul *hoc illud eſſe tempus proviſæ dii victoriæ* clamitans , aperta porta prorumpit : neque difficile certamen inſtructis & compoſitis adverſus trepidantes & turbatos fuit : magna cædes pugnantium , magna fugientium facta , caſu quodam , qui præſidium adflictis adferre debuerat , ultro calamitatem augente. Quippe ſub idem illud tempus Punica claſſis comparuit: ad quam , veluti ſalutis unicam ſpem , quum trepida multitudo metuque cæca promiſcue rueret , multi invicem aut ab elephantis conculcati ſunt ; alii à perſequentibus interempti : magnus etiam numerus inter natandum , aut dum naves tumultuoſe conſcenduntur excuſſus , in mari periit.

Vulnerati elephanti ſæviunt in ſuos. Polybius. Diodorus. Zonaras.

Punica claſſis plus nocet ſuis, quam prodeſt.

LV. Neque vel ad ea tempora , vel deinceps ulla populo Romano inter tot res proſperas victoria clarior ceſſit : qua & ad priorem fiduciam erecti ſunt animi , & tantus hoſti metus incuſſus , ut non modo ſpem in poſterum pedeſtris militiæ ; quamdiu id bellum fuit , ſed etiam cogitationem deponeret . Viginti millia Carthaginenſium eo prœlio cæſa referuntur : elephanti ſex & viginti ſtatim , cæteri poſtea omnes capti : Proconſul enim efferatas palanteſque belluas ab ignaris haud facile adduci poſſe cogitans , præconis voce *incolumitatem & libertatem captivis* promiſerat , *quorum opera comprehenſi elephanti eſſe viderentur*. Ita primum captis manſuetioribus ſibique notis ; cæteros horum ope haud difficulter adduxerunt . L. Metellus omnes Romam miſit , haud indigno quod memoretur invento per fretum tranſportatos.

Magna victoria L. Metelli. Flor. 2. 2. Oroſ. 3. 9. Zonaras.

Carthaginenſium cladeſ.

Front. Strat. 2. 5. Zonaras.

LVI. Quod enim naves ad eam rem idoneas nullas habebat , doliis coactis multis vinctiſque , ita ut inter bina quæque dolia tignum unum immiſſum , neque conlidi inter ſeſe , neque divelli ſineret ; rates compactæ ſunt , quæ deinde tabulato conſtratæ , materia terraque ingeſta , & lateribus undique præſeptis in ſtabuli formam ingreſſas intrepide belluas , ſine ſenſu navigationis , cujus valde impatientes ſunt , in Rhegino litore

Metelli inventum ad tranſportandos elephantos. Plin. 8 6. Zonaras.

Asdrubal supplicio adficitur, ob rem male gestam. Orosius.

expoſuerunt. Aſdrubal ex clade Lilybæum evaſit, ſed Carthagine damnatus abſens, quumque rediiſſet comprehenſus & ſupplicio adfectus eſt. Interea Pœni cæſos exercitus ſuos, abactos elephantos, totam Siciliam præter Lilybæum & Drepanum amiſſam, Romanoſque iterum claſſe confecta, mari terraque validos eſſe reputantes, ad pacis conſilia ſe retulerunt: gratanter accepturi ſi lenioribus paulo conditionibus tranſigi poſſet.

M. Regulus à Pœnis pacis petendæ cauſſa Romam mittitur.

LVII. Quæ res quum eos M. Reguli, legumque pacis ab ipſo quondam dictarum admonuiſſet, in eam cogitationem venerunt, ut per illum ipſum maxime crederent, vel pacem, vel quod ſecundum pacem gratiſſimum erant habituri, permutationem captivorum impetrari poſſe. Neque dubitabant quin promptiſſimam operam in eo negotio vel ſua cauſſa navaturus eſſet. *quem enim tanta duritie animi cogitari poſſe, quin exire miſerias carceris, reviſere chariſſima pignora, frui libertate, patria, dignitate, honoribus cupiat? Eſſe M. Regulo uxorem Romæ, eſſe liberos: propinquos ejus adfineſque in Senatu & magiſtratibus, fratrem etiam patruelem conſulari imperio agere: ipſum Senatui populoque Romano & ob res proſperas chariſſimum, & ob adverſas miſerabilem eſſe: ſive ſe amaret, ſive à ſuis amaretur; neminem neque agendæ cauſſæ diligentiorem patronum, neque impetrandæ gratioſiorem fore.* Non abnuit ille, nulla ſpe aut cupiditate ſuæ utilitatis, ut poſtea apparuit, ſed ut Senatum ad publica tuenda commoda præſens auctor efficacius permoveret. Ita Carthaginenſium legatis additus quum ad urbem veniſſet, ingredi, quamvis rogatus à Romanis, noluit: *hoſtium legatis ex diſciplina patria Senatum extra urbem dari* cauſſatus.

Ille alio animo abit. Zonaras.

Appian. ap. Urſ.

Dio. ap. Urſ. Reguli Oratio in ſenatu.

LVIII. Coactis ergo Patribus inter legatos Carthaginenſium verba fecit, *ſe quoque, ut qui jure belli ſervus Pœnorum eſſet, mandata dominorum attuliſſe, maxime quidem bellum uti finiretur conditionibus quibus utrique populo viſum eſſet: ſin vero, ut ſaltem captivorum eſset permutatio.* Digreſſos mox legatos & ipſe ſequutus eſt, neque deliberationi Senatus hoc ipſum inſtanter petentis prius intereſſe voluit, quam Carthaginenſes adſentirentur. tum adſedit tacitus, donec rogatus ſententiam: *Patres*, inquit, *conſcripti, ego tamen Romanus ſum! & corpus quidem, ut fortuna voluit, penes hoſtes eſt; animus fortunæ non ſubjectus, qui fuit, manet. quare huic potius obſequutus quem meum eſſe reor, quam corpori quod alienum eſt, neque captivos permutandi, neque inſanæ pacis auctor ſum. Bello manente captivos reddi, prorſus eſt inutile: nam illi pro me uno duces multos, pro ſene adoleſcentes repetunt; in quibus eſſe novi quos non ſpernatis: finiri vero bellum, niſi luculentiſſimis conditionibus, aut univerſa victoria, quam indignum eſſet ſapientia veſtra, tum rei Romanæ damnoſiſſimum.*

Liv. Epit. 18. Zonaras.

Pacem diſſuadet.

Silius l. 6.

Comparatio

LIX. *Scio vobis etiam in gerendo bello difficilia multa accidere; neque enim res magnæ citra magnum laborem magnoſque ſumptus*

conſieri

confieri poſſunt: ſed ſi Carthaginenſium fortunam contuleritis, omnia quæ momentum ad victoriam faciunt, penes vos meliora ſunt. Magna pugna ſuperati ſumus ſemel, ſive culpa iſta mea ſive fortuna fuit: ſed exercitus eorum toties cecidimus, & animos mea clade rurſum erectos victoria Panormitana infra priorem deſperationem dejecit adflixitque. Siciliam excepta una alteraque urbe amiſerunt. in cæteris inſulis res ipſorum mala ſunt. Claſſem habetis, cui Punica non optet occurrere: hac quoque parte belli perpetuo ſuperiores. neque accepta tempeſtatibus damna tantum vobis virium detraxerunt, quantum adjecerunt cautionis. Pecuniæ fortaſſis par utrobique inopia: ſed obſequentiores tamen vobis Itali, quam Afri Pœnis, quos quum amaſſent nunquam, nuper etiam impenſius odiſſe didicerunt. Qui enim nulladum tam atroci injuria læſi certatim ad me defecerunt, eos poſt vaſtatam à prioribus dominis regionem, abacta armenta, extortas pecunias, interfectos principes, quid aliud expectare creditis, quam ut novus exercitus hinc in Africam veniat?

Romanæ & Carthaginenſis Reipubl.

Pecuniæ utrobique inopia

LX. *Quod vero delectus vobis facilis & copioſus eſt, miles bonus, concors, lingua, moribus, ſacris, civitate, cognatione junctus, id tantum eſſe reor, ut hac una re ancipitem facere poſſetis Carthaginenſibus totius belli victoriam, ſi cæteris omnibus vincereminí. Quid enim adverſus ejuſmodi copias momenti ſit in mercenaria manu? & tamen ſi quod erat, ſua crudelitate jam aboleverunt Pœni, ſibique non minus difficilem effecerunt peregrini militis conducendi rationem, quam conducti cuſtodiam. Xanthippus, cui forte Carthago debet, quidquid ab eo tempore potuit amittere, tam ingrate perfideque tractatus, documento erit aliis, ne temere locent operam ei populo, qui maxima merita non niſi maximis injuriis novit remunerari. vulgus etiam barbarorum, ſtolidum & venale genus, nihilominus abſterrebit in ſui generis homines ſæpius exercita ſævitia, quum modo carnificum aut commilitonum manu perempti, modo in deſertis inſulis expoſiti, pro ſtipendiis emeritis, ne ſimplicem quidem mortem, & humani moris ſupplicia pertulerunt. Habetis P. C. rationes meæ ſententiæ, qua neque pacem Carthaginenſibus dandam, neque commutationem captivorum recipiendam cenſeo.*

Delectus Romanis facilior.

Mercenarii à Pœnis alienati.

LXI. Non diſplicebat conſilium Senatui, ſi auctore ſalvo accipi poſſet, ſed hujus eo magis miſerebantur, quo ipſe ut reipublicæ conſuleretur, magis ſe neglexerat: apparebatque huc inclinari, ut qualibet conditione vir animi tam generoſi patriæ redderetur. jamque voces jactabantur dicentium, *poſtquam ad ſuos poſtliminio revertiſſet, ſuo jam jure manere in civitate, aut retineri poſſe*: Pontifex etiam Maximus adfirmabat, *ſi remanſiſſet in civitate, citra perjurium facturum videri*. quum ille ſpiritu vultuque quem etiam iſte Senatus ſtupefaceret: *Quin*, ait, *dubitationem iſtam ſemel tollitis Romani, ſequiminique ſententiam meam, & audetis me contemnere? Fru-*

Pœnili Metaphr. in Eutrop.

Regulus Romæ manere ab nuit.

ſtra tenditis obtinere, quod neque jucundum vobis, neque utile patriæ, neque mihi honeſtum ſit futurum. Fortaſſe dum nova res eſſet, alacres, & gratantes vobiſcum me verſari videretis: ſed ſimulatque primi iſtius gaudii brevis impetus evaniſſet, odioſiorem me vobis redderet reditus mei turpitudo, quam abſentia mea deſiderandum effeciſſet.

Eutropius. Rationes propoſiti ſui adducit. Silius l. 6.

LXII. *Mihi quidem certum eſt in ea civitate non degere, ubi poſt ſervitutem Africanam civis honeſti dignitatem tueri non potero: & ſi maxime vellem, prohiberet fides, prohiberet juris jurandi ſacer horror, numinumque veneratio, quorum invocationem & reditus mei ad Pœnos pignus feci, & ſi pejerem, pœnæ non à me tantum, ſed etiam à vobis populoque Romano repetendæ vindicem timeo. Sunt enim profecto aliqui dii, neque perjuriis aut contemptu hominum impune violantur. Si quis vero poſſe me religione exſolvi autumat: eſſe prodita libris auguralibus hujuſcemodi piacula: cærimoniis & victimis perfidiam ac perjurium rite procurari: eum ego meminiſſe velim, majorem eſſe majeſtatem numinum, quam ut pejerando læſa quibuslibet hominum inventis placetur: neque rationi conſentaneum, ut maculæ peccatis hominum contractæ, pecorum boumve ſanguine ablui credantur. Ad me quod attinet, ſcio mihi Carthagine paratos eſſe cruciatus magnos, exquiſita tormenta.*

Zonaras.

LXIII. *Sed his omnibus triſtius eſſe puto fidem fallere. Hoc enim mihi profecto noceret: illa magis ad ea quæ circa M. Atilium ſunt, quam ad ipſum referuntur. Nolite calamitoſum exiſtimare, quiſquis ferre calamitatem poteſt. Servitutem, contemptum, dolorem, inediam, vigilias, quam mala nunquam putaverim, poſt tanti temporis adſuetudinem etiam moleſta credere deſii. Tolerabilia enim eſſe, tolerando didici: quod ſi ſupra quam ab homine ferri poſſint, intendantur, non ab illa tantum, ſed ab omni miſeria me ejus mors liberabit. Nihil igitur timendum eſſe video mortem non timenti, quam etiam occupare licet; & feciſſem, niſi viri eſſet, vincere potius dolorem quam effugere. Sed hæc pauca & confuſa ideo dixi, ut vos neque dimoveri me poſſe à ſententia ſciretis; neque vicem meam velut hominis infelicis & calamitoſi miſeremini: mihi vero mei conſilii tota ratio facilis & conſtans eſt. nam ut Carthaginem revertar, id mihi debet eſſe curæ; quid paſſurus ibi ſim, erit diis.* Ajunt etiam quo efficacius moveret dubitantes, confirmaſſe, *priuſquam Carthagine dimiſſus eſſet, ſibi venenum Punica fraude datum, quod lenta peſte ſpiritus vitales excedens, facta permutatione reſtitutum ſuis conſumeret.*

Nihil timendum mortem non timenti.

Tudit. ap. Agell. 16. 4.

M. Reguli horribilis conſtantia.

LXIV. Horribilem vero in hoc viro virtutis conſtantiam, qui, dum ab honeſto non diſcederet, contumelias, cruciatus, mortem, quidquid denique abominantur homines, majori prope contentione ſequutus eſt, quam alii vitaverant. Utili mortalibus documento, eas tantum animas quibuſvis terroribus pares, honeſtique propoſiti ad extremum tenaces eſſe, quæ nobilitatis ſuæ ſenſum habent, ſeque

non ad hanc modò vitam natas esse meminerunt. Nec enim acerbitates tantas M. Regulus sponte pertulisset, nisi aut pulchris factis ingentia post mortem fore præmia, aut sceleratis ingentes pœnas credidisset. Igitur in sententiam M. Reguli facto Senatusconsulto, quum mœstos & iratos dominos ipse vultu semper eodem sequeretur, repulsæque dolorem appareret in suâsorem ejus erudeliter vindicatum iri, enoti quidam sunt, ut vel nolentem retineri juberent, uxore præterea Reguli Marcia, communibusque liberis, omnia fletu planctuque complentibus, dixere Consules, *neque manentem dedituros esse; neque discedentem moraturos.* Silius l. 6. Zonaras. Silius l. 6. Vxor. Reguli. Dio ap. Vrs. Horat. car. 3. 5. Applan. Punic.

LXV. Sic ille recusato etiam conjugis colloquio, parvorumque filiorum complexu oculisque vitatis, Carthaginem revectus, atrocissimis suppliciis vexatum corpus exuit. Palpebris enim resectis aliquandiu in loco plane tenebricoso habuerunt: deinde quum sol esset ardentissimus, repente eductum intueri cœlum coëgerunt. postremo conjectum in arcam ligneam, quam ad solem obverterant, clavis intorsum versis horrentem, atque ita angustam; ut erectus perpetuo manere cogeretur: dum sessum corpus, quocumque inclinaret, ferreis stimulis confoditur, cruciatu & vigiliis interemerunt. Hic M. Atilii Reguli fuit exitus, ipsa quoque vita, licet maximam per gloriam diu acta clarior & illustrior. Fuit vir moribus integerrimis, animo infractus; consilio non spernendus, in quo nihil accusare neque sua neque sequentia tempora potuerunt, nisi quod fortunam secundam infirmius tulisse visus est, repudiatisque Pœnorum precibus causa fuisse, cur multis deinde annis bellum maneret, ingenti cum civitatis utriusque detrimento. Regulus excruciatur à Pœnis. Valer. Max. 3. 7. Tubero ap. Agel. 6. 4. Auct. de vir. ill. c. 46 Aug. de civ. Dei 1. 15. Elogium Reguli. Cic de off. 3. 27.

LXVI. Cæterum M. Regulus peccatum istud aliis virtutibus, sed maxime mortis admirabili constantia delevit; calamitate sic perlata fortunatior, quam si evitare imminentem potuisset. Audito fine Reguli, & barbara Pœnorum feritate, Senatus nobilissimos captivorum Marciæ liberisque dedidit. quos illi conclusos in armario muricibus præfixo, pari ac Regulus interierat supplicio excruciare constituerunt, alimentis etiam per dies continuos quinque non præbitis. intra quod tempus Bostar Pœnus mœrore fameque extabuit. Hamilcar vero firmior, etiam alios quinque dies cum cadavere Bostaris inclusus, ciboque tantum ad vitam cum miseria prorogandam dato duravit: donec cognito quid fieret, magistratuum imperio sævitia coërcita est, injunctumque ut Bostaris cineribus in patriam remissis reliqui captivorum mitius haberentur. morum utriusque civitatis memorabili discrimine; quum altera nec inique læsa, nec impune læsura, virtutem quam venerari debuerat, diris suppliciis exstingueret: altera justissimæ vindictæ poneret modum, non quem poscebat irritatus dolor, sed quem reverentia humanitatis, & decora claris imperiis moderatio commendabat. Diod. l. 24. ap. Vales. Zonaras. Senatus uxori Reguli nobiles captivos dedit. Tudit. ap. Agel. 6. 4. Diod. l. 24. Magistratus sævitiam in captivos prohibent.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECVNDA.

LIBER XIX.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XIX. LIVIANI.

CÆtilius Metellus, rebus adverſus Pœnos proſpere geſtis ſpecioſiſſimum egit triumphum, XIII. *ducibus hoſtium &* CXX. *elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher* Cos. *qui contra auſpicia profectus juſſit immergi pullos qui cibari nolebant, infeliciter adverſus Carthaginenſes claſſe pugnavit, & revocatus à ſenatu, juſſuſque dictatorem dicere,* 1 *C. Glauciam dixit, ſortis ultimæ hominem: qui coactus abdicare ſe magiſtratu, poſtea ludos prætextatus ſpectavit: Atilius Calatinus primus Dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captivorum commutatio facta eſt.* 2 *Coloniæ deductæ ſunt, Fregellæ, in agro Salentino Brunduſium. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. cenſa ſunt civium capita* CCLI. *millia* CCXXII. *Claudia ſoror Claudii, qui contemptis auſpiciis male pugnaverat, à ludis revertens, cum turba premeretur, dixit:* Utinam frater meus viveret, iterumque claſſem duceret. *ob eam cauſſam multa ei dicta eſt. Duo prætores tum primum creati ſunt. Cæcilius Metellus Pont. Max. A. Poſthumium Cos. quoniam idem & flamen Martialis erat, quum is ad bellum gerendum proficiſci vellet, in Urbe tenuit; nec paſſus eſt à ſacris recedere. Rebus adverſus Pœnos proſpere pluribus geſtis, ſummam victoriæ C. Luctatius Cos. victa ad Ægates inſulas claſſe Pœnorum, impoſuit. Petentibus Carthaginenſibus pax data eſt. Quum templum Veſtæ arderet, Cæcilius Metellus Pont. Max. ex incendio ſacra rapuit: Duæ tribus adjectæ ſunt, Velina & Quirina. Faliſci quum rebellaſſent, ſexto die perdomiti, in deditionem venerunt,*

Conſules exercitum in Siciliam deportant.

PROFECTIS ab Urbe Carthaginenſium legatis, Conſules Senatuſconſulto exercitum in Siciliam deportare juſſi, cupide paruerunt, & ira in hoſtes accenſi ob M. Regulum, & æmulatione ſpeque ex L. Metelli proconſule victoria. Nec enim confecti negotii magnitudinem dam-

NOTÆ.

1. *C. Glauciam.*] Lege Cl. Glician ex Capitolinis marmoribus.

2. *Coloniæ deductæ ſunt Fregellæ.*] Sigon. ex veteri libro legit Fregenas, quod Fregellas colonia deducta eſſet an. U. C. 327. Fregenarum autem maritimæ coloniæ, meminit Livius lib. 31. Sita fuit inter Alſium, & Oſtia Tiberina in Etruriæ Latiique confinio, ad ortum oppidi maritimi, quod hodie *Palo*.

no tantum Carthaginenſis populi metiebantur, quod amiſſo exercitu, tantoque numero elephantorum, ad reliqua belli factus eſſet infirmior; ſed haud minus eo, quod proſpera cum belluis pugna Romani milites animum ex priore formidine receperant: ſpeſque inceſſerat finiri bellum poſſe, ni occaſioni defuiſſent. Igitur] claſſe navium ducentarum coacta Conſules ambo cum legionibus quatuor Panormum appulerunt: adſumptiſque reliquis ibi copiis navibuſque, præter eas quæ cuſtodiæ locorum neceſſariæ videbantur, cum roſtratis ducentis quadraginta, cercuris vero (ſic vocant navium quoddam breviorum genus) ſexaginta, & aliis cujuſque modi navigiis plurimis Lilybæum veniunt: ibique conſilio habito aggredi urbem conſtituunt. Polyb. 1. 41. Copiæ & naves Romanæ. Etymol. in Κερκῦρος.

II. Hæc eſt illa Lilybætani oppidi nobilis obſidio, quæ per ſolidum decennium, ab ejus belli anno quarto decimo tracta, non expugnatione urbis, aut deditione ab obſeſſis facta, ſed univerſi belli eventu finem accepit. Quum enim Pœni Romanique intelligerent quantum in ea urbe momentum utriſque foret, vel ad Africæ præſidium, vel ad imperium Siciliæ, ſummis utrinque viribus & oppugnata & defenſa eſt. Urbem deinde Romanam ex mœrore quem M. Reguli caſus attulerat, refecit L. Metelli triumphus: non viſu modo & memoria rerum proſperrimarum, ſed etiam adverſus inhumanam gentem vindictæ dulcedine. Triumphavit de Pœnis proconſule A. D. VII. Idus Septembres. Ducti ſunt ante currum duces hoſtium tredecim, & ingens elephantorum agmen, viginti ſupra centum; ſunt & qui plures numerent. Hi deinde producti ſunt, quum ludi fierent, & haſtis præpilatis per totum circum ab operis acti, quo contemnere diſceret belluas populus, quas vehementiſſime timuerat. Interfectos eſſe jaculis Verrius Flaccus auctor eſt, quum neque uti iis placuiſſet: neque donari regibus tantam adceſſionem virium, ex uſu reipublicæ videretur. Lilybæi nobilis obſidio. Col. Triumphi L. Metelli Triumphus. Liv. Epit. 19. Dionyſ. l. 2. L. Piſo ap. Plin. 6. 8. M. Varro ap. Plin. 18. 3.

III. Eodem anno magna vilitas annonæ Romæ fuit: aſſibus ſingulis farris modios fuiſſe. itemque vini congios, ficique ſiccæ pondo triginta, olei pondo decem, carnis pondo duodecim traditur. quum plus ubivis earum rerum eſſet, quam pecuniæ, cujus inter belli tam diuturni ſumptus magna jam penuria eſſe cœperat. Dum hæc Romæ geruntur, in Sicilia Lilybæum ſummis viribus oppugnabant Conſules, neque minore pertinacia animorum ab incluſis reſiſtebatur. Prima vis admota eſt turri quæ præ aliis longiſſime verſus Libycum mare procurrebat. Hac dejecta, ad proximam quamque promota ſunt opera, donec ſex omnino turres procubuerunt. tum ad cæteras quatiendas foſſæ compleri cœptæ, ut machinæ tranſduci admoverique poſſent. quanquam magnus erat labor, quippe latitudo foſſæ ſexaginta cubitos, altitudo quadraginta æquabat, tamen impigre cœptus promotuſque eſt. Magna vilitas annonæ. Oppugnatio Lilybæi. Polyb. 1. 42. Zonaras. Diod. l. 24.

IV. Contra hæc Carthaginenſes interius aperta foſſa, egeſtam humum amoliebantur: ſed quum multitudine materiam apportantium Zonar.

Diod. Polybius. Himilconis industria in defendenda urbe.

nihilominus agger creſceret, foſſæque complanarentur, relicto iſto conſilio murum alium interiorem extruxerunt: indefeſſo ad omnia Himilcone, qui præter urbanam multitudinem, mercenariorum decem millibus inſtructus, vim omnem dolumque hoſtium ſagacitate, vigilantia, conſtantiaque eludebat. Ille nihil neque remiſſum apud ſuos, neque tutum apud hoſtes patiebatur; operibus opera, cuniculis cuniculos, armis arma opponebat: inter hæc ſæpe eruptionibus pugnatum, adeo nonnunquam

Eruptiones frequentes & ſanguinolentæ. Zonar.

ferociter, ut haud pauciores quam juſta pugna cadere ſolent, tumultuariis iſtis certaminibus deſiderarentur. Inter quæ, Romanis muros ſuffodientibus, quo ſubrutis fundamentis concideret, Himilco ex adverſo cuniculos agi juſſit, ubi Romanos terram egerere animadverterat. His deinde protinus apertis armatos immiſit, qui nudos & operi intentos ſubito aggreſſi, multos interemerunt; neque pauciores dum opem ſuis laturi ad muros accurrunt, ſarmentis in foſſam conjectis, deinde incenſis, concremarunt.

Polybius.

V. Gliſcebat tamen in animis obſeſſorum pavor atque conſternatio, qua abuſi duces quidam mercenariorum, *ſtipendia ſibi non ex fide ſoluta* prætexentes, de prodenda Romanis urbe conſilia iniverunt: minime dubitantes, quin ſuos quiſque milites facile inlecturus eſſet ad probanda quæ agerentur. Itaque nocte quadam clam ex oppido ad caſtra Romanorum clapſi, ſtatum urbis obſeſſæ, & quid ipſi pararent, ex-

Zonar. Mercenariorum motus Lilybæi. Polybius.

poſuerunt. Agebat tum inter mercenarios qui Lilybæi erant Alexon

Alexonis fide proditur.

quidam, Achæus genere, vir neque militarium artium rudis, & eximius fide. Is animadverſo proditorum conſilio, rem ad Himilconem continuo defert. Himilco, ut in magno & inſtanti metu nihil conatus, duces mercenariorum, quot eorum adhuc Lilybæi erant, convocat: quid à quibus tentetur exponit, eoſque graviter incuſat: hortatur præſentes *ne temeritatis & perfidiæ alienæ participes eſſe velint: in fide perſeverantibus integra apud Carthaginenſes* omnia, *ſtipendium certum, præmia magna fore: proditionis infami crimine ſe commaculantes, & diis & hominibus adverſis aſturos eſſe*. Simul pecuniæ

Zonar.

quantum cogere iſtam inter trepidationem potuerat, dividit, *de gregariorum ſtipendiis, ut quam maturrime ſolvantur, ſibi curæ futurum eſſe* ſpondet.

Polybius.

Himilconis induſtria ſedatur.

VI. Magna vis orationis eſt in tempore adhibitæ, præſertim ſi gravitate morum fides ſermoni concilietur: aſſenſi certe ſunt univerſi, operamque ſuam ad continendos in officio milites alacriter obtulerunt Himilco laudatos & ampliori ſpe incenſos *ire confeſtim ad ſuos quemque* jubet, *operamque dare, ut in fide atque poteſtate ſint*: mittit una Hannibalem filium ejus Hannibalis qui in Sardinia perierat, & Achæum Alexonem: illum ad Gallos, quibus ex veteri commilitio notus & acceptus erat: Alexonem ad cæteros varii generis mercenarios, omnibus ex æquo charum gratumque. Hi fidem

ſuam interponentes, *ratâ fore quæ Himilco promiſiſſet*, negotium adeo ex ſententia perfecere, ut paulo poſt reverſos ad mœnia proditores non modo averſarentur omnes ſed etiam convitiis teliſque ultro arcerent.

VII. Et hi quidem ad Conſules re infecta regreſſi, muneribus tamen quibuſdam & agris in Sicilia donati ſunt. Cæterum Pœnorum res improviſo malo prope deſperationem adductas, eo tempore fides Alexonis ſuſtentavit: qui prius ſervatis itidem Agrigentinis, quibus ſimili quodam ſcelere mercenarii Syracuſanorum inſidiati fuerant, jure ſuo memoriam laudemque in hiſtoria merui. Creverunt deinde obſeſſis animi adventu novorum auxiliorum. Carthaginenſes enim, licet ignari omnium quæ Lilybæi geſta eſſent, res non ſegnibus conſiliis indigere judicabant. Igitur Adherbali rei maritimæ præfecto negotium dederant, ut claſſe comparata militem, annonam & pecuniam Lilybæum introduceret. Ab hoc miſſus Hamilcaris filius Hannibal, ab Ægueſis, quas vocant, inſulis ventum opportunum nactus, recta fronte Lilybætanum portum petit, inſtructos in navibus habens milites, & ſi quis obſiſteret vi perrupturus. Jam ab obſidionis principio portus aditum obſtruxerant Romani, demiſſis in fundum maris cercuris quindecim, quos ad hunc uſum lapidibus oneraverant.

Zonar. Polyb. l. 45. Polybius. Diodorus. Adherbal cum novis copiis Lilybæum mittitur. Zonar. Oroſ. 4. 20. Polyb. l. 45. Diod.

VIII. Igitur partim hoſtis celeritate deprehenſi, partim metuentes, ne ventorum vi convulſi & ipſi in portum & intuta navigationibus loca raperentur, advenientibus hoſtibus occurrere neglexerunt. Et Hannibal portum tuto tenuit, copiiſque (decem erant millia militum) expoſitis, magnâ cum lætitia Lilybætanorum, in urbem acceptus eſt. Romani quum ingreſſum hoſtium impedire non potuiſſent, de cætero conſultabant, quemadmodum opera ſua tutarentur, quæ tanta multitudine novorum militum recepta Himilconem profecto oppugnaturum eſſe videbant. Neque fefellit eos opinio. Pœnus enim aliorum recentibus viribus, aliorum refectis adventu ſociorum animis uſurus, veteres novaſque copias in concionem vocat; ſpe victoriæ ac præmiorum ad faciundam eruptionem impellit: diſpoſitiſque ut res poſcebat manipulis ſub primam lucem opera Romanorum pluribus locis aggreditur.

Decem millia militum in oppidum introducenda curat.

IX. Erant & apud hos proviſa cuncta, quaque plurimum periculi metuebatur, firmæ ſtationes oppoſitæ; cum his itaque confeſtim acre certamen contrahitur. cadunt utrimque multi, quum & magna animorum contentione, & numero pugnantium non contemnendo res gererentur, haud paucioribus viginti millibus urbe egreſſis, & majore aliquanto multitudine obſidentium. Quippe Conſules contracti ex amica Sicilia auxiliis pluſquam centum millia hominum effecerant: ex quibus ad expediendos commeatus aliaſque neceſſitates dimiſſis cæteris, ad obſidionem urbis millia ferme ſexaginta adducta. Sed quum ex omni parte vehementer dimicaretur, maxima circa machinas erat contentio:

Pugna ad Lilybæum. Diodor. Polyb. l. 45.

quàs alii ut corrumperent, alii ut defenderent, non magis suæ quam hostis vitæ parcebant. Jacebat ingens agmen occisum in ea statione, quam tuendam ab initio ceperant: augebat clamorem præliantium & terrificam discriminis faciem alia turba, quæ facibus tædisque armata, per pericula, per cædes suas alienasque ad incendenda opera ruebat: propiusque factum est nihil, quam ut pervicaciæ hostium miles Romanus cederet, machinæque defendi nequirent. Sed Himilco multos suorum occumbere cernens, Romanos autem de ardore propugnandi nihil remittere, signum receptui dedit, pugnaque prior excessit. neque Romani institerunt, contenti servatis operibus, quæ propemodum pro amissis jam habuerant.

Himilco prior signum receptui dat.

X. Proxima nocte Hannibal, clam hostibus, dum fessi ex prœlio ejus abitum observare negligunt, navibus quibuscum venerat, Drepanum ad Adherbalem vectus est: abductis una equitibus, quos in locis impeditis ad nullam rem obsessis utiles, alibi bonam operam navare posse recte judicaverat. Hi enim à Drepano sæpe excurrentes, intuta faciebant itinera, rerumque necessariarum subvectionem difficilem, multosque pabulatorum, longius à castris vagantium excipiebant, socioque Romanorum omni cladium genere vexantes, Consulum rationes non mediocriter conturbabant. Neque mari tutas iis res Adherbal esse patiebatur, qui modo Siculis modo Italicis litoribus improvisus incidens, nihil quo nocere Romanis posset, inausum intentatumque relinquebat. Ita factum, ut magna in castris nata inopia (nec enim præter carnes pecudum quidquam ferme cibi supererat) magna pars fame, plures etiam morbis, ut solet, obortis morerentur.

Hannibal ex obsidione elapsus, Drepanum venit. Diodor. Zonar.

Fames & morbi in castris Romanis. Diodor.

XI. Hunc ad modum quum aliquot hominum millia desiderata essent, alterum ex Consulibus ad comitia Romam discedere, suasque legiones deportare placuit, quo remanentibus in obsidione expeditior annonæ ratio foret. Iterum deinde majori conatu terra lapidibusque aggestis, aditum portus sepire aggressi sunt, validis trabibus decussatim compactis aggerem communientes, quæ ferreis ancoris revinctæ, totius operis compagem firmiore nexu continerent. Sed propter maris altitudinem, ob quam inter descendendum convellebatur, quidquid injectum erat, ingens & inutilis labor fuit: nam oborto vehementiore ventorum flatu, undisque intumescentibus, perfracta omnia ac direpta sunt. Quum tamen ipsa operis fama clausum aliquamdiu portum tenuisset; anxios ea res Pœnorum animos, vehementerque solicitos habuit; neque enim ulla in promptu erat ratio, qua cognoscere statum suorum possent, neque quisquam audebat operam suam ad inspiciendas Lilybætanorum res polliceri: donec Hannibal quidam cognomento Rhodius, vir ex illustribus, se ingressurum urbem, postquam omnia coram perlustrasset, ex fide renunciaturum recipit.

Zonar.

Machinamenta Romanorum ad Lilybæum. Diodor.

Polyb. 1. 14.

Polyb. 1. 47.

Hannibalis Rhodii audacia.

Ei

XII. Ei promiſſo gratia primo major apud Pœnos, quam fides fuit: quippe præter moles in mari jactas; aditum portus à Romanis navibus ad ancoras ſtantibus cuſtodiri ſciebant. Sed ille privata, quam habebat, adornata navi, ad inſularum quæ Lilybæo præjacent unam, hinc deinde quum poſtridie ventum ferentem nactus eſſet, circa quartam horam diei, palam, inſpectantibus univerſis hoſtium copiis, hominibuſque fiduciam ſtupentibus, portum invectus eſt. At Romanus Conſul, ut regredientem interciperet, ſelectas ex omni numero naves decem per noctem inſtrui jubet; eas ab utroque latere portus, quam proxime ad ipſum ejus oſtium conſtituit. Hannibal celeritate navis ſuæ confiſus clara luce procedit: exſpectabant eum intenti paratique Romani: ſimulque conatu quanto poterant, in eum ferebantur. Sed ille velocitate tantum vincebat, ut effugiſſe non contentus, ultro inluderet, modo adnavigans, modo circumvectus, quaſi ad pugnam hoſtes provocaret.

Portus Lilybæi cuſtoditus à Romanis.

Sed Hannibal penetrat.

XIII. Hæc audacia quum ſæpius uteretur, multum rebus Punicis adjumenti contulit, quod & obſeſſorum animi nunciis ſuorum mirifice recreabantur: & quæ poſtulabat uſus Carthagini mature cognoſci poterant, & contumelioſa iſtius hominis temeritas Romanos moleſtia & pudore vexabat. Juvabatur autem peritia maxime locorum, quod in paluſtri illa cœnoſaque eluvie, per quam Lilybæum aditur, certum fidumque navibus iter accurate obſervaverat. quoties enim ab alto veniens in conſpectu habere urbem cœperat, ita obvertebat navem, ut puppis Italiam reſpiceret, ex prora turris Lilybætana quæ mari imminebat, ita cerneretur, ut omnium Africam verſus ſitarum turrium conſpectum tegeret: quæ una tutiſſima eſt via pleno curſu portum petentibus nautis. Jamque plures eſſe cœperant, qui audacia & felicitate Hannibalis incitati Lilybæum commearent: donec caſu quodam quadriremis celeritatis eximiæ comprehenderetur.

Idque ſæpius.

Unde plures idem audent.

XIV. Licet enim aliis partibus moles à Romanis jactas venti ac undæ raptaviſſent; uno tamen loco, ubi minus profundum mare fuerat, conſtiterunt: Ei dorſo impacta navis quum obhæſiſſet, capta à Romanis optimoque milite & remigio inſtructa, etiam Hannibali exitium attulit. Quippe noctu forte ingreſſus urbem, quum in reditu palam ſolviſſet, quadrirememque iſtam ad omnes ſuæ navis motus ſimiliter occurrentem videret, animadverſo ſtatim periculo fugere, & quum hoc fruſtra eſſet, repugnare conatus, in validiorum poteſtatem venit. Romani hac quoque nave potiti, pariqne modo ad obſervandum portus aditum uſi, ne quæ deinceps naves Lilybæum penetrare poſſent, facile prohibuerunt. Acrior inde vis obſidentium eſſe cœpit: adortique munimenta Romani, quæ mari vicina erant, omne defenſorum agmen ad tuenda loca quæ oppugnabantur pertraxere. Sic via facta reliquis copiis quæ ex diverſa parte occaſioni huic inſidiabantur, ut

Sed intercipiuntur quidam. Etiam ipſe Hannibal.

Diod. 24. 1.

murum exteriorem eáperent. quanquam id frustra fuit. quippe dux Pœnus cum delectu suorum tempestive accurrens, multa cum cæde tenentes locum Romanos rejecit.

Polyb. 1. 48. XV. Alia deinde major fortuna spem obsessis universæ victoriæ dedit. Forte ventorum ingens vis exorta fuerat, adeo veluti data opera Romanorum incumbens machinis, ut & vineas quateret, & ipsas turres in capitibus earum structas convelleret. Non fefellit ea res oppidanos, deorumque munere oblatam sibi opportunitatem credidere, qua toties frustra tentatis operibus ignem injicerent. Itaque tripartito agmine erumpunt, faces, & quæ alendo igni paraverant, immittunt. eratque per se facilis ad concipiendam flammam materia machinarum, quam diu ante cæsam sol & æstus arefecerant. Neque segniter ad opem ferendam concurrerant Romani; sed impar certamen erat, quum alii machinis jam incensis ad tela certius validiusque conjicienda luce ignium & tempestatis impetu juvarentur: aliis haud minus ab his causis impedimenti periculique, quam ab hostili ferro esset. quippe flatus vehemens & Romanis prorsus adversus, fumum, favillam, flammas in ora oculosque hominum provolvebat: telaque ab hostibus missa majori violentia deferebat in obnoxios, quum interim Romanorum ictus incerti & invalidi, nec dirigi per caliginem possent; & vehementia reflantis venti frangerentur.

Lilybætani erumpunt.

Diodorus: Opera Romanorum incendunt. Polybius. XVI. Ita factum ut omnes Romanorum vineæ, petrariæ, arietes, & quidquid operum vel agendis cuniculis, vel verberando muro paratum fuerat, eodem incendio absumerentur. Tum vero spes omnis potiundi per vim Lilybæi excidit: desertaque obsidio foret, ni Hiero, magna iterum frumenti copia submissa, uti maneretur evicisset. Ita omisso oppugnandi consilio, castrisque ex omni parte communitis, tempori & casui rem permittere decreverunt. Obsessi quoque refecta murorum parte quæ ceciderat, majores in posterum ad tolerandam obsidionem animos habuerunt. Hæc nequaquam lætis aut securis animis Romæ audita: neque tamen dubitabatur quin bello accepta detrimenta bello sarcienda essent: adeoque hæc sententia penitus infixa mentibus fuit, ut quidam senator in ipsa curia occisus esse memoretur, quod verba de pace fecisset. Magni deinde apparatus facti, inter quos remigum (nam hujus generis jactura ingens facta erat) millia decem ex novo delectu in Siciliam missa.

Diodor.

Zonaras: Senator pacem suadens in curia occiditur.

Plin. 15. 1. Diodor. Anno ab urb. cond. 504. XVII. Consules jam erant P. Clodius App. F. C. N. Pulcher, L. Junius C. F. C. N. Pullus. Clodium illum nepotem Caci fuisse, falso à quibusdam traditum est. Is quum in Siciliam venisset, accepto qui ad Lilybæum erat exercitu, milites in concionem convocat, prioris anni Consules acriter reprehendit, *quod per ignaviam & delicias, obsessis quam obsidentibus similiores tempus ad Lilybæum sine ullo profectu, nec sine magna Romani nominis ignominia damnoque trivissent*. Erat enim vir asper & acerbus,

P. Clodii asperitas & alia vitia.

& qui violentia ingenii, faſtuque ob nobilitatem ſuam, prolaberetur ad facta dictaque vix ſanæ mentis homini convenientia. Idem in puniendo ſævus & immitis nullum delictum venia, leviſſimum quodque nimia ſeveritate proſequebatur; quum interim ipſe in rebus maximis, non miſere tantum, ſed etiam prorſus amenter impingeret. Nam & conſilium priorum ducum quod acerbe vituperaverat, imitatus eſt, ut ad portum obſtruendum moles in mare jaceret: & quod capitalioris amentiæ fuit, temere Drepanum aggreſſus, non minus ſua imprudentia quam Adherbalis virtute florentiſſimam claſſem perdidit.

XVIII. Perſuaſerat ſibi cæteriſque hoſtem ignarum ſupplementi quod Romana claſſis accepiſſet, imparatum Drepani deprehendi poſſe. nihil enim erediturum minus, quam audaciam & vires Romanis eſſe, ultro hoſtem mari laceſſendi. Sic delectis navibus optimis ducentis & viginti, impoſitoque remige, & fortiſſimo quoque ex legionibus, nam ut ad certam prædam, minimeque longum laborem (Drepanum enim Lilybæo abeſt millia paſſuum non amplius quindecim) certatim ſeſe offerebant; circa tertiam vigiliam ſilentio ſolvit, curſu per noctem proſpero, & hoſtes fallente. Lux orta, primis jam navibus à Drepano haud procul conſpectis, ad miraculum inſolitæ rei excivit Adherbalem, neque dubitare poterat, quin hoſtis adeſſet. duarum rerum erat propoſita optio, ut ante confeſtim prœlio congrederetur; aut aditu hoſti conceſſo cingi ſe obſideriique ſineret. quod poſtremum, quum haud minus flagitii quam moleſtiæ diſcriminiſque plenum videretur, averſatus; ſocios navales ſubito in litore coëgit: mercenarios autem milites voce præconis in concionem advocatos brevi ſed efficaci oratione monuit, quanta ſpes eſſet prælium prompte capeſſentibus: quantus, ſi illud refugiſſent, ex obſidione metus.

Polyb. 1. 46. Claſſem perdit. Diodor. 24. 1. Drepano temere tentato. Polyb. 1. 46. & 49. Adherbal prælio ſe parat.

XIX. Alacriter ſuccelamantibus omnibus, Adherbal collaudatos naves ſine mora conſcendere jubet, prætoriamque (hac ipſe vehebatur) oculis & remigio ſequi. Hæc ubi præcepta dedit, primus ipſe altum petit, ſub ipſas portui impendentes petras egreſſus, quum eodem tempore ex adverſo latere Romanæ naves portum intrarent. P. Clodius, non uti ſperaverat territo hoſte prœliumque detrectante, ſed ad defenſionem ſui ſtrenue converſo, perturbatus ipſe, naves ſuas propere revocat, in aperto mari ſtructurus aciem. Sed illæ nullo ordine, ut unaquæque præcurrerat, aliæ intra portum jam penetraverant, aliæ petebant aditum; quædam in ipſis faucibus verſabantur. inde factum ut dum magno niſu retrocedere omnes tendunt, aliæ in alias incurrentes turbarent mutuo, remoſque invicem detergerent; donec ut potuerunt evolutæ portuque egreſſæ, quoniam ſpatium temporis nullum ſupererat, continuo juxta litus ipſum in ordinem aciei adſtitere.

Pugna inter P. Clodium & Adherbalem. Romani trepidant.

XX. Ipſe Conſul qui prius agmen coëgerat, tum converſo curſu ante Adherbal cum paucis

navibus prælium inchoat.

omnes evectus ſiniſtro claſſis ſuæ lateri ſe applicuit. At Pœnus interea lævum hoſtilis aciei cornu prætervectus, cum navibus roſtratis quinque, tot enim ſecum habebat, Romanis obvertere frontem cœpit, altum patenſque mare à tergo habens. ſimul alios ſuorum, ut quiſque advenerat, adjungere ſe juſto intervallo prioribus navibus jubet, & poſtquam omnes eadem ſerie directæ ſunt, ſervatis ordinibus in hoſtem movet. Jamque ſublatum utrinque ex prætoria pugnæ ſignum erat, quum omni ex parte acriter concurritur, pari primo ſpe, ſed ſubinde meliore Carthaginenſium fortuna. Quanquam enim numero navium vincebantur, armatis tantum nonaginta, longe tamen rebus aliis ſuperiores erant. nam & navibus melioribus, & exercitatiſſimo remige utebantur: locum autem pugnæ ſortiti erant commodiſſimum, ut quoties urgerentur, liberum in mare receptum haberent, velocitate ſua ex facili vel eluſuri hoſtem inſtantem, vel etiam ſi longius proſequeretur, circumventuri. Romanis contra ad litus appreſſis in arcto omnia: non procurrere libero impetu, non inhibere tuto poterant: ſed quoties urgente hoſte retrocedebant, aut puppe in ſabulo deſidente hærebant, aut impacti litoribus periclitabantur.

Carthaginenſes vincunt. Diod. 24. 1. Polyb. 1. 51.

XXI. Ita quum neque perrumpere hoſtium ordinem, & rurſus à tergo invadere poſſent, ob tarditatem navium, remigumque imperitiam: neque ob anguſtias locorum, intra quæ concluſi erant, laborantibus ſuis opem à puppi ferre, impune à Carthaginenſibus vexabantur. Ad has difficultates acceſſerat & alia deſperationis ex religione cauſſa: iraque deorum ſe premi rebantur ob temeritatem Conſulis, qui contra auſpicia pugnare ſuſtinuiſſet, ad neglectum religionum etiam contumelia addita. Pullos enim, quoniam non paſcebantur, in mare præcipitari juſſerat, *ut biberent, quando eſſe nollent*: ea res, tanquam invitis iratiſque diis prœliantes, ad omnia ſegniores timidioreſque fecerat. Sed ipſi cladis auctori, quum cætera perdidiſſet, ad ſe conſervandum, nec ingenium, nec audacia defuit. Quippe quum naves ſuas paſſim deprimi capique videret, aſſumptis triginta quæ proximæ conſtiterant, inter litus & hoſtilem claſſem elapſus eſt: & quo tutior ad Lilybætanum exercitum receptus foret (prætervaviganda enim Pœnorum erant præſidia) naves in ſpeciem victricium ornari juſſit.

Eutrop. l. 2. Cic. de Na. Deor. 2. 3. Clodius contra auſpicia pugnavit. Flor. 2. 2. Val. Max. 1. 4. 5. Svet. Tib. c. 3.

Polyb. 1. 51. Clodii ſtratagema ad evadendum. Fronr. Strat. 2. 13. Eutr. 2. 2.

XXII. Ita Pœnis victoriam penes Conſulem fuiſſe, reliquaſque naves ejus mox ſequuturas putantibus, non modo rutus ei reditus, ſed etiam hoſtibus terribilis Lilybæum fuit. relictas à Conſule naves tres & nonaginta cepit hoſtis una cum propugnatoribus & remige, præter eos qui navibus magna vi in litus impactis, ejecerunt ſe in terram, fugeruntque. Sed & in ipſo prælio magnus navium numerus depreſſus eſt: nam plures ducentis Lilybæo P. Clodius advexerat. Tanta victoria minimo impendio Carthaginenſibus ſtetit. *non modo navem ſed ne hominum quidem ullum interiiſſe, vulneratos oppido paucos*

Diod. 24. 1. Magna victoria Pœnorum, cum

traditur: quum *de Romana classe octo millia hominum cæsa, capta millia viginti* referantur. Sub idem tempus etiam à Panormo naves frumento onustas rapuere Pœni, Drepanumque avexere, & vicissim ex agro Drepanitano commeatus Lilybæum importantes, omni genere bonorum obsessos large refecerunt. minimo aut nullo damno. Oros. 4 10. Diodorus: Lilybæum commeatus importatur à Polybius.

XXIII. Neque hic substitit ejus anni fortuna, quin alio quoque magno incommodo mactaret Romanos, nec possessione modo maris, sed etiam spe potiundi depelleret. Alter enim Consul L. Junius, cum onerariis multis quibus annonam ad exercitum deferret, rostratisque sexaginta ex Italia profectus, ubi Messanam appulit, obviam aliarum navium multitudinem habuit, quæ tum ab exercitu, tum aliis Siciliæ partibus eo convenerant. His adsumptis, & classe facta navium longarum CXX. onerariarum prope DCCC. Syracusas provehitur. Quo postquam venit, Quæstoribus partem navium Lilybæum ducendam tradit: ipse substitit Syracusis, exspectans eos qui Messana proficiscentem consequi non potuerant, simul annonam cogens, quam ex locis mediterraneis socii subvehebant. Interim Adherbal missis Carthaginem navibus, hominibusque captivis, fortuna gloriaque ad res gerendas incitante, Carthaloni qui suas septuaginta naves cum totidem ferme onerariis ex Africa adduxerat, triginta alias addidit, misitque hominem ad naves Romanorum quæ in portu ad Lilybæum stabant abstrahendas, aut corrumpendas. Aliud incommodum Romanorum. Diodorus. Polybius. Carthalo adversus classem Romanam mittitur.

XXIV. Ille sub primam lucem magno terrore invectus, quum aliis navium manus, aliis ignem injiceret, & in Romanos ad defensionem navium accurrentes, præfectus urbis Himilco mercenarios eruptionem facere jussisset, magna in castris trepidatio fuit. ad extremum Carthalo confractis non ita multis, abreptis quinque, Heracleam versus cursum direxit. Iis locis excubanti, ne quis Romanorum impune Lilybæum navigaret, nunciatur, navium omnis generis classem haud pœnitendam adventare. Jam ille præfectos alios ad se pertrahendo naves bonas ad centum viginti effecerat: confisus igitur viribus, & superiore victoria, confestim egreditur portu, venientibusque occurrit. Juxta Geloum litus in conspectum classes venere: sed Romani Quæstores impar certamen veriti, ad Phintiadem, quod in amicitia Romanorum erat oppidum, deflexerunt. Portus ad Phintiadem nullus est: tantum procurrentes in mare petræ stationem navibus haud usquequaque incommodam præbent. Polybius: Diodorus. Polybius: Naves aliquot corrumpit capitque. Polybius & Diodorus. Romani se recipiunt.

XXV. Hic exscensione facta Romani hostium adventum instructi exspectabant, catapultis atque ballistis ex oppido advectis, & pro litore ad tutelam navium dispositis. Carthaginensibus initio consilium fuerat obsidendi hostem, quem putabant metu perculsum statim refugiturum in oppidum esse, navesque ad prædam relicturum. Sed ubi Romanis gnaviter se defendentibus, certamen periculi plenum experiebantur, prætereaque loco multa habenti incommoda parum fidebant, destiterunt: pauciſque navibus ex earum Certamen ad Phintiadem.

Digitized by Google

Diodorus. Polyb. l. 54. Romanorum clades. Diodorus.

numero quæ commeatum vehebant, abductis, ad Halycum fluvium, qui haud procul inde aberat, diſceſſerunt: ibi dum ſaucios reficiunt, hoſtium abitum ex commodo ſuo obſervaturi. Alii ſcriptores, credo Philinum ſequuti, *haudquaquam levi damno defunctos eſſe Romanos* volunt: *ſed primo ſtatim adſpectu hoſtium perculſos Quæſtores, dum Phintiadem curſu petunt, onerarias naves, aliaſque præter bellicas, deſeruiſſe. in ipſo vero prælio rotunda Romanorum navigia quinquaginta, longas vero naves ſexaginta depreſſas, tredecim ita percuſſas quaſſataſque, ut deinceps uſui eſſe nequiverint.*

Polybius: L. Junius Conſul Lilybæum verſus navigat.

XXVI. Non longo poſt tempore, Pœnis adhuc ſtationem ad Halycum amnem habentibus, L. Junius Cos. rebus, quarum gratia Syracuſis ſubſtiterat, perfectis, præter Pachynum promontorium, vela Lilybæum verſus faciens, à ſpeculatoribus Carthalonis conſpectus eſt. Carthalo, re nunciata, quanta poteſt celeritate obviam Conſuli proficiſcitur, ignaro eorum quæ ad Phinthiadem geſta eſſent: quo longiſſime à Quæſtorum claſſe cum illo dimicaret, neque juvari ille facile à ſuis poſſet. Conſul eminus viſa Pœnorum claſſe, quum neque confligere auderet, neque hoſtem inſtantem effugere poſſet, juxta Camarinam in locum aſperum & importuoſum naves adigit; metum hunc vincente alio majore metu, ne aliter univerſus exercitus in poteſtatem hoſtium deveniret. Carthalo eadem loca intrare non auſus, ad promontorium quoddam ſtationi locum capit, ita ſitum, ut inde pariter in utranque Romanorum claſſem intentus eſſe poſſet.

Diodorus. A Carthalone in locum iniquum adigitur. Polybius.

XXVII. Neque multo poſt ventis violenter flantibus, quum ingentis tempeſtatis ſigna Carthaginenſium gubernatores rerum iſtarum periti vidiſſent, Carthaloni perſuaſerunt, uti relicta quam eœperat ſtatione, Pachynum flecteret. ita nec ſine magno labore vim tempeſtatis Punica claſſis effugit, at Romanorum utraque claſſis inter ſaxa cauteſque deprehenſa funditus interiit, uti ne tabula quidem ulla ullius uſus ex naufragio reliqua fuiſſe credatur; duabus exceptis navibus, quibus poſtea Conſul, reliquos ex ea clade milites remigeſque ſecum ducens, Lilybæum pervenit. Hoc naufragio naves quæ annonam portabant omnes, longas ſupra centum periiſſe traditum. exercitus tamen ſervata pars eſt, multis in vicina litora enatantibus ejectiſve. At Senatus, qui paulo ante P. Clodium Conſulem ob rem male geſtam ex Sicilia revocaverat, quum inſuper triſtis de Juniana clade nuncius adveniſſet; in claſſe quidem ſpem habere deſiit: cæterum ad bellum terreſtri Marte proſequendum, animum conſiliumque ſtrenue advertit.

Oroſ. 4 10. Claſſem naufragio amittit. Polybius. Diodorus. Senatus omiſſa claſſe terrarem ſtatuit gerendam. Eutrop. l. 2. Liv. Ep. 19.

XXIX. Et Lilybæi quidem obſidionem ſolvi non eſt viſum: ſed datum idoneis hominibus negotium, ut neceſſaria exercitui juſto tempore ſubveherentur. Spem faciebat, quod uti mari Pœnus, ita Romanus terra plus poterat, totamque ferme Siciliam ditione aut fœderibus complectebatur. Sed neque Conſules ejus anni placebant: neque Conſulari imperio,

Polyb. l. 54. Lilybæi obſidionem urgent.

rio, quod iſti contemptu religionum profanaſſent (nam & L. Junius contra auſpicia navigaſſe dicebatur) res putabatur feliciter geri poſſe. Igitur ad rem novam & inuſitatam ventum, uti Dictator diceretur, qui in Siciliam iret; quum ad eam diem extra Italiam nemo ea poteſtate præditus exercitum duxiſſet. Mira eo tempore & prope incredibilis P. Clodii Conſulis inſolentia fuit. juſſus à Senatu Dictatorem dicere, tanquam parum in patriam deliquiſſet tantæ cladis auctor, niſi dignitatem etiam imperii contumelia & deriſu macularet, M. Claudium Glyciam dixit, ſcribam aut viatorem ſuum. Cic. de Nat. Deor. 2. 3. Liv. Epit. Dictatorem in Siciliam mittunt. Suet. Tib. 1. 2. Faſti Capitol.

XXIX. Tum vero coorta merito in eum indignatione omnium, coactus abdicare, ac in populi judicium adductus eſt. Condemnatum auctores quos Cicero vidit, retulere; ſed apud alios adnotatum eſt, *illum haud dubia jam populi voluntate, caſu ereptum eſſe eminenti damnationi, quum ſubito coortus imber comitia diremiſſet: tum enim velut quæſtionem interpellantibus diis, aliam deinceps inſtitui non placuiſſe*. Cæterum Glycias, quod ultimæ ſortis hominem in maximo imperio conſpici pudor civitatis non ferebat, coactus abdicare, ludos tamen poſtea prætextatus ſpectavit. In ejus locum Dictator creatus eſt A. Atilius A. F. C. N. Calatinus, dixitque magiſtrum equitum L. Cæcilium L. F. C. N. Metellum, qui de Pœnis triumphaverat. Hi profecti quidem ſunt in Siciliam, ſed rem memorabilem nullam geſſerunt. Interea L. Junius anxius rerum ſuarum, & naufragii culpam egregio facinore abolere ſtudens, quum in omnes occaſiones intentus eſſet, Erycis occupandi viam, proditione nocturna quorumdam, quos donis & promiſſis ſuos fecerat, invenit. Polyb. 1. 52. P. Clodii judicium. Val. Max. 8. 1. 4. Faſti Capitol. Plin. 7. 43. L. Junius Erycem occupat. Dio A. 36. Zonar. Polybius: 52. & 55. Diodorus.

XXX. Eryx mons eſt Siciliæ poſt Ætnam editiſſimus, in ea parte inſulæ, quæ Italiam reſpicit, medio ferme inter Drepana & Panormum ſitu: ſed ab illa parte aſperior. In vertice planiciem habet cum templo Veneris, quam ex loco *Erycinam* vocant, longe omnium, quæ in Sicilia ſunt, opulentiſſimo. Sub ipſum deinde cacumen in medio montis urbs eſt cognominis, acceſſu valde difficili, qui a radicibus montis per longas & anguſtas ſemitas, non citra laborem expeditur. Igitur L. Junius loci natura perſpecta, tum in ſummo montis jugo, tum in faucibus quæ Drepana ſpectant, præſidia conſtituit, tutus loco, & ſi inceſſeretur, vim hoſtium levi negotio propulſaturus. Sed & Ægithallum muro cinxit, firmavitque præſidiaria manu militum octingentorum. Cæterum Carthalo noctu expoſitis ibi copiis caſtellum expugnavit. præſidiarii partim occiſi captive: partim ad Erycem perfugerunt. Eryeis deſcriptio. Diodorus. De L. Junio diverſæ opiniones. Cic de Nat. Deo. 2. 3. Zona. Liv. & Val. Antias ap. Cenſ. de die natal. c. 14. Itemque de ludis ſecularibus.

XXXI. Cætera de L. Junii rebus incerta ſunt apud ſcriptores: quidam enim *à Carthalone captum Ægithalli*, alii *metu accuſationis ob claſſem amiſsã ſibi necem conſciviſſe* prodiderunt. Neque minus de ſecularibus ludis ambigitur, tumne potius tertium celebrati fuerint, an quartodecimo poſt anno, P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo Conſulibus. Credibi-

Aug. de civ. Dei 3. 21. Plin. 25. 1.

lius tamen arbitror, hoc anno factos, incitante etiam ex tot cladibus metu, & spe meliorum temporum, si religiones diligentius colerentur. Fertilis hic annus fuit, oleique libræ duodenæ singulis assibus veniere. Interea quum dictaturæ vel tempus effluxisset, vel abdicata per

Anno ab Vrb. Cond. 505. Fasti Capitol. Zonaras.

Calatinum potestas esset; magistratum inierunt C. Aurelius L. F. C. N. Cotta, Servilius Q. F. Cn. N. Geminus, iterum uterque Consules.

C. Aurelii, P. Servilii gesta in Sicilia.

Hi res in Sicilia satis prospere gesserunt, citra tamen magnæ aut victoriæ, aut utilitatis gloriam. Coërcuerunt sane Pœnos Lilybæum & Drepanum tenentes, ne tam aut frequenter, aut late auderent excurrere: & quæ in locis à mari remotioribus præsidia habuerant, receperunt.

Carthalo Italicam oram vastat.

XXXII. Adversus hos Carthalo eum multa conatus frustra esset, consilium Italicæ oræ vastandæ cœpit: ut hoc tumultu Consules à rebus Siculis distraheret: aut si auxilio venire suis neglexissent, occasione temporum ad populandos agros, urbesque capiendas uteretur. Cæterum ne hic quidem fortuna cœptis adfuit. Missus enim ad prohibendas sociorum injurias cum urbano milite Prætor, de successu consilii sui desperantem redire in Siciliam compulit. Ubi quum mercenarius miles seditionem excitasset, quod stipendia non solvebantur; multos ex eo numero in desertis insulis exposuit, multos ad pœnam remisit Carthaginem. Quam rem ægre ferentibus reliquis, adeo sunt exasperati animi, ut manifesta defectio omnium, & ex eo novi belli materia timeretur. Sed in

Hamilcar Magnus in Siciliam venit. Diod. l. 23. & 24. ap. Vales. Oros. 4. 10. Polybius.

tempore Hamilcar, successor Carthaloni datus, advenit: tumultuantesque nocte adortus, alios occidit, alios demersit mari: cæteros veniam petentes, in gratiam concordiamque recepit. Hic est ille Barcæ cognomento notus Hamilcar, quo meliorem ducem Carthago non habuit, futurus incomparabilis, nisi Hannibalem genuisset.

XXXIII. Ex eo tempore durius Romanis bellum fieri cœpit. Statim enim sedato mercenariorum motu, cum classe ad Italiam devastandam

Locrenses & Brutios populatur. Appian. ap. Vrs.

profectus Hamilcar, Locrensium & Brutiorum agros late populatus est. At Romani, quum Hieronis Syracusani Regis in eos constans fides & magna exstarent merita, remisso tributo annuo quod priori fœdere pepigerant, perpetuam cum eo societatem amicitiamque sanciverunt. Interim Hamilcar ex Italia reversus in finibus Panormitanis exscensione facta, inter Panormum & Erycem castris locum cepit natura munitissimum. Eryce vocatur mons omni ex parte abruptus, qui ex circumfusa regione in magnam altitudinem se erigit, non tenui fastigio, sed

Polybius. Eryces castris occupat.

spatium centum plus minus stadiorum complexo: quæ tota regio pecori alendo frugibusque serendis aptissima est, ut quæ marinis flatibus opportune adversa, pestiferis animalibus omnibus vacat. Ibidem verruca

Barclay.

quædam adsurgit, quæ & arcis vicem, & speculæ in circumjectos campos obtinere queat.

XXXIV. Adjacet portus perquam aptus Drepano aut Lilybæo Italiam peti-

petituris: cum aqua dulci copiosa. Tribus omnino viis iste mons adiri potest: à terra duo sunt aditus, unus à mari, sed omnes impediti & perdifficiles. Hic castra locavit Hamilcar audaci plane consilio, quum urbem sociam habens omnino nullam in medios hostes se demitteret: sed munitione loci suaque virtute & peritia rei militaris confisus, plurimum negotii Romanis exhibuit, Carthaginensiumque res valde confirmavit, quæ jam etiam domi satis prospere ire cœperant. Namque Pœnorum alius dux Hanno, cui cum Hamilcare virtutis erat æmulatio, gloriæ parandæ causa, simul ut militem citra sumptum civitatis ex hostico aleret, belloque exerceret, Libyæ parti quæ circa Hecatonpylon est, arma intulerat; & urbe potitus, obsidum tria millia Carthaginem deduxerat. Neque tamen usquequaque res eis lætæ eo tempore fuere. Quippe L. Cæcilio L. F. C. N. Metello secundum, Num. Fabio M. F. M. N. Buteone Coss. privatorum opibus parata classis Africam vastavit.

Situs valde opportunus. Polybius.

Hanno prospere res in Africa gerit. Diodorus. l. 24.

XXXV. Quanquam enim Senatus iterum abstinere mari decreverat, civibus tamen id postulantibus navigandi potestatem fecit: ea conditione, ut naves ex publico acceptas restituerent; prædam servarent sibi. Sic facta classis non contemnenda, litoribus Africanis multum terroris damnique intulit: sed & Hipponem Regium, urbem non è vilissimis adorti, naves Hipponensium & ædificia multa igne consumpserunt. Regressuri deinde, quum exitum portus catenis clausum reperissent, ex magno periculo salutem sibi arte & consilio pepererunt. Incitatis enim navibus, quum proræ catenam prope jam contingerent, universi in puppes navium recessêrunt: sic levatæ onere proræ catenas facile superarunt. hoc facto contulerunt se omnes in proras, hisque depressis effecerunt, ut puppes itidem supra catenas lapsæ, liberi cursus facultatem periclitantibus redderent. Sic ingenti metu liberati, paulo post apud Panormum cum Punicis navibus prosperam pugnam fecere.

Polybius. Diodorus: l. 24. Anno ab Vrb. Cond. 505. Zonaras. Romani privatis permittunt navigationem. Africa vastatur.

XXXVI. Consules autem Romani divisis belli muniis, L. Metellus Lilybæum, Num. Fabius Drepanum obsidebant. Adjacet Drepano Austrum versus insula, sive scopulus verius est, quem Peliadem insulam Græci, nos Columbariam appellamus. Hanc occiso præsidio Punico per suos milites noctu Consul occupavit. Neque distulit Hamilcar, qui ad defendendum Drepanum accurrerat, orta luce ad locum recuperandum egredi. Quo animadverso Consul, quum suis opem ferre non posset, tota vi Drepanum oppugnare instituit. Sic retracto Hamilcare, tenuit insulam, eaque deinceps ad obsessos acrius infestandos usus est. Jactis enim molibus continenti eam adnexuit; & quoniam illa parte infirmiora urbis erant mœnia, operibus excitatis oppugnationem inde est orsus.

Cluv. Sic. a. r. Lilybæi & Drepani obsidio. Zonaras. Hamilcar ad defendendum Drepanum accurrit.

XXXVII. Sed pugnas Hamilcari cum his & sequentium annorum Consulibus pugnatas, neque ob frequentiam posse describi, neque ob similitudinem casuum debere Polybius censuit: quum triennio fere

Polybius. Sæpissime cum Romanis dimicat.

continuo Epierctæ caſtra habens cum Romanis ducibus, maxime poſtquam illi caſtris ante Panormum locatis, vix quinque ſtadiorum intervallum inter ſe & hoſtem reliquiſſent, propemodum quotidiana prœlia fecerit. neque enim aut quietæ res eſſe poterant, quum collata caſtris caſtra eſſent; neque rurſum ad univerſæ dimicationis diſcrimen ventum eſt. multa enim prohibebant: præcipue quod pari copiarum firmitudine, locorumque munitionibus, etiam qui in prœlio inferiores fuerant, vicinitate caſtrorum protegerentur. Ita fiebat, ut inter pugnandum ſemper aliqui caderent: aeie ſemel inclinata, tutus ad munimenta receptus eſſet. Cæterum eodem anno quo Drepana obſeſſa ſunt, non Sicula modo, ſed etiam Italica litora Carthaginenſium claſſes infeſtarunt. & ipſe Hamilcar, deprædando quidquid adiri poterat, maritimam Italiæ oram ad Cumanos uſque fines pervaſtavit:

Zonaras.

Maritimam] Italiæ oram pervaſtat. Polyb. 1 56.

XXXVIII. His ineurſionibus, & Siculis pugnis quum multi Romanorum civium in ſervitute apud hoſtes eſſent, duces Romani cum pœnis pacti ſunt, ut captivi permutarentur: utra pars plures accepiſſet, argenti pondo bina & ſelibras in capita daret. Plures quum recepiſſent Pœni quam reddidiſſent, pecuniam ex pacto pependerunt. Duas hoc anno colonias in Italia deductas invenio, Æſulum & Alſium. Luſtrum item Romæ conditum duodequadrageſimum, ab A. Atilio A. F. C. N. Calatino, A. Manlio T. F. T. N. Attico, Cenſoribus. Cenſa ſunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo: quum ſuperiore luſtro paulo minus trecenta millia cenſa fuiſſent. tantam civium multitudinem eo tempore bellum & naufragia conſumpſerunt. Nec ideo ſegnius ſuppleti exercitus Sicuti, M. Octacilio C. F. M. N. Craſſo iterum, M. Fabio C. F. M. N. Licino Conſulibus deducentibus.

Captivi permutantur. Zonaras.

Liv. 21. 23. 6. Vell. 1. 14 Cenſorum Romæ civium numerus. Faſt. Capit. Liv. Epit. 19.

XXXIX. Hi laborioſam quidem & exercitam militiam habuere; verumtamen, quia locorum quæ præceperat opportunitatibus emovere Hamilcarem nequiverant, nihil memoria dignum geſſere. quod ſequentibus etiam aliquot Romanis Conſulibus accidit, ob idem incommodum & quia repentini duces adverſus perpetuum veteremque delecti, plus propemodum temporis in adparatibus, & locorum ſitu, militum voluntate ſtatuque belli cognoſcendo conſumere cogebantur, quam ad res gerendas ſuperabat. Quo etiam conſilio factum videtur illo anno, ut quum inſtaret comitiorum tempus, Dictatorem potius dici placeret, quam Conſulum alterutrum ex Sicilia evocari. Dictus eſt Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N. comitiorum habendorum cauſſa: is magiſtrum equitum M. Fulvium Q. F. M. N. Flaccum dixit. Interea duo Tribuni plebis C. Fundanius & Ti. Sempronius Claudiæ Appii Cæci filiæ diem ad populum dixerunt, quod à ludis rediens, quum turba premeretur, in conferta multitudine ægre procedente carpento, vocem miſerat impii voti; *utinam frater meus reviviſceret, iterumque claſſem duceret!*

Anno ab Vrb. cond. 507 Laborioſa & infructuoſa contra Hamilcarem militia. Zonaras.

Claudiæ Appii F. dies dicitur. Agell. 10. 6. Suet. Tib. 1. 2.

XL. Nulla fere nobilis Romæ domus erat, quin Claudiam gentem propinqua cognatione aut adfinitate contingeret. Itaque non decrant qui eam tuerentur, *claritatem familiæ, patris Appii merita, fragilitatem ſexus* obtendentes. *inauditum eſſe fœminas ad judicium populi vocari. neque ſatis gravem cauſſam, cur à Clodia mos novus inciperet, quæ nullo aut conſilio aut facto majeſtate populi Romani deminuta, tantum intra verba peccaviſſet.* Adverſum quæ duo tribuni plebis ita diſſeruere: *Quam impiam, quamque deteſtabilem vocem Claudia jecerit, non ignoratis Quirites. neque enim teſtimoniis opus eſt, confitente rea: neque etiam illa negare, ſi vellet, poſſet; quod palam in publico, non Jovem, quum ſub dio hæc diceret, non multitudinem ipſam civium, quam incuſabat, reverita, effudit. Quorſum igitur, quum de crimine conſtet, de pœna dubitamus? parumne diligenter legibus cautum eſt? an nos verba legum numerantes, mentem earum circumveniri patimur? Fœminam hoc judicio peti novum eſſe contendunt. eſto: novum enim etiam eſt, fœminam hoc facto delinquere: nec dum enim ullam tanta improbitate mulierem urbs noſtra tulerat.* Valer. Max. 8. 3. Claudiæ gentis nobilitas. Epit. Liv. Suetonius. Tribunorum ploratio contra Claudiam. L. 29 ff. de leg.

XLI. *Atque utinam ne nunc quidem novum exemplum ſtatui opus eſſet, mallemus profecto nullis delictis quietam ac veluti conditam legum aciem pati, quam adverſus nocentes, utili quidem, ſed tamen acerbo rigore diſtringere. Caterum civitati ſtare volenti neceſſaria legum eſt cuſtodia: quas utique minime deberent ſubvertere, qui Reipub. noſtræ principes & columina haberi volunt. Quos profecto juris omnis peritiſſimos latere non poteſt, quam pluribus in legibus nulla ſit expreſſa mulierum mentio, verbo ſi quis, & ſimilibus, non minus illum ſexum, quam maſculinum contineri. Quid igitur mirum, ſi leges, quæ de majeſtate latæ ſunt, ad utrumvis ſexum pertinere credimus, quum exemplo ſit iſthæc Claudia, ab utrovis in eas peccari poſſe? Sed eleuant illi rem, parumque videri delictum volunt, quod ultra verba non proceſſiſſet. Hoc enim reſtabat, ut conatum, ſtudium, facta conjungeret, cum Pœnis conſilia ſociaret, centuriaret homines, armaret ſervitia, occuparet Capitolium, & peſtem quam civibus verbo vouerat, opere quoque ipſo & manu inferret?* L. 1. ff. de V. S. Leges de Majeſtate ad utrumvis ſexum pertinent.

LXII. *Atqui legibus profecto non facta magis, quam conſilium & animus patrantis puniuntur. neque enim ſi quid furioſus aut infans nocuit, jure adverſus eum prodita eſt actio: animi vero cujuſque multis in cauſſis non minus certa ex verbis, quam ex operibus indicia petuntur. Quæ ſic optat, quid faceret, ſi facere quod optat, in ejus manu eſſet? Quod ſi aliorum quoque hominum judicia non contemnimus (cur autem contemnamus?) etiam alibi pro ſcelere habitum vindicatumque eſt impium votum. Athenis, quæ Græciæ civitas præ cæteris ſapientiæ laudibus clara habetur, damnatus eſt qui magnum lucrum optaverat, quam neceſſaria funeribus curandis venderet, quod conſequi poſſe non videbatur, niſi* Sen. de benef. 3c. 38: Impium votum pro ſcelere damnatur.

multi mortales interiſſent. Et tamen illis in verbis locum habere poterat mitior interpretatio: hæc non ambigue neque perplexe, exitium civibus, cladem exercitui, calamitatem Reipublicæ optavit. Utinam frater meus reviviſceret! votum improbum, etiam ſi fratris cauſſa ſic optaviſſet.

P. Clodii ſuperbia & temeritas.

XLIII. *Cur enim illi reddenda vita eſſet, cujus opera tot civium millibus erepta eſt? qui Rempublicam non minus per ſuperbiam deſpexit, quam per temeritatem adflixerat? qui prædamnatus omnium hominum ſententiis, non infamiam ejus judicii, ſed pœnam caſu effugit? Hunc tu, ſi ſaperes, optares reviviſcere! cujus ſi memoriam eodem tumulo potuiſſet obruere, quo cineres teguntur, nihil antiquius habere debuiſſet. Quemadmodum enim fratrum egregiorum fama aliæ matronæ non inepte gloriantur: ita tibi hic pudori eſſet, ſi quidquam apud te pudoris remaneret. Sed ignoſcamus fœminæ nobili, ſi fratrem ſtulte fortaſſis, ſed tamen pie deſideravit. imo abſolvite eam, ſi tam inſolens ineptumque votum, quam cauſſa optandi abominabilis fuit. Cur enim voluiſti fratrem reviviſcere? ut adſpectus propinqui hominis te recrearet? ut opera ejus utilitati, auctoritas præſidio, honores ornamento eſſent? nihil horum. quid igitur? ut iterum claſſem duceret! Hoc enim erat ò ſceleſtiſſimum caput, cur quantum in te fuit, ſuſcitare mortuos, naturam in ordinem cogere, inferorum refringere clauſtra cupiviſti, ut reperires, per quem periremus?*

Civium Rom. numerus imminutus.

XLIV. *Hæc eſt, Quirites, cujus miſereri vos jubent, qui, dum bonos ſe propinquos probant, vix ſatis cavent, ne mali cives habeantur. Et tamen intercedit nemo, quin ipſorum arbitratu miſereamini, ſi cujuſquam veſtrum illa miſerta eſt. Sin vero aliis interitum, aliis luctum & orbitatem, omnibus calamitatem, cladem, peſtem imprecata eſt; tam incpta manſuetudine quiſquam erit, ut animum tam hoſtilem, tam infenſum, tam inhumanum ulla miſericordia dignum exiſtimet: Nuper quum luſtro confecto civium numerum Cenſores edidiſſent, qui gemitus hominum, quanta mœſtitia fuit? quanquam multa proſpere per annos iſtos evenerant, vix tamen bonis viris ſatis ſalva videbatur Reſpublica, quæ minus nunc civium numeraret, quam ſuperiore luſtro habuiſſet.*

Majoribus quid tribuendum.

At hæc illorum jactura qui periere nihil movetur: hoc dolet, quod alibi ſuperfuerunt! nimiam Romæ turbam eſſe queritur, reviviſcere optat eum ipſum cujus maxime culpa ſuperioris cenſus rationes decrevere. Sed ipſa quidem mulier indigna eſt miſericordia veſtra, cæterum ſi quid peccavit, majoribus ejus & patri condonabitis!

XLV. *Hoc igitur jus in civitate noſtra ſtatuemus, ut ſi quis patriæ quoquomodo profuiſſe dicatur, ejus poſteri poſſint eandem illam patriam impune lædere? Minime profecto ſic ſenſere majores noſtri, qui M. Manlium de ſaxo dejecerunt, quum Capitolium, ultimam tum ſpem Romani generis, non pater ipſius aut avus aut progenitorum aliquis, ſed ipſe ſervaviſſet. Non debebat quidem adjutæ Reipublicæ præmium uberius quæri, quam fa-*

ſti conſcientia: ſed tamen ſi qua bonam ei operam Ap. Claudius præſtitit, mercedem abunde recepit, locupletatus opibus, ſatiatus honoribus, quibus ad ultimam uſque ſenectutem perfruitur. Quanquam fortaſſe ſatius fuiſſet Appii & ſuperiorum Claudiorum mentionem prætermittere, quam admonere vos injuriarum, quas domus illa ab extrema origine minime popularis, atroces vobis ſæpe & acerbas intulit. Quem enim Appium vos meminiſſe volunt? aliumne, quam illum qui ſemper commodis veſtris inimico animo adverſatus eſt; qui potius cum exercitu perire voluit, quam à plebejo Conſule collega ſuo, ſervari. qui Cenſuram ultra legitimum tempus gerere invitis ordinibus omnibus perſeveravit.

Claudiæ domus injuriæ in plebem Romanam.

Appii Claudii facta parum popularia.

XLVI. *Si jam placet, ulterius merita Claudiæ gentis populo Romano exprobrent, & ad decemviralia uſque tempora procedant: vel ad ultimam uſque generis iſtius originem: reperient profecto potius, quomodo ſuperbia & contumacia mulierem iſtam majoribus ſuis ſimilem eſſe oſtendant; quam ut illorum in gratiam huic parcendum eſſe demonſtrent. Quid igitur cauſſæ, cur hæc mulier impune peccare debeat, vel iſti attulerunt, vel afferre quiſquam poteſt? niſi forte metuitur, ne tam ſalutaris exempli fœminam ex civitate noſtra amittamus. Quod ſi vos etiam veremini, Quirites, retinete, retinete hanc Claudiam, ut, quum matronæ noſtræ dubiis Reipub. temporibus ad pulvinaria deorum ſupplicatum ibunt; illarum pia vota contrariis votis hæc moretur: ut, quum illæ ſalutem militibus veſtris; hæc exitium optet: illæ incolumes videre; hæc audire oppreſſos, conciſos, trucidatos voveat: illæ ſolicitent deos, ne multi in bello pereant; hæc incuſet, ſi multi revertantur!*

Claudia Decemvir.

XLVII. *Retinete mulierem, quæ ſicut aliæ matronæ clarorum virorum æmulatione liberos propinquoſque ſolent ad virtutem, ad amorem patriæ, ad charitatem civium incendere; ſuos exemplo P. Claudii pugnare temere, fugere turpiter, cives ſeeleſte perdere, Rempublicam contumelioſe deſpicere doceat. hæc ab infantia meditanda proponat nobilibus pueris? hæc imitanda adoleſcentibus: ſic imbuantur, quibus claſſes veſtras, quibus exercitus commiſſuri eſtis.* Talia quum ultro citroque jactata eſſent, miſſus in ſuffragium populus damnavit ream, mulctaque ei dicta eſt æris gravis quinque & viginti millia. Ex hac aliaque mulctaticia pecunia Ti. Sempronius ædilis ædem libertatis in Aventino fecit, dedicavitque. M. deinde Fabius M. F. M. N. Buteo, C. Atilius A. F. A. N. Bulbus, Conſulatum ineunt. Coloni tum deducti Fregellas, urbem Etruriæ maritimam, ad nonum lapidem ab Alſio, colonia ante biennium deducta. Pugnatum his Conſulibus eſt navali prœlio magno apud Ægimurum, neutris læto exitu. quippe magnum & hominum & navium numerum perdidere Pœni; victrix Romanorum claſſis ex hoſte parta ingentia ſpolia, vi tempeſtatum amiſit.

Agell. 10. 6. Liv. 24. 14. 17. Claudia damnatur.

Anno ab urbe cond. 508. Faſt. Capitol. Liv. Epit. 19. Fregellæ Coloniæ. Vell. 1. 14. 8. Flor. 2. 2. 30.

XLIII. In Sicilia pari & conſilio & fortuna res geſtæ, quam ſuperiore anno factum fuerat: difficili Conſulibus bello non magis ob aſpe-

Navale prœlium apud Ægimurum.

ritatem locorum, quam ob Hamilcaris ingenium: qui ſicut in audaciam promptus, ita ad artes belli callidiſſimus erat. Quibus rebus illo tempore Romanos ita ſuſtinuit, ut non modo loca, quæ ceperat, tutaretur; hoſtiumque ſocios in Sicilia Italiæque ora incurſaret; ſed etiam in alia intentus, ruentem rem Punicam ubique fulciret, induſtrius idem, & cum animi firmitudine conſilii ex tempore capiendi artifex. Itaque Lilybætanos, qui terra maxime premebantur, inopia & metu liberare cupiens, partem claſſis, ut Lilybæum petentem, in alto juſſit obverſari. cujus ad conſpectum quum Romani evolaſſent, ipſe cum navibus quas ad hoc in loco unde conſpici nequiverant, occultas habuerat, portum occupavit, obſeſſoſque præſentia ſua & rerum neceſſariarum invecta copia, magnam in ſpem alacritatemque erexit.

Front. Strat. 3.10. Hamilcar Lilybætanos rebus neceſſariis inſtruit.

XLIX. Quum ad hunc modum tempus in Sicilia bellando extraheretur, Conſules A. Manlius T. F. T. N. Torquatus Atticus, C. Sempronius Ti. F. Ti. N. Blæſus iterum, ad exercitus venerunt. Sub id tempus non tam commutata, quam magis adſtricta ejus belli ratio eſt. Romani, uti paulo ante narravimus, ſupra Erycem urbem in ſummo monte præſidium collocaverant: aliud itidem infra urbem in radice montis. munitio præterea ſituſque loci, quum cuſtodiæ tales accederent, facile efficiebant, ne quid ei urbi metuendum videretur. Sed audacia Hamilcaris, nihil homini inpervium eſſe paſſa, quod aggredi libuiſſet, rem tantam breviſſimo tempore perfecit. Ille enim noctu cum copiis appulſus, & aſcenſum ſtadiorum triginta ſilentio emenſus, quum ipſe ante agmen ſuorum princeps incederet, nec opinantes oppreſſit: majorique parte eorum qui in urbe reperti fuerant interfecta, cæteros Drepanum amandavit.

Faſt. Capitol. Anno ab urb. cond. 509. Polybius. Bellorum in Sicilia ad ſtrictius.

Diodor. Hamilcar Erycinam urbem occupat. Polybius.

L. Ex eo tempore mira facies rerum & valde ſevera militia fuit. Nam Hamilcar inter duo præſidia hoſtium medius, ab inferiore obſidebatur, quum ipſe viciſſim ſuperius obſideret. Romanique pariter Pœnique toleratis laboribus & periculis incredibilibus, quum in tanta vicinia caſtrorum nulla non dies modo ſed ne hora quidem aut diſcrimine prœlii aut metu vacaret; fortiſſimorum virorum opera per proximum ferme biennium ediderunt. non feſſi cedentelque invicem, neque ſua aut victoria aut clade dirempti, ſed ad extremum pares invictique, & navali interim pugna decreto bello. Iisdem Conſulibus Brundiſium in agro Sallentino colonia deducta eſt, viceſimum poſt annum, quam in deditionem regiones iſtæ venerant. Sub idem tempus Ti. Coruncanio, qui primus ex plebe Pontificatum maximum geſſerat, in extrema ſenecta mortuo, L. Cæcilius Metellus in locum ejus factus eſt. Interea Conſulatus Romæ C. Fundanio C. F. Q. N. Fundulo, C. Sulpicio C. F. Ser. N. Gallo mandatur.

Romanorum pariter & Pœnorum in Sicilia virtus.

Vell. 1.14.8. Liv. Epit. 19. Ti. Coruncanius primus de plebe Pontifex Max. Pigh. Annal. ex Cic. Cat. Majore.

LI. Tum quoque pari forma & fortuna, ut hactenus, bellum cum Hamilcare geſtum eſt. niſi quod Gallorum mercenaria manus, aliique

Anno ab urb. cond. 510. Zonaras.

nonnulli qui Pœnis militaverant, ob ſtipendia non ſoluta injuriaſque alias, Erycinam urbem Romanis conati prodere (ibi enim præſidium agitabant) poſtquam conſilium inritum fuit, ad Conſules transfugerunt: primique exterorum ab Romanis in commilitium adſciti ſunt. Sic auctis viribus, tamen pedeſtri exercitu finem bello imponere non poterant, obſiſtente cumprimis Hamilcaris audacia, qui neque decipi dolis, neque domari viribus patiebatur. Ergo denuo reditum eſt ad claſſis inſtaurandæ conſilia, mariſque repetundi. Nec enim aliter poſſe Carthaginenſes prohiberi Sicilia, quam ſi maris uſum perdidiſſent, ſpemque non vulgarem fecerant res ſuperioribus annis privatorum auſu bene geſtæ. Sed pecunia deerat, inani dudum ærario, & ſumptus tam diuturni belli male ſuſtinente. Tum vero Romani mores laboranti reipublicæ tempeſtivo auxilio ſubvenere.

Galli mercenarii ad Romanos transfugiunt. Polyb. 1. 18. & 77.

Ærario ſubveniunt privati.

LII. Quippe tanta fuit Senatorum eo tempore generoſitas, ut in publico diſcrimine privatis opibus puderet parcere, pluſque ſtatim pecuniæ reperiretur, quam ad impenſam claſſis opus eſſet. nam ex ditiſſimis ſinguli, aliorum bini ternive, ut facultates erant, quinqueremem unam cum armamentis omnibus juſtoque remigio præſtandam ſuſcipiebant, ea lege, ut republica meliorem inſtatum reverſa, ſua cuique pecunia reſtitueretur. Hac cura conſilioque quinqueremes ducentæ comparatæ ſunt, quas ad exemplum navis quæ Hannibalis Rhodii fuerat, fabricandas curaverunt. Magna inde exſpectatio fuit, certis hominum animis, quod ad extrema remedia ventum eſſet, hac claſſe de ſumma belli neceſſario decretum iri.

Claſſis comparatur.

Magna cum exſpectatione hominum.

LIII. Dum hæc ita fiunt, Conſulatum C. Lutatius C. F. C. N. Catulus, A. Poſtumius A. F. L. N. Albinus, inivere. Flaminium Martiale A. Poſthumius habebat; eoque provinciam ſortiri cupiente L. Cæcilius Metellus Pontifex Maximus dicta mulcta prohibuit, negans fas eſſe flamini à ſacris recedere. cujus facti poſterioribus quoque temporibus probata ratio eſt. aliud in tuenda religione patria exemplum iiſdem temporibus Senatus edidit, vetito C. Lutatio Conſule Prænestinas ſortes conſulere, peregriniſve auſpiciis in adminiſtranda Republica uti. Tum ad belli curam converſis animis, quia neque ſalvis religionibus ambo Conſules proficiſci poſſe, neque unus tanto oneri ſuffecturus videbatur, alterum ex Prætoribus, quum eo primum anno creari duo cœpiſſent, cum C. Lutatio proficiſci placuit. ea provincia Q. Valerio Falroni obvenit. Hi quum omnes & publicas & privatorum naves ſtudioſe collegiſſent, numero circiter trecentarum expleto, cum pontonibus aliiſque navigiis ſeptingentis, Siciliam ſtatim atque remiſit hiems, petivere. Venientibus confeſtim Lilybætanus Drepanitanuſque portus patuerunt. quippe hoſtes nulla ſuſpicione claſſis ex Italia venturæ omnibus ſuis navibus in Africam regreſſi fuerant.

Anno ab urb. cond. 511. Liv. Epit. 19. Tacit. 3. 71. 5. Cic. Philipp. 11. 8.

Flaminem à ſacris recedere vetat Pont. Max. Valer. Max. 1. 1. 1.

Buttrop. l. 2. Diodor.

Prætor cum Conſule in Siciliam mittitur.

Polyb. 1. 7.

LIV. Hoc tam proſpero rerum initio Conſul animatus, quum & ſuopte

C. Lutatii progreſſus.

ingenio impiger, & ad res gerendas incitatus eſſet, Drepana operibus factis obſedit: neque eo ſegnius, ad prœlium navale, quod inſtare prævidebat, claſſiarios milites quotidie exercuit, eo ſucceſſu, ut quos rudes fere maritimorum caſuum adduxerat, ii ſatis jam ad quodlibet diſcrimen eruditi paratique viderentur. Inter hæc quum urbs Drepanitana terra marique oppugnaretur; jamque muri parte dejecta res Pœnorum in ſummo periculo eſſet, Conſul, dum inter primores ſtrenue pugnam ciet, grave vulnus in femore accepit: ejuſque periculo perterrefacti milites, & ad ſaucium concurrentes, locum jam pene captum omiſere.

Zonar.

Oroſ. 4: 10.

Et vulnus: Eutropius.

LV. Nondum uſum pedis receperat, quum maxima Pœnorum claſſis adeſſe nunciatur. Naves erant quadringentæ, refertæ commeatu quem ad exercitum portabant, copiis præterea militum permagnis, armorumque & pecuniæ ampliſſimo numero. Summæ rerum Hanno præerat, nobilis Pœnus. hic magno ſtudio id agebat, ut Erycem adpulſus, onere levatas naves, acceptis ab Hamilcare ſtrenuis viris compleret, atque deinde cum Romana claſſe confligeret. Cæterum conceptum optime conſilium C. Lutatii Conſulis circumſpecta prudentia fregit. Is enim victoriam in eo conſiſtere reputans ſi cum claſſe gravi ſuiſque apparatibus impedita congrederetur, ante diem VII. Idus Martias, adſumpto in naves optimo quoque militum, Ægates inſulas, contra Lilybæum jacentes, progreſſus, Hannonem ab Hieronneſo venientem conſpexit. Tum gubernatores militeſque hortatus, pugnam in diem ſequentem indixit.

Flor. 2. 2. 34. Nova claſſis Hannone duce in Sicilia venit. Polyb. 1. 60.

Liv. 22. 14. 15.

Diodorus: Eam Conſul agredi ſtatuit.

LVI. Cæterum orta luce, rurſum ambigua conſultatio fuit: quod ventus hoſti favens, Romanis adverſus ſurrexerat. Quare jactatis utrinque momentis rationum, cum ventis & Hannone ſolo pugnare, claſſem onuſtam habente ſatius viſum: quam permittere, ut ille navibus onere levatis, florem pedeſtris militiæ, ipſumque adeo Hamilcarem, quo nihil eo tempore formidabilius habebatur, in certamen adduceret. Itaque conſpectis hoſtium navibus, quæ pleno curſu iter ſuum proſequebantur, è portu progreditur, & quo ſuis animum adderet, ipſe licet uti pede non poſſet, in prætoriam ſe deportandum curat. Pœni quoque viam ſibi intercluſam cernentes, aciem inſtruunt, vi perrupturi. Sic utrinque ſigno dato acriter concurritur; per valetudinem C. Lutatii, quæ vicibus eum ſuis fungi prohibebat, omnia imperatoris munia obeunte Q. Valerio. Neque diu pugnatum eſt, quin appareret, utra ex parte futura eſſet victoria.

Polybius:

Eutropius.

Val. Max. 2. 8. 2.

Acriter concurritur. Flor. & Polyb.

LVII. Quippe graves & propemodum immobiles Pœnorum naves arbitrio ſuo Romanæ leves & expeditæ adſultabant: cæteris etiam rebus omnibus longe ſuperiores. quidquid enim hactenus infeſtum incommodumque fuerat, experientia docti mutaverant correxerantque: naves ad optimum exemplar fabricatæ: onera pugnæ inutilia diligenter amota: remiges exercitati validique, robur legionum haudquaquam ſpernenda ad victoriam momenta aderant. Contra Pœnis gravia oneribus navigia, recens delecti remiges, &, ut in magna ſecuritate, negligenter: neque enim Romanos

Romani vincunt.

mare

mare retentaturos esse speraverant. Ergo uti necessum erat, in tam impari certamine, non longa victoriæ mora fuit. Centum & viginti navibus amissis, quarum septuaginta cum ipsis hominibus (millia ferme decem erant) captæ sunt, cæteri percommode mutato inter pugnæ tempus vento, Hieronnesum fuga evaserunt. Florus. Polybius. Diodor. l. 24.

LVIII. Hæc est illa nobilis Pœnorum ad Ægates insulas clades, quemadmodum à Polybio maxime descripta est. nam alii scriptores captas naves tres & septuaginta, centum viginti quinque demersas, duo & triginta millia hominum capta, tredecim millia cæsa retulerunt. Præda fuit ingens, non in commeatu modo & armis, sed etiam auro argentoque. Ex Romana classe naves interiere duodecim. Ferunt ab initio pugnæ conspectam in cœlo supra Romanas naves facem, Punicæ classi velut infesta cuspide minitantem, præsagium eventus mox consequuti fecisse. Hanno cum reliquis ex prœlio navibus, præter eas quæ Lilybæum evaserant, Carthaginem revectus, pœnas infelicitatis suæ supplicio capitis luit. At C. Lutatius Cos. ad Lilybæanum exercitum profectus, donec percuratur vulnus, recensendis navibus hominibusque captivis, imperandoque quid de singulis fieri vellet, tempus impendit. Inde profectus ad Erycem cum Hamilcare prœlium secundum fecit, duobus occisis Pœnorum millibus. Eutropius. Orosius. Clades Pœnorum ad Ægates. Eutropius. Zonar. Orosius. Zonar. Orosius. Polyb. Etiam Hamilcar vincitur

LIX. At Carthaginenses cognita cladis suæ magnitudine nondum quidem animi ad instaurandum bellum, sed jam vires & facultates deficiebant. neque enim Erycino exercitui subministrare necessaria poterant, mare tenentibus Romanis: neque si hunc amisissent, alium aut militem aut ducem habebant, cui auderent confidere. Hac necessitate ad desperationem acti, miserunt ad Hamilcarem, potestatem ei deferentes agendi, quidquid è Republica videretur. Neque ipse quum hactenus optimi ducis officium fecisset, deteriorem patriæ civem præstitit. Libratis enim rationibus omnibus quum videret, omnia se expertum nullam amplius ad salutem civitatis suæ viam, nisi per pacem, reperire; legatos ea de re ad Consulem misit. Neque huic ingrata accidit pacis mentio: exeunte enim jam magistratu suo, nullam ampliorem sperare gloriam, quam finiti per se belli quavis ratione poterat: eam vero gloriam ad successorem transmittere, quum sui operis esse videretur, importunum inconsultumque judicabat. Movebatur etiam notis Romanæ rei angustiis, & post labores continuos tot annorum aliquando Rempublicam quiete refoveri oportere sentiebat. Nepos Amilc. 1. 3. Polyb. Pœni summam belli pacisque Hamilcari deferunt. Nepos Amilc. 1. 3. Zonar. Lutatius Consul ad pacem inclinat Polyb.

LX. Itaque conditionibus ultro citroque jactatis, convenit, *ut universa Sicilia Pœni excederent: bellum cum Hierone, Syracusanisque & sociis eorum ne gererent: captivos omnes sine pretio confestim redderent, itemque transfugas: argenti puri talenta Euboica bis mille & ducenta per annos viginti æquis pensionibus penderent: socii utriusque populi ab utroque tuti forent: neutri in alterius ditione quidquam imperandi publiceve inædificandi, militisve inde conducendi jus esset: neque alterius populi socios* Pacis leges. Appian. apud Vrs. Polyb.

Polybius.

alter in amicitiam & ſocietatem admitteret. Additum eſt, *hæc ita rata fore ſi populus Romanus juſſiſſet*. At, ut arma qui Eryceum tenebant, traderent, quanquam à Conſule poſtulatum fuerat, obtineri non potuit: quum Hamilcar *prius & patriam & ſe oblaturum exitio* diceret, *quam tantam adiret ignominiam*. Illam tamen conditionem, *ut in capita duodevicenis denariis præſtitis, ab Eryce emitteretur*, accepit.

Liv. l. 41. c. Hamilcar arma tradere recuſat.

Zonar. Polybius.

LXI. Miſſi deinde Romam & à Conſule & à Pœnis legati, qui de pacis initæ legibus Senatum populumque Romanum edocerent. Non probavit pacem populus: ſed *decem legatos ad res inſpiciendas mitti* juſſit: iiſque reverſis intendit conditiones; *ut mille talenta ſtatim, deinde proximo decennio duo millia ducenta penderentur: ut præter Siciliam, omnibus inſulis, quæ inter hanc & Italiam eſſent, excederetur: neve longis navibus in Italiam aut Romani juris inſulas navigarent Pœni; neque militem mercenarium ex iis conducerent*. Carthaginenſes dum pace potirentur, nihil recuſavere. Hamilcar ſtatim depoſito imperio, priuſquam jurejurando pacta ſancirentur, Lilybæum, atque inde Carthaginem tranſmiſit. quum & conſiliis & armis ducum omnium qui res eo bello geſſerunt, haud dubie præſtantiſſimum ſe exhibuiſſet. Hoc maxime modo & geſtum & confectum eſt bellum illud Carthaginenſe primum; quod in quartum & viceſimum annum traxere varii caſus, & atrocia utrinque damna, ſed majora eorum, qui ad extremum vicerunt.

Populus Romanus alias conditiones addidit.

Zonar.

Auct. de Vir. ill. c. 12. Zonar.

Polyb. Belli Punici primi exitus.

Zonar.

Polybius. Appian. ap. Vrſ.

LXII. Nam Punicas quidem quinqueremes circiter quingentas eo bello periiſſe tradunt, qui ſingularum cladium rationem inivere; Romanarum ad ſeptingentas: quo maxime argumento Romanæ conſtantiæ robur apparuit, quod nullis neque prœliorum adverſis, neque temporum caſibus fractum, vim hoſtium, impetum fortunæ, tædium laboris, paupertatem ærarii pari patientia ſuſtinuit vicitque. Poſt hæc ad res Siciliæ conſtituendas C. Lutatio Catulo, cujus annus jam exierat, prorogatum imperium eſt ex novis Conſulibus eodem miſſus Q. Lutatius C. F. C. N. Cerco, Catuli frater, A. Manlii T. F. T. N. collega. Hi provinciam ordinarunt, quietamque reddiderunt, omnibus turbarum cauſſis, quæ ut ex tanto motu non paucæ ſupererant, abolitis relectiſque. Nam & Siculis qui cum Hamilcare ſenſerant, & Gallis, qui ab eo deſciverant, arma adempta: Galli navibus impoſiti, & extra Populi Romani ditionem abire juſſi; quod præter alia facinora, quum in præſidio montis Eryeis eſſent, templum Veneris ſpoliaverant. Siciliæ vero urbibus tributa & portoria ſunt impoſita, pro facultatibus ſingularum: factaque provincia quo Prætor cum imperio annuo Roma mitteretur.

Damna utriuſque populi eo bello.

Polybius.

Anno ab urb. cond. 512.

Faſt. Capitol.

Polyb. Pœnorum ſociis arma adimuntur.

Appian. ap. Vrſ.

Eutrop. l. 2. Sicilia provincia fit.

LXIII. Adfuere interea Romæ Pœnorum legati petentes; *ut ſibi captivos ſuos redimere liceret*: redditique ſunt Senatuſconſulto gratis, quotquot cuſtodia publica attinebantur; qui in privatorum manu eſſent, eos certa pecunia redimi placuit: cujus pars major juſſu Senatus ex ærario ſoluta eſt. At Romani populi lætitiam valde imminuerunt graves in urbe

Oroſ. 4. 10. Aug. de Civ. Dei 3. 18.

caſus. Jamprimum Tiberis amnis ultra ſolitum auctus, late ſtagnantibus aquis, omnia inferiora Urbis loca replevit. Multa tum ædificia primo adlabentis impetu proſtrata ſunt; & quibus iſta peſtis pepercerat, exeſis ſenſim fundamentis (per multos enim dies iſthæc inundatio tenuit) recedente jam aqua vitium fecere. Sequutum eſt hanc calamitatem gravius ex igne damnum, qui noctu temere ortus, multaſque urbis regiones pervagatus, domorum hominumque incredibilem numerum hauſit: neque privatis cladibus contentus, omnia in circuitu fori devaſtavit. Ad extremum ipſa quoque ædes Veſtæ ardere cœpit. Ruina Romæ ab inundatione Tiberis. Val. Max. 4. 6. Oroſius. Incendium grave.

LXIV. Tum vero L. Cæcilius Pontifex Maximus ſacra populi Romani & arcana imperii pignora periclitari videns, dignum loco ſuo animum geſſit. Nam in medios ignes inſiliens, nulla ſui cura, dum divinæ res ſalvæ eſſent, deſerta à virginibus ſacra ex incendio rapuit. Ipſe brachio ſemiuſtulatus, & exuſta flammis oculorum acie, præter ſolatium facti ſui, præmium à populo Romano pulcherrimum accepit, ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam: Quod ab condita urbe tributum nemini fuerat. Liv. Epit. 19 Dionyſ. 2. 67. Oroſius. Plin. 7. 3.

Interea Q. Lutatius Conſul cum fratre Catulo, & Q. Valerio prætore, rebus in Sicilia conſtitutis, exercituque deportato, ad Urbem redierant: decretoſque ſibi triumphos navales C. Lutatius Catulus A. D. IV. Nonas Octobres, Q. Valerius A. D. Prid. eaſdem Nonas, duxerant. Memorabile certamen inter duces iſtos de triumpho Q. Valerii fuit. Triumph. Capitol. Lutatii & Valerii Triumphi navales. Val. Max. 4. 4.

LXV. Quum enim C. Lutatio haud dubie decretus triumphus eſſet, Q. Valerius haud leviorem in eo negotio ſuam operam, fuiſſe contendens, honore quoque pari haberi poſtulabat, quemadmodum ſocietate periculi curæque fuiſſet. Pugnabat contra Catulus, ne minor poteſtas majori in tribuendis honoribus æquaretur. Quum incaluiſſet certamen, ſponſione Catulum provocavit Q. Valerius, *ni ſuo ductu Punica claſſis oppreſſa eſſet*; nec ille dubitavit reſtipulari. Delectus eſt arbiter Atilius Calatinus: qui interrogato Valerio, *utrum in conſultatione de pugna ineunda, ſi diſſenſiſſent, Conſulis an Prætoris major futura fuiſſet auctoritas? itemque ſi diverſa habuiſſent auſpicia, utra potius ſequenda fuiſſent?* quum *utrobique majus Conſulis quam Prætoris jus futurum*, Q. Valerius reſpondiſſet; non expectato Catuli ſermone, litem ſecundum illum dedit: quod controverſia de imperio & auſpicio inter eos fuiſſe videretur. Sed Q. Valerius, quanquam arbitri ſententia victus, quum nota & celebris eo bello virtus ejus fuiſſet, nihilo ſecius triumphandi jus obtinuit. Certamen inter Lutatium & Valerium. Conſulis major auctoritas quam Prætoris. Agell. 13. 14. Val. Max. 4. 4.

LXVI. Cenſores eo anno C. Aurelius Cotta, M. Fabius Buteo luſtrum undequadrageſimum facere. Cenſa ſunt civium millia ducenta ſexaginta duabus adjectis tribubus, Velina & Quirina, numerus quinque & triginta tribuum, quem deinde retinuerunt, expletus eſt. Quum jam perdomita Sicilia qua Pœnorum fuerat, & pace cum Carthaginenſibus facta, non quieta modo omnia, ſed etiam tuta viderentur; repentinum unde minime ti- Pigh. Annal. Euſeb. n. 772. Civium cenſorum numerus.

Eutrop. l. 2. Liv. Epit. 20. Faliſti bellum contra Romanos ciunt. Polyb. 1. 65.

mebatur bellum paucis diebus & terrore motus inteſtini ſolicitam, & admiratione celerrimi exitus ſtupentem Italiam habuit. Faliſci neſcio quibus cauſſis ad inſaniam conciti, arma Romana provocare ſuſtinuerunt. Sed miſſi cum legionibus Conſules, ſextum intra diem confecere bellum, gente in poteſtatem populi Romani redacta. Priore tamen prœlio, nam duo facta traduntur, ambiguam victoriam fecere, peditatu ſuperiores, quum equeſtri prœlio vincerentur.

Zonaras.

LXVII. Sed poſterius certamen minime dubio Marte pugnatum, Faliſcos ad pacem petendam compulit, quum ſuæ juventutis ad millia quindecim amiſiſſent. Facta deditione armis, equis, ſupellectile, ſervitiis, & agri ſemiſſe mulctati ſunt: urbs cujus munitionibus confiſi bellum cœperant, ex arduo & prærupto loco in planum translata. Severius in deditos conſulturus populus Romanus fuerat, odio civitatis, quæ toties rebellaverat, acrem vindictam meditans, ſed imperavit iræ, edoctus à Papirio (qui juſſu Conſulum ſua manu deditionis formulam ſcripſerat) *Faliſcos non poteſtati ſed fidei ſe Romanorum commiſiſſe*. tantumque apud omnes ſacroſanctum *Fidei* nomen valuit, ut *hoc interpoſito nihil inclementius in victos ſtatuendum eſſe* judicarent. Id bellum effecit ut triumphis Conſulum annus iſte clauderetur. Q. Lutatius A. D. Kalendas Martias de Faliſcis triumphavit: A. D. IIII. Non. Mart. de iiſdem A. Manlius.

Oroſ. 4. 12. Eutrop. l. 2. Dediti mulctantur: Val. Max. 6. 5. 1. Zonar.

Sacroſanctum Fidei nomen.

Faſt. Capitol.

JOAN. FREINSHEMII SUPPLEMENTA LIVIANA.

DECAS SECUNDA.

LIBER XX.

L. ANNÆI FLORI EPITOME LIBRI XX. LIVIANI.

Spoletium colonia deducta est. Adversus Ligures tunc primum exercitus promotus est. Sardi & Corsi, quum rebellassent, subacti sunt. Tutia virgo Vestalis incesti damnata est. Bellum Illyricis propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum, indictum est: Subactique in deditionem venerunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Galli transalpini, qui in Italiam irruperant, cæsi sunt. Eo bello populus Rom. sui Latinique nominis 1 *CCC. millia armatorum habuisse dicitur. Exercitibus Rom. tum primum trans Padum ductis, Galli Insubres aliquot præliis fusi, in deditionem venerunt. M. Claudius Marcellus Cos. occiso Insubrium Gallorum* 2 *duce Viridomaro, opima spolia retulit. Istri subacti sunt. Item Illyrii, cum rebellassent, domiti in deditionem venerunt. Lustrum à Censoribus conditum est, quo censa sunt civium capita CCLXX. millia CCXIII. Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent; Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. C. Flaminius Censor viam Flaminiam munivit: & circum Flaminium exstruxit. Colonia deducta in agro de Gallis capto, Placentia & Cremona.*

PACATA rursum Italia, cum securitate & imperio, etiam voluptates publicæ crevere. L. Livius Andronicus scenæ spectacula, quæ hactenus ultra Satyram non processerant, Comœdiam Tragœdiamque Græcorum imitatus, ad fabulas transduxit, C. Claudio A. P. F. C. N. Centhone, M. Sempronio C. F. M. N. Tuditano Consulibus, quum ludi Romani celebrarentur. Idem annus alii quoque ge- Ludi novi instituti Romæ. Liv. 7. 2. 6. Agell. 17. 21. Anno ab Urbe cond. 513. Cassiod. Chron.

NOTÆ.

1. *Trecenta millia armatorum habuisse.*] Notat Sigon. eamdem summam colligi ex Polybii l. 2. ubi quot pedites, quot equites socii quique dederint, exponit: In ipsa tamen summa errorem intervenisse; ait enim pedites omnino ultra quindecim myriades, cum legendum sit quinquaginta, & equites sexies mille, cum fuerint sexaginta millia.

2. *Duce Viridomaro.*] Virdumarum vocant non tantū Propertius, qui metri causa breviare potuit, sed lapides quoq; Capitolini t

Vell. 1. 14. Plin. 18. 29. Ovid. Fast. l. 5. Clivus Publicius sternitur.

neri ludorum initium attulit. A. D. IV. Kalendas Majas Floralia sunt instituta ex Sibyllinis libris, ad avertendam pestem frugum, aliorumque terra nascentium, quæ illa parte anni florere solent. Ludos edidere L. & M. Publicii Malleoli fratres, iidemque ædiles plebis, ex pecunia mulctaticia, condemnatis pecuariis, qui in publico paverant. Magistratus horum fratrum alio quoque nomine celebris est, quod clivum, qui exinde Publicius vocatus est, sternendum locaverunt: quo commodius in Aventinum iter vehiculis esset, quum antea rupes ibi difficilis & aspera fuisset: quodque ædem Floræ, juxta Circum maximum, construxere.

Var. de l. l. 4. Ovid. fast. l. 5. Tacit. 2. 49. 2.

II. Hæc domi acta. foris fere quietæ res fuerunt, nisi quod in Gallis & Liguribus consilia belli agitari suspicio tenuit. Has igitur provincias Consulibus fuisse, jamque tum bellari cum Gallis utique cœpisse, conjecturæ potius, quam historiæ est, nullis qui gesta ea satis accurate doceant ex vetustate reliquis scriptoribus. id unum constat in Umbria Spoletium Coloniam Latinam esse deductam. De proximo quoque anno proclivius est dicere, pacem non fuisse, quod Jani templum clausum non est, quam indicare quibus in locis, quave fortuna bellatum sit. neque ulla ferme re notior est C. Mamilii Q. F. Q. N. Turini, Q. Valerii Q. F. P. N. Faltonis Consulatus, quam quod anno eo natus est Ennius, primus apud Romanos poëticarum elegantiarum conditor. Sed anno sequente, quum Ti. Sempronius Ti. F. Cn. N. Gracchus, P. Valerius Q. F. P. N. Falto, Consules essent, & Gallica bella recruduerunt, & novus hostis Ligures tum primum exercitu petiti sunt.

Liv. Epit. 20. Spoletium Colonia deducitur.

Anno ab Vrb. Cond. 514. Fasti Capitol. Ennius nascitur.

Anno ab Vrb. Cond. 515. Fasti Capitol.

P. Valerii pugna cum Gallis. Oros. 4. 21.

Zonaras.

III. Ti. Sempronio hæc obvenit provincia: P. Valerius Gallos aggressus primum improspere pugnavit, amissis militum tribus millibus quingentis. Reparata pugna illustrem victoriam dedit, qua Gallorum millia quatuordecim cæsa sunt, duo millia capta. Sed ob prioris prælii detrimenta, negatus est Consuli triumphus. præsertim quum etiam alioqui res bene gesta non tam ad rationem consiliumque Consulis, quam ad fortunam publicam referenda videretur. Ille enim audito post primum certamen auxilia sibi ab Urbe adduci, confirmavit *se malle cum suis internecione deleri, quam aliena ope vincere*: atque hoc æstro instigatus, seque & exercitum populi Romani in discrimen dedit. Melior feliciorque Ti. Graccho in Liguribus administratio belli fuit. Profligatis enim prælio hostibus, magnam Liguriæ partem victor populatus est. Ex Liguria deinde transmisit in Sardiniam & Corsicam, magnaque inde captivorum multitudine reportata, locum proverbio dedit, quo *Sardi Venales* dicuntur, in fastidiosa rerum vilium copia.

Ti. Gracchus Sardos vincit.

Sin Capito apud Fest. voce Sardi venales. Sardinia & Corsica non jure occupata. Polyb. 1. 65.

IV. Cæterum, ut vera fateamur, occupandæ Sardiniæ Corsicæque bona magis occasio temporibus istis, quam justa causa adfuit. Carthaginenses post pacem Siculam gravi bello cum mercenariis suis implicati, ad extrema pericula venerant. Unde sumptis animis conducti-

tii eorum alii qui per Sardiniam in præſidiis erant, Boſtarem Pœnorum ducem cum ſuis interfecere: Hannonem alium ducem ad vindicandum facinus Carthagine miſſum, pertracto in ſocietatem rebellionis exercitu ejus comprehenſum in crucem egere; totaque paſſim inſula Punici ſanguinis hominibus interemptis ipſi munita loca obtinuerunt: donec diſcordia inter ipſos & Sardos orta, pulſi ab his, in Italiam ſe recepere. Tum igitur perfecerunt, quod aliquanto prius, quum adhuc in Sardinia eſſent, nequiverant: nam eo quoque tempore Romanos ad inſulæ dominium occupandum invitaverant. Sed præſentes ſive precibus, ſive occaſione creſcendi apertius demonſtrata, ut in Sardiniam navigatio ſuſciperetur, obtinuere. Nec enim vulgatæ virtutis eſt, abſtinere rebus alienis, quarum prompta ſit poſſeſſio: neque hic animus apud cupidos & ambitioſos aut bene aut diu ſimulatur.

Pœni à mercenariis ſuis occiduntur in Sardinia. Polyb. l. 1.

V. Sed hæc paulo ſupra repeti non alienum videtur. Nam Romani, ut humanitatis laudem conſequerentur, ab initio belli iſtius magno animo Carthaginenſium cauſſam foverant. Et copias quidem auxiliares, uti petiverant Pœni, nullas miſere: ſed neque Uticenſes, neque quenquam ad ſe defcientium receperunt: mercatores ſuos ex Italia & Sicilia res neceſſarias ad Carthaginenſes deferre juſſerunt, cum hoſtibus Carthaginenſis populi commercium vetuerunt: militis ex Italia & in iſtud ſaltem bellum conſcribendi fecerunt poteſtatem. Miſſis quin etiam legatis bellum componere, quanquam inrito conatu ſtuduerunt. Et inciderat quidem paulo ante controverſia, quod homines Italicos forum rerum venalium ad hoſtem deportantes capiebant Pœni, carceribuſque publicis ineludebant.

Zonaras: Romani Pœnis ab initio favent contra mercenarios. Nep. in Amilc. Appian. ap. Vſſ. Zonaras. Polybius. Appianus. Et bellum iſtud ponere ſtudent. Appianus. Zonar. Polybius.

VI. Jamque ad quingentos ejus generis habebant in vinculis; neque pauci dicebantur occiſi, & ad cogendam latrocinii famam in mare præcipitati eſſe: quum Romani rem eam graviter ferentes, belli minas oſtentare cœperunt. Sed Pœni legatis miſſis, qui omnes quotquot detenti Carthagine fuerant, reducerent reſtituerentque, adeo placarunt populum Romanum, ut reliqui ex Sicilienſi bello captivi Punici omnes ſine pretio reſtituerentur. Sed poſtremo vicit ambitio, premendique populi ſtudium, quocum per annos quatuor & viginti aneipiti fortuna pugnatum meminerant, & niſi in tempore occurreretur, etiam poſtea pugnandum ſibi proſpiciebant. Quare quum Sardiniam inviti dimitterent Pœni, jamque bello contra mercenarios defuncti, arma defectionis auctoribus inferre meditarentur, arrepta hæc à Romanis eſt occaſio, *bellumque Pœnis* decretum: *ni armis, quæ in ſpeciem adverſus rebelles ſuos, re autem vera contra Romanos ſumpſiſſent, abſtineretur*. Ita Carthaginenſes alieno tempore bellum graviſſimum ſuſcipere nolentes, non modo ceſſere Sardinia, ſed etiam poſtulantibus Romanis ad priorem ſummam adjecerunt argenti talenta mille ducenta; quæ maxime injuria ægros habuiſſe Carthaginenſium animos, neque

Appianus. Polybius. Zonar. Captivos ſine pretio reſtituunt. Poſtea Sardiniam ipſis. & ampliorem pecuniæ ſummam extorquent. Zonar. Polyb. 3. 28.

Corn. Nepoſ. Vnde mox ſecundum bellum Punicum exſtitit.

ullâ magis cauſſa bellum mox Hannibalicum exarſiſſe creditur. Hamilcaris enim perpetuum adverſus Romanos odium, cui bellum Punicum ſecundum non inepte imputatur, non aliunde aut ſtimulum acriorem, aut fomentum certius habuit. Cæterum hæc poſtea evenerunt.

Faſt. Capitol. Vell. 1. 14. 8. Liv. 35. 40. 5. Zonar. Anno ab Vrbe Cond. 516. Bellum cum Gallis Ciſpadanis.

VII. Tum vero novis Conſulibus L. Cornelio L. F. Ti. N. Lentulo Caudino, Q. Fulvio M. F. Q. N. Flacco, Galli Ciſpadani provincia data. Coloniam hoc anno deductam eſſe Valentiam, quanquam à quibuſdam traditur, haudquaquam conſtans opinio eſt: niſi alia Valentia præter Vibonem fuit, quam annis poſt quinquaginta L. Quintio Flaminio, Cn. Domitio Ænobarbo Conſulibus, colonis occupatam eſſe certioribus auctoribus credam. Cæterum Conſulibus in agro Gallico, donec conjunctas legiones habuere, tuta & proſpera expeditio fuit: poſtquam cupidine plura vaſtandi diviſerunt exercitum, Q. Fulvii caſtra noctu oppugnata, & ægre retenta ſunt. Galli re infecta digreſſi, paulo poſt graviore cum terrore auctiſque majorem in modum copiis ad bellum reverterunt. Bojorum enim duces clanculum inter ſe conſiliis agitatis, ingentem Tranſalpinorum manum ad ſocietatem armorum contra Romanos exciverunt.

Polyb. 2. 27. Boii Tranſalpinos evocant Ligures vincuntur à L. Lentulo. Eutrop. l. 3.

VIII. Interea L. Lentulus Conſul, qui ad Liguſticos fines exercitum abduxerat, cum Liguribus proſpere collatis ſignis dimicavit. Decretus igitur ei triumphus eſt, quem duxit Idibus Intercalaribus. Auctores habeo *illos primum Conſules Romana ſigna trans Padum fluvium promoviſſe, diverſiſque prœliis Ligurum & Gallorum Inſubrium interfecta millia quatuor & viginti, capta quinque fuiſſe*. Sed verius eſſe putem, tumultu Gallico, qui poſtea maximus ſequutus eſt, Padum tranſitum, Inſubreſque in ſuis ſedibus bello tentatos primum fuiſſe. Sub idem tempus ad Ptolemæum Ægypti regem legati miſſi *auxilium* obtulerunt *cum Antiocho & Syris bellanti*. gratias egit Rex, cæterum *in præſentia ſibi opus auxilio eſſe* negavit, *quod pactionibus finitum jam bellum eſſet*.

Hiero venit Romam. Eutrop. l. 3.

IX. Lætus deinde Romanis adventus Hieronis fuit, Syracuſarum Regis, exceptus omnibus honoribus, ſicut Regem amiciſſimum, & bene meritum, & maximæ victoriæ ſocium oportuit; populo Romano ducenta millia modium tritici dono dedit. Venerat ad ludos ſpectandos, qui in ſequentem annum adparabantur. Nam ludi Sæculares tertii, ſecundum quoſdam, P. Cornelio L. F. Ti. N. Lentulo Caudino, C. Licinio P. F. P. N. Varo, celebrati ſunt: ut ſupra quoque retulimus. Magiſtri procurandorum ludorum M. Æmilius M. F. M. Livius M. F. M. N. Salinator creati. Bojorum interea principes, elati numeroſis Tranſalpinorum auxiliis, ad Conſules miſere, petitum, *ut Ariminenſis ager cum urbe, quæ haud ambigue Gallici juris eſſent, ſibi reſtituerentur. ni fieret, bellum atrox & internecinum* minabantur.

Anno ab Vrb. Cond. 517. Faſt. Capitol. Boii Ariminenſem urbem & agrum poſtulant. Zonar.

X. Conſules, qui nondum contractis copiis, neque caſui paucitatem ſuorum objicere audebant, neque poſtulata Gallorum concedere

dere poterant, *ſi quid vellent, ad Senatum mittendos eſſe legatos* reſponderunt. placuit conditio Gallis, & dum ire ac redire legati poſſent, utrinque dierum aliquot induciæ conſtitutæ. Et legati quidem Romam profecti adverſum à Senatu reſponſum acceperе: ſimul majores contra hunc tumultum apparatus facti, quorum uſus poſtea non fuit, quum formidabile bellum ſine Romano ſanguine fortuna confeciſſet. Dum enim legati redeunt: Boji cum Tranſalpinis auxiliis acie dimicavere his de cauſſis. Ignara plebe Bojorum Tranſalpinus exercitus Ariminum proceſſerat. Inde ſuſpiciones ortæ, ne ad regionem iſtam ſibi retinendam veniſſent. tantumque conflatum eſt odiorum, ut Regibus ſuis Ate & Galato, tanquam ob proditionem interfectis, advenarum copias agro ſuo depellere vi conarentur. Ita magna cæde pugnatum: & valde imminutis utrinque viribus, Tranſalpini domos rediere; Boiis adempta pars agri pacem à Romanis dedit.

Legatos Romam mittunt.

Cum Tranſalpinis auxiliis dimicant. Polyb. 2. ar.

Zonaras.

XI. Hoc bello tam celeriter confecto, Conſules in Liguriam abivere. Ibi P. Lentulus profligatis qui occurrerant hoſtibus, de cætero per illorum regionem exercitum circumducens, caſtella quædam armis, alia deditione recepit. C. Licinius in Corſicam transjecturus quum ad univerſum exercitum ima deportandum navigia deeſſent, M. Claudium Glyciam cum parte copiarum præmiſit. Qui vanitate vecors, quum perterritos adventu ſuo Corſos vidiſſet, neque Conſulis, cujus auſpiciis venerat, neque ſui juris aut loci memor, certis conditionibus fœdus cum Corſis ſuo nomine pepigit, tanquam in ſe tracturus inſulæ receptæ gloriam. At Varus cum exercitu reliquo ſuperveniens, fruſtra Claudianam pacem invocantes, armis urgere non deſiit, donec in poteſtatem redacti ſunt. Senatus ad liberandam perfidiæ nota Rempublicam, fœdæ pacis auctorem Corſis dedendum cenſuit. Deinde, quia receptus non erat, in publica cuſtodia necari juſſit.

Conſules in Liguriam abeunt.

Claudii Glyciæ pax irrita cum Corſis. Dio ap. Valeſ. Zonaras.

Marcel. 14. 90. Val. Max. 6. 3. 3.

XII. Cenſores is annus habuit L. Cornelium L. F. Ti. N. Lentulum Caudinum, Q. Lutatium C. F. C. N. Cerconem, qui luſtrum non condiderunt, Q. Cercone in magiſtratu mortuo. Quanquam M. Claudius deditus Corſis deinde ſupplicio adfectus fuerat, non ideo perſuaderi barbaris potuit, juſto ſe poſtea bello petitos fuiſſe. Quare laucios eo dolore animos, vicinæ Sardiniæ motus facile impulit, ut ad arma reſumenda proſilirent. Nam Sardos Pœnorum occulta promiſſa traxerant ad rebellionem ceptandam, proclivibus ad hoc barbaris, qui nec nimium odiſſent veteres dominos, nec amarent novos. Quæ Romæ audita metu & ira impleverunt urbem, non ob Sardiniam, quam tanti non faciebant, ſed quia bellum Punicum videbatur renaſci. Quod quia facilius futurum credebant, quanto citius inciperetur, invalidis adhuc à ſuperiore bello Carthaginenſibus; quam primum adornandum inferendumque Pœnis decreverunt.

Faſt. Capit.

Ejuſdem ſupplicium.

Zonaras. Sardi rebellant.

Oroſ. 12.

Pœni pacem Romaoam enixe retineot.

XIII. At Pœnos quidlibet potius eo tempore quam bellum Romanum pati certos, ea res nunciata ſic exterruit, ut legatis ſemel iterumque miſſis, poſtquam nihil mite reſponſum eſſet, decem ex principibus itidem iterato mitterent, infimis precibus, *ut impetrata ſemel pace frui liceret*, obteſtaturos. Ne ſic quidem æqui quidquam obtineri potuit ab iratis & metuentibus: donec inter legatos ætate minimus Hanno, adoleſcens intrepidus, & linguæ ut mentis liberæ, *Atqui*, inquit, *ſi vobis ſedet denegare pacem, Romani, quam non in unum aut alterum annum, ſed perpetuam à vobis emimus: at pretium ejus Siciliam & Sardiniam reddite. ne privatis quidem contractibus viri boni eſt emptione reſciſſa recipere mercem, non reſtituere pecuniam.* Tunc vero pudore commoti Romani, ne injuſte bellum inferre viderentur, meliore cum reſponſo legatos dimiſere. Sic alter Conſulum ejus anni C. Atilius A. F. A. N. Bulbus, qui magiſtratum hunc iterum gerebat, in Italia manſit: T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, cui Sardinia evenerat, profectus eſt.

Hannonis vox libera. Dio. ap. Urſ.

Anno ab Vrbe Condita DXVIII. Faſt. Capitol. Zonaras.

XIV. Hic multis locis, cum hoſte feliciter congreſſus, univerſam inſulam pacavit, Sardoſque ſubegit: & de iis ante diem Sextum Idus Martias triumphavit. His rebus perfectis, quum nullo jam uſquam hoſte, Romana arma quieſcerent, inſolitum bellatrici Urbi ſpectaculum, Jani ædes clauſa eſt, quod indicium pacis, poſt Numæ tempora, per annos ferme quadringentos quadraginta, viſum non fuerat. Quo nomine miſeram fuiſſe civitatem Romanam arbitror, quod perpetuis conflictata laboribus, præmia laborum adſequi non potuit. quum enim nemo ſapiens bellum, niſi pacis ergo gerat; hæc urbs tot maximis bellis proſpere confectis, nec impetrare tamen pacem ſæpe, nec retinere diu didicit. Nam tunc quoque poſt menſes non ita multos, novi terrores nunciati, lætitiam otii vix adhuc animis perceptam cito diſcuſſerunt. Nam & Sardi recens ſubacti, jugum excutiebant: & Corſorum erumpebant conſilia: & in ipſa Italia Ligures tumultum moverant.

Liv. Epit. 20. Col. Capitol. Flor. 2. 3. 1. Vell. 2. 38. 3. Jani ædes clauſa. Oroſius.

Flor. 2. 3. 1.

Anno ab Vrbe Condita DXIX. Zonaras.

XV. Ergo L. Poſtumio A. F. A N. Albino, S P. Carvilio S P. F. C. N. Maximo Conſulibus negotium datum ut exercitus conſcriberent. quibus trifariam diviſis, ut hoſtes ab ope mutuo ferenda diſtringerentur, L. Poſtumius Ligures adortus eſt; S P. Carvilius Corſos; in Sardiniam P. Cornelius ivit. Hujus inſulæ cœlum inſalubre, morbis & peſtilentia tentavit exercitum: multique ex eo mortales cum ipſo prætore abſumpti. Unde elatos animo Sardos Conſulis S P. Carvilii adventus ingenti prœlio coërcuit: Corſi quoque ab eodem ſunt ſubacti. Ob eas res triumphus ipſi decretus eſt, quem A. D. Kalendas Apriles duxit. In Liguribus etiam ab altero Conſule & exercitu Conſulari res bene geſtæ. At Romæ Tutia virgo Veſtalis inceſti damnata, eo majore probro, quod conſuetudinem ſtupri cum ſervo habuerat, ſua ſe manu interemit. Cenſores deinde C. Atilius A. F. A. N. Bulbus, A. Poſtumius A. F. L. N. Albinus, luſtrum quadrageſimum fecere.

Exercitus conſcribuntur. Liv. Epit. 20. Col. Capitol. Sp. Carvilius Sardos & Corſos vincit. Zonaras.

Liv. Epit. 20. Marian. Scotus.

XVI. Hoc quoque lustro pauciores quam superioribus fuisse censos (numerum enim non reperio traditum) argumentum est, quod ad augendam hominibus civitatem Censores jurare singulos coëgerunt, *uxorem se liberorum quærendorum gratia habituros*. Hoc anno Cn. Nævius Campanus, qui bello Punico stipendia fecerat, fabulas primum scenæ dedit. Interea Ligures & Sardi denuo rebellantes Consulibus novis provinciæ decretæ. Q. Fabio Q. F. Q. N. Maximo Verrucoso Ligusticum bellum, M. Pomponio M. F. M. N. Mathoni Sardoum obvenit. Quum *horum motuum causa penes Carthaginenses esse* diceretur, *qui barbaros ad defectionem secretis nunciis allicerent*, legati missi sunt Carthaginem cum asperis mandatis, quo *stipendium* exigerent, atque *insulis ad Romanos pertinentibus abstineri* juberent, *belli* minis additis, *ni imperata fecissent*.

Census actus. Aggel. 4. 3. & 7. 21. Zonaras. Ligures & Sardi rebellant. Fast. Capitol. Zonaras. Anno ab Urbe Condita DXX.

XVII. Jam ex priori calamitate vires & animum receperant Pœni, Hamilcaris maxime industria non modo pacatis Africæ populis, qui à Carthaginensibus defciverant, sed etiam latius promota ditione: magnoque jam in Hispania imperio per eumdem ducem parto. Itaque tum ad cætera ferociter legatis responsum est, tum etiam, quum illi, quemadmodum in mandatis habebant, hastam caduceumque proposuissent, data Pœnis optione, *utrum mallent eligendi; neutrum se legere* succlamatum est, sed *utrum mallent ipsi legati relinquerent, æquo animo accepturis*. Inde flagrare denuo cœperunt inter duos populos odia, sed neutro bellum adhuc incipere volente, species amicitiæ, magis quia non bellabatur, quam quod fida pax esset, interea tenuit. Ambo deinde Consules ad Urbem reversi, quum de rebus à se gestis disseruissent, triumphum impetraverunt. Q. Fabius multos Ligurum in prœlio occiderat, coëgeratque reliquos in Alpestribus locis se continere, tutumque ab illorum latrociniis vicinum Italiæ latus reddiderat. Sic ante diem Kalendas Februarias, triumphavit de Liguribus. Idibus deinde Martiis M. Pomponius triumphum duxit, de Sardis, quos vicerat.

Diod. ap. Valef. Hamilcaris in Africa & Hispania res gestæ. Polyb. 2. 1. Nepos Amilc. Unde ferociores fiunt Pœni. Zonaras. Plut. Fabio 1. 3. Capit. Tab. Anct. de Vir. ill. c. 43.

XVIII. Neque tamen destitere bello Sardi, sed incitati potius damnis suis quam fracti, majori mole rebellionem instaurarunt. Ambo igitur Consules M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus, M. Poblicius L. F. L. N. Malleolus in Sardiniam missi, magnam ex ea insula prædam coëgere: quam deinde, quum in Corsicam transmisissent, ereptam à Corsis amiserunt. Domi quoque vehementer eo tempore turbatum: agrariam legem ferente tribuno plebis C. Flaminio, *ut Picenus atque Gallicus ager, qui Senonum Gallorum fuerat, populo viritim dividereturr*. Resistebat huic actioni Senatus, neque precibus apud tribunum, neque minis abstinens, postremo dato magistratibus negotio, ut exercitum conscriberent, quo Rempublicam tutarentur: neque dimoveri à sententia C. Flaminius potuit, adversum vim contumax, & precibus inexorabilis.

Zonaras. Sardi sæpe victi, majorimole rebellionem instaurant. Anno ab Urbe Condita DXXI. Polyb. 6. 2. 2. Val. Max. 5. 4. 3.

C. Flaminius Trib. pl. à patre de Roſtris detrahitur. Cic. de Invent. 2. 17.

XIX. Monuerat eum pater quoque *ut voluntati Senatus cederet, neque ſeditionis auctor audire vellet*. Sed ille perſiſtens in ſententia, vocata concione, recitare legem inſtituit. tum vero pater Flaminius dolore ardens acceſſit ad Roſtra, correptumque manu filium detraxit. mirumque eſt exemplum editum ſive pietatis, ſive venerationis, qua tum homines jus patriæ poteſtatis proſequebantur. qui enim univerſi Senatus indignationem minaſque atroces contempſerat, in maximo calore perficiundi operis, inſpectante plebe Romana, apud quam gratioſiſſima erat ferendæ legis mentio, unius ſenis manu de ſuperiore loco detrahi paſſus eſt. Nec omittenda concionis in hoc negotio modeſtia: quæ licet abitu tribuni ſpes ſuas deſtitui videret, ne minimo quidem murmure factum illius improbavit. Dilata tamen hoc modo potius quam evitata lex eſt, C. Carvilio tribuno plebis collegam adjuvante: quod quidem initium fuit, & corrumpendæ plebis, & Gallici belli, quod octavo poſt diviſionem agri Gallici anno, graviſſimum exortum eſt.

Val Max:

Polyb. 2. 21.

Faſt. Capitol. Anno ab Vrbe Condita DXXII. Zonaras. Sardi & Corſi denuo victi.

XX. Tum vero M. Pomponius M. F. M. N. Matho, C. Papirius C. F. L. N. Maſo, quum magiſtratum iniviſſent, provincias M. Pomponius Sardiniam, C. Papirius Corſicam obtinuere. Utrobique ceſſit hoſtis, & in ſylvas monteſque arduos refugiens, locorum potius quam armorum munitionibus ſe tutatus eſt. Ergo M. Pomponius quum laborioſius eſſe videret invenire barbaros, quam vincere, canes ſagaces ex Italia curavit advehendos, quorum indicio homines more ferarum in cubilibus ſuis latentes deprehenderet. C. Papirius Corſos campis pulſos, ad montana loca ſequutus eſt. Ibi labor ingens cum periculo fuit: multique militum ſici, aut ſubito barbarorum incurſu periere. donec inventis aquis refectoque exercitu Corſi de exitu rei timentes, Conſuli ad deditionem hortanti paruerunt.

Marm. Capitol. Cenſores vitio facti abdicant.

XXI. Dum his rebus gerundis attinentur Conſules, comitia per Dictatorem ad hoc creatum ſunt habita. C. Duilius fuit M. F. M. N. is magiſtrum equitum dixit C. Aurelium L. F. C. N. Cottam. Cenſores etiam tum fuere T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, Q. Fulvius M. F. Q. N. Flaccus, ſed vitio facti abdicarunt. Novi moris originem huic anno ſcriptiones aſſignant, non indignam quæ referatur. Divortium ab Urbe condita nullum fuerat: primus S P. Carvilius Ruga ſterilem uxorem dimiſit, jurejurando à Cenſoribus obſtrictus, *ſe liberorum quærendorum cauſſa conjugem habiturum*. Diſplicuit populo non magis novitas, quam atrocitas rei, quod ad perpetuam vitæ ſocietatem junctas uxores, quacumque de cauſſa repudiari ſævum & iniquum putabat: & S P. Carvilium ſemper deinceps odio habuit, quanquam neceſſitate coactus, de amicorum ſententia, uxorem bene convenientem, morumque gratia chariſſimam dimiſerat. Ex eo tempore plus in jure nexuum, plus apud prætorem litium fuit, tum pri-

Primum divortium Romæ. Plut. Numa c. 48. Agell. 4. 3. & 17. 21.

Serv. Sulp. in l. de dot. ap. Agell.

mum cautionibus rei uxoriæ repertis, quarum, nullis antea divortiis, ſupervacanea fuerat calliditas.

XXII. Eodem anno alia quoque nova conſuetudo in honoribus imperatorum cœpit. Sub finem Conſulatus ſui C. Papirius de Corſis in monte Albano triumphavit, A. D. III. Nonas Martias. Cauſſa ejus conſilii fuerat, quod ipſe ſibi res triumpho dignas geſſiſſe videbatur, pacata tandem Corſica: neque ab Senatu honorem eum impetrabat. Idque deinceps exemplum multis ad imitationem placuit: ut negato ſibi triumpho in Albano monte triumpharent. Spectavit deinde ludos myrto coronatus, delecta hac corona ob memoriam rei geſtæ, quod in campis myrteis Corſos ſuperaverat. Sardiniæ Corſicæque motibus compoſitis, Ligures reſtabant, adverſus quos miſſi Conſules M. Æmilius L. F. Q. N. Barbula, M. Junius D. F. D. N. Pera, inter proficiſcendum comperto, Gallos rebus novis ſtudere, fines illorum cum exercitu intraverunt.

Nova conſuetudo triumphandi. Col. Capitol. Val. Max. 3. 6. 5. Triumphi in monte Albano. Plin. 35. 2. 9. 10. Anno ab Urbe Condita DXXII. Zonaras. Gallorum Italicorum motus.

XXIII. Irritatis enim lege Flaminia Gallorum animis, natus erat metus Romæ, ne quid molirentur homines læti bello, & ad iram præcipites. quare nuper edictum fuerat à magiſtratibus, ne quis homini Gallo aurum vel argentum daret, Boii enim exterique Galli, tum ex aliarum rerum, tum mancipiorum venditione ingentem pecuniam cogebant: inceſſeratque ſuſpicio, ne iſta ad bellum Romanum uterentur. Quare magis etiam incitati, cognito Conſulibus Liguſticum bellum eſſe decretum, occultis conſiliis hoc agere dicebantur, ut exercitibus Romanis expeditione longinqua detentis, ipſi Urbem aggrederentur. Cæterum adventu Conſulum territi, quum ad vim faciundam imparati eſſent, Romanos in pacis amicitiæque ſpeciem ſimulatis obſequiis excepere. Conſules quoque bellum oppreſſiſſe contenti, cauſſam cur eo veniſſent finxere; *ut per Gallicum agrum commodius exercitum in Liguriam ducerent.*

Polybius 2. 2. Conſulum adventu opprimuntur.

XXIV. Superiore anno Cenſores vitio facti abdicaverant. itaque his demum Conſulibus Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verrucoſus, M. Sempronius C. F. M. N. Triditanus, luſtrum primum & quadrageſimum condidere. Dum hæc in Italia & Urbe geruntur, novi eum Illyriis belli cauſſæ talibus initiis extiterunt. Illyrii ferox & avidum prædæ genus, piraticam faciundo, multos Italicorum negotiatorum, Brundiſino portu egreſſos, ceperant, nonnullos quoque trucidaverant: & primo quidem delatas ob ea querimonias Senatus inter alias curas negligentius auſcultaverat: poſtremo tamen quum prædonum audacia impunitate creſceret, crebrioreſque jam querelæ perveniebant, viſum eſt legatos mitti ad res repetendas: ſimul ut Iſſæorum, qui nuper in fidem Romanorum conceſſerant, cauſſam tuerentur.

Marm. Capitol. Luſtrum XLI. conditur. Polybius. Illyrici belli cauſſa Dio ap. Vſſ. Polybius 2. 13. Dio ap. Vſſ.

XXV. Hos enim Jonii maris inſulam habitantes, quod à ſe defeceraut, gravibus odiis damniſque Illyrii proſequebantur. Miſſi ſunt C. & L. Coruncanii. Hi dum in itinere ſunt, Illyriorum qui Ardyæi vocantur

Illyriorum Rex Agron. Appian. illyr.

Polyb 2. 8. Teutæ impotentia. Polybius 2. 8. Rex Agron Pleurati F. ad quem ibant, morbo decessit: filio adhuc impubere (cui nomen fuit Pinneus) relicto: regnumque noverca pueri Teuta, consiliis amicorum administrabat. Hæc impotens animi, & rebus prosperis elata, legatis Romanorum contemptim auditis, respondit, *curæ sibi futurum ne Romani ab Illyriis publice læderentur: vetare vero ne quis suorum privatim lucrum quod posset ex mari captaret, id Regibus Illyriorum nequaquam in more positum esse.* Non tenuit ad hæc iram minor Coruncanius, & intempestiva potius quam injusta libertate usus, *At Romanis*, inquit, *in more positum est, Teuta, privatim factas injurias publice exsequi, læsisque consulere. Conabimur autem diis bene juvantibus te ad instituta Regia cupide & celeriter emendanda cogere.* Zonaras. Florus 2. 5. 3. Appianus. Plin. 34. 6. 2. Legati occidantur. Liv. Epit. 20. Quibus verbis supra modum offensa mulier, sed animo interim utcumque dissimulato, legatis jam profectis latrones immisit, à quibus minor Coruncanius cum parte comitum interfectus est, cæteris in vincula conjectis, præfectisque navium igne combustis. Legatus etiam Issæorum *Calemporus* nomine ab iisdem prædonibus occisus est.

XXVI. Iis rebus Romæ cognitis T. Coruncanio & P. Junio honoris caussa tripedaneæ statuæ in foro sunt positæ: Teutæ vero & Illyriis bellum indictum. Teuta rudis imperandi, & muliebris ingenii vitia neque ratione, neque usu domare docta, sicut ad irritanda odia præcipitem, sic ad toleranda timidam se gerebat. Itaque comperto bellum adversus se parari *reddituram Romanis vivos* pollicita est: *interfectos reddere non posse, quos injussu suo prædones peremissent.* Hæc legatio, quamquam pro magnitudine delicti parum satisfaceret, tamen quia spem præbebat, controversias Illyricas citra bellum componi posse, inhiberi vim placuit, petique ad pœnam eos à quibus interfecti legati dicebantur. Mulier arma quæ timuerat differri videns, vicissim ex metu ad priorem insolentiam rapiente animi levitate, *neque deditura se quemquam* dixit; & ut factis quoque ferociam ostenderet, quam verbis prætulerat, continuo copias ad Issam obsidendam misit. Teutæ bellum indicitur. Zonaras. Dio. ap. Fulv. Teuta Issam obsidet.

XXVII. Non ergo diutius cunctari visum, quin ambo Consules (Lucius Posthumius A. F. A. N. Albinus iterum, Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Centumalus jam iniverant) cum navalibus pedestribusque copiis proficiscerentur. Cn. Fulvius classem ducebat navium ducentarum; L. Posthumius legiones. Tum iterum territa Teuta Demetrium Pharium ad Consules pacem petitum misit. Atqui illi pepigerunt inducias, *si Corcyrâ*, quam nuper occupaverant, *Illyrii decederent.* Profectis ad recipiendam Corcyram Romanis, tamquam longissime metus omnis abscessisset, ad priora consilia relabitur Teuta, præfectosque suos ad Dyrrachium & Apolloniam obsidendas mittit. Alii *non voluntate Teutæ deditam Corcyram, sed Demetrii privato consilio tradunt, qui criminibus se apud Teutam peti gnarus, adversus illius iracundiam proditione præsidii cui præerat apud Romanos* Fasti Capitol. Polybius. Anno ab Urbe Condita DXXIV. Polybius. Demetrium Pharium ad pacem petendam mittit. Polyb. 2. 10. & 11. Dio. ap. Fulv.

perfugium ſibi quæſiverit. Præſidio Illyriorum tradito, Corcyrenſes publico conſilio Romanis ſe permiſere, nullam ſibi reliquam ſalutis viam eſſe rati, niſi potentiâ tam claræ civitatis adverſus Illyriorum injurias protegerentur. Corcyrenſes Romanis ſe permittunt.

XXVIII. A Corcyra Conſul Apolloniam cum claſſe petiit: venitque eodem L. Poſthumius, qui Brundiſio transjecerat, cum pedeſtribus copiis. peditum ad viginti millia erant, equitum duo. Romanos Apolloniatæ cupide recepere, ſeque fidei illorum tradidere. Ab hac liberatâ ſtatim ad Dyrrhachium itum. id quoque Romanorum extemplo factum, ad famam advenientis exercitus, dilapſis pavore Illyriis, qui obſidere urbem cœperánt. Eodem impetu gens Ardyæorum ad deditionem coacta eſt: venerunteque ab ulteriore Illyrico legati variarum nationum, *imperata facturos ſuos* polliciti, *ſi in amicitiam recipiantur*: ex quibus Parthini fuerunt, & Atintanes. Plurimus ad hæc uſus Demetrii Pharii fuit, qui à Conſulibus circumductus, robur & fidem Romanorum extollendo, Teutæque incuſando temeritatem & inconſtantiam, alios rationibus & conſilio, alios auctoritate ſua ad ſocietatem Romanorum adducebat. Poſt hæc ad Iſſam curſus inſtitutus: & inter navigandum multis locis exſcenſione facta, pleraque oppida levi negotio capta ſunt. Nutria ſtrenue ab Illyriis defenſa eſt, multoque ſanguine conſtitit victoria, tribunis etiam quibuſdam, & Quæſtore deſideratis. Cujus rei leviorem dolorem fecerunt lembi viginti, quos cum præda & pecunia ex Peloponneſo venientes Romani excepere. Itemque Apolloniatæ. Appianus. Zonaras. Demetrius multos à Teuta ad Romanos tranſducit. Dio. Polybius: Dio. Nutria ſtrenue defenſa, tamen capitut. Zonaras. Polybius.

XXIX. Jam ad Iſſam ventum erat. Ibi perinde ut ad Dyrrhachium acciderat, adventu Romanæ claſſis obſidio ſoluta eſt, diverſa in loca diffugientibus barbaris, præter Pharios, qui in gratiam Demetrii, quod ex eadem inſula ortus, eique ſub Agrone præfectus fuerat, corporibus rebuſque ſalvis in fidem accepti ſunt. Hæc audita inſtabilem Teutæ animum varie moverunt, alternantibus timoris & fiduciæ cauſſis. Nam ſicut amiſſa & deleta oppida, vaſtatæ maritimæ regiones, ubivis fugatæ Illyriorum copiæ, metum ei maximum incuſſerant; ita vicißim ſpem dabat Nutrinorum audacia, & hybernum jam mare, cujus formidine rebatur Romanos cito repetituros domum eſſe. Itaque Rhizonem oppidum cognomini fluvio impoſitum cum paucis ſe contulit, exſpectatura remedium quod tempus offerret. Polybius. Appianus. Polybius. Appianus. Dio. Teuta Rhizonem concedit.

XXX. Alebant vanam opinionem acta Conſulum, qui pleráque parte regionum quas occupaverant, Demetrio tradita, Dyrrhachium & claſſem & exercitum reduxere. Sed poſtquam L. Poſthumius cum quadraginta navibus relictus, exercitum ex finitimarum urbium delectu fecit, Ardyæis, & qui præterea Illyriorum ad ſocietatem Romanam acceſſerant, præſidio futurus; tum vero deſperatis rebus ſuis Teuta de pace quibuslibet conditionibus redimenda cogitavit. Ideo ſub initium veris legatione Romanam miſſa, quæ præterita eſſent tamquam Agronis imperio Teuta de pace ſetio cogitat. Appianus.

facta excuſavit, cujus facta tueri neceſſum ſibi fuiſſet. Romani non illi, cujus ea propria poteſtas non eſſet, & quæ de Romanis nihil tale meruiſſet; verum Agronis filio Pinneo pacem dederunt his legibus: *ut ſtipendia imperata penderet. Illyrico omni, paucis exceptis locis, decederet: neque ultra Liſſum pluribus quam binis lembis, & his inermibus, navigaret.*

Pacis leges cum Illyriis. Polyb. 2. 2. 5. App. Illyr.

XXXI. Corcyra, Pharus, Iſſa, Dyrrhachium & Atintanes hac pace Romanis ceſſerunt: cætera quæ ſub Agronis imperio fuerant, Pinneo relicta. Teuta ſive pudore & metu, ſive jubentibus Romanis, adminiſtratione regni abiit, quam tutorio nomine ſuſcepit Demetrius Pharius. Sic finita cum Illyriis contentione, finibuſque imperii jam ad limites Græciæ promotis, ab alia parte parum ſecura Reſpublica erat: meditantibus bellum Gallis, & maximis in Hiſpania incrementis rei Punicæ, quam ſine periculo Romanæ confirmari poſſe nemo credebat. Haſdrubal gener & ſucceſſor Hamilcaris, vindicata ſoceri morte, multas præterea nationes partim armis, plerumque conſilio & facundia qua mire pollebat, Carthaginenſium imperio ſubdidit: etiam altera *Carthagine* quæ *nova* appellata eſt, in ſinu maris juxta portum ampliſſimum & ſatis commodum, condita. Sed propior à Gallis metus, durius aliquod contra Pœnos conſilium inire vetuit. quod reliquum erat, fœderibus pactiſque curſum fortunæ eorum ſiſtere ſtuduerunt. Legatis ergo Carthaginem miſſis, aliiſque ad Haſdrubalem, pepigerunt, *ut trans Iberum amnem ſe continerent Pœni, Saguntinis ſuæ leges & libertas ſervaretur.*

Incrementa rei Punicæ in Hiſpania. Diod. l. 25. Polybius. Polybius. Liv. 21. 2. 5. Liv. 26. 42. 6. Polybius. Appianus. Flor. 2. 6. 4. Pacta Romanorum & Pœnorum de Hiſpania. Polybius.

XXXII. Hæc in annum ineſiderunt, quo S P. Carvilius S P. F. Cn. N. Maximus, Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verrucoſus, uterque iterum, Conſules fuere. Sub idem tempus L. Poſthumius proconſule, qui in Illyrico hibernaverat, legatos ad Ætolorum Achæorumque populos Corcyra miſit, ad exponendum rei geſtæ ordinem, *quibus cauſſis bellum iſtud ſuſceptum, qua fortuna geſtum, quibuſque conditionibus finitum eſſet;* Comiter excepti ſtudioſeque auditi ſunt, quod eæ nationes cæterique Græci, vehementer exoſum habebant Illyriorum nomen, ob continua latrocinia, quæ ſub Agrone Teutaque exercuerant. Hæc ubi demum nunciata ſunt, Senatus *rite atque ordine à Proconſule facta eſſe* cenſuit, aliamque ſtatim legationem decrevit, quæ publico nomine Corinthios & Athenienſes adiret, *populique Romani ſtudium erga Græcos, & æquitatem erga omnes* commendaret.

Anno ab Vrbe Condita DXXV. L. Poſthumii legatio ad Ætolos Achæoſque. Alia legatio publico nomine in Græciam venit.

XXXIII. Ea res magnam in iis terris nomini Romano benevolentiam peperit, confeſtimque decreto Corinthiorum honor hic populo Romano eſt habitus, ut *Iſthmiorum* (qui ludi inter quatuor celeberrimos ſunt Græciæ) *participes haberentur*. Maxime movit eos, præter Apolloniam & alias Græci generis civitates, Corcyra libertati reddita, quæ colonia Corinthiorum fuerat. Athenienſes quoque ſocietatem Romanam amplexi, decreverunt, *ut Romanis jus civitatis Atticæ;*

Zonaras. Polybius. App. Illyr. Athenienſes ſocietatem Roman. amplectuntur. Thucyd. 7. 20. 8. Zonaras.

Attica, initiorumque Eleuſiniorum eſſet. Interea Cn. Fulvius proconſule triumphum navalem ex Illyriis egit A. D. Kalendas Quintiles : & principes Illyricos in triumpho ductos ſecuri percuſſit. Hic primus de Illyriis triumphus fuit. Anno ſequente P. Valerio L. F. M. N. Flacco, M. Atilio M. F. M. N. Regulo Conſulatum gerentibus, Prætorum duplicatus eſt numerus, quaternoſque creari viſum, ut eſſent qui in Siciliam Sardiniamque provincias cum imperio mitterentur. ex his M. Valerius Sardiniam, attributamque huic Corſicam, C. Flaminius Siciliam ſortiti ſunt. Ingens eo tempore fuit metus Gallici belli, de quo Boji Inſubreſque non inter ſe modo, ſed etiam cum Tranſalpinis populis agitare, magnaſque Gæſatarum Gallorum copias ſtipendio conduxiſſe ferebantur.

Tab. Capitol. Flor. 12.5. 4. Eutrop. l. 3. Liv. Epit. 20. Anno ab Vrb. Cond. 526. L. 2. § 32. ff. de O. J. Prætorum duplicatus numerus. Solin. c. 11. Zonar. Polyb. 2. 22.

Mala remedia ſuggerit timor.

XXXIV. Ergo non ſolita modo remedia quæſita ſunt, ſed etiam iis rationibus malo quod timebatur occurſum, quas apud ſeveros judices, præter amorem patriæ, & in ejus gratiam quandoque conceſſa quæ alias negarentur, nihil excuſaret. Quum enim præter alios ex diis hominibuſque terrores, etiam in Sibyllinis libris repertum eſſet, *Gallos & Græcos Urbem Romanam occupaturos*, ad prædictionis ejus minas calliditate avertendas, M. Valerio M. F. M. N. Meſſalla, L. Apuſtio L. F. C. N. Fullone Coſſ. ex auctoritate Pontificum homines quatuor; Gallum & Gallam, ſimiliterque Græcum & Græcam in medio foro boario vivos defoderunt, ut ita quaſi partem aliquam Urbis tenentes impleviſſe fata viderentur. Cæterum hic annus inter res alias non magnas, apparatu maxime Gallici belli, quod jam inſtabat, conſumptus eſt. Deſcriptæ ſunt ad id bellum equitum peditumque copiæ, incredibili numero, tota pro Romanis Italia conſentiente. Q. Fabius hiſtoricus, qui rebus gerundis interfuit, *effecta fuiſſe* ſcribit *armatorum octingenta millia*.

Faſt. Capitol.

Anno ab Vrb. Cond. 527. Gallus & Galla, item Græcus & Græca, vivi defodiuntur. Oroſ. 4. 13. Eutrop. l. 3. Plin. 3. 20.

XXXV. Romanorum quidem Campanorumque numero, peditum explente ducenta quadraginta octo millia ducentos; equitum viginti ſex millia ſexcentos. cætera multitudo reliquorum Italiæ populorum fuit. Etiam Veneti ac Cenomani auxilia dederunt Romanis, hominum millia viginti, qui juſſi ſunt finitimos Bojos metu & damnis, ad patriam tuendam cogere, ne cum cæteris hoſtium copiis conjungi poſſent: quando à bellandi conſilio legationis Romanæ ſtudiis avocari nequiverant. Venetis enim & Cenomanis ad inſtaurandam cum populo Romano amicitiam perſuaſis, Inſubres Bojique in hoſtili animo propoſitoque perſtitere. Minutæ tamen vires eorum ſunt, non auſis omnem armatorum multitudinem educere Regibus, coactiſque partem juventutis ad fines defendendos reliquere.

Diod. l. 25. Numerus copiarum ad Gallicum bellum deſcriptarum. Oroſ. 4. 13. Polyb. 2. 22. tra o l. 5.

Inſubrium & Bojorum copiæ iter per Etruriam tentant.

XXXVI. Ita reliquis cum copiis (peditum quinquaginta millia, equitum viginti numerabantur) iter per Etruriam tentare cœperunt. Interea L. Æmilius Q. F. Cn. N. Papus, C. Atilius M. F. M. N. Conſules Sardiniam & Ariminum cum vicina Gallia provincias bo-

Anno ab Vrb. Cond. 528.

Sardi tumultuantur. L. Aimilii bellum grave cum Gallis. Zonaras. Polyb. 6. 2. 23. Polyb. 6. 2. 25.

tinuere. Sardi enim gravati perpetuam Romani Prætoris præsentiam, fasceſque non ante conſpectos, iterum tumultuati fuerant: ſed hos C. Atilius Conſul haud magno negotio coërcuit. Major moles L. Aimilio cum Gallis fuit: perrupta Etruria Romam tendentibus. Eos Prætor, cui Etruria provincia decreta fuerat, quum arcere tranſitu nequiviſſet, circa Cluſium conſequutus, præcipiti in occaſum die, caſtra non procul ab hoſtilibus poſuit. Galli, quo Romanos ad pugnam elicerent, meditato dolo, cum omni peditatu ad oppidum Fæſulas nocturno itinere perveniunt: relictis equitibus, quibus imperatum fuerat, ut orto die conſpiciendos ſe tantum præberent hoſtibus, deinde ſtatim ad pedites ſe referrent, caſtra ad recipiendum equitatum, hoſteſque ex improviſo turbandos apto loco habituros.

Circa Fæſulas pugnatur. Pol b. 2 25. Diod. l. 25. Polyb. 2. 26. & 27.

XXXVII. Ea fraus Romanis impoſuit, ut quaſi fugientes avide ſequerentur. Ita circa Fæſulas à recentibus & paratis excepti ſunt, feſſi curſu, & conſilio, ut in re nec opinata, deſtituti. Quod unum ſuperarat, pugnando tueri ſalutem, aut vindicare ſanguinem ſtatuere. Sed

L. imilius in tempore ſupervenit laborantibus Romanis.

præter alia numero quoque vincentibus Gallis; plures ſex millibus in loco pugnæ conciſi ſunt, cæteri fugerunt. Galli munitum quendam collem, quo pleraque fugientium turba conceſſerat, capere conati, poſtquam nocturno itinere diurnaque pugna vires exhauſtas ſenſere, ad corpora curanda abiverunt: relicta parte equitum, quæ tumulum obſideret; poſtridie vi aut deditione haud dubie in poteſtatem redigendum. In hoc articulo rerum L. Aimilius Conſul optabili potius quam ſperato caſu ſupervenit. Nam ad famam adventantium Gallorum Ariminum miſſus, defenſurus Adriatici litoris oram, poſtquam Urbem audivit peti, magnis itineribus Arimino profectus, ad ea loca bona quadam fortuna pervenerat, & parvo ab hoſtibus intervallo caſtra metatus fuerat.

Ex ignibus conjicitur exercitus veniens.

XXXVIII. Obſeſſi ex ignibus ab ea parte conſpectis, id quod erat, Romanum exercitum veniſſe conjicientes, quoſdam ſuorum miſerunt ſine armis, quo facilius hoſtium excubias fallerent. Ex his cognito rerum ſtatu Conſul, citra longiorem deliberationem, quam neque res, neque tempus ferebat, ſtatim orta luce cum equitatu præceſſit ad tumulum, tribunis militum cum legionario milite ſequi juſſis. Gallos jam ildem ignes admonuerant de adventu Romanorum, & ad conſilium de præſentibus coëgerant. Ibi Rex Ancroëſtus ſuaſit, *ne agmen locupletiſſima præda onuſtum objicerent hoſti: ſed domum digreſſi, depoſita præda, ſi bellandum ultra videretur, expediti redirent.* Probato ab omnibus conſilio ante noctem diſceditur, itinere per Etruriam juxta litus maris inſtituto. L. Aimilius receptis qui in tumulum confugerant, & Gallorum profectione cognita, cum his quidem conlatis ſignis pugnare nolebat: ſed inſequi tamen ſtatuit, occaſione quam tempus obtuliſſet uſurus.

Galli ad deponendam domi prædam diſcedunt.

Alius impro-

XXXIX. In hoc articulo rerum rurſus aliquid ex improviſo molita fortuna

eſt. Alter Conſul C. Atilius ex Sardinia cum legionibus Piſas appulerat, atque ibi militibus expoſitis pedeſtri itinere petebat Romam, per eandem Etruſci maris oram incedens qua Galli veniebant. Circa portum Etruriæ Telamonem primum obviam ſibi facti ſunt præcurſores utriuſque exercitus: captiviſque nonnullis ad Conſulem adductis, ubi de itinere Gallorum, & inſequentis eos Collegæ inſtituto cognovit, miratus caſum, & ſpe impulſus, quod medius inter duos Conſulares exercitus hoſtis teneretur, tribunis præcepit, *ut acie inſtructa, quantum locorum natura pateretur, quadratum agmen gradu militari ducerent*: ipſe animadverſo colle opportune itineri, qua venire Gallos neceſſum erat, imminente, ad præoccupandum eum eum equitatu contendit. Feſtinabat enim cum hoſte quamprimum deeernere, certus ſi urgeretur, collegam venturum ſubſidio; & ſi incœptum ſucceſſiſſet, potiorem bene geſtæ rei laudem penes ſe futuram eſſe.

viſus caſus C. Atilius in Gallos forte incidit. Cluv. It. ant. a. a. Polyb. a 26.

XL. Galli viſo in ſuperioribus locis hoſtium agmine, noctu circummiſſos ab L. Æmilio equites rati, ſuum & ipſi equitatum emittunt, adjuncta levis armaturæ parte, ad iter aporiendum. deinde captivorum indicio Conſulis alterius adventus cognitus, peditatum continuo inſtruere coëgit anicipiti acie; quæ ante & retro in hoſtem verſa, interius oppoſitis invicem tergis cohæreret. Nam videbant à fronte C. Atilium inſtare, à tergo ſequi L. Aimilium noverant. Huic igitur ex Tranſalpino genere mercede conductos, qui ab armorum nomine Gæſatæ vocantur, oppoſuerunt in prima acie; poſt hos in ſubſidiis Inſubres: at Tauriſci Bojique adverſus Atilianas copias locati ſunt. eſſedis deinde carriſque cornu utrunque vallarunt: præda cum idoneo præſidio vicinum in collem ſepoſita eſt. Jam pugnari ad tumulum ab C. Atilio occupatum cœperat, & ex eo conjiciebat L. Æmilius adeſſe collegam, cujus de itinere nihil habebat compertum præterquam quod appuliſſe Piſas audiverat.

Anceps acies Gallorum, inter duos exercitus Conſulares mediorum. Liv. 26. 6. 4. Oroſ. 4 13. Polyb. 2. 26.

XLI. Igitur ex tempore conſilio capto equites ſuos & ipſe ad collem ubi pugnabatur juſſit accurrere. Certatum ibi eſt equeſtri prælio acerrimo, in quo & C. Atilius Cos. occiſus eſt, ejuſque caput ad Reges Gallorum relatum. ad extremum tamen conniſi totis viribus Romani, loco retento, hoſtem repulere: Decreta hunc ad modum equeſtri pugna, pedites concurrere. Ibi vero certamen vidiſſes quum numero atque robore virorum, tum ipſa diſpoſitione acierum terribile; quum inter duos Romanos exercitus Gallorum intercepta multitudo, ſimul in utroſque obverſa dimicaret, ambiguo judicio, pluſne prodeſſet eis iſta prælii forma quod cum diviſis hoſtium copiis pugnantes, terga ſibi invicem tuta præſtabant, etiam amiſſa ſpe fugæ ad fortitudinem ſtimulati; an vero noceret, quod inter duos Conſulares exercitus concluſi tenebantur. Cæterum Romanos partim adſpectus virorum terrebat, qui eximia ſpecie & magnitudine corporum, primis

Diodor. l 25. Oroſ. 4. 13. Pugna atrox.

Galli armillis aureis fulgent.

mis in ordinibus ſtabant; partim ad pugnandum incitabat, non modo laudis, ſed etiam ſpoliorum dulcedo; quod inter Gallorum antefignanos erat nemo quin maniacis armilliſque aureis fulgeret.

Gæſatarum ferocia & cædes.

XLII. Conſerto igitur prœlio, immiſſi primum velites maximam hoſtium edidere cædem, præſertim ubi Gæſatæ pugnabant, qui per ferociam & barbaram oſtentationem abjectis veſtibus, nudi ante prima ſigna conſtiterant. Quum enim ſcutum Gallicum prælongum & anguſtum, non poſſit corpus obtegere, tanquam expoſita jaculatoribus ſigna certis ictibus petebantur; cadebantque inulti, quod neque ferire hoſtem eminus poterant, neque conſerta manu pugnari ſecum levis armatura patiebatur. Qua deſperatione pars temere in hoſtem ruentes, priuſquam ad manus venirent, miſſilibus confoſſi ſternebantur: cæteri ſenſim referentes gradum, ſuorum perturbabant ordines. Ita Gæſatarum acie per velites disjecta, gravis armaturæ miles Bojos Inſubreſque ac Tauriſcos undiquaque adortus, multos interfecit.

Armorum genere vincuntur cætera non inferiores. Polybius: 2. 30. Zonaras. Polybius.

XLIII. Stabant tamen obfirmatis animis, neque ulla re inferiores, niſi quod armorum genere vincebantur, neque ad muniendum corpus apte inſtructi, neque ad hoſtem percutiendum. gladius enim Gallicus tantum ad rem cæſim gerendam accommodatus, mucronem idoneum non habet: præterea ad primum ictum incurvatur, ſequenteſque parum efficaces habet, niſi pede preſſus iterum dirigatur. Eventum prœlii, quum in meliore ſpe Romani eſſent, haud dubium fecit equitum reditus, qui Gallico equitatu in fugam compulſo, ex colle decurrentes, in latus hoſtium impreſſionem fecerunt, tanto minus tolerabilem, quod ex ſuperiore loco ingruebat. Hoc maxime modo cum Gallis in Etruria pugnatum Polybius tradidit: à quo parum probabiliter alii diſſentiunt, quis enim temere credat ita potius rem geſtam eſſe, ut Gallos noctu orta tempeſtas fugere coëgerit, tanquam deorum iram timentes? poſtremoſque eorum aggreſſus C. Atilius occubuerit? deinde poſt aliquot dies quum interea ſuo quilibet in colle ſe continuiſſet, L. Aimilius cum exercitu Gallico proſpere pugnaverit? Neque plus merentur fidei, qui pugnæ locum ex litorali regione, in agrum Aretinum tranſtulerunt.

Zonar.

Oroſ. 4. 13. Eutrop. l. 3. Gallorum magna clades. Polybius: Diodorus. Polyb. 2. 30. & 33. Zonar. Diodorus: Polybius.

XLIV. Cecidiſſe tum Gallorum millia quadraginta non ambigitur. capta ſunt haud minus millia decem cum uno regum Concolitano: alius Aneroëſtus, qui plurimum opinione virtutis & potentia valuerat, paucis comitantibus elapſus, in fuga neceſſarios ſuos ſeque ipſum ſecta gula interemit. Recepta eſt præda ingens, quam Conſul reddendam iis curavit, quibus adempta fuerat, ſuas unoquoque res adgnoſcentibus dominis. Inde cum ſuo & Atiliano exercitu juxta fines Ligurum in Boicum agrum profectus, ut operæ navatæ mercedem haberet miles, diripiendam ei regionem dedit; pauciſque diebus ſatiatas præda copias in Urbem reduxit: tanto majore omnium lætitia, quanto acrior iſtius belli

metus fuerat. Ergo vix cujuſquam triumphus faventium vocibus tam celebratus eſt: inſignis alioquin, & rerum geſtarum gloriâ, & captivorum ſpoliorumque prælatorum numero pretioque. Triumphus L. Aimilii.

XLV. Multa inter hæc ſigna militaria fuere; plurimique torques aurei armillæque, virorum fortium apud Gallos ornamenta. Sed maxime adverterunt oculos hominum Britomarus, aliique principes Gallorum, quos L. Aimilius per ludibrium accinctos in Capitolium duxit, tanquam voti ſui religionem ſervaturos, quod *non prius ſoluturos ſe balthea: quam Capitolium adſcendiſſent*, juraverant. A. D. III. Nonas Martias L. Aimilius Conſul de Gallis triumphavit. Eodem anno luſtrum alterum atque quadrageſimum conditum eſſe reperio, à Cenſoribus Q. Claudio A P. F. C. N. Centhone, M. Junio D. F. D. N. Pera. Depoſitus jam belli Gallici metus, nondum vindictæ cupiditas erat: ambobuſque proximi anni Conſulibus ea provincia data. T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, Q. Fulvius M. F. Q. N. Flaccus erant, uterque iterum. His exercitus, & quæ ad bellum inſtruendum gerendumque pertinebant alacriter decreta. Spes enim erat, poſt tantam victoriam, toto circa Padum agro depelli Gallos poſſe, ſi nervi intenderentur. Britomarus. in Capitolium accinctus ducitur. Flor. 2. 4. 3. Zonar. Flor. 2. 4. 2. Faſt. Triumph. Faſt. Capitol. Anno ab urb. cond. 529. Faſt. Capitol. Polyb. 2. 32. Zonar. Novi Conſules adverſus Gallos proficiſcuntur.

XLVI. Conſules cum copiis profecti primo ſtatim terrore Bojos ad deditionem compulere: ſegnior deinde expeditio fuit, ob peſtilentiam & continuos imbres. Alii tradunt *hos Conſules Pado tranſito collatis ſignis viciſſe Inſubres, hominum occidiſſe tria & viginti millia, cepiſſe quinque:* ſed nobis Polybii potior eſt in his rebus auctoritas. Interea quia Conſules è longinquis regionibus, ſive rebus gerundis, ſive tempeſtatibus impediti ad comitia occurrere non potuerant, ejus rei gratia Dictator creatus eſt L. Cæcilius L. F. C. N. Metellus, iiſque N. Fabium M. F. M. N. Buteonem magiſtrum equitum dixit. Comitiis habitis Conſules facti ſunt C. Flaminius C. F. L. N. P. Furius S P. F. M. N. Philus. Hi, primi Romanorum, ut exiſtimo, Padum tranſivere cum exercitu, qua fluvius Paduſa Pado committitur, in regionem Inſubrum inruptione facta. Multo labore neque nullo ſanguine hæc audacia conſtitit; nam & in tranſitu fluminis, & dum caſtra ponuntur, acriter incurrentes hoſtes Romanorum haud paucos occiderunt. Polyb. Oroſ. 4. 13. Bojos ad deditionem compellunt. Faſt. Capitol. Anno ab urb. cond. 530. Liv. Ep. 20. Zonar. Padum tranſeunt Romani non impune. Zonaras. Oroſius.

XLVII. Ex harum rerum nunciis ortam ſolicitudinem immenſum auxere prodigia, quod *in Piceno flumen manaſſe ſanguine, in Etruria cælum ardere viſum, Arimini noctu luxiſſe, treſque lunas eodem tempore apparuiſſe* nunciabatur: & quod Romæ in foro vultur per dies complures ſederat. nam ſub idem forte tempus Caria motu terræ concuſſa, & collapſus Rhodi coloſſus nihil tum ad rem Romanam pertinere credebantur. Cæterorum cauſſa conſulti augures, *Conſules vitio creatos videri* reſponderunt, ſequutæque ſunt Senatus ad eos literæ, quibus in Urbem revocabantur. Illi inter hæc per inducias Inſubrum agro exceſſerant, dein- Polyb. 2. 32. Plut. Marcel. c. 4. Prodigia varia. Zonar. Marianus. Oroſ. 4. 13. Plut. Marcel. c. 40. Zonar.

de in Cenomanorum finibus ſociorum adſcitis auxiliis, iterum campos Alpibus ſubjacentes infeſtare cœperant; permotique ira Inſubres, etiam aureis ſignis ex æde Minervæ depromptis, quæ *immobilia* vocabantur, quod niſi ob extremam neceſſitatem moveri fas non eſſet, cum exercitu quinquaginta millium occurrerant, acie dimicaturi.

Polybius: Inſubres Romanis occurrunt.

Strab. l. 5. Liv. ar. 63.

XLVIII. Hoc ad tempus literæ Senatus venere. C. Flaminius ſive conjectura earum argumentum adſequutus, ſive literis amicorum præmonitus, Collegæ perſuaſit, *ne ante pugnam commiſſam aperirentur*. Sic obſtinato ad dimicandum animo, de auxiliis Gallorum deliberabant *ne forte neglecta cauſſam nocendi haberent; adhibita, occaſionem*. levitas enim gentis timebatur, præſertim adverſus cognatum hoſtem ſuſcipiendo prœlio. tandem hoc conſilium placuit. Gallos in ulteriorem ripam miſerunt: deinde ruperunt pontes. Ita neque lædi ab iis Romanus poterat, & copia fugæ penitus ablata, omnia in virtute erat habiturus. Poſt acre prœlium, victoria Romanis ceſſit; majori tribunorum laude, quam Conſulum. Nam C. Flaminius aciem ita ripæ fluminis admoverat, ut nihil ad receptum cohortium relinqueret ſpatii: haud dubie totum exercitum perditurus, ſi urgentibus hoſtibus vel minimum recedere coactus fuiſſet. Tribuni vero, prioribus prœliis experti, Gallorum vim omnem in primo impetu eſſe, hunc acerrimum, ſed brevem ſi quis ſuſtinuiſſet, nihil poſtea metuendum habere; primis ordinibus haſtas triariorum dividunt, quibus hoſtium excipiant ictus, deinde abjectis his gladium ſtringant.

Zonar. Polyb. Conſules auxilia ſuſpecta amoliuntur.

Romani vincunt.

XLIX. Ubi ventum ad certamen eſt, haſtarum objectu Gallici gladii ſtatim ad primum ictum hebetati curvatique ſunt: quos donec dirigere ſtudent, ſuggreſſus ſtricto mucrone Romanus omnem armorum uſum iis ademit. Nam & hoc habent enſes Gallici, quia cæſim tantummodo iis pugnari poteſt, ut ad feriendum aliquantum requirant ſpatii, quod ſi quis abſtulerit, omnino fiunt inutiles. Romani vero etiam punctim ferire ex minimo intervallo poterant, eoque modo ad corpus hoſtis appreſſi faciem ejus atque pectus impune cædebant. Interfecta dicuntur millia Gallorum novem: quaſi duplum ejus numeri captum eſſe. Poſt victoriam ager hoſtium longe lateque vaſtatus eſt, multumque prædæ partum. Tum demum literas Senatus legi placuit: quibus quum pariturus P. Philus eſſet, C. Flaminius *invidiam hanc patrum eſſe* teſtatus, *nullis auſpiciorum vitiis, cujus rei nullum argumentum certius ipſa illa quam obtinuiſſent victoria adduci poſſet*, negavit *ſe niſi finito vel bello, vel magiſtratus tempore deceſſurum eſſe*. Quin etiam addidit *effectarum*, *ut populus Romanus auguriorum aliarumque talium rerum inepta obſervatione falli deſinat*.

Enſes Gallici inepti.

Oroſ. 4: 13.

Plut. Marcel. c. 4. C. Flaminii pertinacia adverſus ſenatum. Zonaras.

L. Cæterum in ſententia perſiſtente P. Furio, Flaminianus exercitus, metuens ut digreſſo illo ſatis in hoſtili regione tutus eſſet, exoravit eum, ut per dies aliquot remaneret. nihil tamen rerum poſtea gerere vo-

Collega ejus P. Furio parere cupiente.

luit: C. Flaminio interim caſtella quædam, urbemque non incelebrem illis gentibus recipiente, conceſſaque militi præda ad inſtans cum Senatu certamen ſibi conciliante animos. Tanta enim exorta fuerat in Urbe indignatio, ut redeuntibus Conſulibus neque obviam ex more iretur; triumphuſque non C. Flaminio modo, ſed in ejus odium etiam P. Philo negaretur. Ad extremum C. Flaminii magnus apud plebem favor vicit. iſque triumphans Urbem ingreſſus eſt, A. D. VI. Idus Martias. Multa in eo triumpho translata ſunt ſpolia, magna vis armorum: torques itidem aurei permulti, ex quibus trophæum Jovi C. Flaminius in Capitolio poſuit, inverſo Gallorum voto, qui *de ſpoliis Romanorum Marti ſuo torquem* promiſerant. Alter mox Conſul de Gallis & Liguribus triumphum egit A. D. IV. Idus Martias.

Liv. 21. 63. Zonaras.

Plutarchus. Conſules invito Senatu triumphant. Colum. Capitol. Flor. 2. 4.

LI. Sic magis accenſa quam victa Senatus odia non quievere, donec Conſules ſtatim ſecundum triumphum abdicare ſunt coacti. Pari ſeveritate ſub idem fere tempus viri clariſſimi duo ſacerdotii honore caruerunt: M. Cornelius Cethegus extis non rite porrectis; Q. Sulpicius quod inter ſacrificandum apex ei de capite defluxerat. Quum magiſtratu Conſules abiviſſent, comitia per interregem ſunt habita, quibus Conſul factus M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, qui magiſtratu inito collegam adſcivit Cn. Cornelium L. F. L. N. Scipionem Calvum. Hi pacem petentibus Inſubribus reſtitere, M. Marcello potiſſimum cupiditate provincieæ triumphique conditiones omnes aſpernante: ſed & ipſi Galli belli potius quam otii conſilia tractare videbantur, quum de integro mercede conducta Gæſatarum triginta millia ſuperatis Alpibus longe majorem Inſubrium multitudinem conciviſſent.

Plutar. Deinde abdicare cogunt. Val. Max. 1. 1. 4. Plutarchus: Plutarchus. Anno ab urb. cond. 531. Polyb. 2. 34. Inſubribus pax negatur: Polyb. 2. 34. Plutarchus.

LII. Bello ſic exorto, profecti primo vere Conſules, Acerras (oppidum eſt inter Padum & Alpes) circumſederunt. Cujus obſidione quum depellere Romanos difficile videretur; Britomarus adſumpta decem millium Gæſatarum manu, Circumpadanam regionem vaſtare inſtituit. quo comperto Conſules ita inter ſe partiti ſunt copias, ut Cn. Cornelius cum exercitu reliquo urgeret obſidionem; M. Marcellus duas partes equitum & delectos ex levi armatura ducens, ſociis ſuccurreret. Delegit expeditiſſimum quemque, non ultra ſexcentos: eum his & equitibus ſuis non die non nocte intermiſſo itinere contendit ad hoſtes quos circa Claſtidium adeptus, priuſquam reficere ſuos quiete poſſet, adortus eſt, non voluntate ſua, ſed ferocia Gæſatarum, qui numero potiores & equeſtris militiæ principatum ſibi vindicantes, audito paucos adduci pedites à Conſule, protinus ad obterendum eum, omiſſa Claſtidii obſidione, proruperunt. M. Marcellus acie in longum porrecta, ne circumveniretur ab hoſtium multitudine, Gallis proceſſit obviam: neque longe aberant invicem acies, quum jam impetum facere molientem equus clamore

Polybius. Plutarchus. Plutarchus. Zonar. Marcelli pugna cum Gallis ad Claſtidium. Polyb. 2. 34. Plutarchus.

cantuque Gallorum exterritus abripuit, & retrorsum tulit.

Front. Strat: 4. 5.

LIII. Ibi Consul veritus ne in omen tractus ille casus animum suis minueret, equum circumagendo Solem adoravit, tanquam ea de caussa convertisset: ex veteri more, quo deos adoraturi se circumagebant. Ferunt eum ante primum congressum, *pulcherrima hostilium armorum Jovi Feretrio* vovisse, mox conspecto Britomaro, qui suorum agmen præcedebat arma ferens auro argentoque & coloribus eximie perornata, hæc judicavisse arma esse debere, quæ vovisset. Jam ipse quoque Rex viso Romanorum duce, provectus longe ante suos, voce & gestu eum ad pugnam provocabat: Neque contatus M. Marcellus, perfosso Regis thorace, vulneravit eum hasta, & equi adacti impetu dejectum humi, semel iterumque repetitis ictibus occidit. Tum desiliens ex equo, manibusque arma tenens suspexit in cœlum, *Jupiter*, inquiens, *Feretri, qui fortium ducum in præliis facta præclara adspicis, en ego te teste tertius Romanorum, cæso hostium Imperatore Imperator, opima tibi spolia consecro. Tu vero ad reliqua etiam belli res nostras prospera fortuna pergere sinito!*

Plutarchus. Marcelli votum. & opima spolia.

Oros. 4 13.

Plutarchus.

LIV. Repente post hæc cum M. Marcello, totis viribus confligi cœptum, fortissime pugnantibus Romanis, quos Consulis audacia & fortuna non minus ardore pugnandi, quam spe victoriæ impleverat. Itaque non eques Gallus, non pedes, quanquam & ille suis subsidio venerat, sustinere vim tantam potuit: raroque exemplo pauciſſimi de numeroso exercitu pulcherrimam victoriam retulere. Lectis deinde spoliis ad collegam revertit Consul, qui Acerris occupatis, ubi magnam annonæ copiam reperit, circa Mediolanum caput Insubrium Gallorum adversus hostes ægre se tutabatur; nam illi validissimæ frequentissimæque urbis obsidione implicatum, vicissim quasi obsidebant. Sed adventu M. Marcelli cito commutatus est rerum status. Nam & Gæsatæ audito Regis fine discesserunt: & ab his relicti Mediolanenses defendere urbem non potuere. Sic ingentibus Insubrum copiis cæsis, captaque Mediolano, & subinde Como, cæteræ deinceps urbes, & Insubrum tota natio, pecunia & agrorum parte mulctati, de cætero satis æqua pace impetrata, in deditionem venere.

Val. Max. lib. 5. Victoria Romanorum. Zonar. Plutarch.

Plutarch. Oros. 4. 13. Zos. Eutr. l. 3. Insubres in deditionem veniunt.

LV. M. Marcellus provincia confecta celeberrimum triumphum de Gallis Insubribus & Germanis duxit Kalendis Martiis. Hæc prima Germanorum in historia Romana mentio, qui ex transrhenanis gentibus mercede conducti Virdomaro duce in Italiam venerant. Ex his Gallisque captivi forma staturaque corporis ingenti, currum victoris inter spolia maximi pretii antecedebant. Sequebatur ipse Consul rarissimo spectaculo cæsi ducis arma Jovi Feretrio ferens. quem prosequutus à tergo exercitus splendidis ornatus armis, militari adclamatione cantuque celebrabat. Hoc ordine quum ad ædem Feretrii perventum esset, descendens curru M. Marcellus, opima spolia

Oros. 4 13. M. Marcelli triumphus celeberrimus.

Marm. Capit: Propert. 4. 10.

Virg. Æn. 6 855.

Flor. 2. 4. 5. Plutarch.

poſt Romulum Regem & A. Cornelium Coſſum tertius, neque poſt illum alius ſuſpendit. Hæc arma populus Romanus majori cum voluptate ſpectavit, quod Romanorum militum arma hoſtes Vulcano vovisſe dicebantur: Tantaque victoriæ ejus lætitia fuit, ut Senatus populuſque Romanus ex manubiis donum Apollini Delphico cratera aureum, & circum amicas ſociaſque civitates arma de ſpoliis Gallicis mitteret: ad Hieronem Syracuſanum præter ſpolia, miſſum etiam frumenti pretium eſt, quo inter bella Gallica rem Romanam juverat. Liv. 10.9. Plut. Marcel. c.11. Florus. Plutarch. Senatus diis & ſociis dona ex manubiis mittit. Liv. 24 21.9.

LVI. Novi deinceps hoſtes Iſtri exorti, qui piratico ſcelere maria infeſtantes, Romanorum aliquot naves frumentarias diripuerant. Adverſus hos ambo Conſules, P. Cornelius, M. Minucius Rufus miſſi, multos populos vi aut deditione ſubegerunt. Triumphatum tamen ab his non reperio, credo quia multo etiam Romano ſanguine victoria conſtiterat. Hoc anno infauſtum multis gentibus urbibuſque ſidus in Hiſpania exortum eſt Haſdrubalis ſucceſſor Hannibal, de cujus initiis geſtiſque multa deinceps majori ſpiritu dicenda erunt. Interea novi Conſules L. Veturius C. Lutatius cum exercitu ad Alpes progreſſi ſunt. ſed conditionibus magis, quam armis uſi, multos eorum locorum populos voluntate ipſorum ad amicitiam Romanam adduxerunt. Bellum hoc tempore cum Illyriis inſtauratum eſt improbitate Demetrii Pharii, adverſus quem ſub amicitiæ Romanæ prætextu vicinas civitates arbitrio ſuo vexantem, omnibus ex partibus querelæ venerunt. Diod l.25. Iſtricum bellum. Oroſ.4.13. Eutrop.l.3. Anno ab urb. cond.533. Zonar. Oroſ.4.13. Anno ab urb. cond.533. Zonar. Liv.Epit.20. Bellum Illyricum. Zonar. App. Illyr. Dio ap. Valeſ. Juſt.2.1. Polyb. 3.16. App. Illyr. Demetrii Pharii auſa & geſta. Polyb.3.16.

LVII. Nam fretus potentia, quam à Teuta deficienti Romani circumdederant, tutelaque Regis Pinnei, cujus matrem Triteutam connubio ſibi junxerat, Regem & ipſe ſe ferens, popularibus juxta, finitimiſque gravis & intolerandus incumbebat. Et Illyrici quidem populos Romanorum ſocios & amicos ſuæ dominationi ſtudebat ſubjicere: Cycladas autem inſulas, contra fœdus cum lembis armatis quinquaginta ultra Liſſum provectus, alias depopulabatur, ab aliis extorquebat pecunias: Jamque & Iſtrorum partem, quotquot à recenti bello Romanos oderant, & Atintanes vi coactos in partes ſuas traxerat. Neque Romanos reverebatur, Gallico bello implicitis, deinde Punicum metuentibus, neque vires, neque otium ad vindicandas ſociorum injurias fore cenſebat: & à Philippo Macedonum Rege quidlibet ſperabat, quod bello Cleomenico dux Illyricorum auxiliorum Macedonicas opes adjuviſſet. Igitur decretum adverſus eum bellum eſt, apparatuſque facti. Amicitia Demetrii cum Macedone Philippo.

LVIII. Luſtrum interea tertium & quadrageſimum L. Aimilius, C. Flaminius Cenſores condiderunt. Cenſa ſunt civium capita ducenta ſeptuaginta millia ducenta tredecim. Libertinorum promiſcua multitudo per omnes tribus ſparſa, multum hactenus turbarum dederat: eam imitatione Q. Fabii Maximi Cenſores in quatuor tribus, Eſquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinamque redegerunt. C. Flaminius in eadem Cen- Liv.23.32.2. Civium cenſorum numerus. Liv.9.46.14.

Cassiod. Festus voce Circus Flam. L. Metilia de fullonibus; Plin. 35. 17.

ſura viam Ariminum uſque munivit, & Circum exſtruxit. utrique operi nomen ab auctore eſt impoſitum, Circuſque Flaminius, & via Flaminia vocata. Iidem Cenſores L. Metiliam de fullonibus ad populum ferendam dedere: ne minorum quidem rerum curam tanti magiſtratus faſtigium dedecere rati. Per idem tempus Illyriorum rebellio Senatum movit, ut M. Livio M. F. M. N. Salinatori, L. Aimilio, M. F. Paullo Conſulibus provinciam illam mandaret.

Anno ab urb. cond. 534. Polyb. 3. 16.

LIX. Contra Demetrius bellum & ipſe haud ſegniter comparare inſtituit, valido præſidio Dimalum miſſo, proviſiſque omnibus, quorum ad longam ſuſtinendam obſidionem uſus eſt. Quibuſdam locis interficiendos curavit principes, de quorum fide dubitabat, aliiſque ſibi addictis regimen urbium tradidit. ex omni vero regno delectum robur, ſex millia virorum, ſecum ad præſidium Phari retinuit. Dum hæc aguntur L. Paullus Conſul primo vere profectus, in Illyricum venit; intellectoque magnam eſſe hoſtibus ſpem in munitionibus Dimali, quem locum inexpugnabilem putabant; ratus plurimum inde terroris oriturum, ſi hunc expugnaſſet, tanta ſua militumque alacritate eſt aggreſſus, ut ſeptimo quam oppugnare cœpta eſſet die, vi caperetur. Neque falſus fuit animo Conſul, ſparſaque per vicinam regionem fama, confeſtim ex omnibus urbibus oratores venere, ſe ſuaque omnia Romanis dedituri.

Polyb. 3. 18. L. Aimilius in Illyricum venit.

Dimalum expugnat.

LX. Quibus in fidem receptis Pharum inſulam, ubi Demetrii regia erat, petiit. Quam ubi copiarum omni genere refertam, fortiſſimorumque virorum præſidio, tum ſitu operibuſque, adhæc præſentia tyranni munitam eſſe didiciſſet; moram obſidionis veritus aſtum excogitavit acceleranda victoriæ non inutilem. Partem enim majorem exercitus, noctu trajectis copiis, in ſylvoſis quibuſdam callibus occuluit: ipſe cum navibus viginti luce clara proximum urbi portum petens, elicuit Pharios, inter quos ipſe Demetrius ad prohibendam hoſtium exſcenſionem adcucurrit. Conſerto certamine plures ſubinde, ut fit, ſuis auxilio venientes, ad extremum omni fere præſidio militarium virorum urbem nudavere. Interea Romani qui noctu exſcenderant, itinere per tecta loca facto collem inter oppidum portumque medio ferme ſpatio ſitum occupavere. quo facto iis qui urbe fuerant egreſſi, reditus ad eam occludebatur.

L. Aimilii ſtratagema ad Pharum.

Pharii ab urbe excluſi.

LXI. Demetrius animadverſo quid fieret, conſilium cepit, ut in tam ancipiti periculo, non ſpernendum. Omiſſo enim præſenti certamine, revocatiſque ſuis, *Viri fortes*, inquit, *apparet virtutem noſtram hoſtibus formidabilem eſſe, nam ad dolos converſi fatentur ſe viribus armiſque diffidere. Furto noctis uſi hanc in terram irrepſere, unde, ſi bene vos novi, retinebunt nihil niſi quod corporibus tegent, anima emptum. Vos modo Pharii mei, voſque omni ex Illyrico delecta juventus, vel patriæ, vel gloriæ veſtræ memores, oſtendite Romanis, neque ſuæ fortitudinis, neque noſtræ imbecillitatis fuiſſe, quod ſemel de Illyriis Romæ triumphatum eſt. Non Fulvius eo tempore aut Poſthumius Illyrios conſiliis & armis, ſed impotentia, ſed temeritate*

Demetrii conſilium in arena captum.

ſua Teuta vicit. Neque ignoratis, ut de aliis taceam, non ita proclivem illis futuram fuiſſe victoriam, ſi me defenſorem potius quam inimicum habere Teuta maluiſſet. Verum enimvero, & quia vobis præclare confido, & quia facta potius quam verba tempus poſtulat, abrumpo. Habetis animos, habetis arma, videtis neceſſitatem, quæ timidiſſimum quenque poſſet acuere, vobis pariter urbique diſcrimen extremum imminet, niſi virtute veſtra diſcuſſeritis. Eamus igitur, & fortuna bene juvante iſtos è latibulis ſuis paulo ante progreſſos petamus, ſecuri de his, qui exſcenſionem faciunt. nam illos ſi ceciderimus, hi majori cumſtudio naves repetent, quam reliquerunt.

LXII. Ita ſuos pro tempore cohortatus, inſtructis ordinibus ad eos invadendos qui collem tenebant, ducit. qui & ipſi non ſegnius congreſſi ſuſtinuerunt hoſtem, donec advenientes qui exſcenſionem interea fecerant, & à tergo eum adorti, magno eum terrore detrimentoque disjecere. Paucos in oppidum retulit fuga; cæteri paſſim per invios calles dilapſi. Demetrius, qui ſolis quibuſdam locis paratos lembos in omnem caſum habebat, uno eorum conſcenſo ad Philippum Macedoniæ Regem profugit, cujus in amicitiam receptus, mores adoleſcentis antea laudatos adulatione & tyrannicis conſiliis corrupit, bellique Romani & multarum præterea calamitatum, ſuaſor & auctor ei exiſtitit. Poſt hanc pugnam Pharus ex itinere capta, juſſuque Imperatoris direpta & diruta eſt. Illyriei deinde rebus ex ſententia ordinatis, ad trimphum petendum, adfecta jam æſtate, Conſul Romam rediit.

Pugna Illyriorum cum Romanis.

Demetrius ad Philippum profugit. Polyb. 3 19. Polybius.

Appian. Illyr.

LXIII. In hujus quoque belli narratione Polybium ſequi malui, non ignarus apud alios auctores ambobus Conſulibus ejus perfecti gloriam communiter tribui, qui evocatum ad ſe Demetrium, quia non parebat, adgreſſi primum in Iſſa Inſula, quibus dixi artibus vicerint; deinde Pharo proditione capta, Demetrium expulerint. de cujus fine quoque diſſentanea Polybio tradunt, iſtis & annis & locis proximo, quæ aliud in tempus egreſſa prætermitto. Cæterum Illyriis in Regis Pinnei gratiam, quem innocentem ætate & propoſito fuiſſe conſtabat, pepercit Senatus, fœduſque cum eo, adjectis tamen conditionibus quibuſdam, renovavit. Interea L. Aimilius Conſul ſplendidiſſimum de his populis triumphum duxit: ſed M. Livium ex eo bello triumphaſſe reperio. plures tamen ſcriptores hunc prætereunt: credo quod majores L. Paulli res fuerunt, quibus collegæ famam gloriamque potuerit obſcurare. ſed nobilius ejuſdem M. Livii paulo poſt judicium & condemnatio fuit. Per invidiam ipſe ac L. Paullus accuſati, quod prædam militibus non æqualiter diviſiſſent, quodque ex eâ multa avertiſſent, judicium populi ſubiverunt.

Liv. Epit. 20. Polybii auctoritas, & diſcenſus aliorum ſcriptorum. Zonaras. Dio ap. Vales. Zonaras. Appian Illyr. Illyriorum Regi Pinneo pax datur. Polyb. 4. 66. Auct. de vir. ill. c 50. Juſt. 29. 2. Front. Strat. 4. 1.

LXIV. L. Paullus Ambuſtus vix evaſit, M. Livium omnes tribus exceptæ Mæcia damnaverunt. Iſque contumeliam iſtam tam indigne tulit, ut Urbe relicta, cœtus omnes fugeret, donec eum ad inſtitutæ vitæ prioris reſumenda Reipublicæ tempora retraxere. Sed hæc in P. Cor-

Liv. 22. 35. 2. & 27. 36. 3. M. Livius Vrbem relinquit.

nelii Scipionis, Tib. Sempronii Longi Conſulatum inciderunt, Anno autem, quo M. Livius & L. Paullus adhuc Conſules erant. Archagathus quidam Lyſaniæ filius ex Peloponneſo Romam venit, qui medicinam profeſſus, jure Quiritium donatus eſt, eique taberna in compito Acilio empta publice. res ad memoriam minime celebris, niſi tum primum artis medicæ nomen auditum Romæ agnitumque eſſet, hactenus ad ſanitatem tuendam ſufficiente temperantia & inemptis remediis. Eiſdem Conſulibus coloniæ deductæ ſunt in agro Gallico Placentia & Cremona, non poſtrema cauſſa irarum, quibus commoti Boji Inſubreſque reſpicere Annibalem cepere, qui tum Saguntinam urbem ſummis viribus oppugnans, per ruinas ejus iter ad Romana bella muniebat. ſed hi cæterique motus, qui magno numero neque minori mole continuo ingruerunt, ab altiore paulo principio ſunt repetendi.

Plin. 29. 1.

Artis medicæ initium Romæ Epit. Liv. 29. Liv. 21. 25. 2.

T. LIVII
PATAVINI
DECADIS TERTIÆ
LIBRI DUO
PRIORES.

Digitized by Google

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM AB URBE CONDITA

* DECAS TERTIA.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

EJUSDEM LIBRI EPITOME.

IN *Italia belli Punici Secundi acta narrantur : & Annibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem transitus, à quo Saguntum sociorum populi Romani civitas octavo mense capta est. de quibus injuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur : cum satisfacere nollent, bellum iis dictum est. Annibal, superato Pyrenæo saltu, per Gallias, fusis Volscis, qui obsistere conati erant, ad Alpes venit: & laborioso per eas transitu (quum mon-*

NOTÆ.

* Incipit *Decas Tertia* quâ narrantur gesta Belli Punici Secundi per annos XVII : unde hic liber *Primus Decadis III.* & Primus *de Bello Punico II.* à multis nominatur, & reliqui deinceps ab ordine, quem in eadem Decade habent, appellationem sortiuntur.

1. *In Italia belli Punici secundi acta narrantur.*] Non video, cur Gronovio probandum magis videatur, quod ait in Barberino Codice scriptum esse, *ortus narrantur*; & quod in editionibus quibusdam legitur *in Italiam belli P. a. n.* Nam neque ortum est in Italia hoc bellum, sed in Hispania: & licet ab Annibale translatum in Italiam sit bellum, & contra Italiam susceptа expeditio; non tamen facilè cuiquam probabitur, opinor, *belli in Italiam ortus*. Certè quod bellum Punicum secundum totis decem libris, non hoc solo describitur; nihil ad rem. Quinimò vel hoc ipso retinenda lectio vulgata, ut hæc ejus belli pars à reliquis distinguatur: quandoquidem hoc libro agitur de Bello intra Italiam tantum gesto; sequentes bellum præterea continent in Hispania, Sicilia, Africa, Sardinia gestum.

tanos quoque Gallos obvios aliquot prœliis repulisset) descendit in Italiam, & ad Ticinum amnem Romanos equestri prœlio fudit: in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius qui Africani postea nomen accepit. iterumque exercitu Romano ad fluvium Trebiam fuso, Annibal Apenninum quoque, per maximam militum vexationem propter vim tempestatum, transiit. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Pœnos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto.

Urb. cond. anno 534. Coss. M. Livio, & L. Æmilio.

I. IN parte operis mei licet mihi præfari, quod in principio summæ totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime memorabile omnium, quæ unquam gesta sint, me scripturum; quod Annibale duce a Carthaginienses cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus ullæ inter se civitates gentesque contulerunt arma, neque his ipsis tantum unquam virium aut roboris fuit: & haud ignoras belli artes inter se, sed expertas b primo Punico conferebant bello. & adeo varia belli fortuna, anceps que Mars fuit, ut propiùs periculo fuerint, qui vicêre. Odiis etiam prope majoribus certarunt, quam viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Pœnis, quod superbè avarèque crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est, Annibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem c patri Amilcari ut duceretur in Hispaniam, quum perfecto d Africo bello, exercitum eò trajecturus, sacrificaret, altaribus admotum, e tactis sacris jurejurando adactum, *se, quum primùm posset, hostem fore populo Romano.*

NOTÆ.

1. *Carthaginienses.*] De Carthagine, à quâ Carthaginenses, vel Carthaginienses, vide suprà, lib. 1. cap. 27.

2. *Primo Punico bello.*] Inchoatum est hoc bellum anno u. c. 489. Coss. Claudio, qui Caudex cognominatus, Cæci fratre, & M. Fulvio Flacco: desiit anno 512. Coss. Q. Lutatio, A. Manlio Torquato iterùm: quo tempore pax cum Pœnis facta est. Duravit itaque Bellum Punicum Primum annos XXIII. Dictum autem Punicum à Carthaginiensibus, qui Tyro Phœnicíæ urbe oriundi, Phœnicum seu Pœnorum, aut patriâ linguâ *Punicorum* nomen retinuere: nam & hodiè Phœnicia vulgò *Founi Ki* appellatur. Est autem litteræ F. sive Ph. aspiratæ in tenuem P. (præsertim apud Orientales) facilis mutatio, & hæc Arabibus ignota. Sic Palæstini Latinis Græcisque, qui in sacris Literis sunt Philistini.

3. *Patri Amilcari.*] Hic Annibalis pater, Magonis (qui, post captas Syracusas præter arcem, Timoleontis adventu pulsus Siciliâ, ob res minùs prosperè gestas, manus sibi conscíverat) filius, neposve, & frater Asdrubalis fuit natu minor, cognomento Barcas. Ipse Amilcar bello Punico primo oram Italiæ vastaverat, remque in Sicilia gesserat: sed ad Ægates insulas, victus navali prœlio à Lutatio Catulo, ad pacem cum Romanis satis iniquam compulsus est. Gesta ejus habes apud Cornel. Nepotem.

4. *Perfecto Africo bello.*] Carthaginienses pace cum Romanis compositâ, externo bello liberati; interno in ipsa Africa laborarunt, à mercenariis militibus, quorum operâ usi fuerant, per quinquennium vexati, ex Polyb.

5. *Tactis sacris.*] *Aris* nimirum. Hic enim vetus mos sacrificantium & jurantium.

Angebant [6] ingentis ſpiritus virum [7] Sicilia Sardiniaque amiſſæ : nam & Siciliam nimis celeri deſperatione rerum conceſſam ; & Sardiniam [8] inter motum Africæ, [8] fraude Romanorum, [9] ſtipendio etiam ſuperimpoſito, interceptam.

II. His anxius curis ita ſe Africo bello, quod fuit ſub recentem Romanam pacem per quinque annos ; ita deinde novem annis in Hiſpania augendo Punico imperio geſſit, ut appareret majus cum, quam quod gereret, agitare in animo bellum. &, ſi diutius vixiſſet, Amilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuiſſe, quæ Annibalis ductu intulerunt : Mors Amilcaris peropportuna, & puerilia Annibalis, diſtulerunt bellum. Medius Aſdrubal inter patrem & filium, octo ferme annos imperium obtinuit ; flore ætatis (uti ferunt) primo Amilcari conciliatus : gener inde ob altam indolem provectâ annis aſcitus ; &, quia gener erat, [1] factionis Barcinæ opibus, quæ apud milites plebemque plus quam modicæ erant, haud ſane voluntate principum, imperio potitus. Is plura conſilio quam vi gerens, [2] hoſpitiis

Urb. cond. an. 534. Coſſ. M. Livio, & L. Æmilio.

INTERPRETATIO.

a *Eo tempore quo Africa in motu erat* & bello agitabatur.

NOTÆ.

6. *Ingentis ſpiritus virum.*] Amilcarem.

6. *Sicilia Sardiniaque amiſſa.*] Conditionibus quidem pacis abſtinere *Sardinia* Pœni jubebantur : non tamen, niſi triennio poſt, eam Romanis ceſſerunt ; idque metu belli, nondum ſatis firmatis opibus, renovandi ; cum negotiatores Romanos mari populati eſſe incuſirentur, auctore Zonara. Sed cum nihilominus Sardi anno u. c. 518. defeciſſent auctoribus Pœnis, mox ſubacti ſunt ductu T. Manlii : eaque Inſula Prima populi Romani Provincia facta eſt : atque eodem anno clauſum, ſed brevi poſteà patefactum, Jani templum. *Sicilia* univerſa, nonniſi captis à Marcello Syracuſis, redacta eſt in Provinciæ formam.

8. *Fraude Romanorum.*] Videri poſſet Amilcaris hæc querela eo niti colore quaſi pacis legibus comprehenſum quidem eſſet, ut inſulis abſtinerent Pœni, non ut Romani eas ſibi haberent. Verùm queri potiùs videtur, quòd datis à Lutatio Romano duce conditionibus non ſtetiſſent Romani, ſed Siciliæ alias addidiſſent inſulas, inque his Sardiniam.

9. *Stipendio etiam ſuper impoſito.*] Flor. *inſuper impoſito*, id eſt, impoſito ultra ſummam quam ſtipulatus fuerat Lutatiùs, præſentium mille talentorum Euboicorum ; deinde in annos viginti, duorum millium ducentorum annuorum ; quibus adhuc adjecta à populo Romano mille talenta. Talentum autem Euboicum, ſex millium drachmarum qualium uſus in Euboea inſula, tertiâ parte minus erat talento Attico, nec niſi quatermillenis drachmis Atticis æſtimabatur, unde libras Francicas mille ſexcentas non multum ex calculo noſtro ſuperabat. Mille igitur ejus generis talenta decies ſexies centenis librarum Francicarum millibus fermè reſponderent. *Un million ſix cens mille livres.*

1. *Factionis Barcinæ.*] Ut Romæ perpetua ferè inter plebejos & patricios diſſidia erant, ità res Carthaginienſis in duas factiones diviſa erat, Primatum & Plebis, quarum hæc Barcina dicebatur ; ab hoc, ni fallor, Amilcare cognomine *Barca*.

2. *Hoſpitiis Regulorum.*] Ità Colbert. Cod. melior, ut conjiciebat Turneb. Hoſpitium ſanè apud veteres ſanctiſſimæ atque arctiſſimæ neceſſitudinis genus fuit. Vulgò legebatur *auſpiciis* ; quod idem eſſe poſſet ac *auctoritate*.

Urb. cond. an. 534. Coſſ. M. Livio, & L. Æmilio.

regulorum magis, conciliandiſque per amicitiam principum novis gentibus, quam bello aut armis rem Carthaginienſem auxit. Cæterum 3 nihilo ei pax tutior fuit. barbarus eum quidam palàm, ob iram interfecti ab eo domini obtruncavit, comprehenſuſque ab circumſtantibus, haud alio quam ſi evaſiſſet vultu; tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit. Cum hoc Aſdrubale, quia miræ artis in ſolicitandis gentibus, imperioque jungendis ſuo fuerat, fœdus renovaverat populus Romanus, ut finis utriuſque imperii eſſet 4 amnis Iberus, Saguntiniſque mediis inter Imperia duorum populorum libertas ſervaretur.

III. In Aſdrubalis locum haud dubia res fuit, quin [a] prærogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque aſſenſu appellatus erat, favor etiam plebis ſequeretur. Hunc [1] vix dum puberem Aſdrubal literis ad ſe arceſſierat: actaque res etiam in ſenatu; Barcinis nitentibus, ut aſſueſceret militiæ Annibal, atque in paternas ſuccederet opes. Hanno alterius factionis princeps, *Et æquum poſtulare videtur*, inquit, *Aſdrubal, & ego tamen non cenſeo, quod petit, tribuendum*. Quum admiratione tam ancipitis ſententiæ in ſe omnes convertiſſet, *Florem ætatis*, inquit, *Aſdrubal, quem ipſe patri Annibalis fruendum præbuit, juſto jure eum à filio repeti cenſet. nos tamen minimè decet juventutem noſtram pro militari rudimento aſſuefacere libidini prætorum. An hoc timemus, ne Amilcaris filius nimis ſero imperia immodica, &* [2] *regni pa-*

INTERPRETATIO.

[a] *Militum præjudicium*, ſive *ſuffragium*, *quo exercitus populo præiverat*.

NOTÆ.

3. *Nihilo ei pax tutior*.] Diſplicet Gronovio τὸ *ei*: non caret tamen emphaſi: oſtendit enim pacem publicam ipſi Aſdrubali tutam non fuiſſe.

4. *Amnis Iberus*.] Inter Hiſpaniæ fluvios nobiliſſimus habitus eſt *Iberus*, à quo Græci univerſam Hiſpaniam Iberiam appellavere: ſive ab Ibero rege Fluvius nomen acceperit, ſive ab urbe Ibera, quæ non procul ejus oſtio ſita, nunc aliis *Flix*, aliis *Tortoſa* eſſe creditur. Vulgò *Ebro* vocatur. Oritur in Cantabrorum occidentali tractu, ex Idubeda monte, duobus fontibus, quorum dexter in ſaltu Aucenſi (*montes d'Oca*), ſiniſter ad oppidum quod ex re nomen habet, vulgo *Fuentibre*; inde Juliobrigam alluit, & pluribus ſenſim amnibus creſcens, per agrum Calaguritanum, Cæſar Auguſtam petit, & Celſam: unde in Auſtrum & mox verſus Euronotum fluens, Dertuſam præterlabitur, ac mari Mediterraneo infunditur duobus oſtiis, factâ inſulâ, quam Alfaciam vocant; tantâ vi ut ad quinquaginta paſſus medio in mari (quod ab eo mare Ibericum dicitur) dulcis hauriatur. Augetur amnibus ad dextram quidem Salone; ad lævam Agrâ, Gallico, & Sicori, quem paulò ſuprà auget Cinga.

1. *Vix dum puberem*.] Probat Sigonius ex Cornelio Nepote in Annibalis vita, & ex numero annorum, qui colliguntur ab Amilcaris in Hiſpaniam tranſitu, Annibalem duos & viginti annos natum fuiſſe, cùm primùm in eam regionem venit.

2. *Regni paterni ſpeciem videat*.] An igitur rex Amilcar? imò dux tantùm belli & imperator exercitûs: ſed horum tanta poteſtas eſt, ut non abs re Hanno, cui ejuſmodi imperia vocare ad invidiam animus erat, regni & regis nominibus abutatur.

terni ſpeciem videat; & cujus regis genero hæreditarii ſint relicti exercitus noſtri, ejus filio parum mature ſerviamus? Ego iſtum juvenem domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum vivere æquo jure cum cæteris cenſeo: ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exſuſcitet. Urb. cond. an. 534. Coſſ. M. Liv. & P. Æmil.

IV. Pauci, ac ferme optimus quiſque, Hannoni aſſentiebantur: ſed (ut plerunque fit) major pars meliorem vicit. Miſſus Annibal [1] in Hiſpaniam, primo ſtatim adventu omnem exercitum in ſe convertit. Amilcarem viventem reditum ſibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. deinde [a] brevi effecit, ut pater in ſe minimum momentum ad favorem conciliandum eſſet. Nunquam ingenium idem ad res diverſiſſimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. itaque haud facile decerneres, utrùm imperatori, an exercitui carior eſſet: neque Aſdrubal alium quemquam [2] præficere malle ubi quid fortiter ac ſtrenuè agendum eſſet: neque milites [b] alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: [c] cibi potionisque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum ſomnique nec die nec nocte diſcriminata tempora. Id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum: ea neque molli ſtrato, neque ſilentio arceſſita. Multi ſæpe militari ſagulo opertum humi jacentem inter cuſtodias, ſtationeſque militum conſpexerunt. Veſtitus nihil inter æquales excellens: arma atque equi [d] conſpiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat. princeps in prælium ibat: ultimus conſerto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia

INTERPRETATIO.

a *Intra breve tempus* conciliatâ per ſeipſum exercitus benevolentiâ, *conſequutus eſt, ut* ea in re *parum* deinde *haberet ponderis memoria patris.*

b Nec *plus confidentia habebant ſub alio ductore.*

c *Cibo & potui menſuram ponebat* non ex epulandi *voluptate, ſed ex ſola neceſſitate* ſatisfaciendi *naturæ.*

d *Conſpicui erant.*

NOTÆ.

1. *In Hiſpaniam.*] Extrema Occidentem verſus Europæ regio Hiſpania Pyrenæis montibus dividitur à Gallia: reliqua latera mare tùm externum, tum internum alluit. Eò tempore Ibero flumine in duas partes dividebatur, quarum citerior Romanis; ulterior Carthaginienſibus addicta. Sic tamen ut Saguntini, qui ultra Iberum, liberi ac ſui juris eſſent ob Romanorum ſocietatem. Poſtquàm victis Carthaginienſibus tota ferè regio in Romanorum ditionem ceſſit, Citerior ſub unius Provinciæ Tarraconenſis nomine, longè ultra Iberum prolatis finibus, ad Gallleciam uſque & Oceanum Atlanticum porrecta eſt; Ulteriore, quæ initio longè amplior, anguſtioribus finibus coarctata, licèt in duas Provincias Bæticam & Luſitaniam diviſa. Nomen hodieque ſervat Gall. *Eſpagne*: paretque maxima ex parte Regi Catholico; extrema ad occaſum & partim ad meridiem Portugalliæ regi ſubjecta ſunt.

2. *Præficere malle.*] Intellige militaribus expeditionibus.

Urb. cond. an. 534. Coſſ. M. Livio, & L. Æmil.

æquabant; inhumana crudelitas; 3 perfidia plus quam Punica; nihil veri, nihil ſancti, nullus Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum ac vitiorum, triennio ſub Aſdrubale imperatore meruit, nulla re, quæ agenda videndaque magno futuro duci eſſet, prætermiſſa.

V. Cæterum ex quo die dux eſt declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum eſſet; nihil prolatandum ratus, ne ſe quoque, ut patrem Amilcarem, deinde Aſdrubalem, cunctantem caſus aliquis opprimeret: Saguntinis inferre bellum ſtatuit. a quibus oppugnandis, quia haud dubie Romana arma movebantur, 1 in Olcadum fines prius (ultra Iberum ea gens in parte magis quam in dictione Carthaginienſium erat) induxit exercitum: ut non petiſſe Saguntinos, ſed 2 rerum ſerie, finitimis domitis gentibus, 3 jungendoque, tractus ad id bellum videri poſſet. Carteiam urbem opulentam caput gentis ejus expugnat diripitque. Quo metu perculſæ minores civitates, ſtipendio impoſito imperium acceperе. victor exercitus opulentuſque prædâ 4 Carthaginem Novam in hiberna eſt deductus. Ibi large partiendo prædam, ſtipendia præterita cum fide exſolvendo, cunctis civium ſociorumque animis in ſe firmatis, vere primo 5 in Vaccæos promotum bellum.

INTERPRETATIO.

a *Quia Saguntinos aggrediendo, provocabat ſine dubio arma Romanorum.*

NOTÆ.

3. *Perfidia plus quàm Punica.*] Fides Punica in proverbium apud Romanos abierat, à quibus fracti ſæpius fœderis arguebantur Pœni. Ei confirmandæ opinioni ſufficiunt exempla Xanthippi Lacedæmonii apud Appian. & Zon. itemque militum mercenariorum qui malè ab illis habiti, apud Livium XXVIII. 18.

1. *In Olcadum fines.*] Hos Hiſpaniæ populos Livius poſt Polybium lib. 3. ad fretum Gaditanum ponit, ubi poſtea Baſtuli Pœni ex parte: apud hos enim fuit *Carteja*, olim *Tarteſſus*: nunc *Algezira* in Andaluzia Auſtrali.

2. *Rerum ſerie.*] An hunc colorem Annibal quæſiverit, viderint quibus notum intercedens inter Carteiam & Saguntum terrarum ſpatium. Si quis hic conjecturæ locus, id nunc quæſiviſſe potiùs Annibalem ſuſpicarer ut fauces mediterranei maris occuparet.

3. *Jungendoque.*] Aut ſubintelligendum eſt *proxima quaque*; aut cum Sigonio legendum *vincendoque*; quaſi nimirùm ipſo victoriarum curſu, & velut invitante fortunâ ad id fuerit impulſus.

4. *Carthaginem novam.*] Duæ fuere in Hiſpania urbes Carthaginis nomine, à Pœnis conditæ: altera vetus in finibus Ilercaonum, ad confluentes ferè Sicoris & Iberi, ubi nunc *Mequinenca*, vel, ut alii cenſent, *Cantaveja*; qui duo ſunt vici non admodùm inter ſe diſſiti, in Aragoniæ & Cataloniæ confinio. altera portu nobilis, ab Aſdrubale condita ad ſinum Virgitanum in Conteſtanorum finibus. Hæc *Carthago* Nova & Spartaria dicta eſt, à Sparto cujus magna copia in vicina regione; quæ metallis quoque abundabat. Primaria fuit Carthaginienſium in Hiſpania ſedes, ut Romanorum Tarraco Scipionum opus: hodie *Cartagena* vocatur in regno Murciæ.

5. *In Vaccæos.*] Procul à Carteja, nec multò propiùs à Sagunto poſiti fuere *Vaccæi* populi, Hiſpaniæ tunc quidem ulterioris (ut potè longè ultrà Iberum,) poſteà tamen Tarraconenſi contributi & conventui Clunienſi: ad utramque fuere Durii fluminis ripam, ubi nunc pars regni Legionenſis; & Caſtellæ veteris ea regio quam Campeſtrem vocant.

Hermandica

6 Hermandica & Arbacala urbes vi captæ. 7 Arbacala & virtute & multitudine oppidanorum diu defensa. Ab Hermandica profugi exsulibus Oleadum, priore æstate domitæ gentis, quum se junxissent, 8 concitant Carpetanos: adortique Annibalem regressum ex Vaccæis, 9 haud procul Tago flumine, agmen grave præda turbavere. Annibal prælio abstinuit, castrisque super ripam positis, quum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado trajecit: valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit. Equitibus præcepit, ut quum ingressos aquam viderent, adorirentur. Peditum agmen in ripa, elephantos antè quadraginta disposuit. Carpetanorum, cum appendicibus Oleadum Vaccæorumque, centum millia fuere; invicta acies, si æquo dimicaretur campo. Itaque & ingenio feroces, & multitudine freti, & quod metu cessisse credebant hostem; id morari victoriam rati quod interesset amnis, clamore sublato, passim sine ullius imperio, qua cuique proximum est, in amnem ruunt. Et ex parte altera ripæ vis ingens equitum in flumen immissa, medioque alveo haudquaquam pari certamine concursum: quippe ubi pedes instabilis, ac vix vado fidens, vel inermi equite, equo temere acto perverti posset: eques corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus, eminusque rem gereret. Pars magna flumine absumpta: quidam vorticoso amni delati in hostes, ao elephantis obtriti sunt: postremi, quibus regressus in suam ripam tutior fuit, ex varia trepidatione quum in unum colligerentur, prius quam tanto ex pavore reciperent ani-

Urb. cond. an. 534. Coss. M. Livio, & L. Æmilio.

NOTÆ.

6. *Hermandica.*] Hoc oppidi Hispanici nomen descripsit ex Polybio Noster. Ubi illud fuerit, divinationis res est. Errorem hic suspicor intervenisse, quod in propriis nominibus facilè contingit: legendum fortè *Sentica*, quod solum ex Vaccæorum oppidis nonnullam habere videtur cum Hermandica affinitatem, creditur que fuisse ubi nunc *Alba de Tormes*. Turneb. XIII. legit *Helmandica*, & *Salmanticam* interpretatur studiis nobilem: cui facilè adhæserim, nisi hæc Vectonibus tribueretur à Ptol. non Vaccæis.

7. *Arbacala.*] Non multò magis notus est hujus Vaccæorum urbis situs. Sanso post alios conjicit eamdem fuisse cum hodierna *Avila*: paulò tamen magis ad vocabulum accedit *Arevalo* in veteri Castella.

8. *Concitant Carpetanos.*] In Mediterraneo ferme Hispaniæ fuerunt *Carpetani* ad utramque Tagi ripam; quorum caput *Toletum*, à Romanis deinde Tarraconensi Provinciæ, ac post hujus tripertitam divisionem, Carthaginensi contributi: pars hodie Castellæ novæ, quæ vulgò *reyno de Toledo*.

9. *Haud procul Tago flumine*,] Nobilissimus Hispaniæ post Iberum fluvius, est *Tagus*, qui ex Idubeda monte, quem eo tractu vocant hodie *Sierra de Albarazin*, non procul fontibus Sucronis ac Duriæ, oritur: & salutatis, Toleto atque inde Augustobrigâ, & Norbâ Cæsareâ Vettonum oppido; mediam ferè Lusitaniam secat, ubi Scalabim alluit, ac sub Olysippone in Oceanum Atlanticum effunditur inter duo promontoria Magnum sive Lunæ, & Barbarium. Dicitur aureas arenas volvere, & equas circa ripam suam alere perniciissimas, quas ideo vento gravidas fieri volunt. Castellanis vulgò *Tajo*, Portugallis *Tejo*, nobis *le Tage*.

mos, Annibal agmine quadrato amnem ingreſſus, fugam ex ripa fecit: vaſtatiſque agris intra paucos dies Carpetanos quoque in deditionem accepit. Et jam omnia trans Iberum, præter Saguntinos Carthaginienſium erat.

Urb. Cond. an. 535. Coſſ. P. Corn. Scipione, & Ti. Sempronio Longo.

VI. [1] Cum Saguntinis bellum nondum erat: cæterùm jam belli cauſa certamina cum finitimis ferebantur, [2] maxime Turdetanis. [a] quibus quum adeſſet idem, qui litis erat ſator, nec certamen juris, ſed vim quæri appareret, legati à Saguntinis Romam miſſi, auxilium ad bellum jam haud dubie imminens orantes. Conſules tunc Romæ erant, P. Cornelius Scipio, & Ti. Sempronius Longus: qui quum, legatis in ſenatum introductis, de republ. retuliſſent, placuiſſetque mitti legatos in Hiſpaniam ad res ſociorum inſpiciendas; quibus ſi videretur digna cauſa, & Annibali denunciarent, ut ab Saguntinis ſociis populi Rom. abſtineret, & Carthaginem in Africam trajicerent, ac ſociorum populi Romani querimonias deferrent. hac legatione decreta, nec dum miſſa, omnium ſpe celeriùs *Saguntum oppugnari* allatum eſt. Tunc delata ex integro res ad ſenatum. Alii provincias conſulibus Hiſpaniam atque Africam decernentes, terra marique rem gerendam cenſebant: alii totum in Hiſpaniam Annibalemque intendebant bellum: Erant qui non temere movendam rem tantam, expectandoſque ex Hiſpania legatos cenſerent. Hæc ſententia, quæ tutiſſima videbatur, vicit: [3] legatique eo maturius miſſi P. Valerius Flaccus, & Q. Bæbius Tamphilus, Saguntum ad Annibalem, atque inde Carthaginem, ſi non abſiſteretur bello, ad ducem ipſum in pœnam fœderis rupti depoſcendum.

INTERPRETATIO.

[a] *Cum Turdetanis faveret idem* Annibal, *qui* inter eos & Saguntinos *diſſidium ſerebat*.

NOTÆ.

1. *Cum Saguntinis*.] Saguntum ſive Sagunthus urbs fuit maritima in finibus Edetanorum non procul ſinu Sucronenſi, Valentiæ ad Septentrionem vicina putatur à Zacynthi inſulæ incolis ortum ac nomen ſumpſiſſe. Ejus muri ex cæmentis calce duratis, ac luto interlitis erant ex Strab. quod antiquæ ſtructuræ genus fuit; unde loco hodie nomen *Morvedre*, à muris veteribus.

2. *Maximè Turdetanis*.] *Turdetani*, quorum caput *Hiſpalis* ad Bætim, non ſatis video quomodò finitimi dici poſſint Saguntinis, qui ultra Duriam in extremis ad ortum finibus Edetanorum habitabant, ut diximus: cum inter utroſque eſſent Turduli, Baſtitani pars item Conteſtanorum & Edetanorum, id eſt, tota regna Granatenſe ac Murcianum cum majori parte regni Valentini; interque hæc angulus caſtellæ novæ, ubi Villenæ Marchionatus.

3. *Legatique eò maturiùs miſſi*.] Polybius lib. 8. cap. 4. miſſos Roma Legatos refert ante Saguntì obſidionem: atque reſpondiſſe Annibalem, quaſi amicum Saguntinorum; & Romanos increpuiſſe quod ortâ inter Saguntinos diſſenſione, cùm rogati eſſent Legatos ad res componendas Saguntum mittere, quoſdam è Principibus civitatis per injuriam interfeciſſent; quos ſe ulciſci velle profeſſus ſit.

VII. Dum ea Romani parant conſultántque, jam [1] Saguntum ſummâ vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentiſſima ultra Iberum fuit, ſita paſſus mille ferme à mari. Oriundi à Zacyntho inſula dicuntur, mixique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. cæterum in tantas brevi creverant opes, ſeu maritimis ſeu terreſtribus fructibus, ſeu multitudinis incremento, ſeu ſanctitate diſciplinæ, qua fidem ſocialem uſque ad perniciem ſuam coluerunt. Annibal infeſto exercitu ingreſſus fines, pervaſtatis paſſim agris, urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioremque, quam cætera circa, vallem vergens. adverſus eum [2] vineas agere inſtituit, per quas aries mœnibus admoveri poſſet. Sed ut locus procul muro ſatis æquus agendis vineis fuit; ita haudquaquam proſpere, poſtquam ad effectum operis ventum eſt, cœptis ſuccedebat. & turris ingens imminebat: & murus, ut in ſuſpecto loco, ſupra cæteræ modum altitudinis [a] munitus erat: & juventus delecta, ubi plurimum periculi ac laboris oſtendebatur, ibi vi majore obſiſtebant. Ac primo miſſilibus ſummovere hoſtem; [b] nec quicquam ſatis tutum munientibus pati. deinde jam non pro mœnibus modò atque turri [c] tela micare; ſed ad erumpendum etiam in ſtationes operaque hoſtium animus erat: quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant, quam Pœni. Ut vero Annibal ipſe, dum murum incautius ſubdit, [d] adverſum femur 3 tragulâ graviter ictus cecidit; tanta circa fuga atque trepidatio fuit, ut non multum abeſſet, quin opera ac vineæ deſererentur.

Urb. cond. an. 535. Coſs. P. Cornelio, & Ti. Semptonio.

VIII. Obſidio deinde per paucos dies magis quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. per quod tempus ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil ceſſatum. Itaque acrius de integro obortum eſt bellum, pluribuſque partibus, [a] vix accipienti-

INTERPRETATIO.

a *Admodùm munitus.*

b Et *Saguntini nihil relinquebant tutum hoſtibus qui munitiones adverſus nos ſtruebant.*

c *Nec tantùm jacula à muris vibrabantur, ſed audebant Saguntini*, &c.

d *In parte femoris anteriore.*

a *Cùm natura locorum nonniſi ægrè pateretur, ut* munitores *opus faterent.*

NOTÆ.

1. *Saguntum ſummâ vi oppugnabatur.*] Cauſas hujus oppugnationis has affert Polybius. 1. ut hâc urbe expugnatâ gerendi in Hiſpania belli ſpes Romanis adimeretur. 2. ut eo terrore Hiſpanos, jam ſubactos, in obſequio retineret; liberos in partes traheret. 3. ut hoſtili poſt ſe loco nullo relicto tutiùs in Italiam tranſgredi poſſet. 4. ut ex præda urbis opulentæ, & ſibi pecuniam ad perficienda incœpta neceſſariam compararet, & parte militibus conceſſâ eos ad reliqua redderet alacriores; & miſſis Carthaginem muneribus, animos civium ſibi magis ac magis conciliaret.

2. *Vineas agere.*] Gall. *Faire des galeries pour approcher à couvert, ou autres ouvrages ſemblables.*

3. *Tragulâ.*] Genus fuit teli ſive à *trajiciendo*, ſive à *trahendo* dictum. Fuerunt autem duo *Tragularum* genera: aliæ manu, aliæ tormentis mittebantur, & hæ atrocius ſauciabant & plerunque ſcutum aut corpus tranſverberabant.

bus quibuſdam opera locis, vineæ cœptæ agi, [1] admoverique aries. Abundabat multitudine hominum Pœnus: ad centum enim quinquaginta millia habuiſſe in armis creditur. Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multimodâ arte diſtineri cœpti ſunt: & non ſufficiebant, jam enim feriebantur arietibus, muri, quaſſataque multæ partes erant. una continentibus ruinis nudaverat urbem: tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant; captumque oppidum eâ ruinâ crediderant Pœni; quà, velut ſi pariter utroſque murus texiſſet, ita utrinque in pugnam procurſum eſt. Nihil tumultuariæ pugnæ ſimile erat quales in oppugnationibus urbium, [b] per occaſionem partis alterius, conſeri ſolent: ſed juſtæ acies, velut patenti campo, inter ruinas muri tectaque urbis modico diſtantia intervallo conſtiterant. hinc deſperatio animos irritat: Pœno cepiſſe jam ſe urbem, ſi paululum adnitatur, credente; Saguntinis pro nudata mœnibus patria corpora opponentibus; nec ullo pedem referente, ne relicto à ſe loco hoſtem immitteret. Itaque quò acrius & conſertim magis utrinque pugnabatur, eò plures vulnerabantur; nullo inter arma corporaque vano intereidente telo. [2] Falarica erat Sanguntinis, miſſile telum [3] haſtili oblongo, & cætera tereti; præterquam ad extremum, unde ferrum extabat. id, ſicut in pilo, quadratum, ſtuppâ circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus poſſet. Sed id maxime, etiam ſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pavorem facie-

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

b *Cum occaſio rei gerendæ aut obſeſſoribus, aut obſeſſis ſe offert.*

NOTÆ.

1. *Admoveri Aries.*] Nihil aliud fuit *vi ea* veterum, quàm trabs prægrandis, quæ malum navis aſſimilabat: ſolidabatur in capite gravi ferro in Arietis formam; unde & nomen. Originem hujus muralis machinæ Plinius ad Græcos & equum Trojanum, Vitruvius ad Tyrios ſeu Carthaginenſes referunt. Fuit autem triplicis generis aries: alius Rudis, qualem Vitruvius deſcribit, qui ſcilicet manibus & lacertis validorum hominum ſuſtinebatur & agebatur: Compoſitus alius, qui ex altera trabe funibus veluti trutinâ ſuſpenſus, majore vi, conatu leviore vibrabatur in muros, multorum manibus: quod exterminatorium inſtrumentum, ut vocat Paulus Diaconus, vineis plerunque tectum & ſupernè corio munitum erat, ad militum illud impellentium machinæque ſpſius tutelam. Tertium genus fuit, quod teſtudinem arietariam vocabant, cùm ſcilicet teſtudine, quæ rotis agebatur, ſuſpenſus ac tectus: illius tanta vis erat, ut nec turres, nec mœnia ulla diu adverſus ejus machinæ impetum ſtare poſſent.

2. *Falarica erat.*] Dicta eſt *Falarica* à *falis*. Sic veteres loca edita vocarunt, turreſque è quibus ferme mitti ſolitum hoc telum. Species erat haſtæ parùm à pilo Romanorum abhorrens, niſi quòd ea parte, qua ferrum haſtili inhærebat, ſtuppa circumligabatur, & pice ac ſulphure oblinebatur, ut eum vulnere incendium ſpargeret.

3. *Haſtili oblongo.*] In melioribus libris notat Lipſius eſſe *haſtili abiegno*. Longum quidem hìc à Livio deſcribitur hoc miſſile: longitudo tamen non omnibus eadem: nam apud Iſidorum Falarica cubitalis tantùm fuiſſe dicitur,

bat: quod quum [a] medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo majorem ignem ferret, [4] arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat.

IX. Quum ergo diu ancops fuiſſet certamen, & Saguntinis, quia præter ſpem reſiſterent, creviſſent animi; Pœnus, quia non viciſſet, pro victo eſſet: clamorem repente oppidani tollunt, hoſtemque [1] in ruinas muri expellunt; inde impeditum trepidantemque exturbant: poſtremo fuſum fugatumque in caſtra redigunt. Interim ab Roma legatos veniſſe nunciatum eſt. quibus obviam ad mare miſſi ab Annibale, qui dicerent, nec tutò eos adituros inter tot tam effrænatarum gentium arma: nec Annibali, tanto diſcrimine rerum, [b] operæ eſſe legationes audire. Apparebat, non admiſſos, protinus Carthaginem ituros. literas igitur nuncioſque ad principes factionis Barcinæ præmittit, ut præpararent ſuorum animos, ne quid pars altera [2] gratificari pro Romanis poſſet. Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

X. Itaque, præterquam quod admiſſi auditique ſunt, ea quoque vana atque irrita legatio fuit. Hanno unus adverſo ſenatu cauſam fœderis, magno ſilentio propter auctoritatem ſuam, [1] non aſſenſum audientium, egit: *Per Deos fœderum arbitros ac teſtes monuiſſe, prædixiſſe ſe, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent. non manes, non ſtirpem ejus conquieſcere viri: nec unquam, donec ſanguinis nominiſque Barcini quiſquam ſuperſit, [c] quietura Romana fœdera. Juvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, ſi ex bellis bella ſerendo ſuccinctus armis legionibuſque vivat; velut materiam igni præbentes, ad exercitus miſiſtis. aluiſtis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum veſtri circumſident exercitus, unde arcentur fœdere: mox Carthaginem circumſidebunt Romanæ legiones; ducibus iiſdem Diis, per quos priore bello rupta fœdera ſunt ulti. Utrùm hoſtem, an vos, an fortunam utriuſque populi ignoratis? Legatos ab ſociis, & pro ſociis venientes, bonus imperator veſter in caſtra non admiſit, jus gentium ſuſtulit. hi tamen,*

INTERPRETATIO.

a *Accenſum in medio.*
b *Non eſſe operæ pretium*, ſive non vacare *Annibali*:
c *Stabile futurum fœdus* Carthaginenſium *cum Romanis.*

NOTÆ.

4. *Arma omitti cogebat.* [Pro adigebat ad abjicienda arma. Vulgaris loquendi forma vocem activam deſiderare potius videtur, *omittere cogebat.*

1. *In ruinas muri expellunt.*] Gallicè, *Ils repouſſerent les ennemis premierement juſques ſur la breſche, & les en chaſſerent bien-toſt dans l'embarras & le deſordre où ils eſtoient.*

2. *Gratificari pro Romanis.*] Gratificari aliquid alicui Cicero aliique auctores dicunt, pro, ejus gratiâ aliquid facere, at gratificari pro aliquo non alibi me legere memini: niſi ſubintelligas Saguntinis gratificari, ut *pro Romanis* idem ſit ac Romanorum causâ.

1. *Non aſſenſum audientium.*] Repete *propter*; Vult enim Hannonem magno ſilentio auditum, non quod adſtantes ſive Senatores, ſive plebeji ei aſſentirentur, (erant enim plerique factioni Barcinæ addicti) ſed propter ipſius auctoritatem;

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

unde ne hoſtium quidem legati arcentur, pulſi adveniunt, res ex fœdere repetunt. 2 *publica fraus abſit: auctorem culpæ, & rerum criminis depoſcunt. Quo lenius agunt, ſegnius incipiunt; eo quum cœperint, vereor ne perſeverantius ſæviant.* 3 *Ægates inſulas.* 4 *Erycemque ante oculos proponite, quæ terra marique per quatuor & viginti annos paſſi ſitis. Nec puer hic dux erat,* 5 *ſed pater ipſe Amilcar; Mars alter, ut iſti volunt. ſed* 5 *Tarento tum in Italia non abſtinueramus ex fœdere; ſicut nunc Sagunto non abſtinemus. Vicerunt ergo Dii hominesque, & id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupiſſet; eventus belli, velut æquus judex, unde jus ſtabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas turresque admovet; Carthaginis mœnia quatit ariete. Saguntı ruinæ (falſus utinam vates ſim) noſtris capitibus incident: ſuſceptumque cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis eſt. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis. Scio meam levem eſſe in eo auctoritatem, propter paternas inimicitias. Sed & Amilcarem eo periiſſe lætatus ſum, quod ſi ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus: & hunc juvenem tanquam furiam facemque hujus belli odi ac deteſtor. Nec dedendum ſolùm id piaculum rupti fœderis, ſed, ſi nemo depoſcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras: ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere, nec ſollicitare, quietæ civitatis ſtatum poſſit. Ego autem ita cenſeo: legatos extemplo Romam mittendos, qui ſenatui ſatisfaciant: alios qui Annibali nuntient, ut exercitum ab Sagunto abducat, ipſumque Annibalem ex fœdere Romanis dedant: tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.*

XI. Quum Hanno peroraſſet, nemini omnium certare oratione cum eo neceſſe fuit; adeo prope omnis ſenatus Annibalis erat, infeſtiuſque

NOTÆ.

2. *Publica fraus abſit.*] Depoſcunt ſcilicet Legati, ut nihil conſilio publico fiat adverſus fœdus.

3. *Ægates inſulas.*] *Ægates*, vel potiùs *Ægades*, tres ſunt Inſulæ contra Lilybæum Siciliæ Promontorium ac Drepanum ejuſdem inſulæ urbem maritimam, quarum quæ Lilybæo proxima Æguſa ſive Capraria dicebatur, nunc *Favignana*: quæ ex adverſo Drepani Phorbantia ſeu Bucinna, hodie *Levenzo*: quæ his meridionalior & occidentalior, *Hiera* ſive Sacra, ac poſt Maritima & hodie *Maretamo*. Inter Hieram & Ægueam commiſſo navali prælio Lutatius conſul Romanus claſſem Pœnorum vicit, fugato Hannone duce, demerſis pœnorum quinquaginta navibus, captis ſeptuaginta, & cum iis ampliùs decem millibus hominum, ut Polyb. & Zon. referunt: nam Oroſius numerum ab illis proditum auget: atque hoc prælio impoſitus primo bello Punico finis fuerat, conſtituſque Amilcar, antea Pœnorum dux, Sicilia excedere graveſque pacis leges accipere, anno u. c. 512.

4. *Erycemque.*] Hoc nomine mons & oppidum fuere in Sicilia: hoc tribus circiter ſupra Drepanum milliaribus in vertice montis, qui altitudine nulli in tota Sicilia præterquàm Ætnæ cedit, ibi fuit opulentiſſimum Templum Veneris Erycinæ, de quo noſter lib. 7. cap. 3. Hunc locum L. Junius Conſul, quamvis amiſſâ naufragio claſſe, occupavit duplici præſidio, altero ad radices montis collocato, altero verò in vertice: atque urbs munitiſſima & ſitu inexpugnabilis, paulò poſt Lutatii victoriam, in Romanorum venit poteſtatem. Mons hodie dicitur *Monte di Santo Giuliano*: urbs verò *Trapani del Monte*.

5. *Tarento.*] V. Epit. lib. 14. & Oroſ. IV. 3.

locutum arguebant Hannonem, quàm Flaccum Valerium legatum Romanum. Reſponſum inde legatis Romanis eſt, *Bellum ortum ab Saguntinis, non ab Annibale eſſe. populum Romanum injuſte facere, ſi Saguntinos vetuſtiſſimæ Carthaginienſium ſocietati præponat.* Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Annibal, quia feſſum militem præliis operibuſque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit; ſtationibus ad cuſtodiam vinearum aliorumque operum diſpoſitis. interim animos eorum nunc ira in hoſtes ſtimulando, nunc ſpe præmiorum accendit. Ut vero pro concione *prædam captæ urbis* edixit *militum fore*, adeo acceníi omnes ſunt, ut ſi extemplo ſignum datum eſſet, nulla vi reſiſti videretur poſſe. Saguntini, ut à præliis quietem habuerant, nec laceſſentes, nec laceſſiti per aliquot dies; ita non nocte, non die unquam ceſſaverant ab opere, ut [1] novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Inde [2] oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta eſt: nec qua primum, aut potiſſimum parte ferrent opem (quum omnia variis clamoribus ſtreperent) ſatis ſcire poterant. Ipſe Annibal, qua [3] turris mobilis, omnia munimenta urbis ſuperans altitudine, agebatur, hortator aderat. quæ quum admota, [4] catapultis [5] balliſtiſque per omnia tabulata diſpoſitis, muros defenſoribus nudaſſet; tum Annibal occaſionem ratus, quingentos ferme Afros [6] cum dolabris ad ſubruendum ab imo murum mittit. nec erat difficile opus, quòd cæmenta non calce durata erant, ſed interlita luto, ſtructuræ antiquæ genere. Itaque latius quam cæderetur, ruebat: perque patentia ruinis, agmina armatorum in urbem vadebant. Locum quoque editum capiunt: collatiſque eo catapultis balliſtiſque, ut caſtel-

Urb. Cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

NOTÆ.

1. *Novum murum ... reficerent.*] Gall. *Ils firent un nouveau retranchement derriere la breſche.*

2. *Oppugnatio eos atrocior ... adorta eſt.*] Hypalläge, pro hoſtes adorti ſunt eos atrociori oppugnatione.

3. *Turris mobilis.*] Turres hæ lignæ, ambulatoriæ fiebant ſubditis arte mechanicâ rotis, quatuor ut minimum, aut ſex, vel etiam pluribus, ut earum lapſu magnitudo tam alta moveretur. Erant autem rotæ latentes & internæ, ne hoſtium telis exponerentur, qui eas turres propellebant, ac funibus trahebant, aut applicitis etiam jumentis. Quædam adeo altæ ut viginti haberent tabulata ſive contignationes *vingt eſtages*, & cubitos 120. altitudine ſuâ æquarent: minima altitudo erat ſexaginta cubitorum ac decem tabulata continebant, ex Vitruvio.

4. *Catapultis.*] *Catapulta* Græcum nomen derivatum ἀπὸ τῆς πάλτης, quæ vox haſtam & jaculum ſignificat. Machina fuit, quâ tela & grandiores ſagittæ in hoſtes mittebantur: poſt Cæſaris tempora etiam pro balliſta ſumi hoc nomen cœpit.

5. *Balliſtis.*] Differunt à Catapultis *Balliſtæ*, quòd hæ non tela, ſed ingenter lapides, & ſaxa jacularentur: à re nomen habent, eſt enim Græcis βάλλειν idem quod jacere, projicere.

6. *Cum Dolabris ad ſubruendum, &c.*] Gallicè, *Il commanda environ cinq cens Africains, pour aller avec des haches ſapper la muraille par le bas; ce qui n'eſtoit pas fort difficile, parce que le mur n'eſtoit baſty que de ſimple moilon tendre de terre au lieu de chaux.*

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

collatiſque eò cătapultis balliſtiſque, ut caſtellum in ipſa urbe velut ărcem imminentem haberent, muro circumdant: & Saguntini murum interiorem ab nondum capta urbis parte ducunt. Utrinque ſumma vi & muniunt, & pugnant: ſed interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul creſcit inopia omnium, longâ obſidione, & minuitur exſpectatio externæ opis, quum tam procul Romani, unica ſpes; circa omnia hoſtium eſſent. Pauliſper tamen affectos animos recreavit repentina profectio Annibalis in 7 Oretanos, Carpetanoſque: qui duo populi delectus acerbitate conſternati, [a] retentis conquiſitoribus metum defectionis quum præbuiſſent, oppreſſi celeritate Annibalis, omiſerunt mota arma.

XII. Nec Sagunti oppugnatio ſegnior erăt, Maharbale, Himilconis filio, quem præfecerat Annibal, ita impigre rem agente, ut ducem abeſſe nec cives nec hoſtes ſentirent. Is & prælia aliquot ſecunda fecit, & tribus arietibus aliquantulum muri diſcuſſit: [b] ſtrataque omnia recentibus ruinis advenienti Annibali oſtendit. Itaque ad ipſam arcem extemplo ductus exercitus, atroxque prælium cum multorum utrinque cæde initum, & pars ărcis capta eſt. tentata deinde per duos exigua pacis ſpes, Alconem Saguntinum, & Alorcum Hiſpanum. Alcon inſciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, quum ad Annibalem noctu tranſiſſet, poſtquam nihil lacrymæ movebant, conditioneſque triſtes, ut ab irato victore, ferebantur; transfuga ex oratore factus, apud hoſtem manſit, moriturum affirmans, qui ſub conditionibus his de pace ageret. Poſtulabatur autem, *redderent res* [1] *Turdetanis: traditoque omni auro atque argento, egreſſi urbe cum ſingulis veſtimentis ibi habitarent, ubi Pœnus juſſiſſet*. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos: Alorcus,

INTERPRETATIO.

a *Cùm eos*, qui delectum apud eos agebant; & *milites conſcribebant*, *retinuiſſent*.

b *Et oſtendit Hannibali reduci illam omnem muri partem, quæ proſtrata & dejecta fuerat*.

NOTÆ.

7. *Oretanos*.] Ab *Oreto* oppido ad Anam fluvium, (hodie Morali *Calatrava*, Sanſoni, *nueſtra Señora del Oreto*) dicti ſunt *Oretani* populi Hiſpaniæ, quæ poſt Tarraconenſis dicta, finitimi Luſitaniæ & Bæticæ; Argentario monte, qui nunc *Sierra de Alcaraz*: diviſa à Baſtitanis, in Meridionali Caſtellæ novæ parte, ubi hodie tractus quos vulgò *La Mancha*, (ubi *Ciudad real*) *Campo di Calatrava*, & *Campo de Montiel* vocant.

1. *Turdetanis*.] Niſi Saguntini Turdetanos mari dicantur aggreſſi, atque in eos piraticam exercuiſſe: non facilè video qua ratione res eorum rapere potuerint in tanto regionum intervallo, interjectis ſcilicet cum Turdulorum parte Baſtitanis & majori parte Edetanorum. Vel dicendum eſt his temporibus ad Bætis fontes, & circa Montem Argentarium (ubi à Ptolemæo Baſtitani deſcribuntur, id eſt, ubi nunc eſt Caſtellæ novæ pars Auſtralis cum parte regni Murciæ) habitaſſe Turdetanos; inde, tractu temporis, ad Occidentem, & Bætis oſtia migraſſe.

vinci

vinci animos, [2] *ubi alia vincantur*, affirmans, *se pacis ejus interpretem fore* pollicetur. Erat autem tum miles Annibalis: cæterùm publicè Saguntinis amicus atque hoſpes. Tradito palàm telo cuſtodibus hoſtium, tranſgreſſus munimenta, ad prætorem Saguntinum (3 & ipſe ita jubebat) eſt deductus. quo quum extemplo concurſus omnis generis hominum eſſet factus, ſummota cætera multitudine, ſenatus Alorco datus eſt.

XIII. Cujus talis oratio fuit: *Si civis veſter Alcon, ſicut ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retuliſſet, ſupervacaneum hoc mihi fuiſſet iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos veniſſem. Quum vero ille, aut veſtrâ aut ſuâ culpâ manſerit apud hoſtem; ſi metum ſimulavit, ſuâ; veſtrâ, ſi periculum eſt apud vos vera referentibus: ego, ne ignoraretis eſſe aliquas & ſalutis & pacis vobis conditiones, pro vetuſto hoſpitio, quod mihi vobiſcum eſt, ad vos veni. Veſtrâ autem causâ me, nec ullius alterius loqui, quæ loquor apud vos,* [2] *vel ea fides ſit, quod neque dum veſtris viribus reſtitiſtis, neque dum auxilia ab Romanis ſperaſtis, pacis unquam apud vos mentionem feci. Poſtquam nec ab Romanis vobis ulla ſpes eſt, nec veſtra jam aut arma vòs, aut mœnia ſatis defendunt, pacem affero ad vos magis neceſſariam quam æquam, cujus ita aliqua ſpes eſt, ſi eam quemadmodum ut victor fero Annibal, ſic vos ut victi audiatis: ſi non id quod amittitur, in damno, (quum omnia victoris ſint) ſed quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis. Urbem vobis, quam ex magna jam parte dirutam, captam fere totam habet, adimit; agros relinquit, locum aſſignaturus, in quo novum oppidum ædificetis: aurum argentumque omne, publicum privatumque ad ſe jubet deferri: conjugum veſtraque corpora ac liberorum veſtrorum ſervat inviolata, ſi inermes* [1] *cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire. Hæc victor hoſtis imperat. Hæc quanquam ſint gravia atque acerba, fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero,* [b] *quum*

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

2 *Illud ſaltem fidem facere debet.*

b *Cùm ei plenum atque abſolutum rerum arbitrium à vobis datum fuerit, fore ut aliquid ex his conditionibus relaxet ac detrahat.*

NOTÆ.

2. *Ubi alia vincantur.*] Quærit hic Gronovius quæ alia? Reſponſio non longè arceſſenda videtur, nempe muri, munimenta, arces; quæ ubi in hoſtium poteſtate ſunt, franguntur haud dubiè defenſorum animi. Non igitur opus pro voce *alia* ſcribi nomen *arma*, quæ nec facilè vinci quis dixerit, ſed armatos.

3. *Et ipſe ita jubebat.*] Dux nempe Saguntinorum.

1. *Cum binis veſtimentis.*] Non dubitat Lipſius legere, *cum privis veſtimentis*; priva enim ſunt ſingula. Et verò ſuperiori capite inter conditiones Alconi Saguntino propoſitas, illa in primis refertur, ut Saguntini egrederentur urbe cum ſingulis veſtimentis: nec credibile eſt aliud Alorcum retuliſſe, aut Livium ſibi ipſi adverſari. Sed quidni *cum unis veſtimentis* potiùs quàm privis, cùm ſenſus idem ſit, & vox *unis*, propiùs accedat ad τὸ *binis*. Certè Cic. ſæpiùs *unas litteras* dixit, aliquando *unas tabulas*, & ſimilia.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

omnium poteſtas ei à vobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſarum. Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora veſtra, rapi trahique ante ora veſtra conjuges ac liberos belli jure ſinatis.

XIV. Ad hæc audienda quum circumfuſa paulatim multitudine, permixtum ſenatui eſſet populi concilium; repente primores ſeceſſione facta (priuſquam reſponſum daretur) argentum aurumque omne ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conjicientes, eodem plerique ſemetipſos præcipitaverunt: Quum ex eo pavor ac trepidatio tota urbem pervaſiſſet, alius inſuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quaſſata prociderat: perque ruinam ejus cohors Pœnorum impetu facto quum ſignum imperatori dediſſet, nudatam ſtationibus cuſtodiiſque ſoliis hoſtium eſſe urbem; non cunctandum in tali occaſione ratus Annibal, totis viribus aggreſſus urbem, momento cepit; ſigno dato, ut omnes puberes interficerentur. quod imperium crudele, cæterum prope neceſſarium cognitum in ipſo eventu eſt. Cui enim parci potuit ex iis, qui aut incluſi cum conjugibus ac liberis domos ſuper ſcipos concremaverunt, aut armati nullum ante finem pugnæ quam morientes fecerunt?

XV. [1] Captum oppidum eſt cum ingenti præda. Et quanquam pleraque ab dominis de induſtria corrupta erant; & in cædibus vix ullum diſcrimen ætatis ira fecerat, & captivi militum præda fuerant; tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniæ redactum eſſe conſtat, & multam [2] pretioſam ſupellectilem veſtemque miſſam Carthaginem. [3] Octavo menſe quam cœptum oppugnari, captum Saguntum, quidam ſcripſere, inde Carthaginem Novam in hiberna Annibalem conceſſiſſe: quinto deinde menſe, quam à Carthagine profectus ſit, in Italiam perveniſſe. Quæ ſi ita ſunt, fieri non potuit, ut P. Cornelius, & Tib. Sempronius conſules fuerint; ad quos & principio oppugnationis legati Saguntini miſſi ſint, & qui in ſuo magiſtratu cum Annibale alter ad Ticinum amnem, ambo aliquanto poſt ad Trebiam pugnaverint. Aut omnia breviora aliquanto fuere; aut Saguntum principio anni, quo P. Cornelius & Tib. Sempronius conſules fuerunt, non cœptum oppugnari eſt, ſed captum. Nam exceſſiſſe pugnam ad Trebiam in annum Cn. Servili & Flaminii non poteſt: quia Flaminius Arimini conſulatum, iniit; creatus ab Tib. Sempronio conſule: qui poſt pugnam ad Trebiam ad creandis conciliatos primatum Carthaginenſium animos.

NOTÆ.

1. *Captum oppidum.*] Oppugnari cœpit Saguntus auctore Polybio anno primo Olympiadis 140. Coſſ. Æmilio & M. Livio; captum anno ſequenti, ut ex iis quæ mox Livius refert conjici poteſt. Fuit hic annus 535. ab u.c. mundi vero ex noſtra computatione 3738. ante Chriſtum 216.

2. *Pretioſam ſupellectilem.*] Idem Polybius tradit, atque ex ea diſtributis do-

3. *Octavo menſe.*] Pleriſque veterum cum Livio convenit: adverſantur hinc Florus, qui nonniſi nono menſe deditam ſcribit Saguntum; inde auctor de Vir. illuſtr. qui intra ſex menſes everſum hoc oppidum narrat; quod probabilius facit ipſius Livii computatio.

dos conſules Romam quum veniſſet, comitiis perfectis ad exercitum in hiberna rediit. Urb. cond. an. 535. Conſ. P. Cornel. Scipione, & Tib. Sempronio

XVI. Sub idem fere tempus & legati, qui redierant à Carthagine, Romam retulerunt omnia hoſtilia eſſe, & Sagunti excidium nunciatum eſt: tantuſque ſimul mœror Patres miſericordiaque ſociorum peremptorum indigne, & pudor non lati auxilii, & ira in Carthaginienſes, metuſque de ſumma rerum cepit, velut ſi jam ad portas hoſtis eſſet: ut tot uno tempore motibus animi turbati, trepidarent magis quam conſulerent. Nam neque hoſtem aeriorem bellicoſioremque [a] ſecum congreſſum; nec rem Romanam tam deſidem unquam fuiſſe atque imbellem. [1] Sardos, [2] Corſoſque, [3] & Iſtros, [4] atque Illyrios, [5] laceſſiſſe magis quam exercuiſſe Romana arma: & [b] cum Gallis tumultuatum veriùs quam belligeratum. Pœnum hoſtem, [6] veteranum trium & viginti annorum, mili-

INTERPRETATIO.

a *Neque cum Romanis certaſſe fortiores & bellicâ virtute præſtantiores hoſtes; nec Romanos unquàm adeò inertes & ignavos fuiſſe ajebant.*

b *Levibus* tantùm *præliis* Romanos cum Gallis *decertaſſe, potiùs quàm decretoriâ pugnâ.*

NOTÆ.

1. *Sardos.*] Sardiniæ populos, quæ una ex tribus majoribus circa Italiam inſulis, vulgò, *la Sardaigne*. Quam inſulam Romani Carthaginienſibus paulò antè eripuerant bello Mercenariorum laborantibus. Nunc Hiſpanis paret.

2. *Corſoque.*] Incolas Corſicæ inſulæ brevi, & periculoſo freto à Sardinia diviſæ, hodie *la Corſegne*, vel, *l'Iſle de Corſe*, ſub Genuenſium eſt ditione.

3. *Et Iſtros.*] Iſtria extrema eſt Italiæ verſus Illyricum regio, ultra ſinum Adriaticum. Nomen adhuc ſervat, partim Auſtriacæ, partim Venetæ nunc ditionis. Iſtros anno 532, ſubegit P. Cornelius Scipio Aſina conſul bello illato, quod naves Romanorum deprædati eſſent.

4. *Atque Illyrios.*] Illyrici nomine plures comprehenduntur regiones, Dalmatia præſertim, quæ adhuc nomen ſervat; & Liburnia, quæ fermè nunc *Croatiæ* ſitæ inter Iſtriam & oram Macedoniæ Occidentalem, quâ nunc Albania eſt; quæ regiones partim Venetis, partim Turcis ſubjectæ ſunt Illyrii, cum u. c. an. 524. juſſu Teutæ, quæ Agronis regis uxor fuerat, cæſi ab eis fuiſſent Coruncanii Romanorum legati, domiti ſunt inſequenti anno, ferè ſine prœlio; deque his turiumphavit Cn. Fulvius Centumalus.

5. *Laceſſiſſe magis quàm exercuiſſe.*] Inter bellum Punicum primum & ſecundum Romani cum Faliſcis, Gallis, Liguribus, Sardis, Corſis, Illyriis, Iſtris bellarunt: quorum populorum quatuor poſtremos non æquè debellavere. Sardiniam quidem invaſerant jam anno u. c. 494. ſed compoſitâ pace cum Pœnis, eam quaſi neutrarum partium habuerant. Verùm anno 515. Pœni ſine certamine ceſſerunt Romanis, bellum minantibus, quòd negotiatores ſuos ab illis maris ſpoliatos dicerent; & Pœni propter bellum Africum opes ſuas nondum firmaſſent. Sardi tamen ſæpius arma moverunt: tandem ductu Titi Manlii Conſulis ntcumque accepere imperium anno 518. teſte Vellejo Paterculo: quamquàm & poſteà ſæpius rebellarunt. De Sardis & Corſis primus triumphavit L. Cornelius Scip. an. 494. deinde C. Papirius anno 522.

6. *Veteranum trium & viginti annorum.*] Intellige de militibus Carthaginienſium, qui in armis fuerant, partim in Africa ſcilicet à bello Punico primo, partim in Hiſpania. Nam, ſi tempus numeres, quo Amilcar, Aſdrubal, & Annibal in Hiſpania bellum geſſerunt, anni tantùm erunt duodeviginti, ut Sigonius obſervat.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scipione, & Tib. Sempronio.

tia duriſſimâ inter Hiſpanas gentes ſemper victorem, primum Amilcare, deinde Aſdrubale, nunc Annibale duce acerrimo aſſuetum, recentem ab excidio opulentiſſimæ urbis Iberum tranſirtrahere ſecum tot excitos Hiſpanorum populos: conciturum avidas ſemper armorum Gallicas gentes: 7 cum orbe terrarum bellum gerendum in Italia ac pro mœnibus Romanis eſſe.

XVII. 1 Nominatæ jam antea conſulibus provinciæ erant, tum ſortiri juſſi: Cornelio Hiſpania, Sempronio Africa cum Sicilia evenit. Sex in eum annum decretæ legiones, & ſociûm quantum ipſis videretur, & claſſis quanta parari poſſet. 2 Quatuor & viginti peditum Romanorum millia ſunt ſcripta, mille & octingenti equites. 3 ſociorum quadraginta quatuor peditum, & quatuor equitum millia: naves ducentæ, viginti 4 quinqueremes, 5 celoces viginti deductæ. Latum inde ad populum, *vellent, juberent, populo Carthaginenſi bellum indici*. Ejuſque belli cauſa ſupplicatio per urbem habita: atque adorati Dii, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus juſſiſſet. Inter conſules ita copiæ diviſæ. Sempronio datæ legiones duæ: 6 ea quaterna millia erant peditum, & trecenti equites: ſociorum ſexdecim millia peditum: equites mille octingenti: naves longæ CLX. celoces duodecim. Cum his terreſtribus maritimiſque copiis Ti. Sempronius miſſus in Siciliam; ita in Africam tranſmiſſurus, ſi ad arcendum Italia Pœnum conſul alter ſatis eſſet. Cornelio minus copiarum datum, quia L. Manlius prætor & ipſe cum haud invalido præſidio in Galliam mittebatur. Navium maximè Cornelio numerus deminutus. ſexaginta quinqueremes datæ (neque enim mari venturum, 2 aut ea parte belli dimicaturum ho-

INTERPRETATIO.

2 *Eo belli* genere, *nempe maritimo*.

NOTÆ.

7. *Cùm orbe terrarum*.] Cum præcipuis ſcilicet Africæ & Europæ vicinæ populis. Pœni quippe Afri, Hiſpanorum & Gallorum (qui citra & ultra Alpes) viribus ſubniti erant.

1. *Nominata jam antea*.] Decernebat primùm Senatus, quibus in Provinciis res gerendæ à Conſulibus eſſent: deinde in qua quiſque Provincia imperaret, ipſi Conſules, vel inter ſe comparabant, & mutuo conſenſu conveniebant; vel ſorti rem committebant, ut nunc Cornelius & Sempronius.

2. *Quatuor & viginti peditum Romanorum millia*.] Juſtus numerus legionum ſex.

3. *Sociorum quadraginta quatuor*.] Sociorum peditatus plerumque numero par Romanis peditibus, quandoque ſuperior, ut nunc; equitatus duplo ſaltem major, auctore Polybio, fuit: ſæpe tamen eum numerum exceſſit, uti hoc anno.

4. *Quinqueremes*.] Sunt longæ naves quinque ordinibus remorum inſtructæ, ſive in longum, ſive in altum. Res enim ſatis dubia.

5. *Celoces*.] A celeritate nomen habere creditur hoc brevioris navigii genus, quod uno remorum ordine impellebatur, Rhodiorum inventum.

6. *Ea quaterna millia erant*.] Hic juſtus erat numerus legionis unius, qui duabus adſcribitur: unde Gron. ſcribendum cenſet *ea* (nimirum legiones ſingulæ) quaterna millia peditum habebant, &c. ſed ita legi poſſet: *ea quaternûm millium erant peditum, & trecentorum equitum*. Facilè autem in caſu errari potuit, ſi quidem numeri per notas plerumque ſcribebantur.

ſtem credebant) & duæ Romanæ legiones cum ſuo juſto equitatu, & quatuordecim millibus ſociorum peditum, equitibus mille ducentis. 7 Duas legiones, & quatuordecim millia ſociorum peditum, mille equites ſocios, ſexcentos Romanos, Gallia provincia eodem anno verſa in Punicum bellum habuit.

XVIII. His ita comparatis, a ut omnia juſta ante bellum fierent, legatos majores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Æmilium, C. Licinium, Q. Bæbium, in Africam mittunt ad percunctandos Carthaginenſes, *Publicòne conſilio Annibal Saguntum oppugnaſſet?* & ſi, id quod facturi videbantur, fatererentur ac defenderent publico conſilio factum, ut indicerent populo Carthaginienſi bellum. Romani poſtquam Carthaginem venerunt, quum ſenatus datus eſſet, & Q. Fabius nihil ultra quam unum, quod mandatum erat, percunctatus eſſet, tum 1 ex Carthaginienſibus unus, *præceps*, *Romani*, inquit, *& prior legatio fuit, quum Annibalem tanquam ſuo conſilio Saguntum oppugnantem depoſcebatis: cæterùm hæc legatio verbis adhuc lenior eſt, re aſperior. Tunc enim Annibal & inſimulabatur, & depoſcebatur. nunc à nobis & confeſſio culpæ exprimitur: & ut à confeſſis* 2 *res extemplo repetuntur. Ego autem, non, privato publicòne conſilio Saguntum oppugnatum ſit, quærendum cenſeo: ſed utrum jure, an injuriâ. Noſtra enim hæc quæſtio atque animadverſio in civem noſtrum eſt, noſtro, an ſuo fecerit arbitrio. Vobiſcum una diſceptatio eſt, licueritne per fœdus fieri. Itaque, quoniam diſcerni placet, quid publico conſilio, quid ſua ſponte imperatores faciant; nobis vobiſcum* 3 *fœdus eſt à C. Lutatio Conſule ictum: in*

Urb. cond. an. 535. Coſſ. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

INTERPRETATIO.

a *Ut peragerentur quæcunque requirebantur ut bellum juſtè indici poſſet.*

NOTÆ.

7. *Duas Legiones.*] Deſcribitur Manlii Prætoris exercitus, qui miſſus in Galliam Ciſpadanam, *dans la Lombardie de deça le Po*, ut aditu Italiæ arceret Annibalem. Ea enim prima Italiæ regio Annibali ex Hiſpania per Tranſalpinam Galliam venienti occurrebat.

1. *Ex Carthaginienſibus unus, præceps, Romani.*] Ita meliores Codices, & antiquiſſimæ editiones: alii minùs rectè *ex Carthaginienſibus unus princeps, vana Romani, inquit*; ſed *præceps* magis convenit priori Romanorum legationi quàm *vana*: nam *præceps* temerariam & inconſideratam ſignificat; quod vitium indicat Romanorum eam mittentium: at *vana* pro inutili accipi poteſt, quod culpæ Carthaginenſium aſſignari nihil vetat.

2. *Res extemplò repetuntur.*] Hæc reſpondent voci *præceps*. Verbis quidem Fabius non expreſſerat ſe ad res repetendas veniſſe: verùm hoc ſequebatur ex interrogatione, an conſilio publico Saguntum oppugnatum eſſet.

3. *Fœdus eſt à C. Lutatio Conſule ictum.*] Fœdera inter Romanos & Pœnos inita à pulſis regibus ad hæc uſque tempora memorat Polybius lib. 3. cap. 5. Quæ fœdera tabulis æneis inſcripta diligenter in templo Jovis Capitolini cuſtodiebantur adhuc tempore Polybii. Quartum fœdus inter Lutatium & Amilcarem initum, primo bello Punico finem impoſuit anno u.c. 512. Convenerat autem ut univerſâ Siciliâ Pœni excederent, bellum cum Hierone & Syracuſanis ſociiſque eorum ne gererent, captivos ſine pretio, itemque transfugas confeſtim redderent: ſocii utriuſque populi ab utroque tuti forent; neutri in alterius ditione imperandi publicève inædificandi, militiſve inde condicendi jus eſſet; neque alterius populi ſocios alter

Urb. cond. an. 535. Cos. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

quo cavetur utrorumque ſociis. nihil de Saguntinis (necdum enim erant ſocii veſtri) cautum eſt. Atenim eo fœdere, quod cum Aſdrubale ictum eſt, Saguntini excipiuntur. adverſus quod nihil ego dicturus ſum, niſi quod à vobis didici. Vos enim quod C. Lutatius Conſul primo nobiſcum fœdus icit, quia neque auctoritate Patrum, nec populi juſſu ictum erat, negaſtis vos 5
eo teneri. itaque aliud de integro fœdus publico conſilio ictum eſt. Si vos non tenent veſtra fœdera, niſi ex auctoritate aut juſſu veſtro icta; ne nos quidem Aſdrubalis fœdus, quod nobis inſciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, & quod diu parturit animus veſter, aliquando pariat. Tum Romanus [b] 4 ſinu ex toga facto, 10
Hic, inquit, *vobis bellum & pacem portamus; utrum placet ſumite.* Sub hanc vocem haud minus ferociter, 5 *daret utrum vellet*, ſucclamatum eſt. & quum is iterum ſinu effuſo *bellum dare* dixiſſet; *accipere ſe* omnes reſponderunt: *& quibus acciperent animis, iiſdem ſe geſturos.*

XIX. Hæc directa percunctatio ac denunciatio belli magis ex digni- 15
tate populi Romani viſa eſt, quam de fœderum jure verbis diſceptare; quum ante, tum maxime Sagunto excisa: nam [1] ſi verborum diſceptationis res eſſet; quod fœdus Aſdrubalis cum Lutatii priore fœdere com-

INTERPRETATIO.

b *Extremis Togæ oris ita collectis, ut ſinus ſive cavitas fieret.*

NOTÆ.

in ſocietatem admitteret: idque præter pecuniam vicenis penſionibus annuis pendendam additum fuerat: hæc ita rata fore, ſi populus Romanus juſſiſſet. Adjicit Livius hujus libri cap. 41. ut præſidium Pœnorum ab Eryce emitteretur, ſolutis in ſingula capita denariis octodecim: ſed populus Romanus conditiones his duriores Carthaginienſibus impoſuit, teſte Zonarâ & auctore de Vir. illuſtr. quibus adhuc graviores adjectæ, ardent bello Africano, de quo cap. 1. & 2. Ultimo fœdere quod in Hiſpania cum Aſdrubale ictum fuerat, cavebatur ne liceret Carthaginienſibus Iberum flumen tranſire. Hinc appareret non ſtetiſſe Romanos conditionibus fœderis à C. Lutatio Conſule cum Amilcare initi; quaſi non populi juſſu ictum ab eo eſſet; nec immerito eodem jure Pœnos uti potuiſſe circa fœdus Aſdrubalis, ſiquidem injuſſu eorum ictum erat. Niſi quod in illo nominatim cautum fuerat ne ratum eſſet niſi probante Senatu populoque Romano; in hoc ſimile nihil in gratiam Carthaginienſium additum fuiſſe Livius affirmat.

4. *Sinu ex toga facto.*] Quod hic Livius noſter *Sinum*, Florus, *toga gremium* vocat.

5. *Daret utrum vellet.*] Variant hoc loco auctores. Electionem belli & pacis Romanæ legationi relictam à Carthaginienſibus refert cum Livio Varro apud A. Gellium lib. 10. cap. 27. Sed idem, & poſt eum Pomponius Juriſconſultus in L. 2. D. de Orig. Jur. §. 37. tradit teſſeras duas porrectas Carthaginienſibus, in quarum altera Caducei, in altera Haſtæ ſimulacra eſſent inciſa. Flor. lib. 2. cap. 8. à Pœnis ſucclamatum eſſe ait *bellum*, quaſi ipſi rejectâ pace *bellum* elegerint.

1. *Si verborum diſceptationis.*] Si ratione agendum, & verbis contendendum fuiſſet, conſtabat aliam fuiſſe conditionem fœderis ab Aſdrubale Carthaginienſi percuſſi in Hiſpania cum Romanis: aliam anterioris fœderis icti à Lutatio cum Pœnis in Sicilia, quod à Romanis mutatum fuerat. Vti anteà eſt demonſtratum, & ex decenni Carthaginienſium ſilentio evincitur.

parandum non erat, quum in Lutatii fœdere diſertè additum eſſet, *ita id ratum fore, ſi populus cenſuiſſet*; in Aſdrubalis fœdere, nec exceptum tale quicquam fuerit; & tot annorum ſilentio ita vivo eo comprobatum ſit fœdus, ut ne mortuo quidem auctore quicquam mutaretur. Quan- Urb. cond. an. 535. Coſ. Publ. Cornelio, & Ti. Semp.
quam [2] etſi priore fœdere ſtaretur, ſatis cautum erat Saguntinis, ſociis utrorumque exceptis: nam neque additum erat, *iis, qui tunc eſſent*; nec, *ne qui poſtea aſſumerentur*: & quum aſſumere novos liceret ſocios, [a] quis æquum cenſeret, aut ob nulla quemquam merita in amicitiam recipi? aut receptos in fidem non defendi? tantùm, ne Carthaginienſium ſocii aut ſolicitarentur ad defectionem, aut ſua ſponte deſciſcentes reciperentur. Legati Romani ab Carthagine, ſicut his Romæ imperatum erat, in Hiſpaniam, ut aut adirent civitates, ut in ſocietatem pellicerent, aut averterent à Pœnis, trajecerunt. [3] Ad Barguſios primum venerunt: à quibus benigne excepti; quia tædebat imperii Punici, [4] multos trans Iberum populos ad cupidinem novæ fortunæ erexerunt. [5] Ad Volſcianos inde eſt ventum: quorum celebre per Hiſpaniam reſponſum cæteros populos ab ſocietate Romana avertit.

INTERPRETATIO.

a *Quis exiſtimaret æquum eſſe ut*, prætextu fœderis Carthaginienſis, *vel non liceret* Romanis *ullos propter ulla officia exhibita admittere in ſocietatem; vel cogerentur eos, quibus data eſſet ſocialis fides, indefenſos relinquere; cum id ſolùm conveniſſet, ne Romani ſocios Pœnorum ad deſciendum ab illis incitarent, neve eos admitterent, ſi qui ultro deficerent.*

NOTÆ.

2. *Et ſi priore fœdere ſtaretur*.] Uſitatius eſt *fœderi ſtare*: indicatur autem hic prius fœdus, non quale à Lutatio initum, ſed quale à populo Romano reformatum fuerat: quo quidem fœdere comprehendebantur utrinque Socii, non præcisè qui tunc erant, ſed generaliter. ita ut etiam futuri ſocii eo contineri viderentur.

3. *Ad Barguſios*.] Videntur *Barguſii* populi fuiſſe Ilergetum, qui in Aragoniæ & Cataloniæ confinio. Eorum urbs *Berguſia* legitur apud Ptolomæum. Sanſoni eſt *Balaguer*, Cataloniæ ad Sicorim oppidum. Magis tamen ad Berguſiæ nomen accedit *Bergos* locus ad Aragonem fluvium in Diœceſi Jaccetana. Quòd ſi hic longiùs diſſitus à Romanorum in Hiſpania ſede videbitur, dicendum erit Berguſiam eſſe opp. *Pons* ad amnem *Bragos*, qui in Sicorim influit.

4. *Multos trans Iberum populos*.] Barguſii quidem cis Iberum; ſed alii ultra flumen potuere Romanorum partes reſpicere, vel ſolâ horum famâ, & tædio Pœnorum.

5. *Ad Volſcianos*.] Legunt quidam *ad Volcianos*. Sed nullus hoc vel illo nomine Hiſpaniæ populus extra Livium, quod ſciam, occurrit. Intra hodiernæ Aragoniæ limites habitaſſe gentem de qua hic Livius, non videtur ambigendum. Florianus trans Iberum ponit, in veterum Celtiberorum, & Hedetanorum confinio, ubi nunc *Villa dolce*, ad Guervam amnem locus, quem corruptè dici putat pro *Villa volce*. N. Sanſo in veteris Hiſpaniæ tabula *Volci* oppidum locat in Ilergetibus ſupra Succoſam ad amnem Cincam, ubi ferè nunc *Ainſa* Sobrarbiæ caput. Ego, ſi hi populi cis Iberum fuere, facilè ſuſpicater, pro Volſcianis, *Veſcitanos* reponi apud noſtrum oportere. Fuit enim Ilergetum non ignobilis regio *Veſcitania*, cujus urbs *Oſca* apud Plin. vulgò *Hueſca*, Epiſcopi hodie ſedes.

Urb. cond. an. 535. Cos. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

ita enim maximus natu ex iis in concilio respondit: *Quæ verecundia est vos, Romani, postulare, uti vestram Carthaginiensium præponamus amicitiæ, quum, qui id fecerunt, Saguntinos, crudelius quam Pœnus hostis perdidit, vos socii prodideritis? ibi quæratis socios censeo, ubi Saguntina clades ignota est: Hispanis populis, sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruinæ erunt, ne quis fidei Romanæ aut societati confidat.* Inde extemplo abire finibus Volscianorum jussi: ab nullo deinde concilio Hispaniæ benigniora verba tulere. itaque nequicquam peragrata Hispania, in Galliam transeunt.

XX. [1] In his nova terribilisque species visa est: quod armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt. quum verbis extollentes virtutem gloriamque populi Romani, ac magnitudinem imperii, petissent, *ne Pœno bellum Italiæ inferenti, per agros urbesque suas transitum darent*, tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut vix à magistratibus majoribusque natu juventus sedaretur. Adeo stolida impudensque postulatio visa est, [2] censere, ne in Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id avertere in se, agrosque suos pro alienis populandos objicere. Sedato tandem fremitu, responsum legatis est, *Neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginiensium injuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut adversus Pœnos sumant arma. Contra ea audire sese, gentis suæ homines [3] agris finibusque Italiæ pelli à populo Romano, stipendiumque pendere, & cætera indigna pati.* Eadem ferme in cæteris Galliæ conciliis dicta auditaque: nec hospitale quicquam pacatumve satis priùs auditum, quam [4] Massiliam venerunt. Ibi omnia ab sociis [a] inquisita cum cura ac fide, cognita, *præoc-*

INTERPRETATIO.

a *Cuncta ibi à* Romanis *cognita, quæ accuratè, ac fideliter inquisierant Massilienses Socii* eorum.

NOTÆ.

1. *In his.*] Existimant Glar. & Sigon. excidisse hoc loco nomen populi Gallici, quem primum Romanorum legati adierint. Gronovius *Arvernos* fuisse conjicit ex lib. 27. cap. 39. Verùm ibi de Asdrubale agitur, non de Annibale; neque Arverni nisi per *Volcarum* aliorumque populorum regionem adiri potuerunt, ab veniente ex Hispania Annibale. Verisimilius itaque est tentatos primùm esse Narbonensium & Nemausensium animos. Quod autem *armati in Concilium venisse* memorantur, id non Arvenorum, non Volcarum proprium; sed toti Galliæ genti commune cum vicinis Germanis, qui, auctore Tacito, *nihil neque publicæ, neque privatæ rei, nisi armati agebant: & in conciliis, si placuerat sententia frameas concutiebant*, quibus *honoratissimum assensus genus erat, armis laudare*. Græcos etiam priscos ferrum sive arma circumferre solitos notat Thucydides.

2. *Censere.*] Delendum hoc verbum censet Gron. & sanè absque eo perspicua magis sententia videtur. Potest tamen intelligi *postulatio, ut* Galli *censerent*. Galli *Cette proposition, d'estre d'avis, que, &c.*

3. *Agris finibusque Italia pelli.*] Num melius ex Florent. *Finibusque in Italia pelli*.

4. *Massiliam venerunt.*] Phocæorum, qui Græci in Asia populi erant, colonia fuit *Massilia*, in ora Sallyorum & Galliæ Braccatæ, quæ post Provincia Romanorum fuit; ea urbs cum Romanis fœdere juncta: portu, commercio, opibus frugalitate insignis, vulgò hodie *Marseille*.

cupatos

cupatos jam ab Annibale Gallorum animos esse. sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore (adeo ferocia atque indomita ingenia esse) ni subinde auro, cujus avidissima gens est, principum animi concilientur. Ita peragratis Hispaniæ & Galliæ populis, legati Romam redeunt, haud ita multo post, quam consules in provincias profecti erant. civitatem omnem in expectationem belli erectam invenerunt; satis constante fama, jam Iberum Pœnos transmisisse. Urb. condit. an. 535. Coss. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

XXI. Annibal Sagunto capto, Carthaginem Novam in hiberna concesserat. ibique auditis, quæ Romæ, quæque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli; partitis divenditisque reliquiis prædæ, nihil ultra differendum ratus, Hispani generis milites convocat: *Credo ego vos*, inquit, *socii, & ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniæ populis, aut finiendam nobis militiam, exercitusque dimittendos esse: aut in alias terras transferendum bellum. ita enim* [1] *hæ gentes, non pacis solum, sed etiam victoriæ bonis florebunt, si ex aliis gentibus prædam & gloriam quæremus. Itaque, quum longinqua ab domo instet militia, incertumque sit quando domos vestras, & quæ cuique ibi certa sunt, visuri sitis: si quis vestrûm suos invisere vult, commeatum do. Primo vere, edico, adsitis, ut, Diis bene juvantibus, bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus.* Omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat, & jam desiderantibus suos, & [b] longiùs in futurum providentibus desiderium. Per totum tempus hiemis quies inter labores aut jam exhaustos, aut mox exhauriendos, renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. Vere primo ad edictum convenere. Annibal quum recensuisset omnium auxilia gentium, [2] Gades profectus, Herculi vota exsolvit: novisque se obligat votis, si cætera prospera evenissent. Inde partiens curas, simul in inferendum, atque arcendum bellum: ne, dum ipse terrestri per Hispaniam & Galliasque itinere Italiam peteret, nuda apertaque

INTERPRETATIO.

b *Cum prospicerent se* ob diuturnas à familiis rebusque suis absentiam, *eas vehementiùs desideraturos.*

NOTÆ.

1. *Hæ gentes.*] Hispaniæ.

2. *Gades.*] Duæ olim fuisse dicuntur insulæ in fronte Hispaniæ Bæticæ, ultra fretum Herculeum, quod inde Gaditanum quoque est appellatum. Sed minor, in qua urbs ipsa Gadium, ubi & Geryonem habitasse volunt, proprio nomine Erythia, centum dumtaxat passibus sejuncta à majore, jamdiu non extat, at cum hac coaluit. Nunc unica est, à continente septingentos circiter passus distans, & Ponte juncta. Nomen dedit actum est à Punica voce *Gadir*, quæ sepem significat. Timæus *Cotinussam* vocatam ait apud Plinium. Urbs caput Gaditani postea conventus fuit. Ibi nobile Herculis Libyci templum. Tam urbs quàm insula *Cadix* ab Hispanis nostrisque appellatur.

3. *Galliasque.*] Duplex in Europa Gallia fuit, Alpibus interjacentibus divisa: Major pars, quæ respectu Romanorum, Transalpina, in tres partes tributa erat, Celticam, Belgicam, & Aquitanicam. Hæc à Pyrenæis ad Garumnam; *Belgica* à Sequana & Matrona ad

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

Romanis Africa [4] ab Sicilia esset; valido præsidio firmare & eam statuit. Pro eo supplementum ipse ex Africa, maxime jaculatorum, levium armis, petiit, ut Afri in Hispania, Hispani in Africa, melior procul ab domo futurus uterque miles, velut mutuis pignoribus obligati stipendia facerent. Tresdecim millia octingentos quinquaginta [5] pedites cetratos misit in Africam, & [6] funditores Baleares octingentos septuaginta: equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos. Has copias partim Carthagini præsidio esse, partim distribui per Africam jubet. simul conquisitoribus in civitates missis, quatuor millia conscripta delectæ juventutis, præsidium eosdem & obsides, duci Carthaginem jubet.

XXII. Neque Hispaniam negligendam ratus, ([1] atque ideo minus, quod haud ignarus erat, circuitam ab Romanis eam legatis ad solicitandos principum animos;) Asdrubali fratri, viro impigro, eam provinciam destinat, firmatque eum Africis maxime præsidiis, peditum Aforum undecim millibus octingentis quinquaginta, [2] Liguribus tre-

NOTÆ.

Rhenum; Media *Celtica*, inter ea flumina, utrunque mare attingebat. Sed hæc, ut cæteris amplior, Cebennicis montibus, & Tarni amne in duas partes distinguebatur: quarum alia versùs Septentrionem ad Oceanum usque pertingebat: alia verò meridiem versùs ad mare internum porrigebatur; *Braccata*, & postea Gallia Provincia, sive Provincia Romanorum appellata: nam hanc quoque Celticæ olim partem fuisse ante Romanos tradit nominatim Strabo. Augustus in quatuor maximè Provincias distinxit, *Belgicam*; *Lugdunensem*, quæ Celticæ magna ex parte respondebat; *Aquitanicam*, detractis ex Celtica populis quatuordecim, qui inter Garumnam & Ligerim, auctam; & *Narbonensem*, quæ priùs Bracata à Braccis vestimenti genere denominata. Progressu temporis divisæ ab Adriano, aliisque Cæsaribus Provinciæ singulæ in plura membra: ita ut imperante Honorio septemdecim omnino Galliarum Provinciæ fuerint. Præter hanc nativam Galliam quæ Græcis Γαλατία; aliam in Italia trans Alpes, Victricia gentis ejus arma, constitutis coloniis Galliam fecerunt ad utrunque Padi latus: hanc Italicam Romani *Cisalpinam*, & devictis incolis atque in mores Romanos transformatis, Togatam vocarunt, ab habitu quem subacti sumpserunt.

4. *Ab Sicilia.*] Gall. *Du costé de la Sicile.*

5. *Pedites Cetratos.*] Cetrà loco scuti utebantur Hispani præsertim, & Afri. Fuit autem *Cetra* exigui & levis clypei genus, ex loris compactum, Peltæ non absimile; nisi quod Pelta Lunæ semipienæ figuram referebat: Cetra quadrilatera erat, rhombum imitans.

6. *Funditores Baleares octingentos.*] *Baleares*, seu *Balearides* in Iberico mari duæ præsertim sunt Insulæ, sic à Græcis appellatæ ἀπὸ τῦ βάλλειν, quod est *jaculari*: alioque nomine *Gymnesiæ*, sive à nuditate incolarum, sive ab exercitatione lapidum fundâ emittendorum; qua re incolæ, ab ineunte ætate matrum arte assueti, cæteris gentibus præstare credebantur. Earum insularum altera Major, altera Minor, & adhûc illa *Mallorca*, hæc *Menorca* vocantur.

1. *Atque ideo minùs.*] Legebatur vulgò; *atque ideo haud minùs*: sed delenda videtur particula *haud*, quæ hic ex sequenti membro irrepserat.

2. *Liguribus trecentis.*] Ligures in confinio Italiæ Galliæque positi fuere, inter Sallyum & Tuscorum regiones, interque mare Ligusticum & Apenninum. Continet Liguria vetus eos Italiæ tractus, qui vulgò nunc *Riviera di Genoa*, *Contado di Nizza*, cum parte eorum qui dicuntur *Monferrato*, *Alessandrino*, *Tortonese*.

centis, Balearibus quingentis. ad hæc peditum auxilia, additi equites Liby-Phœnices (3 mixtum Punicum Afris genus) CCC. 4 & Numidæ 5 Maurique accolæ Oceani ad MDCCC. & parva 6 Ilergetum manus ex Hiſpania, ducenti equites: & ne quod terreſtris deeſſet auxilii genus, elephanti quatuordecim. claſſis præterea data eſt ad tuendam maritimam oram (quia 7 qua parte belli vicerant, ea tum quoque rem geſturos Romanos credi poterat) quinquaginta quinqueremes, quadriremes duæ, triremes quinque: ſed aptæ inſtructæque remigio triginta duæ quinqueremes erant, & triremes quinque. Ab Gadibus Carthaginem ad hiberna exercitûs rediit. atque inde profectus 8 præter Etoviſſam, urbem ad Iberum, maritimamque oram ducit. Ibi fama eſt, in quiete viſum ab eo juvenem divina ſpecie, qui *ſe ab Jove* diceret *ducem in Italiam Annibali miſſum. Proinde ſequeretur, neque uſquam à ſe deflecteret oculos.* Pavidum primo, nuſquam circumſpicientem aut reſpicientem, ſecutum; deinde, curâ humani ingenii, quum quidnam id eſſet, quod reſpicere veritus eſſet, agitaret animo; temperare oculis nequiviſſe: cum vidiſſe poſt ſe ſerpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum ſtrage ferri, ac poſt inſequi cum fragore cœli nimbum: tum, quæ moles ea quidve prodigii eſſet quærentem, audiſſe: *Vaſtitatem Italiæ eſſe, pergeret*

Urb. cond. an. 535. Coſs. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

NOTÆ.

3. *Mixtum Punicum Afris genus.*] Pœni, Tyro Phœniciæ urbe oriundi Carthaginem in ora maris Africani condiderant: inde in Mediterranea effuſi indigenis Libybus ſive Afris ſe immiſcuerant, atque hinc Libyphœnicum nata gens & appellatio.

4. *Et Numidæ.*] Africæ pars Numidia fuit, cujus incolæ Νόμαδες Græcis dicti. Caput urbium Cirtha, quæ hodie *Conſtantina* in parte Orientali regni Algeriani.

5. *Maurique.*] Regio Africæ maximè occidua *Mauritania* dicta eſt, in qua Tingi fuit ad fretum Herculeum, ſita. Caligula, cæſo Ptolomæo Mauritaniæ Rege, Jubæ Junioris filio, eam in duas diviſit Provincias, Tingitanam, & Cæſarienſem. Prior hodie continet regna quæ noſtris, *les Royaumes de Fez, & de Marroc.* Poſterior, cujus regia urbs *Jol*, poſtea Julia Cæſarea, noſtris vocatur *Royaume d'Alger du coſté d'Occident.* Sub poſterioribus Cæſaribus Mauritaniæ Sitifenſis nomen accepit Numidiæ pars Occidentalis. Mauros Græci Maruſios appellarunt.

6. *Ilergetum.*] Hiſpaniæ populi fuere *Ilergetes* ultra Sicorim fluvium, quorum fortè caput *Ilerda*, habitarunt in ea regni Aragonici parte, quæ inter Iberum & Pyrenæos ſita.

7. *Qua parte belli vicerant.*] Indicat Romanorum navalem ad Ægates victoriam duce Lutatio, quæ bello Punico 1. finem impoſuerat.

8. *Præter Etoviſſam.*] Apud Ptolomæum occurrit urbs Hedetanorum, ſive Sedetanorum ἱτιβιτα, Mercator *Etobeſam* legit, alii *Hetobeniam*, Maginus *Etobeſam*. Sanſo Edetanos ab Sedetanis diſtinguens, illis aſſignat *Etobeſam* ſive *Etoviſſam*, locatque ubi nunc *Buñol* in regno Valentiæ: quod oppidum procul Ibero. Unde ſi ad hunc fluvium ſita fuit *Etoviſſa*, ut Liv. notat, eſſet fortè in Aragonia, ubi nunc *Caſpe*. Sed noſter ſecundum maritimam oram iter Annibalis deſcribit: quapropter referri poterit ad Valentiæ Cataloniæque confinia; ubi hodie *Binaros*, non procul Ibero; aut ubi *Miravet*, ad ipſum flumen quâ regione fuere olim *Ilercaones*.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

porro ire, nec ultra inquireret, ſineretque fata in occulto eſſe.

XXIII. Hoc viſu lætus tripartito Iberum copias trajecit, præmiſſis, qui Gallorum animos, quâ traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiumque tranſitus ſpecularentur. nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum tráduxit. Ilergetes inde Barguſioſque & [1] Auſetanos, & [2] Lacetaniam, quæ ſubjecta Pyrenæis montibus eſt, ſubegit: oræque huic omni præfecit Hannonem, [3] ut fauces, quæ Hiſpanias Galliis jungunt, in poteſtate eſſent. Decem millia peditum Hannoni [a] ad præſidium obtinendæ regionis data, & mille equites. Poſtquam [4] per Pyrenæum ſaltum traduci exercitus cœptus eſt: rumorque per barbaros manavit certior de bello Romano, triâ millia inde Carpetanorum peditum iter averterunt. conſtabat non tam bello motos quam longinquitate viæ, inſuperabiliſque Alpium tranſitu. Annibal, quia revocare, aut [b] vi retinere eos anceps erat; ne cæterorum etiam fero-

INTERPRETATIO.

a *Aſſignata ad defenſionem tractûs illius, qui* occupatus atque *in officio continendus erat.*

b *Periculoſum eſſe poterat eos ad revertendum, aut ſequendum cogere.*

NOTÆ.

1. *Auſetanos.*] Dicti ſunt hi populi ab *Auſa*, (quæ poſterioribus Auſona), oppido, quod nunc Cataloniæ accenſetur, eſtque urbs Epiſcopalis, vulgò *Vic d'Oſona*. Sub his quoque Gerundenſes fuêre, nunc *Ville & Dioceſe de Gironne*; apud Ptolomæum *Auſbetani* corruptè leguntur pro Auſetanis.

2. *Lacetaniam.*] Differunt Lacetani à Laletanis & Jaccetanis. *Laletani*, qui Ptolomæo *Laetani*, Straboni *Leetani*, ad oram ſunt, eorumque caput eſt Barcino: hodie *l'Eveſché de Barcelonne*: his atque Auſetanis, itemque Caſtellanis & Ceretanis contermini ad Occidentem *Lacetani*, quos perperam Ptolomæus & Strabo *Jacetanes*. Plutarchus Lacetanos veriùs appellat, Rubricato maximè fluvio ab illis diviſi: inter hunc & Sicorim ab Ibero ad Pyrenæos protenſi. Hodie in hoc tractu ſunt Urgellitana, & Solſonenſis Diœceſes in Catalonia. *Jacetani* autem populi ſunt Vaſconum, ſub Pyrenæo à Jacca civitate dicti ad Aragonem fluvium poſitâ. *L'Eveſché de Jaca au Royaume d'Aragon.* Rectè hic Sigonius lectionem vulgarem emendat. Malè enim ſcriptum erat *Aquitaniam*, imperitiâ Librariorum, quibus ignota Lacetania,

3. *Ut fauces quæ Hiſpaniæ.*] Anguſtiæ Vallium, quibus inter montes aditus ab una in aliam partem patet, figuratè dicuntur fauces; *les deſtroits, les paſſages eſtroits.* Vulgus hodie has Pyrenæorum anguſtias *portus* appellat; atque hac de cauſa Hiſpani Navarram inferiorem, quæ ipſis eſt ultra Pyrenæorum tranſitum, vocant *ultra puertes*.

4. *Per Pyrenæum ſaltum.*] Loca paſcua & ſylvoſa nomine ſaltuum ſæpe ſignificantur, ut hic. Pyrenæus autem ſaltus ſumitur pro Pyrenæis montibus, qui Hiſpanos à Gallis dividunt, ab Oceano Cantabrico ad mare Ibericum porrecti. Plerique dictos volunt ἀπὸ τῦ πυρὸς, vel quòd igne fulminis ſæpenumero feriantur: vel quòd injecto à paſtoribus igne, ſylvæ omnes quibus veſtiebantur, conflagraverint. Alii deducunt à Pyrene Bebrycis regis filiâ, ab Hercule compreſsâ, ibique ſepultâ. Vulgò *les Monts Pyrenées*. Sed aliquando latiùs patet hoc nomen, ita ut aliis Hiſpaniæ montibus, qui ad Oceanum Occidentalem ab Ortu ad Occaſum univerſam Hiſpaniam dividunt, attribuatur: imò & nonnunquam Rheticis jugis, aliiſque per Illyricum, ut Alpium, ita & Pyrenæorum nomen adſcribatur, vulgò *Prenner*:

ces animi irritarentur; ſupra ſeptem millia hominum domos remiſit, quos & ipſos gravari militiâ ſenſerat; Carpetanos quoque ab ſe dimiſſos ſimulans. Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempr

XXIV. Inde, ne mora atque otium animos ſolicitarent, cum reliquis copiis Pyrenæum tranſgreditur, & ad oppidum 1 Illiberim caſtra locat. Galli, quanquam Italiæ bellum inferri audiebant: tamen quia vi ſubactos trans Pyrenæum Hiſpanos fama erat, præſidiaque valida impoſita; metu ſervitutis 2 ad arma conſternati, 3 Ruſcinonem aliquot populi conveniunt. quod ubi Annibali nunciatum eſt, moram magis quam bellum metuens, oratores ad regulos eorum miſit, *colloqui ſemetipſum velle cum his, & vel illi propius Illiberim accederent, vel ſe Ruſcinonem proceſſurum, ut ex propinquo congreſſus facilior eſſet: nam & acceptuum eos in caſtra ſua ſe lætum, nec cunctanter ſeipſum ad eos venturum. Hoſpitem enim ſe Galliæ, non hoſtem advenisſe: nec ſtricturum ante gladium, ſi per Gallos liceat, quam in Italiam veniſſet.* & per nuntios quidem hæc. Ut vero reguli Gallorum, caſtris ad Illiberim extemplo motis haud gravate ad Pœnum venerunt; capti donis, cum bona pace exercitum per fines ſuos prater Ruſcinonem oppidum tranſmiſerunt.

XXV. In Italiam interim nihil ultra quam Iberum tranſiſſe Annibalem, à Maſſilienſium legatis Romam perlatum erat: quam perinde, ac ſi Alpes jam tranſiſſet, Boii, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt: neo tam ob veteres in populum Romanum iras, quam quod 1 nuper circa Padum, 2 Placentiam, 3 Cremonamque Colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur. Itaque armis repente arreptis, in eum ip-

NOTÆ.

1. *Illiberim*.] Ab Hiſpania venientibus ſecundum littus Mediterranei maris, primi Gallorum ultra Pyrenæos populi occurrebant *Sardones*, Volcarum Tectoſagum pars, ut ex Ptolomæo colligitur: in his duo præcipua memorantur oppida, *Illiberis*, ſeu *Eliberri*, & *Ruſcino*; illud ad oram ſitum, tempore Plinii & Melæ in vicum abierat; eratque magnæ quondam urbis & magnarum opum tenue veſtigium; poſteà *Caucoliberim* dixerunt, nunc nomen aliquatenus retinet, *Collioure* vulgò dictum.

2. *Ad arma conſternati*.] Livii phraſis, qui *conſternari* aliquando dicit pro eo quod eſt *concitari* & *commoveri* cum trepidatione. Sic lib. 7. *multitudo conjuratorum ad arma conſternata*.

3. *Ruſcinonem .... conveniunt*.] Eadem fuit progreſſu temporis Ruſcinonis ſors ac Illiberis. Cùm enim caput totius gentis fuiſſet, ejus hodie nihil exiat aliud, quàm turris quam vulgò nominant, *la tour de Rouſſillon* juxta Perpinianum; unde comitatui nomen, quem natura uſuſque antiquus Galliæ aſſignavere. Recentiora ſæcula modò Hiſpanis, modò Gallis, partim fœderibus, partim armorum vis addixerunt.

1. *Nuper circa Padum*.] Hoc ipſo anno deductæ fuerant illæ coloniæ à triumviris, qui hoc capite memorantur: ex Aſconio, Polybio, & Epit. Liv. 20.

2. *Placentiam*.] Ananum, ſeu Anamanum, vel potiùs Ambarrorum Italicorum caput fuit *Placentia*, ad dextram Padi ripam, quà Trebia ſeſe in Padum effundit, nunc Italis *Piacenza*, Gallis *Plaiſance* in ditione ducis Parmenſis, quæ pars Longobardiæ Ciſpadanæ.

3. *Cremonamque*.] Cenomanorum Italicorum (quos Plinius juxta Maſſiliam priùs in Volcis habitaſſe ſcribit) urbs fuit imprimis *Cremona*, ad lævam Padi, infra Placentiam: nomen adhuc retinet in Mediolanenſi ducatu.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

sum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non agrestis modo multitudo, sed ipsi 4 triumviri Romani, qui ad agrum venerant assignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, 5 Mutinam confugerint, C. Lutatius, C. Servilius, T. Annius. Lutatii nomen haud dubium est. pro C. Servilio, & T. Annio, Q. Acilium, & C. Herennium habent quidam annales: alii P. Cornelium Asinam, & C. Papirium Masonem. Id quoque dubium est, legati ad expostulandum ad Bojos missi, violatè sint, an in triumviros [a] agrum metantes impetus sit factus. Mutinæ quum obsiderentur, & gens ad oppugnandarum urbium artes rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, segnis intactis assideret muris; simulari cœptum de pace agi. evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra jus modo gentium, sed violatâ etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur; negantibus Gallis, nisi obsides sibi redderentur, eos dimissuros. Quum hæc de legatis nunciata essent, & Mutina præsidiumque in periculo esset; L. Manlius prætor ira accensus, effusum agmen ad Mutinam ducit. Sylvæ tunc circa viam erant, 6 plerisque incultis: ibi inexplorato profectus, in insidias præcipitatus, multaque cum cæde suorum ægre in apertos campos emersit. ibi castra communita; & quia Gallis ad tentanda ea defuit spes, refecti sunt militum animi, quanquam accisas res satis constabat. Iter deinde de integro cœptum, nec, dum per patentia loca ducebatur agmen, apparuit hostis: ubi rursus sylvæ intratæ, tum postremos adorti, cum magna trepidatione ac pavore omnium, octingentos milites occiderunt, sex signa ademere. Finis & Gallis territandi, & pavendi Romanis fuit, ut ex saltu invio atque impedito evasere. inde, apertis locis facile tutantes agmen Romani, 7 Tanetum, vicum propinquum Pado, contendere: ibi se munimento ad tempus, commeatibusque fluminis, 8 & Brixianorum Gallorum auxilio adversus crescentem in dies multitudinem hostium tutabantur.

XXVI. Qui [b] tumultus repens postquam est Romam perlatus, &

INTERPRETATIO.

a *Metiendo disterminantes agrum.*
b *Subitus* Gallorum *motus*,

NOTÆ.

4. *Triumviri Romani qui ad agrum venerant assignandum:*] Novis scilicet colonis Placentiam, & Cremonam deducendis.

5. *Mutinam confugerint.*] Bojorum fuit urbs *Mutina*, inter Padum & Apenninum sita: nunc Italis *Modena*, nobis *Modene*, Ducatûs sui caput, qui Estensi genti paret.

6. *Plerisque inculis.*] Intellige *locis*, quæ passim ibi intra & circum sylvas omni hominum cultu destituta, tesquis ac dumetis obsita horrebant.

7. *Tanetum.*] Octo millia passuum à Parma versus ortum, ad Niciam amnem *Tanetum* est, in veterum Bojorum finibus, adhuc nomen servans; dicitur enim *Tanedo*.

8. *Brixianorum Gallorum.*] Cenomanorum populus Brixiani fuerunt, à *Brixia* urbe dicti, quæ hodie Italis *Brescia* vocatur, nostris *Bresse*.

Punicum inſuper Gallico bello auctum Patres acceperunt; C. Attilium prætorem cum una legione Romana, & quinque millibus ſociorum delectu novo à Conſule conſcriptis, auxilium ferre Manlio jubent: qui ſine ullo certamine (abſceſſerant enim metu hoſtes) Tanetum pervenit. Et P. Cornelius [a] in locum ejus, quæ miſſa cum prætore fuerat tranſcripta legione nova, profectus ab urbe ſexaginta longis navibus præter oram Etruriæ, Ligurumque, [1] & inde Salyum montes, pervenit Maſſiliam, & [2] ad proximum oſtium Rhodani (pluribus enim diviſus amnis in mare decurrit) caſtra locat. Vix dum ſatis credens Annibalem ſuperaſſe Pyrenæos montes: quem ut de Rhodani quoque tranſitu agitare animadvertit; incertus, quonam ei loco occurreret, nec dum ſatis refectis ab jactatione maritima militibus; trecentos interim delectos equites, ducibus Maſſilienſibus & auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, viſendoſque ex tuto hoſtes præmittit. Annibal, cæteris metu aut pretio pacatis, jam [3] in Volcarum pervenerat agrum, gentis validæ. Colunt au-

Uſſ. conſ. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

[a] *Novâ legione conſcriptâ in locum illius quam prætor* Attilius in Galliam Ciſalpinam *duxerat*.

NOTÆ.

1. *Et inde Salyum montes pervenit Maſſiliam.*] Ita cum manuſcriptis præcipuis veteres editiones, id eſt, *præter montes*. At poſteriores habent, *& inde Salyum, mox pervenit Maſſiliam*, quod ex anterioribus referendum eſſet ad *oram, Etruria* nempe, *Ligurum, & inde Salyum*. Porro Salyos, qui & Sallyes, populi erant Galliæ, inter Alpes & Rhodanum; quorum poſtea caput *Aqua Sextiæ*: & priſcis temporibus à Druentia fluvio ad mare pertingebant, planè magnam partem regione.

2. *Ad proximum oſtium Rhodani.*] Rhodanus, vulgò *le Rhone*, (diverſus à Rodano, qui in Vitulam, non procul Gedano influit, hodie *Rodaune*) inter quatuor præcipuas Galliæ flumina non poſtremum obtinet locum. Is ex Adulæ monte, quæ pars Alpium, non procul Rheni ac Ticini fontibus ortus, per Lemanum lacum, ſegnemque deferens Araxim, nec minùs ſeipſo torrentes Iſaram ac Druentiam, pluribus oſtiis in Mediterraneum egeritur mare. Horum tria præcipua ab antiquis nominantur: duo modica *Hiſpanienſe* ad Occaſum, mediumque *Metapinum*; at tertium cæteris amplius *Maſſalioticum*, ortum verſus & Maſſiliæ proximum, nunc vulgò *Gras de Paſſon* vocatur, quod *ad gradus* Marcellino & Antonino; à quo cæteris etiam oſtiis *gradus* poſteà nomen inditum. Ex eo C. Marius foſſam duxit, inſulamque effecit, quæ de ejus nomine vulgò, *la Camargue* appellatur, Maſſaliotico itaque ingreſſus nunc Scipio,

3. *In Volcarum pervenerat agrum.*] *Volcæ* populi fuere Galliæ Braccatæ, quæ & Narbonenſis, trans Rhodanum, ubi hodie Occitanis, vulgò *Languedoc*, pro majori parte. Porro Volcæ in Tectoſages & Arecomicos diviſi fuere: hi ad oram ſiti, nunc *Bas Languedoc*, primariam urbem habebant Nemauſum (*Nimes*): Tectoſages, Occidentaliores, & Pyrenæis propiores, ad mare quoque pertingebant ex Ptolomæo, qui Iliberim, Ruſinonem, Narbonem, Bætiras eis adſcribit. At Strabo eos à mari removet, locatque in Mediterraneis, ut eis reſpondeat nunc *le Haut Languedoc*. Eorum caput haud dubiè Toloſa. Livius hoc loco Volcas ſtrictiùs accipit pro Arecomicis Nemauſenſibus: *Cæterorum* nomine, quos metu aut pretio ab Annibale pacatos

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio,

tem 4 circa utranque ripam Rhodani : ſed diffiſi citeriore agro arceri Pœnum poſſe : ut flumen pro munimento haberent, omnibus ferme ſuis trans Rhodanum trajectis, ulteriorem ripam amnis obtinebant. Cæteros accolas fluminis Annibal, 5 & eorum ipſorum, quos ſedes ſuæ tenuerant, ſimul perlicit donis ad naves undique contrahendas fabricandaſque; ſimul & ipſi trajici exercitum, levarique quàmprimum regionem ſuam tanta urgente hominum turba cupiebant. Itaque ingens coacta vis navium eſt, lintriumque temere 6 ad vicinalem uſum paratarum : novaſque alias primum Galli inchoantes 7 cavabant ex ſingulis arboribus : deinde & ipſi milites, ſimul copia materiæ, ſimul facilitate operis inducti, alveos informes (nihil, dummodo innare aquæ & capere onera poſſent, curantes) raptim faciebant, quibus ſe ſuaque tranſveherent.

XXVII. Jamque omnibus ſatis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverſo hoſtes, omnem ripam 1 equites virique obtinentes : quos ut averteret, Hannonem Bomilcaris filium, vigilia prima noctis, cum parte copiarum, maxime Hiſpanis, adverſo flumine ire iter unius diei jubet: & ubi primo poſſet, quam occultiſſime a trajecto amni, circumducere

INTERPRETATIO.

a *Ut, poſtquam fluvium tranſiſſet, copias ſibi datas circumageret.*

NOTÆ.

eit, intelligendi ſunt Sardones, & Narbonenſes, per quorum agros iter Rhodanum petenti faciendum erat. priuſquam ad Nemauſenſes atque ad Helvios perveniretur (*ceux du Vivarez*) qui proximi citerioti fluminis ripæ.

4. *Circa utranque ripam Rhodani.*] Ripa quidem utraque Rhodani Volcarum fuit, quemadmodùm hodieque ad Occitaniam pertinet. Sed ulterior regio à Deſuviatibus (*ceux d'Arles*), Cavaris, (*ceux d'Avignon*), Segalaunis (*ceux de Valence*) aliiſque populis obtinebatur, qui nunc Provincialium & Delphinatium Occidentalium nomine continentur: niſi fortè Cavares ipſi, & cæteri vicini populi Volcarum pars erant ſecundi hujus belli Punici tempore.

5. *Et eorum ipſorum, quos ſedes ſua tenuerant.*] Inter varias lectiones, hæc Florentini Codicis optima viſa eſt Gron. mihique: nec ab ea Colbert. niſi quod in hoc deſideratur pronomen *ſua*. Vult auctor ex ipſis Volcis Aremoricis, eos qui capti amore patrii ſoli, in priſtinis ſuis eis Rhodanum ſedibus remanſerant, nec cum popularibus trajecerant ad ulteriorem ripam, donis pellectos ab Annibale, tranſitum ejus adjuviſſe. In cod. regio legitur, *& eorum ipſorum, qui ſedes tenuerant*, ſenſu parum diverſo. Quid enim intereſt an eos ſedes ſuæ tenuerint, id eſt, retinuerint; an ipſi eas tenuerint, ſive in earum poſſeſſione permanſerint?

6. *Ad vicinalem uſum.*] Ut vicinorum nomen à vico deductum, in quo alii prope alios degunt; ita *vicinalia* dicuntur à vicinis, qui eis in commune utuntur. Sic vicinales viæ à publicis diverſæ. Hic itaque *lintres ad vicinalem uſum comparatæ*, ſunt exigua navigiola à vicinis in uſum quotidianum ſine arte raptim compacta.

7. *Cavabant ex ſingulis arboribus.*] Hoc alveorum genere pro navigiis utuntur adhuc non tantùm Americani, ſed CoſacKi quoque in finibus Poloniæ ac Ruſſiæ, Græci μονόξυλα vocant.

1. *Equites virique.*] Ita quidem Mſſ. Codd. etiam Colbert. Exemplum adducit Gronov. ex Cæſare lib. 2. de bello Civ. *Capti homines equiteſque producebantur.* Ut viri, ſive homines equitibus oppoſiti pro peditibus accipiantur. Sed recepta magis eſt forma loquendi, quæ in pleriſque omnibus editis habetur, *equis viriſque*.

agmen

agmen, ut quum facto opus sit, adoriatur ab tergo hostem. Ad id dati duces Galli a educunt inde millia quinque & viginti ferme, supra parvæ insulæ circumfusum amnem, latiorem ubi dividebatur, eoque minus alto alveo, transitum ostendêre. ibi raptim b cæsa materia, rateseque fabricatæ, in quibus equi virique & alia onera trajicerentur. Hispani, c sine ulla mole in utres vestimentis conjectis, ipsi 3 cetris suppositis incubantes, flumen transnatavere. Et 4 alius exercitus ratibus junctis trajectus, castris prope flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur; intento duce ad consilium opportune exsequendum. Postero die profecti β ex loco, d prodito fumo significant se transisse, & haud procul abesse. quod ubi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad trajiciendum. Jam paratas aptataque habebat pedes lintres, e equites ferè propter equos nantes, navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infra trajicientibus lintribus præbebat. Equorum pars magna nantes loris à puppibus trahebantur; præter eos, quos instratos frenatosque, ut exemplo egresso in ripam equiti usui essent, imposuerant in naves.

Urb. cond. an. 535. Cos. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

XXVIII. Galli occurrant in ripam cum variis ululatibus 1 cantuque moris sui 2 quatientes scuta supra capita, vibranteque dextris tela: quanquam

INTERPRETATIO.

b *Ligna excisa.*

c *Omni onere soluti.*

d *Fumum excitantes indicarunt Annibali fluvium à se trajectum esse.*

e *Agmen navium, quod superiore fluminis parte ad excipiendum undarum impetum magnam partem equitatûs, prope equos, qui natabant transvehebat; tranquillum lintribus peditum infrà trajicientibus præstabat transitum.*

NOTÆ.

2. *Duces Galli educunt inde.*] Gronov. conjicit verbum *educunt* esse à mala manu. Eo quidem de lecto perspicua magis appareret sententia, sed obstant scripti & editi.

3. *Cetris suppositis incubantes.*] Hic variant exemplaria: alia enim volunt transvisse Hispanos Rhodanum *suppositis*; alia *superpositis Cetris*; & suppositas quidem natantium corporibus fuisse non est quod ambigatur: sed quidni utribus inflatis quos secum semper Hispani in bello deferre soliti, superponi Cetræ potuerint, *ita ut his* incubantes natarent.

4. *Alius Exercitus.*] Pars nempe copiarum Hannoni datarum, alia ab Hispanis.

1. *Cantuque moris sui.*] Veterum usus fuit prælium clamoribus inire ad terrorem hostibus incutiendum: quos ululatus noster vocat, posteriores barritum dixere; quæ vox elephantum est, ut illa luporum: Sed Polybius ait tunc Gallos Pæana cecinisse, quæ vox canticum potiùs sive hymnum significat, quàm inconditum ululatum. Cantum certè & saltationem Galli Germanique initio prælii adhibebant. Hispani quoque præliaturi cetras rythmicè pulsabant, & cum silentio cantuque hostem invadebant, teste Silio l. 3. ac 10. & Diodoro Sic. Nèque ab his abhorrebat mos Laconum, qui ad tibiam & numeros pugnam inibant, & congressi Pæana canebant: quo nomine canticum potiùs sive hymnus significatur, quàm Inconditus ululatus.

2. *Quatientes scuta.*] Eundem morem Asiatici quoque Galli servabant, si auctori nostro fides, lib. 38. c. 17. *Cantus*, inquit, *inchoantium prælium, & ululatus & tripudia, & quatientium scuta in patrium morem, horrendus armorum crepitus.*

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

& ex adverso terrebat tanta vis navium cum ingenti sono fluminis & clamore vario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa trajicientes suos hortabantur. Jam satis paventes adverso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis. mox & ipse aderat, ancepsque terror circumstabat: & è navibus tanta vis armatorum in terram evadens, & à tergo improvisa premebat acies. Galli, postquam vim facere conati, ultro pellebantur; qua patere visum maxime iter, perrumpunt, trepidique in vicos passim suos diffugiunt. Annibal cæteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus, castra locat. Elephantorum trajiciendorum varia consilia fuisse credo: certe variata memoria actæ rei. quidam congregatis ad ripam elephantis, [a] tradunt ferocissimum ex iis irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam, nantem sequeretur, traxisse gregem; ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Cæterum magis constat, ratibus trajectos: [b] id, ut tutius consilium ante rem foret; ita acta re, ad fidem pronius est. Ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terra in amnem porrexerunt: quam, ne secundâ aquâ deferretur, pluribus retinaculis validis parte superiore ripæ religatam, pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluæ audacter velut per solum ingrederentur. altera ratis æque lata, longa pedes centum, ad trajiciendum flumen apta, huic copulata est: & quum elephanti per stabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus fœminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt: ea extemplo resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expositis, [3] alii deinde repetiti ac trajecti sunt. Nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. primus erat pavor, quum [4] soluta ab cæteris rate in altum raperentur. ibi urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationis aliquantum edebant; donec quietem ipse timor circum-

INTERPRETATIO.

a *Elephantem præ cæteris animosum à rectore suo provocatum, eumdem secutum fuisse, cum is in flumen refugeret natatu trajecturus; & sic cæteros post se traxisse ipso impetu fluminis in adversam ripam eos rapiente, prout eorum quisque aqua altitudinem metuens à vado destituebatur.*

b *Consilium illud, quemadmodum ante rem ipsam* (scilicet ante transitum elephantorum) *maximè tutum fuisset: sic post peractam rem creditu facilius est.*

NOTÆ.

3. *Alii deinde repetiti.*] Id est, petiti & trajecti post primos: non enim iidem iterùm petebantur.

4. *Solutâ ab cæteris rate.*] Ratis illa quâ vehebantur elephanti, uni tantùm stabili rati annexa dicitur fuisse, non pluribus, A quibus ergo *cæteris* solutam intelligemus? Non à ratibus, sed ab elephantis, à quibus avellebantur, quos soluta ratis trajiciebat.

ſpicientibus aquàm feciſſet. excidêre etiam, 5 ſævientes quidam, in flumen, ſed pondere ipſo ſtabiles, dejectis rectoribus, quærendis pedetentim vadis, in terram evaſere.

XXIX. Dum elephanti trajiciuntur, interim Annibal 1 Numidas equites quingentos ad caſtra Romana miſerat ſpeculatum, ubi & quantæ copiæ eſſent, & quid pararent. Huic alæ equitum miſſi, ut ante dictum eſt, ab oſtio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. prælium atrocius quam pro numero pugnantium editur. Nam præter multa vulnera, cædes etiam prope par utrinque fuit: fugaque & pavor Numidarum, Romanis jam admodum feſſis victoriam dedit. victores ad centum ſexaginta; nec omnes Romani, a ſed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. hoc principium; ſimulque omen belli, ut ſummæ rerum proſperum eventum, ita haud ſane incruentam, ancipitiſque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita geſta, ad utrumque ducem ſui redierunt. b Nec Scipioni ſtare ſententia poterat, niſi ut ex conſiliis cœptiſque hoſtis, & ipſe conatus caperet: & Annibalem incertum, utrum cœptum in Italiam intenderet iter, an cum eo, qui primus ſe obtuliſſet Romanus exercitus, manus conſereret, avertit à præſenti certamine, Bojorum legatorum 2 regulique Magali adventus, 3 qui ſe duces itinerum, ſocios periculi fore, affirmantes, integro bello, nuſquam ante libatis viribus, Italiam aggrediendam cenſent. Multitudo timebat quidem hoſtes; nondum obliteratâ memoriâ ſuperioris belli; ſed magis iter immenſum, Alpeſque, rem famâ, utique inexpertis, horrendam, metuebat. Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

XXX. Itaque Annibal, 1 poſtquam ipſi ſententia ſtetit pergere, ire, atque Italiam petere, advocata concione, varie militum verſat animos, caſtigando adhortandoque. *Mirari ſe, quinam pectora ſemper impavida repens terror invaſerit. per tot annos vincentes eos ſtipendia facere, neque ante Hiſpania exceſſiſſe, quam omnes genteſque & terræ eæ, quas 2 duo diverſa maria amplectantur, Carthaginienſium eſſent. Indignatos deinde,*

INTERPRETATIO.

a *Sed partim à Gallorum numero* fuere qui *ex* Romano *exercitu victore occiſi ſunt: ex victis* autem Pœnis, *plus quàm ducenti occiſi ſunt.*

b *Nec licebat Scipioni certi aliquid apud ſe ſtatuere; ſed neceſſe erat, ut juxta ea quæ Annibal decreviſſet, ac moliretur, ipſe quoque ſua molimina regeret.*

NOTÆ.

5. *Sævientes.*] Intellige commotos pavore, non crudelitate agitatos.

1. *Numidas equites.*] Optimi equites ſemper habiti Numidæ, ut qui ſine frænis equos velociſſimo curſu agere ſoliti fuerint, parique pernicitate ad ſuos regredi, & ſic ad ſpeculandum magis quàm ad ſtatariam pugnam apti.

2. *Regulique Magali.*] Aliàs *Matali*. Hunc Bojorum Regulum Magilon Polyb. appellat, Et facilis in barbaris præſertim nominibus vocalium *a* & *i* permutatio, ut in Maſiniſſa, qui etiam *Maſaniſſa*; & in Mithridate, qui & *Mithradates* ſcribitur.

1. *Poſtquàm ipſi ſententia ſtetit.*] Gall. *Après qu'il eut pris la reſolution de paſſer outre.*

2. *Duo diverſa maria.*] Ambitur Hiſpania ad Meridiem ferè & Ortum Mediterraneo ad Occaſum & Septentrionem Oceano quæ duo maria intermedio freto Gaditano dirimuntur, vel potiùs miſcentur.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio,

quod quicunque Saguntum obſediſſent, velut ob noxam 3 *ſibi dedi poſtularet populus Romanus, Iberum trajeciſſe ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum. Tum nemini viſum id longum, quum ab occaſu ſolis ad ortum intenderent iter. Nunc, poſtquam multo majorem partem itineris emenſam cernant; Pyrenæum ſaltum inter ferociſſimas gentes ſuperatum; Rhodanum, tantum amnem, tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipſius fluminis vi, trajectum, in conſpectu Alpes habeant, quarum* 4 *alterum latus, Italiæ ſit; in ipſis portis hoſtium fatigatos ſubſiſtere: quid aliud Alpes eſſe credentes, quam montium altitudines? Fingerent* 5 *altiores Pyrenæi jugis. nullas profecto terras cælum contingere, nec inexſuperabiles humano generi eſſe. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes. pervias paucis eſſe.* 6 *exercitibus invias? eos ipſos* 7 *quos cernant, legatos non pennis* 8 *ſublimè elatos Alpes tranſgreſſos: ne majores quidem eorum indigenas, ſed advenas Italiæ cultores, bas ipſas Alpes* 9 *ingentibus ſæpe agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tuto tranſmiſiſſe. Militi quidem armato, nihil ſecum præter inſtrumenta belli portanti, quid invium aut inexſuperabile eſſe? Saguntum ut caperetur, quid per octo menſes periculi, quid laboris exhauſtum eſſe? Romam orbis terrarum caput petentibus, quicquam adeo aſperum atque arduum videri, quod incœptum moretur? Cepiſſe quondam Gallos ea, quæ adiri poſſe Pœnus deſperet. proinde aut cederent animo atque virtute* 10 *genti per eos dies toties ab ſe victæ: aut*

NOTÆ.

3. *Sibi dedi poſtularet populus Romanus.*] Alludit ad uſum Romanorum, qui, ſervum qui alteri nocuerat, noxæ dedendo, à damni ſarciendi obligatione liberabantur ex lege XII. tabularum: Hoc itaque *dedendi* verbo, tanquam ſervile quid ſapiat, ideoque odioſum ſit, utitur hic Annibal ad irritandos ſuorum animos. Eum autem *dedi* poſtulaverant Romani. ſupr. c. 6. & 18.

4. *Alterum latus, Italiæ ſit.*] Pars Alpium in Occaſum verſa, ad Galliam Braccatam pertinebat: pars quæ Orientem reſpicit, ad Italiam. Nec tamen abſurda omnino lectio alia: *quarum alterum latus Italiæ ſit*; nam *Italia* dici poteſt pars Italiæ.

5. *Alti ores Pyrenæi jugis.*] Dicitur æquè *Pyrenæus* mons, & montes *Pyrenæi*, quemadmodùm *Alpis*, & *Alpes*. Nec tamen ſummo Pyrenæo longè excelſior Alpis ſumma.

6. *Exercitibus invias.*] Interrogatio eſt, quæ id negat quod videtur affirmare: & certè quæ paucis pervia ſunt, ea facilius videntur ab ingenti exercitu ſuperari poſſe. Nomen *invias* debemus editioni Mediolanenſi, quæ ſcriptis, & antea editis ignota; quâ tamen demptâ laborat omnino ſententia.

7. *Quos cernant Legatos.*] Bojorum nempe Italicorum, quorum majores è Gallia noſtra in Italiam tranſgreſſi.

8. *Sublimè elatos.*] Adverbialiter ſumitur hìc *ſublimè*: quæ loquendi forma Ciceroni & Virgilio non incognita, pro eo quod eſt *in ſublime*, vel *per ſublime*. ſive per aërem.

9. *Ingentibus ſæpe agminibus.*] Galli Alpes quinquies tranſgreſſi ad occupandam Italiam memorantur à Livio lib. 5. cap. 34. & 35.

10. *Genti per eos dies toties ab ſe victæ.*] Jactantia Punica, vel Liviana malevolentia in Tranſalpinos: cùm ſemel tantùm pars exigua Volcarum arte Annibalis deluſa; reliqui, ut ipſe auctor indicat, auro & muneribus deliniti tranſitum pacatum ei permiſiſſent.

itineris finem sperent 11 *campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.*

XXXI. His adhortationibus incitatos corpora curare, atque ad iter se parare jubet. Postero die profectus 2 adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset; sed quantum, à mari recessisset, minus obvium fore Romanum credens, cum quo, priusquam in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere. 1 Quartis castris 2 ad Insulam pervenit: ibi 3 Arar Rhodanusque amnes, 4 diversis ex Alpibus decurrentes, 5 agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum. Mediis campis *Insulæ* nomen inditum, in- Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scipione, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

2 *Secundum sinistram Rhodani ripam, adverso flumine;*

NOTÆ.

11. *Campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.*] Quis ille campus sit ambigi posset, quando Romana mœnia Tiberim jam tum attingebant. Sed tamen campum Martium intelligas licet, qui extra urbem ad Tiberis divertigium erat.

1. *Quartis Castris.*] Gall. *au quatrieſme Campement.* Hæc & sequentia valde suspectum mihi faciunt totum hoc Annibalis iter. Cum enim castra Scipionis fuisse dicantur ad ostium Rhodani c. 26. & 29. ejusque equitatus cum Numidis Annibalis ad speculandum missis atrox prælium commiserit: vix est, ut unius, certè minùs quàm bidui, itinere ab mari abfuerit Annibal cùm flumen trajecit. Transitus ergo ille circa vel paulò infra Arelatensem agrum supponatur. Hoc posito, cui persuaderi poterit, quaternis castris ad Confluentes Rhodani & Araris perventum ab exercitu, & emensa itinere quatridui circiter centum quadraginta passuum millia, transitosque decem majores aut minores amnes.

2. *Ad Insulam pervénit.*] Indicare creditur locum, ubi postea Lugdunum à Lucio Munacio Planco vel conditum, vel instauratum. Sed ob rationem superiori adductam notâ, facilè adducor ut credam ad Druentiæ cum Rhodano juxta Avenionem confluentes Insulam hanc fuisse. Ibi enim vera insula est haud pœnitendæ magnitudinis: sed nihil ad Ægyptiacum Deltæ, cum quo à Polybio comparatur imaginaria illa inter Rhodani & Araris fontes interjecta insula. Inter quas tamen insulas hoc discrimen Polyb. agnoscit, quòd Delta non solùm duobus Nili brachiis hinc inde alluitur, sed etiam mari Mediterraneo; at hujus, quam inter Araris & Rhodani fluenta collocat, tertium latus, non mari aut flumine, sed montibus clauditur, Jura nimirum & Vogeso. Adde quòd, si hæc insula in Cavaris ponatur, verisimile erit, quòd statim subjicitur, *inde ad lævam in Tricastinos iter flexisse Annibalem*, id scilicet è proximo facturus: finitimi quippe Cavaris Tricastini. At si Annibal ad vicina Lugduno loca accessisset, Tricastinos ad dextram è longinquo fuisset repetiturus.

3. *Arar Rhodanusque.*] Ararim posteriores Secaunam dixere; unde vulgare nomen, *la Saone.*

4. *Diversis ex Alpibus.*] Sic veteres Libri; estque hoc certum de Druentia & Rhodano, quorum prior ex Cottiis, (*du Mont Cenis*) posterior funditur è Penninis (*du grand S. Bernard*) haud procul Rheni, ac Danubii fontibus: non ita de Arari, qui ex Vogeso oritur (*des Monts de Vauge*). Quanquam veteri Gallorum Linguâ altiores montes generali vocabulo, Alpes vocabantur, teste Servio in 3. Georgicon, & Isidoro Origin. lib. 14. cap. 8. adeo ut Pyrenæi quoque, Alpium nomine dicti ab accolis fuerint, auctore Procopio lib. 2. de bello Gothico.

5. *Agri aliquantulum.*] Hoc quoque Insulæ quam efficit Druentia in Rhodanum influens, rectè convenit. Nam inter Ararim & Rhodanum ingens est terrarum tractus.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

porro ire, nec ultra inquireret, ſineretque fata in occulto eſſe.

XXIII. Hoc viſu lætus tripartito Iberum copias trajecit, præmiſſis, qui Gallorum ánimos, quâ traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiumque tranſitus ſpecularentur. nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum tráduxit. Ilergetes inde Barguſioſque & [1] Auſe- 5
tanos, & [2] Lacetaniam, quæ ſubjecta Pyrenæis montibus eſt, ſubegit: oræque huic omni præfecit Hannonem, [3] ut fauces, quæ Hiſpanias Galliis jungunt, in poteſtate eſſent. Decem millia peditum Hannoni [a] ad præſidium obtinendæ regionis data, & mille equites. Poſtquam [4] per Pyrenæum ſaltum traduci exercitus cœptus eſt: rumorque per barba- 10
ros manavit certior de bello Romano, triâ millia inde Carpetanorum peditum iter averterunt. conſtabat non tam bello motos quam longinquitate viæ, inſuperabilique Alpium tranſitu. Annibal, quia revocare, aut [b] vi retinere eos anceps erat; ne cæterorum etiam fero-

INTERPRETATIO.

a *Aſſignata ad defenſionem tractûs illius, qui* occupatus atque *in officio continendus erat.*

b *Periculoſum eſſe poterat eos ad revertendum, aut ſequendum cogere.*

NOTÆ.

1. *Auſetanos.*] Dicti ſunt hi populi ab *Auſa*, (quæ poſterioribus Auſona), oppido, quod nunc Cataloniæ accenſetur, eſtque urbs Epiſcopalis, vulgò *Vic d'Oſona*. Sub his quoque Gerundenſes fuêre, nunc *Ville & Dioceſe de Gironne*; apud Ptolomæum *Authetani* corruptè leguntur pro Auſetanis.

2. *Lacetaniam.*] Differunt Lacetani à Laletanis & Jaccetanis. *Laletani*, qui Ptolomæo *Laetani*, Straboni *Leetani*, ad oram ſunt, eorumque caput eſt Barcino: hodie *l'Eveſché de Barcelonne*: his atque Auſetanis, itemque Caſtellanis & Ceretanis contermini ad Occidentem *Lacetani*, quos perperam Ptolomæus & Strabo *Jaccetanos*. Plutarchus Lacetanos veriùs appellat, Rubricato maximè fluvio ab illis diviſi: inter hunc & Sicorim ab Ibero ad Pyrenæos protenſi. Hodie in hoc tractu ſunt Urgellitana, & Solſonenſis Diœceſes in Catalonia. *Jaccetani* autem populi ſunt Vaſconum, ſub Pyrenæo à Jacca civitate dicti ad Aragonem fluvium poſitâ. *L'Eveſché de Jaca au Royaume d'Aragon.* Rectè hic Sigonius lectionem vulgarem emendat. Malè enim ſcriptum erat *Aquitaniam*, imperitiâ Librariorum, quibus ignota Lacetania.

3. *Ut fauces quæ Hiſpaniæ.*] Anguſtiæ Vallium, quibus inter montes aditus ab una in aliam partem patet, figuratè dicuntur fauces; *les deſtroits, les paſſages eſtroits.* Vulgus hodie has Pyrenæorum anguſtias *portus* appellat; atque hac de cauſa Hiſpani Navarram inferiorem, quæ ipſis eſt ultra Pyrenæorum tranſitum, vocant *ultra puertos*.

4. *Per Pyrenæum ſaltum.*] Loca paſcua & ſylvoſa nomine ſaltuum ſæpe ſignificantur, ut hic. Pyrenæus autem ſaltus ſumitur pro Pyrenæis montibus, qui Hiſpanos à Gallis dividunt, ab Oceano Cantabrico ad mare Ibericum porrecti. Plerique dictos volunt ἀπὸ τῶ πυρὸς, vel quòd igne ſulminis ſæpenumero feriantur: vel quòd injecto à paſtoribus igne, ſylvæ omnes quibus veſtiebantur, conflagraverint. Alii deducunt à Pyrene Bebrycis regis filiâ, ab Hercule compreſſâ, ibique ſepultâ. Vulgò *les Monts Pyrenées*. Sed aliquando latiùs patet hoc nomen, ita ut aliis Hiſpaniæ montibus, qui ad Oceanum Occidentalem ab Ortu ad Occaſum univerſam Hiſpaniam dividunt, attribuatur: imò & nonnunquam Rheticis jugis, aliiſque per Illyricum, ut Alpium, ita & Pyrenæorum nomen adſcribatur, vulgò *Prenner*:

ces animi irritarentur; ſupra ſeptem millia hominum domos remiſit, quos & ipſos gravari militiâ ſenſerat; Carpetanos quoque ab ſe dimiſſos ſimulans. Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempr

XXIV. Inde, ne mora atque otium animos ſolicitarent, cum reliquis copiis Pyrenæum tranſgreditur, & ad oppidum 1 Illiberim caſtra locat. Galli, quanquam Italiæ bellum inferri audiebant: tamen quia vi ſubactos trans Pyrenæum Hiſpanos fama erat, præſidiaque valida impoſita; metu ſervitutis 2 ad arma conſternati, 3 Ruſcinonem aliquot populi conveniunt. quod ubi Annibali nunciatum eſt, moram magis quam bellum metuens, oratores ad regulos eorum miſit, *colloqui ſemetipſum velle cum his, & vel illi propius Illiberim accederent, vel ſe Ruſcinonem proceſſurum, ut ex propinquo congreſſus facilior eſſet: nam & acceptuum eos in caſtra ſua ſe lætum, nec cunctanter ſeipſum ad eos venturum. Hoſpitem enim ſe Galliæ, non hoſtem adveniſſe: nec ſtricturum ante gladium, ſi per Gallos liceat, quam in Italiam veniſſet.* & per nuntios quidem hæc. Ut vero reguli Gallorum, caſtris ad Illiberim extemplo motis haud gravate ad Pœnum venerunt; capti donis, cum bona pace exercitum per fines ſuos præter Ruſcinonem oppidum tranſmiſerunt.

XXV. In Italiam interim nihil ultra quam Iberum tranſiſſe Annibalem, à Maſſilienſium legatis Romam perlatum erat: quàm perinde, ac ſi Alpes jam tranſiſſet, Boii, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt: neo tam ob veteres in populum Romanum iras, quam quod 1 nuper circa Padum, 2 Placentiam, 3 Cremonamque Colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur. Itaque armis repente arreptis, in eum ip-

NOTÆ.

1. *Illiberim.*] Ab Hiſpania venientibus ſecundum littus Mediterranei maris, primi Gallorum ultra Pyrenæos populi occurrebant *Sardones*, Volcarum Tectoſagum pars, ut ex Ptolomæo colligitur: in his duo præcipua memorantur oppida, *Illiberis*, ſeu *Eliberri*, & *Ruſcino*; illud ad oram ſitum, tempore Plinii & Melæ in vicum abierat; eratque magnæ quondam urbis & magnarum opum tenue veſtigium; poſteà *Caucoliberim* dixerunt, nunc nomen aliquatenus retinet, *Collioure* vulgò dictum.

2. *Ad arma conſternati.*] Livii phraſis, qui *conſternari* aliquando dicit pro eo quod eſt *concitari* & *commoveri* cum trepidatione. Sic lib. 7. *multitudo conjuratorum ad arma conſternata.*

3. *Ruſcinonem .... conveniunt.*] Eadem fuit progreſſu temporis Ruſcinonis fors ac Illiberis. Cùm enim caput totius gentis fuiſſet, ejus hodie nihil extat aliud, quàm turris quam vulgò nominant, *la tour de Rouſſillon* juxta Perpinianum; unde comitatui nomen, quem natura uſuſque antiquus Galliæ aſſignavere. Recentiora ſæcula modò Hiſpanis, modò Gallis, partim fœderibus, partim armorum vis addixerunt.

1. *Nuper circa Padum.*] Hoc ipſo anno deductæ fuerant illæ coloniæ à triumviris, qui hoc capite memorantur: ex Aſconio, Polybio, & Epit. Liv. 20.

2. *Placentiam.*] Ananum, ſeu Anamanum, vel potiùs Ambarrorum Italicorum caput fuit *Placentia*, ad dextram Padi ripam, quà Trebia ſeſe in Padum effundit, nunc Italis *Piacenza*, Gallis *Plaiſance* in ditione ducis Parmenſis, quæ pars Longobardiæ Ciſpadanæ.

3. *Cremonamque.*] Cenomanorum Italicorum (quos Plinius juxta Maſſiliam priùs in Volcis habitaſſe ſcribit) urbs fuit imprimis *Cremona*, ad lævam Padi, infra Placentiam: nomen adhuc retinet in Mediolanenſi ducatu.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

sum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non agrestis modo multitudo, sed ipsi 4 triumviri Romani, qui ad agrum venerant assignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, 5 Mutinam confugerint, C. Lutatius, C. Servilius, T. Annius. Lutatii nomen haud dubium est. pro C. Servilio, & T. Annio, Q. Acilium, & C. Herennium habent quidam annales: alii P. Cornelium Asinam, & C. Papirium Masonem. Id quoque dubium est, legati ad expostulandum ad Bojos missi, violatè sint, an in triumviros [a] agrum metantes impetus sit factus. Mutinæ quum obsiderentur, & gens ad oppugnandarum urbium artes rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, segnis intactis assideret muris; simulari cœptum de pace agi. evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra jus modo gentium, sed violatâ etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur; negantibus Gallis, nisi obsides sibi redderentur, eos dimissuros. Quum hæc de legatis nunciata essent, & Mutina præsidiumque in periculo esset; L. Manlius prætor ira accensus, effusum agmen ad Mutinam ducit. Sylvæ tunc circa viam erant, 6 plerisque incultis: ibi inexplorato profectus, in insidias præcipitatus, multaque eum cæde suorum ægre in apertos campos emersit. ibi castra communita; & quia Gallis ad tentanda ea defuit spes, refecti sunt militum animi, quanquam acciſas res satis constabat. Iter deinde de integro cœptum, nec, dum per patentia loca ducebatur agmen, apparuit hostis: ubi rursus sylvæ intratæ, tum postremos adorti, eum magna trepidatione ac pavore omnium, octingentos milites occiderunt, sex signa ademere. Finis & Gallis territandi, & pavendi Romanis fuit, ut ex saltu invio atque impedito evasere. inde, apertis locis facile tutantes agmen Romani, 7 Tanetum, vicum propinquum Pado, contendere: ibi se munimento ad tempus, commeatibusque fluminis, 8 & Brixianorum Gallorum auxilio adversus crescentem in dies multitudinem hostium tutabantur.

XXVI. Qui [b] tumultus repens postquam est Romam perlatus, &

INTERPRETATIO.

a *Metiendo disterminantes agrum.*
b *Subitus* Gallorum *motus*,

NOTÆ.

4. *Triumviri Romani qui ad agrum venerant assignandum:*] Novis scilicet colonis Placentiam, & Cremonam deducendis.

5. *Mutinam confugerint.*] Bojorum fuit urbs *Mutina*, inter Padum & Apenninum sita: nunc Italis *Modena*, nobis *Modene*, Ducatûs sui caput, qui Estensi genti paret.

6. *Plerisque incultis.*] Intellige *locis*, quæ passim ibi intra & circum sylvas omni hominum cultu destituta, tesquis ac dumetis obsita horrebant.

7. *Tanetum.*] Octo millia passuum à Parma versus ortum, ad Niciam amnem *Tanetum* est, in veterum Bojorum finibus, adhuc nomen servans; dicitur enim *Tanedo*.

8. *Brixianorum Gallorum.*] Cenomanorum populus Brixiani fuerunt, à *Brixia* urbe dicti, quæ hodie Italis *Brescia* vocatur, nostris *Bresse*.

Punicum insuper Gallico bello auctum Patres acceperunt; C. Attilium prætorem cum una legione Romana, & quinque millibus sociorum delectu novo à Consule conscriptis, auxilium ferre Manlio jubent: qui sine ullo certamine (abscesserant enim metu hostes) Tanetum pervenit. Et P. Cornelius [a] in locum ejus, quæ missa cum prætore fuerat transcripta legione nova, profectus ab urbe sexaginta longis navibus præter oram Etruriæ, Ligurumque, [1] & inde Salyum montes, pervenit Massiliam; & [2] ad proximum ostium Rhodani (pluribus enim divisus amnis in mare decurrit) castra locat. Vix dum satis credens Annibalem superasse Pyrenæos montes: quem ut de Rhodani quoque transitu agitare animadvertit; incertus, quonam ei loco occurreret, nec dum satis refectis ab jactatione maritima militibus; trecentos interim delectos equites, ducibus Massilienſibus & auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, visendosque ex tuto hostes præmittit. Annibal, cæteris metu aut pretio pacatis, jam [3] in Volcarum pervenerat agrum, gentis validæ. Colunt au-

Ufq. conſ. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

[a] *Novâ legione conscriptâ in locum illius quam prator* Attilius in Galliam Cisalpinam *duxerat*.

NOTÆ.

1. *Et inde Salyum montes pervenit Massiliam.*] Ita cum manuscriptis præcipuis veteres editiones, id est, *prater montes*. At posteriores habent, *& inde Salyum, mox pervenit Massiliam*, quod ex anterioribus referendum esset ad *oram, Etruria* nempe, *Ligurum, & inde Salyum*. Porro Salyos, qui & Sallyes, populi erant Galliæ, inter Alpes & Rhodanum; quorum postea caput *Aqua Sextiæ*: & priscis temporibus à Druentia fluvio ad mare pertingebant, planâ magnam partem regione.

2. *Ad proximum ostium Rhodani.*] Rhodanus, vulgò *le Rhone*, (diversus à Rodano, qui in Vistulam, non procul Gedano influit, hodie *Rodaune*) inter quatuor præcipua Galliæ flumina non postremum obtinet locum. Is ex Adula monte, quæ pars Alpium, non procul Rheni ac Ticini fontibus ortus, per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim, nec minùs seipso torrentes Isaram ac Druentiam, pluribus ostiis in Mediterraneum egeritur mare. Horum tria præcipua ab antiquis nominantur: duo modica *Hispaniense* ad Occasum, mediumque *Metapinum*; at tertium cæteris amplius *Massalioticum*, ortum versus & Massiliæ proximum, nunc vulgò *Gras de Passon* vocatur, quod *ad gradus* Marcellino & Antonino; à quo cæteris etiam ostiis *gradus* postea nomen inditum. Ex eo C. Marius fossam duxit, insulamque effecit, quæ de ejus nomine vulgò, *la Camargue* appellatur, Massaliotico itaque ingressus nunc Scipio.

3. *In Volcarum pervenerat agrum.*] *Volcæ* populi fuere Galliæ Braccatæ, quæ & Narbonenſis, trans Rhodanum, ubi hodie Occitaniæ, vulgò *Languedoc*, pro majori parte. Porro Volcæ in Tectosages & Arecomicos divisi fuere: hi ad oram siti, nunc *Bas Languedoc*, primariam urbem habebant Nemausum (*Nimes*): Tectosages, Occidentaliores, & Pyrenæis propiores, ad mare quoque pertingebant ex Ptolomæo, qui Iliberim, Rusinonem, Narbonem, Bætiras eis adscribit. At Strabo eos à mari removet, locatque in Mediterraneis, ut eis respondeat nunc *le Haut Languedoc*. Eorum caput haud dubiè Tolosa. Livius hoc loco Volcas strictiùs accipit pro Arecomicis Nemausensibus: *Caterarum* nomine, quos metu aut pretio ab Annibale pacatos

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

tem 4 circa utranque ripam Rhodani : sed diffisi citeriore agro arceri Pœnum posse : ut flumen pro munimento haberent, omnibus ferme suis trans Rhodanum trajectis, ulteriorem ripam amnis obtinebant. Cæteros accolas fluminis Annibal, 5 & eorum ipsorum, quos sedes suæ tenuerant, simul perlicit donis ad naves undique contrahendas fabricandasque; simul & ipsi trajici exercitum, levarique quàmprimum regionem suam tanta urgente hominum turba cupiebant. Itaque ingens coacta vis navium est, lintriumque temere 6 ad vicinalem usum paratarum: novasque alias primum Galli inchoantes 7 cavabant ex singulis arboribus: deinde & ipsi milites, simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alveos informes (nihil, dummodo innare aquæ & capere onera possent, curantes) raptim faciebant, quibus se suaque transveherent.

XXVII. Jamque omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam 1 equites virique obtinentes: quos ut averteret, Hannonem Bomilcaris filium, vigilia prima noctis, cum parte copiarum, maxime Hispanis, adverso flumine ire iter unius diei jubet: & ubi primo posset, quam occultissime a trajecto amni, circumducere

INTERPRETATIO.

a *Ut, postquam fluvium transisset, copias sibi datas circumageret.*

NOTÆ.

eit, intelligendi sunt Sardones, & Narbonenses, per quorum agros iter Rhodanum petenti faciendum erat. priusquam ad Nemausenses atque ad Helvios perveniretur (*ceux du Vivarez*) qui proximi citeriori fluminis ripæ.

4. *Circa utranque ripam Rhodani.*] Ripa quidem utraque Rhodani Volcarum fuit, quemadmodùm hodieque ad Occitaniam pertinet. Sed ulterior regio à Desuviatibus (*ceux d'Arles*), Cavaris, (*ceux d'Avignon*), Segalaunis (*ceux de Valence*) aliisque populis obtinebatur, qui nunc Provincialium & Delphinatium Occidentalium nomine continentur: nisi fortè Cavares ipsi, & cæteri vicini populi Volcarum pars erant secundi hujus belli Punici tempore.

5. *Et eorum ipsorum, quos sedes suæ tenuerant.*] Inter varias lectiones, hæc Florentini Codicis optima visa est Gronovio mihique: nec ab ea Colbert. nisi quod in hoc desideratur pronomen *suæ*. Vult auctor ex ipsis Volcis Aremoricis, eos qui capti amore patrii soli, in pristinis suis cis Rhodanum sedibus remanserant, nec cum popularibus trajecerant ad ulteriorem ripam, donis pellectos ab Annibale, transitum ejus adjuvisse. In cod. regio legitur, *& eorum ipsorum, qui sedes tenuerant*, sensu parum diverso. Quid enim interest an eos sedes suæ tenuerint, id est, retinuerint; an ipsi eas tenuerint, sive in earum possessione permanserint?

6. *Ad vicinalem usum.*] Ut vicinorum nomen à vico deductum, in quo alii prope alios degant; *ita vicinalia* dicuntur à vicinis, qui eis in commune utuntur. Sic vicinales viæ à publicis diversæ. Hic itaque *lintres ad vicinalem usum comparatæ*, sunt exigua navigiola à vicinis in usum quotidianum sine arte raptim compacta.

7. *Cavabant ex singulis arboribus.*] Hoc alveorum genere pro navigiis utuntur adhuc non tantùm Americani, sed Cosacki quoque in finibus Poloniæ ac Russiæ, Græci μονόξυλα vocant.

1. *Equites virique.*] Ita quidem Mss. Codd. etiam Colbert. Exemplum adducit Gronov. ex Cæsare lib. 2. de bello Civ. *Capti homines equitesque producebantur.* Ut viri, sive homines equitibus oppositi pro peditibus accipiantur. Sed recepta magis est forma loquendi, quæ in plerisque omnibus editis habetur, *equis virisque*.

agmen

agmen, ut quum facto opus sit, adoriatur ab tergo hostem. Ad id dati Urb. condd. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.
2 duces Galli a educunt inde millia quinque & viginti ferme, supra parvæ insulæ circumfusum amnem, latiorem ubi dividebatur, eoque minus alto alveo, transitum ostendêre. ibi raptim b cæsa materia, rateseque fabricatæ, in quibus equi virique & alia onera trajicerentur. Hispani, c sine ulla mole in utres vestimentis conjectis, ipsi 3 cetris suppositis incubantes, flumen transnatavere. Et 4 alius exercitus ratibus junctis trajectus, castris prope flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur; intento duce ad consilium opportune exsequendum. Postero die profecti β ex loco, d prodito fumo significant se transisse, & haud procul abesse. quod ubi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad trajiciendum. Jam paratas aptataque habebat pedes lintres, e equites ferè propter equos nantes, navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infra trajicientibus lintribus præbebat. Equorum pars magna nantes loris à puppibus trahebantur; præter eos, quos instratos frenatosque, ut extemplo egresso in ripam equiti uti essent, imposuerant in naves.

XXVIII. Galli occurrant in ripam cum variis ululatibus 1 cantuque moris sui 2 quatientes scuta supra capita, vibrantesque dextris tela: quanquam

INTERPRETATIO.

b *Ligna excisa.*
c *Omni onere soluti.*
d *Fumum excitantes indicarunt Annibali fluvium à se trajectum esse.*
e *Agmen navium, quod superiore fluminis parte ad excipiendum undarum impetum magnam partem equitatûs, prope equos, qui natabant transvehebat; tranquillum lintribus pedstum infrà trajicientibus præstabat transitum.*

NOTÆ.

2. *Duces Galli educunt inde.*] Gronov. conjicit verbum *educunt* esse à mala manu. Eo quidem delecto perspicua magis appareret sententia, sed obstant scripti & editi.

3. *Cetris suppositis incubantes.*] Hic variant exemplaria: alia enim volunt transvisse Hispanos Rhodanum *suppositis*; alia *superpositis Cetris*; & suppositas quidem natantium corporibus fuisse non est quod ambigatur: sed quidni utribus inflatis quos secum semper Hispani in bello deferre soliti, superponi Cetræ potuerint, *ita ut his* incubantes natarent.

4. *Alius Exercitus.*] Pars nempe copiarum Hannoni datarum, alia ab Hispanis.

1. *Cantuque moris sui.*] Veterum usus fuit prælium clamoribus inire ad terrorem hostibus incutiendum: quos ululatus noster vocat, posteriores barritum dixere; quæ vox elephantum est, ut illa luporum: Sed Polybius ait tunc Gallos Pæana cecinisse, quæ vox canticum potiùs sive hymnum significat, quàm inconditum ululatum. Cantum certè & saltationem Galli Germanique initio prælii adhibebant. Hispani quoque præliaturi cetras rythmicè pulsabant, & cum saltu cantuque hostem invadebant, teste Silio l. 3. ac 10. & Diodoro Sic. Neque ab his abhorrebat mos Laconum, qui ad tibiam & numeros pugnam inibant, & congressi Pæana canebant: quo nomine canticum potiùs sive hymnus significatur, quàm inconditus ululatus.

2. *Quatientes scuta.*] Eundem morem Asiatici quoque Galli servabant, si auctori nostro fides, lib. 38. c. 17. *Cantus*, inquit, *inchoantium prælium, & ululatus & tripudia, & quatientium scuta in patrium morem, horrendus armorum crepitus.*

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

& ex adverso terrebat tanta vis navium cum ingenti sono fluminis & clamore vario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa trajicientes suos hortabantur. Jam satis paventes adverso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis, mox & ipse aderat, anceps que terror circumstabat: & è navibus tanta vis armatorum in terram evadens, & à tergo improvisa premebat acies. Galli, postquam vim facere conati, ultro pellebantur; qua patere visum maxime iter, perrumpunt, trepidique in vicos passim suos diffugiunt. Annibal cæteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus, castra locat. Elephantorum trajiciendorum varia consilia fuisse credo: certe variata memoria actæ rei. quidam congregatis ad ripam elephantis, [a] tradunt ferocissimum ex iis irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam, nantem sequeretur, traxisse gregem; ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Cæterum magis constat, ratibus trajectos: [b] id, ut tutius consilium ante rem foret; ita acta re, ad fidem pronius est. Ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terra in amnem porrexerunt: quam, ne secundâ aquâ deferretur, pluribus retinaculis validis parte superiore ripæ religatam, pontis in modum humo injecta constraverunt, ut bellux audacter velut per solum ingrederentur. altera ratis æque lata, longa pedes centum, ad trajiciendum flumen apta, huic copulata est: & quum elephanti per stabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus fœminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt: ea extemplo resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expositis, [3] alii deinde repetiti ac trajecti sunt. Nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. primus erat pavor, quum [4] soluta ab cæteris rate in altum raperentur. ibi urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationis aliquantum edebant; donec quietem ipse timor circum-

INTERPRETATIO.

[a] *Elephantem præ cæteris animosum à rectore suo provocatum, eumdem secutum fuisse, cum is in flumen refugeret natatu trajecturus; & sic cæteros post se traxisse ipso impetu fluminis in adversam ripam eos rapiente, proiit eorum quisque aqua altitudinem metuens à vado destituebatur.*

[b] *Consilium illud, quemadmodum ante rem ipsam* (scilicet ante transitum elephantorum) *maximè tutum fuisset: sic post peractam rem creditu facilius est.*

NOTÆ.

3. *Alii deinde repetiti.*] Id est, petiti & trajecti post primos: non enim iidem iterùm petebantur.

4. *Solutâ ab cæteris rate.*] Ratis illa quâ vehebantur elephanti, uni tantùm stabili rati annexa dicitur fuisse, non pluribus, A quibus ergo *cæteris* solutam intelligemus? Non à ratibus, sed ab elephantis, à quibus avellebantur, quos soluta ratis trajiciebat.

ſpicientibus aquàm feciſſet. excidêre etiam, 5 ſævientes quidam, in flumen, ſed pondere ipſo ſtabiles, dejectis rectoribus, quærendis pedetentim vadis, in terram evaſere.

XXIX. Dum elephanti trajiciuntur, interim Annibal 1 Numidas equites quingentos ad caſtra Romana miſerat ſpeculatum, ubi & quantæ copiæ eſſent, & quid pararent. Huic alæ equitum miſſi, ut ante dictum eſt, ab oſtio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. prælium atrocius quam pro numero pugnantium editur. Nam præter multa vulnera, cædes etiam prope par utrinque fuit: fugaque & pavor Numidarum, Romanis jam admodum feſſis victoriam dedit. victores ad centum ſexaginta; nec omnes Romani, a ſed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. hoc principium; ſimulque omen belli, ut ſummæ rerum proſperum eventum, ita haud ſane incruentam, ancipitiſque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita geſta, ad utrumque ducem ſui redierunt. b Nec Scipioni ſtare ſententia poterat, niſi ut ex conſiliis cœptiſque hoſtis, & ipſe conatus caperet: & Annibalem incertum, utrum cœptum in Italiam intenderet iter, an cum eo, qui primus ſe obtuliſſet Romanus exercitus, manus conſereret, avertit à præſenti certamine, Bojorum legatorum 2 regulique Magali adventus, 3 qui ſe duces itinerum, ſocios periculi fore, affirmantes, integro bello, nuſquam ante libatis viribus, Italiam aggrediendam cenſent. Multitudo timebat quidem hoſtes; nondum obliteratâ memoriâ ſuperioris belli; ſed magis iter immenſum, Alpeſque, rem famâ, utique inexpertis, horrendam, metuebat.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

XXX. Itaque Annibal, 1 poſtquam ipſi ſententia ſtetit pergere, ire, atque Italiam petere, advocata concione, varie militum verſat animos, caſtigando adhortandoque. *Mirari ſe, quinam pectora ſemper impavida repens terror invaſerit. per tot annos vincentes eos ſtipendia facere, neque ante Hiſpania exceſſiſſe, quam omnes genteſque & terræ eæ, quas* 2 *duo diverſa maria amplectantur, Carthaginienſium eſſent. Indignatos deinde,*

INTERPRETATIO.

a *Sed partim è Gallorum numero fuere qui ex* Romano *exercitu victore occiſi ſunt: ex victis autem Pœnis, plus quàm ducenti occiſi ſunt.*

b *Nec licebat Scipioni certi aliquid apud ſe ſtatuere; ſed neceſſe erat, ut juxta ea quæ Annibal decreviſſet, ac moliretur, ipſe quoque ſua molimina regeret.*

NOTÆ.

5. *Sævientes.*] Intellige commotos pavore, non crudelitate agitatos.

1. *Numidas equites.*] Optimi equites ſemper habiti Numidæ, ut qui ſine frænis equos velociſſimo curſu agere ſoliti fuerint, parique pernicitate ad ſuos regredi, & ſic ad ſpeculandum magis quàm ad ſtatariam pugnam apti.

2. *Regulique Magali.*] Aliàs *Matali*. Hunc Bojorum Regulum Magilon Polyb. appellat, Et facilis in barbaris præſertim nominibus vocalium *a* & *i* permutatio, ut in Maſiniſſa, qui etiam *Maſaniſſa*; & in Mithridate, qui & *Mithradates* ſcribitur.

1. *Poſtquàm ipſi ſententia ſtetit.*] Gall. *Après qu'il eut pris la reſolution de paſſer outre.*

2. *Duo diverſa maria.*] Ambitur Hiſpania ad Meridiem ferè & Ortum Mediterraneo ad Occaſum & Septentrionem Oceano quæ duo maria intermedio freto Gaditano dirimuntur, vel potiùs miſcentur.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio,

quod quicunque Saguntum obsedissent, velut ob noxam 3 sibi dedi postularet populus Romanus, Iberum trajecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum. Tum nemini visum id longum, quum ab occasu solis ad ortum intenderent iter. Nunc, postquam multo majorem partem itineris emensam cernant; Pyrenæum saltum inter ferocissimas gentes superatum; Rhodanum, tantum amnem, tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipsius fluminis vi, trajectum, in conspectu Alpes habeant, quarum 4 alterum latus, Italiæ sit; in ipsis portis hostium fatigatos subsistere: quid aliud Alpes esse credentes, quam montium altitudines? Fingerent 5 altiores Pyrenæi jugis. nullas profecto terras cælum contingere, nec inexsuperabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes. pervias paucis esse. 6 exercitibus invias? eos ipsos 7 quos cernant, legatos non pennis 8 sublimè elatos Alpes transgressos: ne majores quidem eorum indigenas, sed advenas Italiæ cultores, has ipsas Alpes 9 ingentibus sæpe agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tuto transmisisse. Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, quid invium aut inexsuperabile esse? Saguntum ut caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse? Romam orbis terrarum caput petentibus, quicquam adeo asperum atque arduum videri, quod incœptum moretur? Cepisse quondam Gallos ea, quæ adiri posse Pœnus desperet. proinde aut cederent animo atque virtute 10 genti per eos dies toties ab se victæ: aut

NOTÆ.

3. *Sibi dedi postularet populus Romanus.*] Alludit ad usum Romanorum, qui, servum qui alteri nocuerat, noxæ dedendo, à damni sarciendi obligatione liberabantur ex lege xii. tabularum. Hoc itaque *dedendi* verbo, tanquam servile quid sapiat, ideoque odiosum sit, utitur hic Annibal ad irritandos suorum animos. Eum autem *dedi* postulaverant Romani. supr. c. 6. & 18.

4. *Alterum latus, Italiæ sit.*] Pars Alpium in Occasum versa, ad Galliam Braccatam pertinebat: pars quæ Orientem respicit, ad Italiam. Nec tamen absurda omnino lectio alia: *quarum alterum latus Italia sit*; nam *Italia* dici potest pars Italiæ.

5. *Alti ores Pyrenæi jugis.*] Dicitur æquè *Pyrenæus* mons, & montes *Pyrenæi*, quemadmodùm *Alpis*, & *Alpes*. Nec tamen summo Pyrenæo longè excelsior Alpis summa.

6. *Exercitibus invias.*] Interrogatio est, quæ id negat quod videtur affirmare: & certè quæ paucis pervia sunt, ea facilius videntur ab ingenti exercitu superari posse. Nomen *invias* debemus editioni Mediolanensi, quæ scriptis, & antea editis ignota; quâ tamen demptâ laborat omnino sententia.

7. *Quos cernant Legatos.*] Bojorum nempe Italicorum, quorum majores è Gallia nostra in Italiam transgressi.

8. *Sublimè elatos.*] Adverbialiter sumitur hìc *sublimè*: quæ loquendi forma Ciceroni & Virgilio non incognita, pro eo quod est *in sublime*, vel *per sublime*. sive per aërem.

9. *Ingentibus sæpe agminibus.*] Galli Alpes quinquies transgressi ad occupandam Italiam memorantur à Livio lib. 5. cap. 34. & 35.

10. *Genti per eos dies toties ab se victæ.*] Jactantia Punica, vel Liviana malevolentia in Transalpinos: cùm semel tantùm pars exigua Volcarum arte Annibalis delusa; reliqui, ut ipse auctor indicat, auro & muneribus deliniti transitum pacatum ei permisissent.

itineris finem sperent 11 *campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.*

XXXI. His adhortationibus incitatos corpora curare, atque ad iter se parare jubet. Postero die profectus a adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset; sed quantum, à mari recessisset, minus obvium fore Romanum credens, eum quo, priusquam in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere. 1 Quartis castris 2 ad Insulam pervenit: ibi 3 Arar Rhodanusque amnes, 4 diversis ex Alpibus decurrentes, 5 agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum. Mediis campis *Insulæ* nomen inditum. in- Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scipione, & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

a *Secundum sinistram Rhodani ripam, adverso flumine;*

NOTÆ.

11. *Campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.*] Quis ille campus sit ambigi posset, quando Romana mœnia Tiberim jam tum attingebant. Sed tamen campum Martium intelligas licet, qui extra urbem ad Tiberis divertigium erat.

1. *Quartis Castris.*] Gall. *au quatriesme Campement.* Hæc & sequentia valde suspectum mihi faciunt totum hoc Annibalis iter. Cum enim castra Scipionis fuisse dicantur ad ostium Rhodani c. 26. & 29. ejusque equitatus cum Numidis Annibalis ad speculandum missis atrox prælium commiserit: vix est, ut unius, certè minùs quàm bidui, itinere ab mari abfuerit Annibal cùm flumen trajecit. Transitus ergo ille circa vel paulò infra Arelatensem agrum supponatur. Hoc posito, cui persuaderi poterit, quaternis castris ad Confluentes Rhodani & Araris perventum ab exercitu, & emensa itinere quatridui circiter centum quadraginta passuum millia, transitosque decem majores aut minores amnes.

2. *Ad Insulam pervenit.*] Indicare creditur locum, ubi postea Lugdunum à Lucio Munacio Planco vel conditum, vel instauratum. Sed ob rationem superiori adductam notâ, facilè adducor ut credam ad Druentiæ cum Rhodano juxta Avenionem confluentes Insulam hanc fuisse. Ibi enim vera insula est haud pœnitendæ magnitudinis: sed nihil ad Ægyptiacum Delta, cum quo à Polybio comparatur imaginaria illa inter Rhodani & Araris fontes interjecta insula. Inter quas tamen insulas hoc discrimen Polyb. agnoscit, quòd Delta non solùm duobus Nili brachiis hinc inde alluitur, sed etiam mari Mediterraneo; at hujus, quam inter Araris & Rhodani fluenta collocat, tertium latus, non mari aut flumine, sed montibus clauditur, Jura nimirum & Vogeso. Adde quòd, si hæc insula in Cavaris ponatur, verisimile erit, quòd statim subjicitur, *inde ad lævam in Tricastinos iter flexisse Annibalem*, id scilicet è proximo facturus: finitimi quippe Cavaris Tricastini. At si Annibal ad vicina Lugduno loca accessisset, Tricastinos ad dextram è longinquo fuisset repeturus.

3. *Arar Rhodanusque.*] Ararim posteriores Secaunam dixere; unde vulgare nomen, *la Saone.*

4. *Diversis ex Alpibus.*] Sic veteres Libri; estque hoc certum de Druentia & Rhodano, quorum prior ex Cottiis, (*du Mont Cenis*) posterior funditur è Penninis (*du grand S. Bernard*) haud procul Rheni, ac Danubii fontibus: non ita de Arari, qui ex Vogeso oritur (*des Monts de Vauge*). Quanquam veteri Gallorum Linguâ altiores montes generali vocabulo, Alpes vocabantur, teste Servio in 3. Georgicon, & Isidoro Origin. lib. 14. cap. 8. adeo ut Pyrenæi quoque, Alpium nomine dicti ab accolis fuerint, auctore Procopio lib. 2. de bello Gothico.

5. *Agri aliquantulum.*] Hoc quoque Insulæ quam efficit Druentia in Rhodanum influens, rectè convenit. Nam inter Ararim & Rhodanum ingens est terrarum tractus.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

colunt propè [6] Allobroges, gens jam inde nullâ Gallica gente opibus aut fama inferior: tum diſcors erat. Regni certamine ambigebant fratres. major, & qui prius imperitarat, Brancus nomine, minore à fratre & cœtu juniorum, qui jure minus, vi plus poterat, pellebatur. Hujus ſeditionis peropportuna diſceptatio quum ad Annibalem rejecta eſſet, arbiter regni factus, quod erat ſenatus principumque ſententiâ futurum, imperium majori reſtituit. ob id meritum commeatu copiaque rerum omnium, maximè veſtis eſt adjutus, quæ infames frigoribus Alpes præparare cogebant. [7] Sedatis certaminibus Allobrogum, quum jam Alpes peteret, [8] non rectâ regione iter inſtituit; ſed ad lævam [9] in Tricaſtinos flexit: inde per extremam oram [10] Vocontiorum agri tetendit [11] in Tricorios: haud uſquam impedita via, priuſquam [12] ad Druentiam flumen pervenit. Is & ipſe Alpinus amnis, longè omnium Galliæ fluminum difficillimus tranſitu eſt. nam quum aquæ vim vehat ingentem; non tamen navium patiens eſt: quia nullis coërcitus ripis, pluribus ſimul, neque iiſdem alveis fluens, nova ſemper vada novoſque gurgites faciens (& ob eadem pediti quoque incerta via eſt) ad hæc [13] ſaxa glareoſa volvens, nihil ſtabile, nec tutum ingredienti præbet & tum fortè imbribus auctus,

INTERPRETATIO.

b *Famoſa*. Gall. *Diffamées*.

NOTÆ.

6. *Allobroges*.] Ingens Galliæ Braccatæ populus fuit, ut qui magnam partem hodierni Delphinatus & Sabaudici Ducatus complecterentur.

7. *Sedatis controverſiis Allobrogum*.] Si verum hoc Annibalis de regno Allobrogum, vel partis eorum, arbitrium; vix eſt ut ante aditos Tricaſtinos, & Vocontios contigerit: neque enim poſt Rhodani tranſitum, niſi per hoſce populos potuit Annibal ad Allobroges penetrare.

8. *Non rectâ regione*.] Sanè. Nam rectâ regione, (ſi jam in Allobrogum tractu Annibal verſabatur) nec Meridiem verſus remetiendum iter fuiſſet: nec inde ad Alpes tendenti, Tricaſtini ad lævam, ſed potiùs ad dextram.

9. *In Tricaſtinos*.] Exiguus ad Rhodanum populus, nunc *Dioceſe de S. Paul de Trois-Chaſteaux* in Delphinatu.

10. *Vocontiorum oram*.] Vicini Segalaunis & Tricaſtinis ad Ortum inter Iſaram & Druentiam amnes, *Vocontii*, nunc, *Dioceſes de Die en Dauphiné, & de Vaiſon dans le Venaiſſin*.

11. *In Tricorios*.] *Tricorii* haud magni nominis populus Vocontiis ad Orientem Æſtivum, & fortè eorundem pagus. Nominis veſtigia ſervat aliquatenus tractus in Valentinenſi Delphinatium agro, vulgò *Trieves*, cujus primarium oppidum *Mens*.

12. *Ad Druentium*.] Ex Alpibus Cottiis ad Meridiem per Brigantium primùm Ebrodunum & Seguſteronem decurrit Druentia, vulgò *la Durance*: ac deinde in Occaſum flexo curſu per Cabellionem in Rhodanum influit ſub Avenione.

13. *Saxa glareoſa volvens*.] Aliis *Saxa globoſa*, quemadmodum noſter lib. 38. *Saxis globoſis*: & verò quamvis glareoſum ſolum, & glareoſa loca dicantur, non tamen facilè eſt reperire glareoſa ſaxa; eſt enim *glarea* nihil aliud quàm minutorum lapidum atque arenâ mixtorum quaſi congeries, qualis plerumque in littore ac fluminibus. Gall. *le gravier*. Non igitur malè conjicit Gronov. hic ſcribendum, *Saxa glareaſque*.

ingentem transgredientibus tumultum fecit, quum super cætera, trepidatione ipsi suâ atque incertis clamoribus turbarentur.

XXXII. P. Cornelius consul triduo forte, postquam Annibal ab ripâ Rhodani movit, quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus. cæterum ubi deserta munimenta, nec facile se tantum prægressos assecuturum videt, ad mare ac naves rediit; tutius faciliusque ita, descendenti ab Alpibus Annibali occursurus. ne tamen nuda auxiliis Romanis Hispania esset, quam provinciam sortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum adversus Asdrubalem misit: non ad tutandos tantummodo veteres socios conciliandosque novos, sed etiam ad pellendum Hispania Asdrubalem. ipse cum admodum exiguis copiis [1] Genuam repetit; eo, qui [2] circa Padum erat, exercitu Italiam defensurus. Annibal ab Druentia campestri maxime itinere cum [a] bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, [b] quamquam famâ priùs (quæ incerta in majus vero ferre solet) præcepta res erat; tamen ex propinquo visa montium altitudo, nivesque cœlo prope immixtæ, tecta informia imposita rupibus, pecora jumentaque torrida frigore, [3] homines intonsi & inculti, animalia inanimataque omnia rigentia gelu, cætera visu quam dictu [c] fœdiora, terrorem renovavere. Erigentibus in primos agmen clivos, apparuerunt imminentes, tumulos insidentes, [4] Montani: qui si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stragemque dedissent. Annibal consistere signa jubet: [5] Gallisque ad visenda loca præmissis, postquam comperit transitum eâ non esse, castra inter confragosa omnia præruptaque, quam extensissimâ potest valle locat. Tum per eosdem Gallos, haud sane multum lingua moribusque abhorrentes, quum se immiscuissent colloquiis montanorum, edoctus interdiu tantùm obsideri saltum, nocte in sua

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scip. Ti. Sempr.

INTERPRETATIO.

a *Pervenit ad Alpes, consentientibus Gallis, qui ea loca inhabitabant.*

b *Quanquam Annibalis copia rem* (altitudinem scilicet Alpium) *priùs cognoverant & præceperant animo ex fama; quæ solet res ignotas ultra verum augere,*

c *Magis terribilia.*

NOTÆ.

1. *Genuam repetit.*] Ligurum princeps civitas mari Ligustico imminens adhuc nomen retinet, nostris vulgò *Gennes*.

2. *Circa Padum.*] Italiæ fluviorum rex Eridanus, alio nomine Padus dicitur, hodie *Po*, Galliam Italicam dividens in Cispadanam & Transpadanam. Eò alterum Romanum exercitum duxerat Attilius Prætor Manlio Prætori ad Tanetum opem laturus, suprà cap. 26.

3. *Homines intonsi & inculti.*] Hinc inter Inalpinos populos dicti *Capillati*, quorum plura genera, Plinio teste.

4. *Montani.*] Duo hic indicantur, ni fallor, Alpini populi: *Brigantios* & *Garocelos* conjicere possumus, vulgò *les Briançonnois, & les Montagnards du petit Senis*.

5. *Gallisque.*] Plures enim Galli sequebantur Annibalem, præsertim Bojorum Italicorum legati, qui se duces itineris obtulerant, suprà cap. 29.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. & Ti. Sempronio.

quemque dilabi tectâ: luce prima subiit tumulos; ut ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus. Die deinde, simulando aliud quam quod parabatur, consumpto: quum eodem quo constituerant loco castra communissent; ubi primum degressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus quam pro numero manentium in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, & maxima parte peditum; ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit: iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit.

XXXIII. Primâ deinde luce castra mota & agmen reliquum incedere cœpit. Jam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam convenichant; quum repente conspiciunt alios, [1] arce occupata suâ, super caput imminentes, alios viâ transire hostes. Utraque simul objecta res oculis, [a] animis immobiles parumper eos defixit. deinde ut trepidationem in angustiis, [2] suoque ipsum tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis; quidquid adjecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, [b] perversis rupibus, [3] juxtà invia ac devia assueti discurrunt. Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur; plusque inter ipsos, ([c] sibi quoque tendente ut periculo prius evaderet) quam cum hostibus certaminis erat. Equi maxime infestum agmen faciebant, qui & clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant; & icti forte aut vulnerati adeo consternati sunt, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent: [d] multosque turba, quum præcipites deruptæque utrinque angustiæ essent, in immensum altitudinis dejecit, quosdam & armatos. inde [4] ruinæ maximæ modo, jumenta cum oneribus devolvebantur. Quæ quanquam

INTERPRETATIO.

a *Aliquandiu defixos tenuit, atque attonitos.*

b *Discurrere cœperunt, tam per loca quæ nullomodo adiri posse videbantur, quam per ea quæ extra viam posita erant; per rupes scilicet inaccessas cæteris mortalibus, sibi* tamen *ex consuetudine aditu faciles.*

c *Cùm pro se quisque niteretur, ut discrimine imminente se ante alios liberaret.*

d *Propter multitudinem* affluentem, *multi* non tantùm lixæ & calones, *sed etiam milites, in profundissima præcipitia impulsi sunt, quòd prærupta utrinque ex parte essent angustiæ.*

NOTÆ.

1. *Arce occupatâ suâ.*] Tumulis, seu locis eminentioribus, quibus Montani pro arce usi erant.

2. *Suoque ipsum tumultu misceri agmen.*] Quidam Codices habent *Annibalis misceri agmen*, & sensus quidem eo nomine omisso satis patet, sed illud additum faciliorem adhuc præstat intellectum.

3. *Perversis rupibus.*] Num meliùs, *per transversa rupis juxtà invia ac devia assueti decurrunt.*

4. *Ruinæ maximæ modo.*] Hic *modo* non est adverbium, significans solummodò, ut putabat Sigonius: sed nomen sexti casûs, ut sit *ruinæ more*, ut apud Horat. *Apis Matinæ more modoque.* Sic Liv. alibi *grandinis modo*: qui & hunc locum exprimit lib. 42. cap. 66. *ruina quoque propè similem trepidationem fecit*, Quod notavit Gruter.

fœda

fœdâ visu erant, stetit parumper tamen Annibal 5 ac suos continuit; ne tumultum ac trepidationem augeret. deinde postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset; decurrit ex superiore loco: & quum impetu ipso fudisset hostem, suis quoque tumultum auxit. sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fugâ montanorum erant, sedatur: nec per otium modo, sed prope silentio mox omnes traducti. 6 Castellum inde, quod caput ejus regionis erat, vicosque circumjectos capit, 7 & captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit: & quia nec montanis primo perculsis, nec loco magnopere impediebantur, aliquantum eo triduo viæ confecit. Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. & Ti. Sempronio.

XXXIV. Perventum inde ad frequentem cultoribus 1 alium, ut inter montana, populum. ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est prope circumventus. Magno natu principes castellorum oratores ad Pœnum veniunt: *alienis malis, utili exemplo, doctos*, memorantes, *amicitiam malle, quam vim experiri Pœnorum. itaque obedienter imperata facturos; commeatum itinerisque duces, & ad fidem promissorum obsides acciperet*. Annibal nec temere credendo, nec aspernando, ne repudiati, aperte hostes fierent; benigne quum respondisset, obsidibus quos dabant acceptis, & commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus; nequaquam ut inter pacatos, incomposito agmine, duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti & equites erant: ipse post cum robore peditum circumspectans solicitus omnia, incedebat. Ubi in angustiorem viam, ex parte altera subjectam jugo insuper imminenti ventum est, undique ex insidiis barbari à fronte & à tergo coorti, cominus eminusque petunt: saxa ingentia in agmen devolvunt. maxima ab tergo vis hominum urgebat. in eos versa peditum acies haud dubium fecit, quin 2 nisi firmata extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum est: nam eum cunctaretur Annibal demittere in angustias agmen; quia non, ut ipse equitibus præsidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat; occursantes per

NOTÆ.

5. *Suos continuit*.] Per *suos*, intellige *proximos*, quos ipse Annibal secum ducebat & circa se habebat.

6. *Castellum inde*.] Hic *Castellum* est exiguum oppidum. Suspicor designari Brigantionem, vulgò *Briançon en Dauphiné*.

7. *Et captivorum pecoribus*.] Vallæ correctio est. Nam in scriptis legitur *Captivo, ac pecore*. Sed excidisse aliquid videtur, quod ex Polybio supplere licet. Is refert Annibalem ab Montanis, quos impetu facto devicerat, magnum equorum ac jumentorum numerum abduxisse: Eorum itaque *Captivorum pecoribus* triduo victitavit ejus exercitus.

1. *Alium populum*.] Hi *Coraceli* videntur fuisse, quorum sedes in superioribus vel Brigantionensium, vel Maurienensium locis.

2. *Nisi firmata extrema agminis fuissent*.] Ita scripti, quod est Gall. *Si on n'eut pas fortifié l'arriere-garde*: nam *agmen* hic pro toto exercitu. Sed, non malè in editis plerisque legitur *extrema agmina*.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

obliqua montani perrupto medio agmine viam insedere: noxque una Annibali sine equitibus ac impedimentis acta est.

XXXV. Postero die jam segnius intercursantibus barbaris, junctæ copiæ, saltusque haud sine clade (majore tamen jumentorum quàm hominum pernicie) superatus. inde montani, pauciores jam, & latrocinii magis quam belli more, concursabant; modò in primum, modo in novissimum agmen, ut cuique aut locus opportunitatem daret, [a] aut progressi morative aliquam occasionem fecissent. [1] Elephanti, sicut præcipites per arctas vias magnâ morâ agebantur, ita tutum ab hostibus quacunque incederent (quia insuetis adeundi propiùs metus erat) agmen præbebant. [2] Nono die in jugum Alpium perventum est [3] per invia pleraque & errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi fides iis non esset, temere initæ valles à conjectantibus iter, faciebant. Biduum in jugis stativa habita: fessis labore ac pugnando quies data militibus: jumentaque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in castra pervenere. Fessis tædio tot malorum, nivis etiam casus, [7] occidente jam [4] sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta quum signis primâ luce motis segniter agmen incederet, pigritiaque & desperatio in omnium vultu emineret; prægressus signa Annibal, [5] in promontorio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere jussis militibus, Italiam ostentat, [6] subjectosque

INTERPRETATIO.

a *Prout* Pœni *aut ultrà procedebant, aut consistebant.*

NOTÆ.

1. *Elephanti, sicut præcipites per se.*] Placet Gronovii correctio, *sicut principes*. Nam cap. proximè superiori habetur *primum agmen elephanti & equites erant*. Alioquin non poterant præcipites agi in his per montes viarum anguſtiis sine certo mortis periculo.

2. *Nono die in Jugum Alpium perventum est.*] A radicibus, seu à primis Alpibus ad summas: non à Pyrenæis ut Orosius scripsit: quod nec locorum distantia, nec Polybii aut Livii narratio patitur.

3. *Per invia pleraque & errores, &c.*] Rationem reddit cur nono demum die ad summa Alpis Cottiæ juga pervenerint Pœni, quod solitâ viâ vix bidui iter fuisset.

4. *Sidere Vergiliarum.*] *Vergiliæ* dicuntur stellæ septem in genu Tauri, ex eo nomen sortitæ, quod verno tempore oriantur; Græcis *Pleïades*, vel ἀπὸ τῦ πλεῖν, quod est navigare, quoniam earum ortus navigationis tempus indicat: vel à Pleïone, cujus filiæ ex Atlante genitæ in cœlum translatæ, atque in has stellas mutatæ fabulis feruntur. Notat tamen Ovidius ex illis, sex duntaxat apparere, quot Atlantides à Diis adamatæ: septimam Meropen, quæ Sisypho nupserat, pudore imparis conjugii latêre. Vergiliarum autem occasus hiemem inchoabat apud Romanos, incidens in tertium Idûs Novembris, teste Plinio lib. 2. nat. hist. cap. 47.

5. *In promontorio quodam.*] Accipiendum hoc nomen, ex Turnebo lib. Adversariorum 13. cap. 18. pro eminenti & editissimo in Alpibus jugo, non pro rupe in mare prominente: quæ trita est ejus nominis significatio. Dicitur autem à prominendo.

6. *Subjectosque Alpinis montibus.*] Eam regionem, Pedemontium nunc appellamus, quod ad Pedes Alpium sit.

Alpinis montibus Circumpadanos campos: 7 *mœniaque eos tum tranſcendere, non Italiæ modo, ſed etiam urbis Romæ. cætera plana, proclivia fore: imo,* 8 *aut ſummùm altero prælio, arcem & caput Italiæ in manu ac poteſtate habituros.* Procedere inde agmen cœpit; jam nihil ne hoſtibus quidem, 9 præter parva furta per occaſionem, tentantibus. Cæterum iter multo, quam in aſcenſu fuerat (ut pleraque Alpium ab Italia 10 ſicut breviora, ita arctiora ſunt) difficilius fuit. omnis enim ferme via præceps, anguſta, lubrica erat: ut neque ſuſtinere ſe à lapſu poſſent; b nec, ſi qui paululum titubaſſent, hærere afflicti veſtigio ſuo; aliique ſuper alios, & jumenta & homines occiderent.

Urb. Cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

XXXVI. Ventum deinde ad multo anguſtiorem rupem, atque ita rectis ſaxis, a ut ægre expeditus miles tentabundus, manibuſque retinens virgulta ac ſtirpes circà eminentes, demittere ſeſe poſſet. Naturâ locus jam ante præceps, recenti terræ lapſu, 1 in pedum mille admodum altitudinem, abruptus erat. Ibi quum velut ad finem viæ equites conſtitiſſent, miranti Annibali quæ res moraretur agmen, nunciatur, *rupem inviam eſſe.* 2 digreſſus deinde ipſe ad locum viſendum. haud dubia res viſa, quin per invia circà, nec trita antea, quamvis longo ambitu b circumduceret agmen. Ea vero via inſuperabilis fuit. nam quum ſuper veterem nivem intactam

INTERPRETATIO.

b *Ut ſi aliqui vel tantillum vacillarent, ſtatim prolaberentur, nec poſſent in veſtigio ſtare; & jumenta pariter ac viri, alii ſuper alios corruerent.*

a *Ut vix milites*, quamvis *expediti, explorando, & radicibus* (*quæ* fortè *circùm eminebant*,) *utraque manu apprehenſis, ſe deorſum mittendi ac deſcendendi facultatem haberent.*

b *Non dubitavit quin copias retro, aut in orbem ducere deberet.*

NOTÆ.

7. *Mœniaque eos tum tranſcendere.*] Alpes firmiſſima Italiæ atque adeo Romæ urbis adverſus exteras gentes propugnacula ſemper habitæ fuerunt.

8. *Imo, aut ſummùm altero.*] Ita non ſolùm Livius, ſed etiam Cicero *ſummùm* adverbialiter uſurpant, elegantiùs quàm quod vulgò dicitur *ad ſummum.*

9. *Præter parva furta.*] Furti nomen de iis omnibus dicitur, quæ clam fiunt; & *furta belli* figuratè pro inſidiis.

10. *Sicut breviora ita arctiora ſunt.*] Hic *breviora* non in porrectum ſive in longitudinem, ſed in altitudinem videntur intelligenda. Quo poſito idem erunt arctiora ac breviora: quapropter melior videtur lectio quorumdam ſcriptorum codicum optimæ notæ, qui habent *ita arrectiora*. Quod confirmatur ex initio proximi capitis, ubi legitur, atque *ita rectis ſaxis.*

1. *In pedum mille admodum altitudinem.*] Polybius priùs quidem abruptam fuiſſe ait terram ad tria circiter ſemiſtadia, ſive ſtadium unum cum dimidio, id eſt, paſſus ferè ducentos, pedes verò ſupra nongentos; additque tunc adhuc ampliorem factam fuiſſe ruinam: noſter *mille admodum*, id eſt, circiter mille pedum altitudinem exprimit, non multùm à Polybio diverſus.

2. *Digreſſus deinde ipſe.*] Mallet Gronovius *digreſſo deinde ipſi ad locum viſendum haud dubia res viſa.* Sed nihil opus correctione. Sufficit interpunctio poſt *ad locum viſendum*: ſignificat enim Annibalem profectum eſſe ad inviſendam rupem: ubi autem eam vidit, dubium ipſi non fuiſſe quin agmen circumducendum eſſet per loca invia.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

nova modicæ altitudinis esset: molli, nec præaltæ nivi facile pedes ingredientium insistebant. ut vero tot hominum jumentorumque incessu dilapsa est; per nudam infra glaciem, fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat ut à lubrica glacie, non recipiente vestigium, & [c] in prono citius [3] pede se fallente; & seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent; ipsis adminiculis prolapsi, si iterum corruissent, nec stirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant. [d] Itaque in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur: jumenta secabant interdum, etiam tum infimam ingredientia nivem, & prolapsa jactandis gravius [4] in continendo ungulis, penitus perfringebant: ut pleraque velut pedicâ captâ hærerent in durata & alte concreta glacie.

XXXVII. Tandem nequicquam jumentis atque hominibus fatigatis, castra in jugo posita; argerrime ad idipsum loco purgato: tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit. Inde [1] ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti; quum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis detruncatisque, strucm ingentem lignorum faciunt: eamque (quum & vis venti apta faciendo igni coorta esset), succendunt, ardentiaque saxa [2] infuso aceto putrefaciunt. Ita

INTERPRETATIO.

c *Cum pes facilius aberraret in* loco *delivi. Et* cùm aliquis militum prolapsus erat: *sive manibus, sive genu se erigere conabatur: ipsa* manus aut genu ipsum *quibus tanquam adminiculis nitebatur,* rursum prolabebantur.

d *Sic homines volutabantur tantùm in levi glacie & nive tabescente: jumenta verò non modò volutabantur super glaciem in nivium tabe; sed præterea, cùm per subjectam veterem nivem, quæ jam in glaciem indurata erat, vestigia ponerent, facilè eam aliquando secabant, & corruebant: tum verò ubi assurgere conabantur, jactando ungulas ad firmanda vestigia, eam penitus perfringebant: ita ut in glacie illa durata, & in profundum concreta tenerentur velut laqueo irretita.*

NOTÆ.

3. *Pede se fallente.*] Melius haud dubiè ut Gronovius emendat, *pedem fallente*, nimirum *glacie*: adesset modò dux Codex aliquis.

4. *Gravius in continendo ungulis.*] Placet omnino Tanaquilli Fabri conjectura scribendum suspicantis *connitendo*, pro *continendo*.

1. *Ad rupem muniendam.*] Cùm de via agitur, *munire* non significat munimentum struere, sed viam ipsam silice aliòve lapide sternere, ut per eam commodè iter fiat. Hic autem ubi saxorum plus satis, *rupem munire* est, ut observat Turnebus, viam per rupem aperire, sive rupem cædendo iter complanare; & pervia loca reddere. Et verò *munitores* appellantur in militia, tum qui aggeres jaciunt, fossasque aperiunt; tum qui vias eo quo diximus modo muniunt.

2. *Infuso aceto putrefaciunt.*] Apud Florum lib. 2. cap. 6. *Luctuosa Punici belli via atque tempestas medias perfregit Alpes.* Apud Juvenalem, *& montem rupit aceto.* Ajunt igitur Annibalem *aceto* maceratas rupes, & igni domitas, ferramentis amolitum esse. Ego non aceto molliri rupes, sed ingenti lignorum strue impositâ, & aceto largè infuso ardentiùs inflammatâ, eas comminui atque adeo comburi & solvi solitas ab expertis accepi. Veriùs itaque Orosius lib. 4. cap. 14. *invias rupes igni ferroque rescindit*, nullâ hic aceti factâ mentione, cujus nec Polybius meminit, nec Plutarchus.

torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta ſolùm, ſed elephanti etiam duci poſſent. Quatriduum circa rupem conſumptum. jumenta propè fame abſumebantur: nuda enim fere cacumina ſunt; & ſi quid eſt pabuli, obruunt nives. Inferiores valles apricos quoſdam colles habent, rivoſque prope ſylvas; etiam humano cultu digniora loca. Ibi jumenta in pabulum miſſa, & quies, muniendo feſſis hominibus, data triduo. inde ad planum deſcenſum eſt, 3 etiam locis mollioribus, & accolarum ingeniis. Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

XXXVIII. Hoc maxime modo perventum eſt in Italiam 1 quinto menſe à Carthagine Nova, (ut quidam auctores ſunt) 2 quintodecimo die Alpibus ſuperatis. Quantæ copiæ tranſgreſſo in Italiam Annibali fuerint, nequaquam inter auctores conſtat. qui plurimum, centum millia peditum, 3 viginti equitum fuiſſe ſcribunt, qui minimum viginti millia peditum, ſex equitum. 4 L. Cincius Alimentus, qui captum ſe ab Annibale ſcribit, maxime auctor moveret me, niſi confunderet numerum, Gallis Liguribuſque additis: cum his ſcribit octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam: (magis 5 affluxiſſe veriſimile eſt, & ita quidam auctores ſunt.) ex ipſo autem audiſſe Annibale, poſtquam Rhodanum tranſierit, triginta ſex millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum amiſiſſe 6 in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat in Italiam degreſſo. Id quum inter omnes conſtet, eò magis miror ambigi, quanam Alpes

NOTÆ.

3. *Etiam locis mollioribus.*] Dividendæ particulæ, ut ſit, *& jam locis mollioribus:* ita ut τοῖς *mollioribus* non tantùm *locis* conveniat, ſed etiam, per zeugma, accolarum ingeniis accommodetur.

1. *Quinto menſe.... ut quidam auctores ſunt.*] Polybius in primis lib. 3. Sequitur ergo non ante Idus Junias novâ Carthagine moviſſe Annibalem, quando ſub Occaſum Plejadum ſeu Vergiliarum Alpes ſuperavit, ſuprà cap. 35. id eſt, 11. ferme Novembris die.

2. *Quinto decimo die Alpibus ſuperatis.*] Intellige à primis Alpibus à quibus ad ſummas nono die pervenit, ſuprà cap. 35.

3. *Viginti millia peditum, ſex equitum.*] Non longè ab hoc numero abeſt Polybius: ait enim Annibalem, Circumpadanos Campos petentem, ſuperſtites ex Afris militibus habuiſſe pedites circiter decem millia & ducentos: ex Hiſpanis ad octo millia: equites omnino millia ſex: additque ipſum Annibalem id teſtatum eſſe, poſitâ apud Lacinium Brutiorum promontorium juxta Crotonem columnâ, in qua numerum totius ſui exercitûs deſcripſerat. Hinc fortè nomen huic Promontorio inditum: dicitur enim *Capo delle Colonne* in Calabria.

4. *L. Cincius Alimentus.*] Hic Cincius æqualis fuit Fabii Pictoris, ejuſque meminit Livius lib. 7. Memoratur & lib. 26. inter eos, qui Claudio Marcello & M. Valerio Conſulibus Prætores creati.

5. *Magis affluxiſſe veriſimile eſt.*] Reverà multi Gallorum & Ligurum ſeſe Annibali poſt Alpium tranſitum adjunxerunt, ut infrà videbimus.

6. *In Taurinis,*] Non tam in Taurinorum regione, quàm in ejus regionis aditu, ſeu potiùs in tranſitu Alpium Taurinis imminentium. Fuit autem Taurinorum regio, quæ vulgò vocatur, *le Piedmont*, quòd ad pedes montium ſita ſit. Hæc regio rectè dicitur Annibali in Italiam *degreſſo*, ſeu deſcendenti, proxima fuiſſe Gallis Tranſalpinis.

Urb. cond. an. 535. Coſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

tranſierit: 7 & vulgo credere, Pennino, atque 8 inde nomen & jugo Alpium inditum, tranſgreſſum. 9 Cælius, 10 per Cremonis jugum dicit tranſiſſe: qui ambo ſaltus eum, non in Taurinos, ſed 11 per Salaſſos montanos ad 12 Libuos Gallos deduxiſſent. Nec veriſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera; utique quæ ad Penninum ferunt, obſepta gentibus ſemi Germanis fuiſſent. neque hercule montibus his (ſi quem forte id movet) ab tranſitu Pœnorum ullo 13 Veragri, incolæ jugi ejus, norunt nomen inditum; ſed ab eo, quem in ſummo ſacratum vertice 14 *Penninum* montani appellant. 5

XXXIX. Peropportune ad principia rerum Taurinis proximæ genti 10

NOTÆ.

7. *Et vulgò credere.*] Poſt *ambigi*, rotundius eſſet haud dubiè, *& vulgò credi Pennino*, ſcilicet Annibalem tranſgreſſum eſſe Alpes. Sed quoniam ſcripti codices habent activum *credere*, ſubintelligendum homines; vel è proximo repetenda vox *omnes*.

8. *Atque inde nomen & Jugo Alpium inditum.*] Plures quidem ſunt auctores *Pœninas* Alpes à *Pœnorum* trajectu appellatas. Plinius in primis l. 3. c. 17. *Salaſſorum*, inquit, *Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauces, Grajas atque Pœninas. His Pœnos, Grajis Herculem tranſiſſe memorant*: quod ſequuti Servius, Iſidorus, & poſt eos Paulus Diaconus.

9. *Cælius.*] L. Cœlium Antipatrum intellige, qui Hiſtorias ſcripſit, Fannio itemque Gracchis fratribus ætate conjunctus, Siſenna verò antiquior.

10. *Per Cremonis jugum.*] Soli opinor Livio notus hic mons; Cluverius putat idem fuiſſe quod Grajas Alpes. Duo quippe itinera, *Penninarum*, & *Grajarum* faucium, ſola illis temporibus per Salaſſos patebant è Gallia in Italiam tendentibus, ex Plin. paulò antè laudato: altera verſus Septentrionem per Penninas Alpes: altera per Grajas meridionalior. Illarum partem conjicio fuiſſe *Cremonis Jugum*, nec longè à Summo Pennino, in Veragrorum & Salaſſorum Confinio, ubi nunc *Cramoyen* inter Majorem & Minorem Sancti Bernardi Montes. Quod autem Glar. ex neſcio quibus libris legit *Centronis Jugum*, legendum potiùs eſſet *Centronum Jugum*, id eſt Tarantaſienſium. Horum in finibus Grajus Mons, quo hi à Salaſſis dividuntur: & qui hodie, *le Petit Saint Bernard*. At cum tranſgreſſo Alpes Annibali primi occurrerint, non Salaſſi, ſed Taurini; cenſet Livius tranſiiſſe haud dubiè per Alpes Cottias, quæ Garocelos, & Brigantios à Taurinis diſpeſcunt, & nunc *Mont-Cenis*, partim etiam *Mont-Genevre* appellantur.

11. *Per Salaſſos Montanos.*] Ita emendavit Lipſ. & poſt eum Cluver. Legebatur vulgò *per ſaltus montanos*: abſurdè, quid enim eſt: *qui duo ſaltus eum per ſaltus montanos .... deduxiſſent*: quaſi ſaltus Grajus & Penninus, montani non eſſent. Erant autem *Salaſſi* ultra Centrones & Veragros. Ubi nunc *Val d'Aoſte*.

12. *Ad Libuos Gallos.*] Hi Galli Ciſalpini ſive Italici, cæteris auctoribus *Libici* dicuntur, ubi Vercellæ in Pedemontio. Vulgò *il Vercelleſe*.

13. *Veragri.*] Hodie Vallenſes vocantur: *le Païs de Valais*. Hi cum Vicinis populis Semi Germani dicuntur à Livio, quod etſi Galli ſitu atque origine, attamen feritate morum haud multum à Germanis differrent. Hic locus in pleriſque ſcriptis ita legitur: *ab tranſitu Pœnorum, nulle ſed uno vel acri incola*. Gronovii emendatio mihi valde probabilis viſa eſt, ut ſit *ab tranſitu Pœnorum Seduno Veragri* (vel *Seduni & Veragri*) *incola Jugi ejus*. Seduni quippe (nunc *le Haut Païs de Valais*) Veragris ad Ortum proximi, fortè & pars fuêre, ut hodie Sedunum (*Sion*) in Vallenſium regione, ejuſque caput.

14. *Penninum Montani vocant.*] Summus hic vertex, ſive ſummus Penninus, olim *Pennino Deo*, ſive ut vult Cluver. *Penno*, dicatus, nunc ſancto Bernardo ſacer eſt. *Le Grand Saint Bernad.* A quo ad Montem Sancti Gothardi pro-

Digitized by Google

adverſus Inſubres motum bellum erat. ſed armare exercitum Annibal, ut parti alteri auxilio eſſet (a in reficiendo maxime ſentientem contracta ante mala) non poterat. otium etenim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuvie tabeque, ſqualida & prope efferata corpora varie movebant. Ea P. Cornelio Conſuli cauſa fuit, 1 quum Piſas navibus veniſſet, exercitu à Manlio Attilioque accepto 2 tyrone, & in novis ignominiis trepido, ad Padum feſtinandi: ut cum hoſte nondum refecto manum conſereret. ſed quum Placentiam Conſul venit, jam ex ſtativis moverat Annibal: 3 Taurinorumque unam urbem caput gentis ejus, 4 quia volentis in amicitiam non veniebat, vi expugnarat: junxiſſetque ſibi non metu ſolùm, ſed etiam voluntate Gallos accolas Padi; ni eos, circumſpectantes defectionis tempus, ſubito adventus Conſulis oppreſſiſſet. Et Annibal movit ex Taurinis; b incertos quæ pars ſequenda eſſet Gallos præſentem ſe ſecuturos ratus. Jam prope in conſpectu erant exercitus, convenerantque duces; ſicut inter ſe nondum ſatis noti, ita jam imbutus uterque quadam admiratione alterius. Nam Annibalis & apud Romanos, jam ante Sagunti excidium, celeberrimum nomen erat: & Scipionem Annibal eo ipſo, quod adverſus ſe dux potiſſimum lectus eſſet, præſtantem virum credebat. & auxerant inter ſe opinionem; Scipio, quod relictus in Gallia, obvius fuerat in Italiam tranſgreſſo

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

INTERPRETATIO.

a *Qui* (exercitus Annibalis) *tunc maximè cum ſe reficere conaretur; ſentiebat mala, ex incommodis quæ perpeſſus fuerat, orta.*

b *Exiſtimans* Annibal *fore ut Galli, qui adhuc dubii hærebant, an Romanorum, an Carthaginienſium partes amplecti oporteret, ſibi adhærerent, ubi ad eos accedeſſet.*

NOTÆ.

tenduntur Penninæ Alpes: quas *Apenninas* perperam appellat Paulus Diaconus aliique, & cum Apennino confundunt per errorem.

1. *Piſas navibus veniſſet.*] Piſæ urbs eſt Etruriæ ad Arnum flumen ab Eleis condita, & appellata de nomine patriæ, Piſæ Eliacæ, ubi Olympici quondam ludi celebrabantur, ad Alpheum amnem ſitæ in Peloponneſo. Hæc Italica, celebris aliàs & potens Reſpublica: hodie ſub ditione magni Florentiæ Ducis nomen retinet.

2. *Tyrone & in novis ignominiis trepido.*] Nuper conſcriptus fuerat exercitus Conſularis Scipioni attributus, duabus ſcilicet Romanis legionibus cum ſexcentis equitibus, & ſociorum peditum quatuordecim millibus, equitibus mille ducentis conſtans ſuprà extremo cap. 17. Manlius autem Prætor cujus copiæ Scipioni quoque parituræ erant, ad Mutinam à Bojis cladem acceperat, cap. 25. Trepidabant itaque milites illi, partim tirones, partim à Gallis fuſi fugatique, & memores acceptæ ab illis paulò antèa ignominioſæ cladis.

3. *Unam urbem.*] Unica igitur eo tempore urbs in Taurinis erat, quæ poſt Auguſta Taurinorum dicta, vulgo *Turin.*

4. *Quia volentis in amicitiam non veniebat.*] Quoniam ita in ſcriptis omnibus legitur, *volentis* accipiendum eſt pro cupientis Annibalis: cùm ſcilicet Annibal amicitiam Taurinorum expetiiſſet, illique renuiſſent, ille urbem eorum expugnaverat. Vulgaris ſcriptura facilior, *quia volens*, id eſt, ultro *in amicitiam non veniebat* urbs Taurinorum.

Annibali; Annibal, conatu tam audaci trajiciendarum Alpium, & effectu. Occupavit tamen Scipio Padum trajicere, & 5 ad Ticinum amnem motis castris; prius quam educeret in aciem, adhortandorum militum causâ, talem orationem exorsus est.

Urb. Cond. an. 535. Cos. P. Corn. Scipione, & Ti. Sempr.

XL. *Si cum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. quid enim adhortari referret, aut eos equites, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent, aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus Hispaniæ provinciæ scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione* 1 *meis auspiciis rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit; ego, ut Consulem ducem adversus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli: novo imperatori apud novos milites pauca verba faciendæ sunt. Ne genus belli, neve hostem ignoretis: cum iis est vobis, milites, pugnandum quos terra marique priore bello vicistis:* 2 *à quibus stipendium per viginti annos exegistis: à quibus capta belli præmia, Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus & victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt: nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis (*3 *quum plures pene perierint quam supersunt) plus spei nactos esse. Atenim pauci quidem sunt, sed vigentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies, imo umbræ hominum; fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque. ad hæc,* 4 *perusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque arma: claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis. reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil magis vereor, quam ne antequam vos cum hoste pugnaveritis, Alpes vicisse Annibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum fœderum ruptore duce ac populo, Deos ipsos, sine ulla humana ope, committere ac*

NOTÆ.

1. *Ad Ticinum amnem.*] Ticinus oritur in finibus Lepontiorum ex summo Alpium jugo, inter Penninas & Rhæticas Alpes, ubi mons, qui vulgò *Saint Gotard*, juxta fontes Arulæ, nec procul Rheni fontibus. Idem trajecto Verbano lacu, hodie, *Lago maggiore*, in Padum effluit sub Ticino urbe Insubrum, quæ hodie *Pavie* fluvius *le Tesin*.

1. *Meis auspiciis.*] Publio enim Scipioni Consuli hujus anni, quem loquentem inducit Livius, provincia Hispania evenerat, suprà cap. 17. Cnejus frater tanquam legatus ipsius in ea bellum gesturus erat, cap. 32.

2. *A quibus stipendium per viginti annos exegistis.*] Id fœdere Lutatii cautum fuerat: quo pax eâ lege Carthaginiensibus data, anno u. c. 512.

3. *Qui plures pene perierint.*] Illud *pene* delendum est, aut mutandum in *planè*, ut censebat Rubenius; aut in *fadè* ex Gronovii conjectura: nam si ex tribus partibus duæ amissæ erant, longè plures haud dubiè perierant quàm superarant.

4. *Perusti artus.*] Dicitur frigus *urere* & *adurere*, ut, & *torrere*, non minùs quàm æstus: ut apud Virgil.

Et Borea penetrabile frigus adurat.

profliga-

profligare bellum: nos autem, qui secundum Deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. Urb. condit. an. 535. Coss. P. Cornelio, & Ti. Sempronio.

XLI. *Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi causâ magnifice loqui existimet;* [1] *ipsum aliter animo affectum esse. Licuit in Hispaniam provinciam meam ire, quo jam profectus eram cum exercitu meo; ubi & fratrem consilii participem ac periculi socium haberem, & Asdrubalem potius quàm Annibalem hostem, & minorem haud dubie molem belli. tamen, quum præterveherer navibus Galliæ oram; ad famam hujus hostis in terram egressus, præmisso equitatu, ad Rhodanum movi castra. Equestri prælio, qua parte copiarum conferendi manum fortuna data est, hostem fudi; peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terrâ non poteram, regressus ad naves, quanta maxima celeritate potui, tanto maris terrarumque circuitu, in radicibus Alpium obvius fui.* [2] *Huic timendo hosti utrùm quum declinarem certamen, improvisus videor incidisse,* [3] *an occurrere in vestigiis ejus? lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri juvat, utrùm alios repentè Carthaginienses per viginti annos terra ediderit: an idem sint, qui* [4] *ad Ægates pugnavere insulas, & quos ab Eryce duodevicenis denariis æstimatos emisistis: & utrum Annibal hic sit* [5] *æmulus itinerum Herculis, ut ipse fert; an vectigalis stipendiariusque & servus populi Romani à patre relictus: quem* [6] *nisi Saguntinum scelus agitaret, respiceret profecto, si non patriam victam,* [7] *domum certe, patremque, & fœdera Amilcaris scripta manu. qui jussus à Consule nostro, præsidium deduxit ab Eryce: qui graves impositas victis Carthaginiensibus leges fremens mœrensque accepit: qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque, vos, ego, milites, non eo solum animo, quo adversus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atque ira; velut si servos videatis vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos, ultimo supplicio humanorum, fame interficere: licuit classem victricem in Africam trajicere; atque intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus:*

NOTÆ.

1. *Ipsum aliter animo affectum esse.*] Repetendum pronomen *me* ex superioribus: etenim Scipio de seipso hic quoqueloquitur.

2. *Huic timendo hosti.*] Ironicè dictum. At in Colbert. Cod. majori est, *huic timido hosti*. Fortè non male. Ita certè credi Scipio volebat.

3. *An occurrere in vestigiis ejus.*] Ostendit se ultro inhærentem quasi Annibalis vestigiis, ei obviam ire voluisse, eumque ultro aggredi.

4. *Ad Ægates pugnavere insulas, & quos ab Eryce, &c.*] De his dictum cap. 10. hujus libri.

5. *Æmulus itinerum Herculis.*] Hercules enim, ut fabulæ ferunt, devicto Geryone, ex ultima Hispania per Galliam, in Italiam transcensis Alpibus transiit.

6. *Nisi Saguntinum scelus agitaret.*] Scelus appellat Sagunti obsidionem & ruinam contra fœdus peractam.

7. *Domum certè pacemque.*] Sigonius aliique malunt *patremque*: sententia tamen nihil indiget correctione; rectè enim se habet vulgata lectio, *domum certè pacemque & fœdera Amilcaris scripta manu*: per *domum* enim intelligitur *familia Barcina*, ex qua erat pater Annibalis Amilcar, qui primo bello Punico finem necessariâ cum Romanis pace imposuerat.

Urb. cond. an. 535. Coss. Publ. Cornelio, & Ti. Sempr.

emiſimus ex obſidione: pacem cum victis fecimus: [a] *tutelæ noſtræ deinde duximus, quum Africo bello urgerentur.* [8] *Pro his impertitis, furioſum juvenem ſequentes, oppugnatum patriam noſtram veniunt. Atque utinam pro decore nobis hoc tantum, & non pro ſalute eſſet certamen. non de poſſeſſione Siciliæ ac Sardiniæ, de quibus quondam agebatur; ſed pro Italia nobis eſt pugnandum: nec eſt alius ab tergo exercitus, qui, niſi nos vincimus, hoſti obſiſtat; nec Alpes aliæ ſunt, quas dum ſuperat, comparari nova poſſint præſidia. hic eſt obſtandum, milites, velut ſi ante Romana mœnia pugnemus. Unuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed conjugem ac liberos parvos armis protegere putet: nec domeſticas ſolum agitet curas, ſed identidem hoc animo reputet, noſtras nunc intueri manus ſenatum populumque Romanum. qualis noſtra vis virtuſque fuerit, talem deinde* [9] *fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.* Hæc apud Romanos conſul.

XLII. Annibal rebus [b] priùs, quam verbis adhortandos milites ratus, circumdato ad ſpectaculum exercitu, captivos montanos vinctos in medio ſtatuit; armiſque Gallicis, ante eorum pedes projectis, interrogare interpretem juſſit, *ecquis, ſi vinculis levaretur, armaque & equum victor acciperet, decertare ferro vellet?* Quum ad unum omnes *ferrum pugnamque* poſcerent, [c] & dejecta in id ſors eſſet; ſe quiſque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret. [1] Ut cujuſque ſors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio exultans, cum ſui moris tripudiis arma raptim capiebat: ubi vero dimicarent, is habitus animorum non inter ejuſdem modò conditionis homines erat, ſed etiam inter ſpectantes vulgò, ut non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudaretur.

XLIII. [d] Dum ſic, aliquot ſpectaris paribus, affectos dimiſiſſet; concione inde advocatâ, ita apud eos locutus fertur: *Si quem animum in alienæ ſortis exemplo paulò antè habuiſtis, eundem mox in æſtimanda fortuna veſtra habueritis; vicimus, milites: neque enim ſpectaculum modò illud, ſed quædam velut imago veſtræ conditionis erat. Ac neſcio an majora vincula; majoreſque neceſſitates vobis quam captivis veſtris fortuna circumdederit.* [1] *Dextra lævaque duo maria claudunt; nullam ne ad effugium quidem na-*

INTERPRETATIO.

a *Poſtea exiſtimavimus Carthaginienſes ſub tutela noſtra eſſe*, ſive *ad tutelam* & curam *noſtram pertinere.*

b *Exemplo alieno, antequam ſermone.*

c *Sortes ea de cauſa conjecta eſſent in urnam.*

d *Cùm* Annibal ſuos *poſt ſpectacula certaminum aliquot ſingularium, ſic animo commotos dimiſiſſet, ut bene morientium ſortem æquè ac vincentium laudarent.*

NOTÆ.

8. *Pro his impertitis.*] Supple *beneficiis.*

9. *Fortunam illius urbis.*] Gronovius *ipſius urbis* ſcribi jubet. Tan. Faber. pronomen *illud* non improbabiliter expungit.

1. *Ut cujuſque ſors exciderat.*] Malim cùm Valla *exierat*: id eſt, prout ſors educta erat ex urna, ſignificans hunc vel illum pugnæ deſtinari.

1. *Dextra lævaque duo maria claudunt.*] Hinc Inferum ſive Tuſcum, inde Superum ſeu Adriaticum mare vos

vem habentibus. circà Padus amnis major ac violentior Rhodano: ab tergo Alpes urgent; vix integris vobis ac vigentibus transitæ. Hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis; & eadem fortuna, quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne ab Diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam, parentibus nostris ereptas, nostra virtute recuperaturi essemus: satis tamen ampla pretia essent quidquid Romani tot triumphis partum congestumque possident; id omne vestrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum Diis bene juvantibus arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniæ Celtiberiæque montibus pecora confectando; nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis. tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, & [b] magna operæ pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque, & tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborum fortuna dedit. hic dignam mercedem [c] emeritis stipendiis dabit. Nec quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis victoriam fore. sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit; & inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt. Nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est, cur illi vobis comparandi sint? Ut [2] viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniæ & Galliæ populos, vincentes huc perveniistis: pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipsa æstate casso, victo, circumsesso à Gallis, [3] ignoto adhuc duci suo, ignorantique ducem. An me, in prætorio patris clarissimi imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem eundem, non Alpinarum modo gentium, sed ipsarum, quod multo majus est, Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis demptis signis Pœnos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit Consul. Non ego illud parvi æstimo, milites, quod nemo vestrûm est, cujus non ante oculos ipse sæpe

Urb. cond. an. 535. Cos. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

INTERPRETATIO.

b *Militare spe amplissimorum præmiorum, quæ pro stipendiis erunt.*
c *Quasi militiæ tempore impleto.*

NOTÆ.

incluſos tenent. Sed quo referetur τὸ *habentibus*? Num potiùs dicendum fuiſſet in accuſandi caſu, *non habentes*? An ablativus eſt abſolutus, ut vocant, pro eo quod eſt, *cum non habeatis*? An revocandum ad pronomen *vobis*, quod eſt in periodo proximè Superiori.

2. *Viginti annorum militiam*.] Sub Annibale ipſo nonniſi octo annis bellaverant; ſed reliquum militiæ tempus partim in Africa, partim in Hiſpania egerant ſub Amilcare Annibalis patre, aut ſub hujus leviro Aſdrubale.

3. *Ignoto adhuc duci ſuo*.] Veterani milites Romani Cn. Scipionem in Hiſpaniam ſecuti erant, ei traditi à Publio fratre Conſule, qui nunc novas legiones acceperat à Prætoribus Attilio & Manlio. Itaque & dux militibus, & milites duci ignoti dici poterant.

militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis ſpectator ac teſtis, notata temporibus locisque referre ſua poſſim decora. Cum laudatis à me millies donatisque, 4 alumnus priùs omnium veſtrum, quam imperator, procedam acie adverſus ignotos inter ſe, ignorantesque.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

XLIV. Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris: veteranum peditem, generoſiſſimarum gentium 1 equites frænatos, & infrænatos, vos ſocios fideliſſimos fortiſſimoſque, vos Carthaginienſes, tum ob patriam, tum ob iram juſtiſſimam pugnaturos. Inferimus bellum, infeſtiſque ſignis deſcendimus in Italiam; tantò audaciùs fortiuſque pugnaturi, quantò major ſpes, major eſt animus inferentis vim quam arcentis. Accendit præterea animos, & ſtimulat dolor, injuria, indignitas. ad ſupplicium depoposcerunt me ducem primùm, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnaſſetis: deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. Crudeliſſima ac ſuperbiſſima gens, ſua omnia ſuique arbitrii facit, cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, ſe modum imponere æquum cenſet: circumſcribit includitque nos terminis montium fluminumque, 2 quos ne excedamus: neque eos, quos ſtatuit, terminos obſervat. 2 Ne tranſieris Iberum: ne quid rei tibi ſit cum Saguntinis. 3 Ad Iberum eſt Saguntum: nuſquam te veſtigio moveris. 4 Parum eſt, quod veterrimas provincias meas Siciliam & Sardiniam adimis, etiam Hiſpanias? 5 & inde ceſſero, in Africam tranſcendes. Tranſcendes autem dico? duos Conſules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hiſpaniam miſerunt. nihil uſquam nobis relictum eſt, niſi quod armis vindicaverimus. Illis timidis & ignavis licet eſſe, b qui reſpectum habent, quos ſuus ager, ſua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: vobis neceſſe eſt, fortibus viris eſſe, & c omnibus inter victoriam mortemve certâ deſperatione

INTERPRETATIO.

2 *Extra quos fines tranſgredi vetemur. Se recipiant.*

b *Qui habent quò perfugii, vel auxilii causâ reſpiciant. Aliàs & fortè melius, Pariem & mortem media ſit, omnibuſque qui receptum habent, id eſt, locum quò aſſumptis ſpes nulla ſit.*

c *Et nullâ re vobis relictâ, quæ inter vitæ ſpem & mortem media ſit, omnibuſque qui receptum habent, id eſt, locum quò aſſumptis ſpes nulla ſit.*

NOTÆ.

4. *Alumnus priùs omnium veſtrum.*] Adoleſcens adhuc Annibal Carthagine in Hiſpaniam miſſus fuerat, ut militiam diſceret atque exercerer ſub Aſdrubale: ut militum benevolentiam conciliet, videri vult ab ipſis militibus didiciſſe.

1. *Equites frænatos & infrænatos.*] Per infrænatos intelliguntur Numidæ, qui equos ſine frænis agebant, quo ſpectat illud Didonis apud Virgil.

Et Numida infrani cingunt.

Per frænatos autem intelliguntur reliqui, Galli ſcilicet & Hiſpani equites, quos cum Afris ſuis Annibal in exercitu habebat.

2. *Ne tranſieris Iberum.*] Mimeſis eſt, quâ inducuntur Romani Carthaginienſibus legem dicentes.

3. *Ad Iberum eſt Saguntum.*] Imò cis Iberum, intra fines Carthaginienſibus conceſſos. Sed Annibal Romanos inducit hoc falsò affirmantes, quò invidiam eis apud milites creet. Cæterum, etſi extra Romanorum tunc limites Saguntus eſſet, ſocia tamen Romanis civitas erat.

4. *Parum eſt, quod veterrimas.*] Hic inducitur Carthaginienſis populus conquerens de Romanorum injurioſo imperio.

5. *Et inde ceſſero.*] Ponamus *ut* etiam ex Hiſpania *diſcedam*, (ait Annibal quaſi nomine populi Carthaginienſis), tu Romane *tranſibis in Africam*.

abruptis; aut vincere, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga, mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus deſtinatumque in animo eſt, iterum dicam, viciſtis: & nullum momentum ad vincendum homini ab Diis immortalibus acrius datum eſt.

Urb. condit. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

XLV. His adhortationibus quum utrinque ad certamen accenſi militum animi eſſent, Romani ponte Ticinum jungunt, tutandique pontis cauſa caſtellum ſuperimponunt. Pœnus opere occupatis hoſtibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos ſociorum populi Romani agros mittit. Gallis parci quam maxime jubet, principumque animos ſolicitari ad defectionem. Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Inſubrium, 1 quinque millia paſſuum à Vico Tumulis conſedit. Ibi Annibal caſtra habebat, revocatoque propere Maharbale, atque equitibus, quum inſtare certamen cerneret, nihil unquam ſatis dictum præmonitumque ad cohortandos milites ratus; vocatis ad concionem certa præmia pronunciat, in quorum ſpem pugnarent. *Agrum ſeſe daturum eſſe in Italia, Africa, Hiſpania, ubi quiſque velit; immunem ipſi qui accepiſſet, liberiſque: qui pecuniam quam agrum maluiſſet, ei ſe argento ſatisfacturum: qui ſociorum, cives Carthaginienſes fieri vellent, poteſtatem facturum: qui domos redire mallent, daturum ſe operam, ne cujus ſuorum popularium mutatam ſecum fortunam eſſe vellent. Servis quoque dominos proſecutis libertatem proponit, binaque probis mancipia dominis redditurum.* Eaque ut rata ſcirent fore, agnum læva manu, dextera ſilicem retinens, *ſi falleret, Jovem cæteroſque precatus Deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet:* ſecundum precationem caput pecudis 2 ſaxo eliſit. Tum vero omnes, 2 velut Diis auctoribus in ſpem ſuam quiſque acceptis, id moræ, quod

INTERPRETATIO.

2 *Quaſi unuſquiſque Deos haberet ſponſores promiſſorum ab Annibale præmiorum: quorum ſpem conceperat.*

NOTÆ.

7. Nullum momentum ad vincendum.] Alii Codices *contantum* habent, aut *contemptu*. Valla legit *incitamentum*: at *momentum* ex Gronovii eſt conjectura. Sumitur autem hic *momentum* pro *adjumento, adminiculo, incitamento*, ut lib. 29. *haud parvum momentum ad opem ferendam ſociis.*

1. *Quinque millia paſſuum à Vico Tumulis.*] Vulgaris hæc lectio eſt. Et ſanè in Tabulis occurrit locus inter Ticinum & Novariam amnes, vulgò *Dimoli*; quod nomen ſatis convenit cum voce *Tumuli*. Gronovius *Villumvii* repoſuit. Et verò *Villumvias*, aut *Vicumnias* Emporium Romanis Gallico bello munitum paulò poſt nominat Liv. cap. 57. Sed illud ad dextram Padi prope Placentiam fuiſſe ſcribit. Hic verò vicus de quo nunc agitur, ad lævam fluminis, ac trans Ticinum fuit in agro Inſubrium.

2. *Saxo eliſit.*] Deſcriptus eſt ſolennis hic firmandi jurisjurandi ritus lib. 1. c. 24. De Jurejurando per *Jovem lapidem* Phavorinus apud Gell. lib. 1. cap. 21. Plutarchus in Sylla. Polybius lib. 3. ubi de fœdere Romanorum cum Carthaginienſibus, qui ſi hoc genere uſi, quemadmodum hoc loco Annibal, à Romanis, opinor, ſunt mutuati. Hi tamen non agno, ſed exſa jungebant fœdera porca.

nondum pugnarent, ad potienda ſperata rati, prælium uno animo & voce una poſcunt.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

XLVI. Apud Romanos haud quaquam tanta alacritas erat, ſuper cætera recentibus etiam territos prodigiis. nam & [1] lupus intraverat caſtra; laniatiſque obviis, ipſe intactus evaſerat; [2] & examen apum in arbore prætorio imminente conſederat. [3] Quibus procuratis Scipio, cum equitatu jaculatoribuſque expeditis profectus ad caſtra hoſtium, exque propinquo copias, quantæ, & cujus generis eſſent, ſpeculandas; obvius fit Annibali, & ipſi cum equitibus ad exploranda circa loca progreſſo. neutri alteros primo cernebant: deinde inceſſu tot hominum equorumque oriens pulvis ſignum propinquantium hoſtium fuit. Conſtitit utrinque agmen, & prælio ſeſe expediebant. Scipio jaculatores & Gallos equites in fronte locat, Romanos, ſociorumque quod roboris fuit, in ſubſidiis. Annibal frænatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vix dum clamore ſublato, jaculatores fugerunt inter ſubſidia ad ſecundam aciem: inde equitum certamen erat aliquandiu anceps: deinde, quia turbabant equos pedites intermixti, multis labentibus ex equis, aut deſilientibus, ubi ſuos premi circumventos vidiſſent; jam magna ex parte [b] ad pedes pugna jerat: donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paululum, ab tergo ſe oſtenderunt. [c] Is pavor perculit Romanos: auxitque pavorem conſulis vulnus; periculumque intercurſu tum primum pubeſcentis filii propulſatum. Hic erit juvenis, penes quem perfecti hujuſce belli laus eſt; *Africanus* ob egregiam victoriam de Annibale Pœniſque appellatus. Fuga tamen effuſa jaculatorum maxime fuit, quos primos Numidæ invaſerunt. Alius confertus equitatus conſulem, in medium acceptum, non armis modo, ſed etiam corporibus ſuis protegens, in caſtra, nuſquam trepide neque effuſe cedendo, reduxit. Servati conſulis decus Cœlius [d] ad ſervum natione Ligurem delegat. malim equidem de filio verum eſſe, quod & plures tradidere auctores, & famâ obtinuit.

XLVII. Hoc primum cum Annibale prælium fuit; quo facile appa-

INTERPRETATIO.

a *Poſt hæc* prodigia *ſacrificiis expiata.*

b *Equites plerique, omiſſâ pugnâ equeſtri, deſilierant ad pedes.*

c *Metus inde conceptus Romanos turbavit.*

d *Attribuit ſervo, qui genere Ligur.*

NOTÆ.

1. *Lupus intraverat caſtra.*] Mali apud Romanos ominis habitum fuiſſe, ſi lupus loca ſepta, intra quæ homines verſari ſoliti, eſſet ingreſſus, & anteà obſervavimus, & ex lib. 27. cap. 37. confirmari poteſt.

2. *Et examen apum.*] Prodigiis quoque annumerabatur, ſi apes, quæ naturâ ſuâ feræ, juxta ſedes hominum examen poſuiſſent, ſive uvam feciſſent, ut Plin. notat lib. 1. cap. 17. quò reſpicit Juvenalis Satyrâ 13.

Atque examen apum longâ conſederit uvâ
Culmine delubri.

Et reverà non ſemel Pompejo magno cladem ea res portendiſſe credita eſt: quod tamen non fuiſſe perpetuum obſervat ibidem Plinius, exemplo Druſi.

ruit; & equitatu meliorem Pœnum eſſe, & ob id campos patentes, quales ſunt inter Padum Alpeſque, bello gerendo Romanis aptos non eſſe. Itaque proximâ nocte juſſis militibus [1] vaſa ſilentio colligere, caſtra ab Ticino mota, feſtinatumque ad Padum eſt; ut ratibus, [2] quibus junxerat flumen, nondum reſolutis, ſine tumultu atque infectatione hoſtis, copias trajiceret. Prius [3] Placentiam pervenere, quam ſatis ſciret Annibal ab Ticino profectos: tamen ad [a] ſexcentos moratorum in citeriore ripa, ſegniter ratem ſolventes, cepit. tranſire non potuit pontem; [b] ut extrema reſoluta erânt, totâ rate in ſecundam aquam labente. Cœlius auctor eſt, Magonem cum equitatu, & Hiſpanis peditibus flumen extemplo tranſnaſſe, ipſum Annibalem per ſuperiora Padi vada exercitum traduxiſſe; elephantis in ordinem ad ſuſtinendum impetum fluminis oppoſitis. [c] Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint. nam neque equites armis equiſque ſalvis tantam vim fluminis ſuperaſſe, veriſimile eſt; [4] ut jam Hiſpanos omnes inflati tranſvexerint utres: & multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerant, quâ exercitus gravis impedimentis traduci poſſet. Potiores apud me auctores ſunt, qui biduo vix locum rate jungendo flumini inventum tradunt; ea cum Magone equites Hiſpanorum expeditos præmiſſos. dum Annibal citra flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, trajicit gravius peditum agmen, interim Mago equiteſque ab tranſitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hoſtes contendunt. Annibal paucis poſt diebus, ſex millia à Placentia caſtra communivit, & poſtero die in conſpectu hoſtium acie directa, poteſtatem pugnæ fecit.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scipione, & Ti. Sempronio.

XLVIII. Inſequenti nocte cædes in caſtris Romanis, tumultu tamen quam re major, ab auxiliaribus Gallis facta eſt. ad duo millia peditum, & ducenti equites vigilibus ad portas trucidatis, ad Annibalem tranſfugiunt: quos Pœnus benigne allocutus, & ſpe ingentium donorum accen-

INTERPRETATIO.

a *Sexcentos ferè eorum qui morati plùs cæteris fuerant & tardiùs ad flumen pervenerant.*

b *Quia, ſtatim atque extrema pars ratis ſoluta fuerat*, & ſeparata à ripa cui adhærebat; *tota ratis* in inferiora Padi *defluxerat, ſecundo flumine abrepta.*

c *Ea non facilè credent qui noverint Padi fluminis naturam.*

NOTÆ.

1. *Vaſa ſilentio colligere.*] Gall. *Faire la retraite ſans bruit.* Vaſa ſive ſarcinas per ſilentium colligere opponitur ei quod dicitur vaſa conclamare: quo genere ſignificabatur palàm diſceſſus, ut fiducia hoſtibus oſtenderetur.

2. *Quibus junxerat flumen.*] Scipio ſcilicet.

3. *Placentiam.*] Hæc urbs in Gallia Ciſpadana erat, quæ poſt ex diviſione Auguſti octava regio Italiæ fuit. Tunc in agro erat Gallici populi à Bojis atque ab Inſubribus diverſi, qui Anamani aliis vel Amares dicuntur (fortè Ambarri, aut Cavares fuerunt). Noſtris hæc urbs, *Plaiſance*. Ital. *Piacenza*: eſt in Longobardia Ciſpadana, & Ducis Parmenſis ditione.

4. *Ut jam* (id eſt, *quamvis etiam*) *Hiſpanos omnes inflati tranſvexerint utres.*] De hoc *utrium* apud Hiſpanos uſu, ſuprà cap. 27.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. & Ti. Sempronio.

sos, in civitates quemque suas, ad solicitando s popularium animos dimisit. Scipio eædem eam signum defectionis omnium Gallorum esse ratus, contactosque eo scelere, velut injecta rabie ad arma ituros; quanquam gravis adhuc vulnere erat, tamen quarta vigilia noctis insequentis tacito agmine profectus 1 ad Trebiam fluvium, in loca altiora collesque impeditiores equiti castra movet. 2 Minus quam ad Ticinum fefellit: missisque Annibal primum Numidis, deinde omni equitatu, turbasset utique novissimum agmen, ni aviditate prædæ in vacua Romana castra Numidæ divertissent. Ibi dum perscrutantes loca omnia castrorum, nullo satis digno moræ pretio tempus terunt; emissus hostis de manibus est: & quum jam transgressos Trebiam Romanos, metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt, citra flumen interceptos. Scipio nec vexationem vulneris 2 in via jactanti ultra patiens, 3 & collegam (jam enim & revocatum ex Sicilia audierat) ratus exspectandum: locum qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communivit. Nec procul inde Annibal quum consedisset, quantum victoria equestri elatus, tantum anxius inopiâ, quæ per hostium agros euntem nusquam præparatis commeatibus major in dies excipiebat; 4 ad Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, mittit. ibi 5 quum vim pararent, spes facta proditionis: nec sane magno pretio, 6 nummis aureis quadringentis Dasio Brundusino, præfecto præsidii corrupto, traditur Annibali Clastidium. id horreum fuit Pœnis sedentibus ad Trebiam. In captivos ex tradito præsidio, ut fama clementiæ in principio rerum colligeretur, nihil sævitum est.

INTERPRETATIO.

2 *Scipionis discessus non latuit Annibalem, quemadmodum cùm castra à Ticino moverat.*

NOTÆ.

1. *Ad Trebiam.*] Fluvius *Trebia* nomen adhuc retinet, vulgò *la Trebbia*, ad Placentiam in Padum confluens. Huic nihil commune cum Trebia Umbriæ Oppido ad Clitumnum, vulgò *Trevi*.

2. *In via jactanti.*] Vulgò est *Jactantis*, ut referatur ad vulneris, & *jactantis* dicatur pro *jactati*; quemadmodum *Tondenti* apud Virgilium; & *lavanti regi* apud ipsum Livium, pro eo quod est cùm tonderetur, cùm lavaretur. Gronovio ex Puteani codice magis probatur *jactanti*, ut conjungatur cum via: & noster quidem lib. 30. habet *simul sperans leviorem in navigatione quàm in via jactationem vulneris fore*. Sed *Jactatio* receptum est eo sensu nomen: *via jactans* non facilè alibi occurrit. Quidni demptâ unâ litera *jactati*, ut sit *vulneris jactati*.

3. *Et collegam.*] Sempronium.

4. *Ad Clastidium.*] Oppidum hoc Galliæ Cisalpinæ in confinio Liguriæ inter Apenninum & Padum, vulgò nunc *Chiastezzo*, aliis *Schiattezzo*; in agro Papiensi Cispadano, Placentiam inter ac Dertonam.

5. *Cùm vim pararent.*] Supple *Carthaginienses*.

6 *Nummis aureis quadringentis.*] Hoc igitur primùm tempore, aut summùm biennio antè percussi aurei nummi apud Romanos: ni fortè Gallici fuerint hi nummi. Romani porro aurei temporibus illis duodequinquaginta in singulas libras feriri ac signari soliti, majoris paulo pretii erant, quàm Ludovici nostri.

Quum

XLIX. Quum ad Trebiam terreſtre conſtitiſſet bellum, interim circa Siciliam inſulaſque Italiæ imminentes, & à Sempronio conſule, & ante adventum ejus, terrâ marique res geſtæ. viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram à Carthaginienſibus miſſæ, novem [1] Liparas, octo inſulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum avertit æſtus. Ad eas conſpectas [2] à Meſſana, duodecim naves ab Hierone rege Syracuſanorum miſſæ, qui tum fortè Meſſanæ erat; conſulem Romanum opperiens, nullo repugnante captas naves Meſſanam in portum deduxerunt. Cognitum ex captivis, præter viginti naves, [a] cujus ipſi claſſis eſſent, in Italiam miſſas; quinque & triginta alias quinqueremes Siciliam petere, ad ſolicitandos veteres ſocios. [3] Lilybæi occupandi præcipuam curam eſſe credere: eadem tempeſtate, qua ipſi diſjecti forent, eam quoque claſſem ad Ægateis inſulas dejectam. Hæc ſicut audita erant, rex Meſſanâ M. Æmilio prætori, cujus Sicilia erat provincia, perſcribit; monetque, *Lilybæum firmo teneret præſidio*. Extemplo [4] & circa prætorem ad civitates miſſi legati tribunique, [b] qui ſuos

Urb. Cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

a *Quibus conſtabat claſſis ex qua ipſi erant.*

b *Ut excitarent Romanos ad cuſtodiendum ſolicitè* Civitates ſibi commiſſas.

NOTÆ.

1. *Liparas.*] *Liparæ* dicuntur inſulæ ſeptem inter Italiam & Siciliam, hujus lateri Septentrionali objectæ, freto Siculo & Peloro Promontorio proximæ. Vocantur & *Æoliæ*, quia ibi Æolus tertius regnaverit, quem ventorum regem Homerus finxit, quòd ventis ea maria maximè agitentur. Dicuntur etiam Vulcaniæ, quòd in earum una, ubi mons flammas evomit, officinam Vulcani Poëtæ locaverint. Hoc loco per *Liparas* non omnes hæ inſulæ intelliguntur, ſed ſola præcipua quæ cæteris nomen dedit, ejuſve oppidum quod Straboni plurali numero effertur. Et verò Livius *inſulas* deinde *Vulcani* memorat, tanquam diverſas; quarum tamen una id ſibi nomen proprium habet. Hodie *Volcano*.

2. *A Meſſana.*] Diximus *Meſſanam* urbem eſſe inter primarias Siciliæ. Nomen accepit à Meſſeniis Peloponneſi populis, cùm antèa *Zancle* diceretur: quo nomine Siculi falcem apellant. Eam habuere Mamertini ex Samnitibus orti. Sita eſt in ora Septentrionali ad Pelorum Promontorium. Dicitur adhuc *Meſſina*, eſtque urbs Archiepiſcopalis, quæ de primatu cum Panormo contendit.

3. *Lilybæi occupandi.*] Cognitum eſt captivorum relatu, id præſertim in animo Carthaginienſes habere, ut Lilybæum occuparent. Lilybæum Promontorii, portus & urbis nomen eſt. Promontorium, unum eſt ex tribus præcipuis, quorum causâ Sicilia Trinacriæ nomen accepit, ad Occaſum hibernum vergens, & Carthagini longè oppoſitum, quam inde cerni potuiſſe ab iis quorum acutiſſimus viſus, traditum eſt. Hodie corruptè *Capo di Boco* nominatur, teſte Cluverio: in Sanſonis tabula Siciliæ *Capo Coco*. Juxta poſitum oppidum inter munitiſſima Siciliæ numerabatur: à Carthaginienſibus conditum fuiſſe dicitur, expugnatâ à Dionyſio Tyranno Motya eorumdem coloniâ. Portum habuit eximium: in ejus ruinis poſita hodie creditur *Marſalla* in Valle, ſive Provincia *di Mazara*.

4. *Circa Prætorem.*] Helleniſmus eſt: dicunt enim Græci, qui circa Platonem, non tantùm pro diſcipulis ſive comitibus Platonis; ſed etiam pro Platone ipſo: unde Sigonius non malè, meo quidem judicio, *circa Prætorem*, interpretatur à

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. & Ti. Sempronio.

ad curam custodiæ intenderent. ante omnia Lilybæum teneri ad apparatum belli: edicto proposito, *ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent; ubi signum datum esset, ne quis moram conscendendi faceret; perque omnem oram qui erant ex speculis prospicerent adventantem hostium classem.* Simul itaque (quanquam de industria morati cursum navium erant Carthaginienses, ut ante lucem accederent Lilybæum) præsensum tamen est, quia & [c] luna pernox erat, & sublatis armamentis veniebant. extemplo datum è speculis signum, & in oppido ad arma conclamatum est, & in naves conscensum: pars militum in muris portarumque stationibus, pars in navibus erant. Et Carthaginienses, quia rem fore haud cum imparatis cernebant, usque ad lucem portu se abstinuerunt, demendis armamentis eo tempore, aptandaque ad pugnam classe absumpto. Ubi illuxit, recepere classem in altum, ut spatium pugnæ esset, exitumque liberum è portu naves hostium haberent. Nec Romani detrectavere pugnam; & memoria circa ea ipsa loca gestarum rerum freti, & militum multitudine, ac virtute.

L. Ubi in altum evecti sunt, Romanus conserere pugnam, & ex propinquo vires conferre velle: contra eludere Pœnus, & arte, non vi rem gerere; naviumque quàm virorum aut armorum malle certamen facere. nam ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebat: & [a] sicubi conferta navis esset, haudquaquam par numerus armatorum ex ea pugnabat. Quod ubi animadversum est; & Romanis multitudo sua auxit animum, & paucitas illis minuit. Extemplo septem naves Punicæ circumventæ, fugam cæteræ ceperunt: mille & septingenti fuere in navibus capti, milites nautæque: in iis tres nobiles Carthaginienses. Classis Romana incolumis, unâ tantum perforatâ nave, sed eâ quoque ipsâ reduce, in portum rediit. Secundum hanc pugnam, nondum gnaris ejus qui Messanæ erant, T. Sempronius consul Messanam venit, & fretum intranti rex Hiero classem ornatam obviam duxit: transgressusque ex regia in prætoriam navem, gratulatus sospitem cum exercitu & navibus advenisse, precatusque prosperum ac felicem in Siciliam transitum: statum deinde insulæ & Carthaginiensium conata exposuit; pollicitusque est, quo animo, priore bello, populum Romanum juvenis adjuvisset, eo senem adjuturum. Frumenta vestimentaque se legionibus consulis sociisque navalibus gratis præbiturum. grande periculum

INTERPRETATIO.

[c] *Totâ nocte fulgebat Luna: & instrumentis velisque* navium in altum *elatis.*

[a] *Quando navigia hostilia è proximo invicem committebantur.*

NOTÆ.

Prætore: quidquid contrà nitatur Gronovius; licèt enim legati tribunique circa Prætorem essent; non tamen hic dicitur *ab iis qui circa Prætorem erant*, quemadmodùm in exemplis ab eo allatis.

Lilybæo maritimisque civitatibus esse, & b quibusdam volentibus novas res fore. Ob hæc consuli nihil cunctandum visum, quin Lilybæum classe pereret: & rex regiaque classis unà profecti. navigantes inde pugnatum ad Lilybæum, fusasque & captas hostium naves, accepere. Urb. condit. anno 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

LI. A Lilybæo consul, Hierone cum classe regia dimisso, relictoque prætore ad tuendam Siciliæ oram, ipse in insulam 1 Melitam, quæ à Carthaginiensibus tenebatur, trajecit. Advenienti Amilcar, Gisgonis filius, præfectus præsidii, cum paulo minus duobus millibus militum, oppidumque cum insula traditur: inde post paucos dies reditum Lilybæum, captivique & à consule & à prætore, præter insignes nobilitate viros, sub corona venierunt. Postquam ab ea parte satis tutam Siciliam censebat consul; 2 ad insulas Vulcani, (quia fama erat stare ibi Punicam classem) trajecit, nec quisquam hostium circa eas insulas inventus. Jam forte transmiserant ad vastandam Italiæ oram: depopulatoque 3 Vibonensi agro, urbem etiam terrebant. Repetenti Siciliam consuli exscensio hostium in agrum Vibonensem facta nunciatur: literæque à senatu de transitu in Italiam Annibalis, &, ut primo quoque tempore collegæ ferret auxilium, missæ traduntur. Multis simul anxius curis, exercitum extemplo in naves impositum, Ariminum supero mari misit: Sex. Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus Vibonensem agrum maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit: 4 M. Æmilio prætori quinquaginta navium classem explevit: ipse compositis Siciliæ rebus, decem navibus oram Italiæ legens, Ariminum pervenit: inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen, collegæ conjungitur.

LII. Jam ambo consules, & quicquid Romanarum virium erat, Annibali oppositum, aut illis copiis defendi posse Romanum imperium, aut spem nullam aliam esse, satis declarabat. Tamen consul alter equestri prælio uno 1 & vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentis animi

INTERPRETATIO.

b *Et nonnullos* Siculorum *ad res novandas spectare*.

NOTÆ.

1. *In Insulam Melitam*.] Siciliam inter & Africam jacet insula *Melita*, continenti Africæ quam Europæ propior: vulgò *Malte*: ubi hodie sedem fixere equites Sancti Joannis Hierosolymitani, Melitenses inde dicti.

2. *Ad Insulas Vulcani*.] De Vulcaniis Insulis, quæ hic à Lipara distinguuntur, suprà cap. prox.

3. *Vibonensi agro*.] *Vibo Valentia*, aliàs *Hipponium*, oppidum fuit Brutiorum ad sinum Hipponiatem, qui & Lametinus, ubi nunc *Monte Leone*, ducatus in ulteriore Calabria.

4. *Quinquaginta naviam classem explevit*.] Habebat quidem jam classem Prætor M. Æmilius, sed minorem. Itaque Sempronius Consul è sua classe ei attribuit quod deerat, ut quinquaginta navium numerus expleretur.

1. *Et vulnere suo minutus*.] Homeri allorumque Græcorum exemplo *minutum* dixit pro *debilitato* & *fracto*: eo ferè sensu quo Jurisconsulti *capite minutum* dicunt eum qui pristino statu aliquatenus excidit.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

ălter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur. Quod inter Trebiam Padumque agri eſt, Galli tum incolebant; in duorum præpotentium populorum certamine, per ambiguum favorem haud dubie gratiam victoris ſpectantes. Id Romani, [a] ne quid modò moverent, æquo ſatis, Pœnus periniquo animo ferebat; [2] *à Gallis accitum ſe veniſſe ad liberandos eos,* dictitans. [b] Ob eam iram, ſimul ut præda militem aleret, duo millia peditum & mille equites, Numidas pleroſque, mixtos quoſdam & Gallos, populari omnem deinceps agrum uſque ad Padi ripas juſſit. Egentes ope Galli, [c] quum ad id dubios ſervaſſent animos, coacti ab auctoribus injuriæ, ad vindices futuros declinant: legatiſque ad conſulem miſſis, auxilium Romanorum, [d] terræ ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti, orant. Cornelio nec cauſa, nec tempus agendæ rei placebat: ſuſpectaque ei gens erat, tum ob infida multa facinora; tum, ut alia vetuſtate obſoleviſſent, [3] ob recentem Bojorum perfidiam. Sempronius contrà, continendis in fide ſociis maximum vinculum eſſe [4] primos, qui eguiſſent ope, defenſos cenſebat. Tum, collega cunctante, [e] equitatum ſuum, mille peditum, jaculatoribus ferme, admixtis, ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Ii, ſparſos & incompoſitos, adhæc graves præda pleroſque, quum inopinatos invaſiſſent, ingentem terrorem cædemque ac fugam uſque ad caſtra ſtationeſque hoſtium fecere: unde multitudine effuſa pulſi, rurſus ſubſidio ſuorum prælium reſtituere. [5] Variâ inde pugnâ ſequentes, quanquam ad extremum

INTERPRETATIO.

a *Dummodò* Galli *nihil molirentur.*

b *Ea de cauſa, qua iram ejus provocaverat.*

c *Cum tenus in neutram partem animis inclinaſſent.*

d *Regioni, quæ propter incolarum eximium in Romanos ſtudium vexetur.*

e *Equitatum ſuum miſit, admixtis mille peditibus, qui magna ex parte jaculatores.*

NOTÆ.

2. *A Gallis accitum ſe.*] Boji quidem Galliæ Italicæ populi legatos ad eum miſerant, antequam Alpes tranſcendiſſet ſuprà cap. 25. & 29. Sed à reliquis Ciſalpinorum Gallorum, eum vocatum Livius non affirmat.

3. *Ob recentem Bojorum perfidiam.*] Vide ſuprà cap. 25. & 48.

4. *Primos, qui eguiſſent ope, defenſos.*] Sic habent primæ editiones, & optimi codices: quod cum non abſurdam recipiat interpretationem, mihi non omnino improbatur: quidquid velit Gronovius, qui ait opprimendos potiùs quàm defendendos eos qui primi coiſſent, id eſt, qui cœtus feciſſent. At *coeundi* verbum licet de cœtibus, qui adverſus nos fiunt ſæpe-numerò ſumatur; nihil vetat de iis accipi qui nobiſcum coeunt, atque conveniunt. Nec refert quòd Galli egeni opis dicantur: nam id ipſum ſuadet hujus loquendi formæ repetitionem Livianâ gravitate minùs dignam. Erit itaque ſenſus, ad retinendos in fide ſocios, nihil fortius eſſe, quam ſi primi qui nobiſcum cojerint, auxilio noſtro fuerint defenſi.

5. *Variâ inde pugnâ ſequentes.*] Polybius rem ſic narrat lib. 3. poſtquàm Sempronius ſuis primùm Victoribus, deinde repulſis ſubſidium miſerat; Gallos, qui ſcilicet ab Annibale ſtabant, in tutum ſe

æquassent certamen, [a] major tamen hostium Romanis fama victoriæ fuit. Urb. cond. an. 535. Coss. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

LIII. Cæterum nemini omnium major justiorque quam ipsi consuli videri; gaudio efferri, [1] qua parte copiarum alter consul victus foret, eâ se vicisse. restitutos ac refectos militibus animos. *Nec quenquam esse, præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet: eum animo magis quam corpore ægrum, memoria vulneris aciem ac tela horrere. Sed non esse cum ægro senescendum. Quid enim ultra differri ac teri tempus; Quem tertium consulem, quem alium exercitum expectari? Castra Carthaginiensium in Italia, ac prope in conspectu urbis esse: non Siciliam ac Sardiniam victis ademptas, nec cis Iberum Hispaniam peti; sed solo patrio terraque, in qua geniti forent, pelli Romanos. Quantum ingemiscant*, inquit, *patres nostri circa mœnia Carthaginis bellare soliti, si videant nos, progeniem suam, duos consules consulareſque exercitus, in media Italia parentes, intra castra? Pœnum quod inter Alpes Apenninumque agri sit, suæ ditionis feciſſe?* Hæc assidens ægro collegæ, hæc in prætorio prope concionabundus agere. Stimulabat & tempus propinquum comitiorum, ne in novos consules bellum differretur; & occasio in se unum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque nequicquam dissentiente Cornelio, parari ad propinquum certamen milites jubet. Annibal, quum, quid optimum foret hosti, cerneret, vix ullam spem habebat, temere atque improvide, quicquam consules acturos: quum alterius ingenium, fama priùs, deinde re cognitum, percitum ac ferox sciret esse, ferociusque factum prospero cum prædatoribus suis certamine crederet; adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat, cujus ne quod prætermitteret tempus, solicitus intentusque erat, dum tyro hostium esset miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, dum Gallorum animi vigerent: quorum ingentem multitudinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo traherentur. Quum ob hæc taliaque [a] speraret propinquum certamen, & facere, si cessaretur, cuperet

INTERPRETATIO.

a *Cum speraret* Annibal *prælium statim secuturum* sponte Sempronii, & ipse *etiamsi* fortè Romani *ab eo abstinerent, vellet* tamen illud *committere*.

NOTÆ.

recipere coactos: Annibalem verò cum se non satis paratum ad justam dimicationem judicaret, receptui cani jussisse: suosque cohibuisse ne amplius cum Romanis confligerent: hos autem, frustra lacessitis aliquandiu hostibus sua quoque in castra se recepisse, paucis è suorum numero desideratis: ideo Sempronium tanquam re prosperè gestâ elatum animo, de summa rerum decernere statuisse, quò in se unum gloriam victoriæ verteret, ægro collegâ. Hinc erui potest loci hujus satis difficilis sensus, ut velit Livius Romanos per varia sive ambigua certamina insecutos esse copias hostiles; sed id tantùm consecutos, ut inspectâ rerum summâ æquo marte discessisse videri possent: majorem tamen fuisse victoriæ, Romanorum famam, quam victoriæ Carthaginiensium. At Sempronio Consuli præsertim majorem & justiorem visam *famam illam victoriæ Romanorum*.

1. *Qua parte*.] Nimirum equitatu: vide suprà cap. 47.

Digitized by Google

ſpeculatoreſque Galli ad ea exploranda quæ vellet, tutiores, quia in utriſque caſtris militabant, paratos pugnæ eſſe Romanos retuliſſent, locum inſidiis eireumſpectare Pœnus cœpit.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Scip. & Ti. Sempr.

LIV. Erat in medio rivus, prærultis utrinque clauſus ripis, & circa obſitus paluſtribus herbis, &, quibus inculta ferme veſtiuntur, virgultis vepribuſque: quem ubi ad equites quoque regendos ſatis larebroſum locum circumvectus ipſe oculis perluſtravit; *Hic erit locus*, Magoni fratri ait, *quem teneas. Delige centenos viros ex omni pedite atque equite; cum quibus ad me vigilia prima venias. Nunc corpora curare tempus eſt.* [1] Ita [§] prætorium miſſum, mox cum delectis Mago aderat. *Robora virorum cerno*, inquit Annibal; *ſed ut & numero etiam, non animis modo valeatis, ſingulis vobis novenos ex turmis manipuliſque veſtri ſimiles eligite: Mago locum monſtrabit, quem inſideatis.* [a] *Hoſtem cæcum ad has belli artes habebitis.* Ita [b] mille equitibus Magoni, mille peditibus dimiſſis, Annibal prima luce Numidas equites tranſgreſſos Trebiam flumen, obequitare jubet hoſtium portis, jaculandoque in ſtationes elicere ad pugnam hoſtem: injecto deinde certamine, cedendo ſenſim citra flumen pertrahere. Hæc mandata Numidis: cæteris ducibus peditum equitumque præceptum, ut prandere omnes juberent: armatos deinde inſtratiſque equis, ſignum expectare. Sempronius, ad tumultum Numidarum, primum omnem equitatum, ferox ea parte virium, deinde ſex millia pedicum, poſtremo omnes copias ad deſtinatum locum jam ante conſilio, avidus certaminis eduxit. Erat forte brumæ tempus, & nivalis dies in locis Alpibus Apenninoque interjectis; propinquitate etiam fluminum ac paludum prægelidis; ad hoc raptim eductis hominibus atque equis, non capto ante cibo, non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil caloris inerat: & quicquid auræ fluminis appropinquabant, afflabat acrior frigoris vis. Ut vero refugientes Numidas inſequentes, aquam ingreſſi ſunt (& erat pectoribus tenus aucta nocturno imbri) tum utique egreſſis rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentia eſſet, ſimul jejuni procedente jam die, fame etiam deficere.

LV. Annibalis interim miles ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos ut mollirent artus miſſo, & cibo per otium capto, ubi tranſgreſſos flumen nunciatum eſt hoſtes; alacer animis corporibuſque arma

INTERPRETATIO.

a *Vobis res erit cum hoſtibus, quibus hæ fraudes inſidiarum incognitæ.*

b *Cùm Annibal fratri Magoni ducendos ad locum deſtinatum permiſiſſet equites mille totidemque pedites.*

NOTÆ.

1. *Ita Prætorium miſſum.*] Dicebatur *miſſi Prætorium*, cùm legati cæterique præfecti, qui circa belli ducem & in tentorio frequentes eſſe ſolebant, dimittebantur ſub noctem ad curanda præſertim corpora, *quand le General congedioit ſur le ſoir les hauts Officiers qui eſtoient autour de luy.*

cipit, atque in aciem procedit. [a] Baleares locat ante signa, levem armaturam, octo ferme millia hominum; deinde graviorem armis peditem, quod virium, quod roboris erat; in cornibus circumfudit decem millia equitum: & ab cornibus in utranque partem divisos elephantos statuit. Consul, effusos sequentes equites, quum ab resistentibus subito Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato, revocatos circumdedit peditibus. [1] Duodeviginti millia Romani erant, sociûm nominisque Latini viginti; auxilia præterea Cenomanorum: ea sola in fide mansserat Gallica gens. his copiis concursum est. Prælium à Balearibus ortum est, quibus quum majore robore legiones obsisterent, deductæ propere in cornua leves armaturæ sunt; quæ res effecit ut equitatus Romanus extemplo urgeretur. nam quum vix jam per se resisterent decem millibus equitum quatuor millia, & fessi plerisque integris; obruti sunt insuper velut nube jaculorum à Balearibus conjectâ: ad hoc elephanti eminentes ab extremis cornibus (equis maxime non visu modo, sed odore insolito territis) fugam late faciebant. Pedestris pugna par animis magis quam viribus erat, quas recentes Pœnus paulo ante curatis corporibus in prælium attulerat: contrà, jejuna fessaque corpora Romanis & rigentia gelu torpebant. restitissent tamen animis, si cum pedite solùm foret pugnatum. Sed & Baleares pulso equite jaculabantur in latera, & elephanti jam in mediam peditum aciem sese tulerant; & Mago Numidæque, [b] simul latebras eorum improvida præterlata acies est, exorti ab tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere. Tamen in tot circumstantibus malis, mansit aliquandiu immota acies; maxime præter spem omnium adversus elephantos. eos velites, ad id ipsum locati, verutis conjectis & avertere, & insecuti aversos sub caudis, quà maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant.

Urb. cond. an. 535. Cos. P. Cornel. & Ti. Sempr.

LVI. Trepidantes, propeque jam in suos consternatos media acie, in extremam, ad sinistrum cornu, adversus Gallos auxiliares agi jussit Annibal. Extemplo haud dubiam fecere fugam. additus quoque novus terror Romanis, ut fusa auxilia sua viderunt. Itaque quum jam in orbem utrinque pugnarent, decem millia ferme hominum quum aliâ evadere nequissent, media Afrorum acie, quæ Gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti cæde hostium perrumpere: & quum neque in castra reditus esset,

INTERPRETATIO.

[a] *Sed collocat ante aciem fundibulares ex insulis Balearibus, quibus maximè constabat levis armatura, octo circiter millium numerum implens.*

[b] *Statim atque* Romanorum *copiæ imprudenter prætergressa fuerant locum, ubi Mago cum Numidis latebat.*

NOTÆ.

[1] *Duodeviginti millia Romanorum.*] Quatuor erant legiones, quaternûm singulæ millium, tetie sub initio hujus libri ipso Livio: unde verisimilior calculus Polybii sexdecim millia peditum Romanorum in eo exercitus numerantis.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cornel. Scip. & Ti. Sempr.

flumine intereluſis; neque præ imbri ſatis decernere poſſent, qua ſuis opem ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures deinde in omnes partes eruptiones factæ: & qui flumen petiere, aut gurgitibus abſumpti ſunt, aut [a] inter cunctationem ingrediendi, ab hoſtibus oppreſſi. qui paſſim per agros fuga ſparſi erant, veſtigia cedentis ſequentes agminis, Placentiam contendere: aliis [b] timor hoſtium audaciam ingrediendi flumen fecit, tranſgreſſique in caſtra pervenere. Imber nive mixtus, & intoleranda vis frigoris, & homines multos, & jumenta, & elephantos prope omnes, abſumpſit. Finis inſequendi hoſtis Pœnis flumen Trebia fuit: & ita torpentes gelu, in caſtra rediere, ut vix lætitiam victoriæ ſentirent. Itaque nocte inſequenti, quum præſidium Romanorum caſtrorum, & quod reliquum ex magna parte militum erat, ratibus Trebiam trajicerent; aut nihil ſenſere Pœni, obſtrepente pluvia; aut quia jam moveri præ laſſitudine nequibant ac vulneribus, ſentire ſeſe diſſimulaverunt: quietiſque Pœnis, tacito agmine ab Scipione conſule exercitus Placentiam eſt perductus: inde Pado trajectus Cremonam; ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur.

LVII. Romam tantus terror ex hac clade perlatus eſt, ut jam ad urbem crederent infeſtis ſignis hoſtem venturum; nec quicquam ſpei aut auxilii eſſe quo portis mœnibuſque vim arcerent. *Uno conſule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia revocato, duobus conſulibus, duobus conſularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones eſſe quæ arceſſantur.* Ità territis Sempronius conſul advenit, ingenti periculo per effuſos paſſim ad prædandum hoſtium equites (audacia magis quam conſilio aut ſpe fallendi reſiſtendive, ſi non falleret) tranſgreſſus. Id quod unum maxime in præſentia deſiderabatur: comitiis conſularibus habitis, in hiberna rediit. Creati conſules, Cn. Servilius, & C. Flaminius. Cæterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus paſſim Numidis equitibus, & qua his impediciora erant, Celtiberis Luſitanisque. Omnes igitur clauſi undique commeatus erant, niſi quod Pado naves ſubveherent.

INTERPRETATIO.

[a] *Dum cunctantur ingredi flumen.*
[b] *Metus ab hoſtibus illatus.*

NOTÆ.

1. *Cremonam.*] Antiquiſſimum eſt oppidum à Cenomanis Gallis primo in Italiam Celtarum tranſgreſſu inſtar vici conditum trans Padum: quo Romani hoc ipſo anno, ut ſuprà obſervatum, coloniam ſex millium deduxerant: nomen hodieque retinet in ducatu Mediolanenſi, ubi *il Cremoneſe* ad lævam Padi ripam inter agrum Papienſem, Mantuanum & Brixianum.

1. *Et qua impediciora erant.*] Ait, *ubi loca* montuoſa & ſaxoſa, ideoque *aditu* difficiliora à Numidis equitibus per planities vagari ſolitis minùs commodè incurſari poterant, eò miſſos ab Annibale Hiſpanos montibus magis aſſuetos.

Empo-

2 Emporium prope Placentiam fuit, & opere magno munitum & vá- Urb. cond. lido firmatum præsidio. ejus castelli oppugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Annibal, a quum plurimum in celando incœpto ad effectum spei habuisset; nocte adortus, non fefellit vigiles. Tantus repente clamor est sublatus, ut Placentiæ quoque audiretur. Itaque sub lucem cum equitatu consul aderat; jussis quadrato agmine legionibus sequi. Equestre prælium interim commissum: in quo, quia Annibal saucius pugna excessit, pavore hostibus injecto, defensum egregie præsidium est. Paucorum inde dierum quiete sumpta, & vix dum satis percurato vulnere, 3 ad Victumvias ire pergit oppugnandas. Id emporium à Romanis Gallico bello fuerat munitum. inde locum frequentaverant accolæ mixti undique ex finitimis populis: & tum terror populationum eo plerosque ex agris compulerat. Hujus generis multitudo, fama impigre defensi ad Placentiam præsidii accensa, armis arreptis obviam Annibali procedit. 4 Magis agmina quam acies in via concurrerunt: & quum ex altera parte nihil præter inconditam turbam esset; in altera & dux militi, & duci fidens miles; ad triginta quinque millia hominum à paucis fusa. Postero die deditione facta, præsidium intra mœnia accepere: jussique arma tradere, quum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, ut tanquam vi captam urbem diriperent. neque ulla quæ in tali re memorabilis scribentibus videri solet, prætermissa clades est: adeo omnis libidinis, crudelitatisque, & inhumanæ superbiæ editum in miseros est exemplum. Hæ fuere hibernæ expeditiones Annibalis. Cons. P. Scipione, & Ti. Sempronio.

LVIII. Haud longis inde temporibus, dum intolerabilia frigora erant, quies militi data est: & ad prima ac dubia signa veris profectus ex hibernis, in Etruriam ducit; eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate adjuncturus. Transeuntem Apenninum adeo atrox tempestas adorta est, ut Alpium fœditatem prope superaverit. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora; primùm, quia aut arma omittenda erant, aut b contra enitentes vortice intorti affligebantur, constitere:

INTERPRETATIO.

a *Cùm præcipuam spem incœpti perficiendi collocasset in eo tegendo & celando.*

b *Vel, si niterentur adversus ventum, tum circumacti & quasi rotati turbine, prosternebantur.*

NOTÆ.

2. *Emporium prope Placentiam.*] Intelligit oppidum in quo portus & quasi navale Placentinorum à Romanis in dextra Padi ripa eodem hoc tempore conditum, ut esset forum rerum venalium: cùm ipsa Placentia mille quingentis passibus à flumine distaret.

3. *Ad Victumvias ire pergit.*] Fuit hoc quoque Emporium anteà munitum à Romanis. Vide suprà cap. 45.

4. *Agmina quàm acies.*] Sumitur aliquando *agmen*, pro turba quavis licèt incompositâ & sine ordine, atque aceervatim incedente: ut apud Cic. in Pis. *A Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ vidi. Acies* verò, cùm de militibus dicitur, copias instructas significat.

Urb. cond. an. 535. Coss. P. Cornel. Scipione, & Tib. Sempronio.

deinde, quum jam spiritum intercluderet, [a] nec reciprocare animam sineret, aversi à vento paruмper consedere. Tum vero ingenti sono cœlum strepere, & inter horrendos fragores micare ignes. capti auribus & oculis, metu omnes torpere. Tandem effuso imbre, quum eo magis accensa vis venti esset; ipso illo, quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est. [b] Id vero laboris, velut de integro, initium fuit. nam nec explicare quicquam, nec statuere poterant: nec quod statutum esset, manebat; omnia perscindente vento, & rapiente: & mox [c] aqua levata vento, quum super gelida montium juga concreta esset, tantum nivosæ grandinis dejecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines; tegminibus suis magis obruti quam tecti. tantaque vis frigoris insecuta est, ut ex illa miserabili hominum jumentorumque strage, quum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret; quia torpentibus rigore nervis vix flectere artus poterant. deinde, ut tandem agitando sese movere ac recepere animos, & raris locis ignis fieri est cœptus; ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco, velut obsessi, mansere, multi homines, multa jumenta: elephanti quoque ex his, qui prælio ad Trebiam facto superfuerant, septem absumpti.

LIX. Degressus Apennino retro ad Placentiam castra movit, & ad decem millia progressus consedit. postero die duodecim millia peditum, quinque equitum adversus hostem ducit. Nec Sempronius (jam enim redierat ab Roma) detrectavit certamen: atque eo die tria millia passuum inter bina castra fuere. Postero die ingentibus animis, vario eventu pugnatum est. primo concursu adeo res Romana superior fuit; ut non acie vincerent solùm, sed pulsos hostes in castra persequerentur: mox castra quoque oppugnarent. Annibal paucis propugnatoribus in vallo portisque positis, cæteros confertos in media castra recepit; intentosque signum ad erumpendum spectare jubet. [1] Jam nona ferme diei hora erat, quum Romanus nequicquam fatigato milite, postquam nulla spes erat potiundi castris, signum receptui dedit. Quod ubi Annibal accepit, laxatamque pugnam & recessum à castris vidit; extemplo equitibus dextra levâque

INTERPRETATIO.

[a] *Auram accipere atque halitum remittere.*

[b] *Inchoandus denuo fuit labor, cùm non possent evolvere instrumenta ulla, nec tentoria figere: quin & si qua fixa erant, eorum nihil diu stare poterat.*

[c] *Cùm aqua vi venti rarior & levior facta, & elata suprà ingentium montium vertices, in glaciem esset indurata.*

NOTÆ.

1. *Jam nona ferme diei hora.*] Gall. *Il estoit prés de heures après midy*. Numerabant quippe horas Romani ab Ortu Solis, id est, eo tempore à sesqui septima fere nostro more numerata; Sol enim exeunte hyeme, in Liguria oritur circa eam horam: sed horæ apud Romanos hyeme quam æstate breviores, die Occasu Solis finita.

emiſſis in hoſtem, ipſe, cum peditum robore [2] medius, caſtris erupit. pugna raro ulla magis ſæva, & cum utriuſque partis pernicie clarior fuiſſet, ſi extendi eam dies in longum ſpatium ſiviſſet. Nox accenſum ingentibus animis prælium diremit. itaque acrior concurſus fuit quam cædes: & ſicut æquata ferme pugna erat, ita clade pari diſceſſum eſt. ab neutra parte ſexcentis plus peditibus, & dimidium ejus equitum cecidit. Sed major Romanis quam pro numero jactura fuit: quia equeſtris ordinis aliquot, & tribuni militum quinque, & præfecti ſociorum tres, ſunt interfecti. Secundum eam pugnam Annibal in Ligures, Sempronius [3] Lucam conceſſit. Venienti in Ligures Annibali, per inſidias intercepti duo quæſtores Romani, C. Fulvius & L. Lucretius, cum tribunis militum, & quinque equeſtris ordinis [4] ſenatorum ferme liberis, [d] quo magis ratam fore cum his pacem ſocietatemque crederet, traduntur. Urb. cond. an. 535. Coſs. Iubl. Cor. Scip. & Ti. Semp.

LX. Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Cornelius Scipio in Hiſpaniam cum claſſe & exercitu miſſus, quum ab oſtio Rhodani profectus, Pyrenæoſque montes circumvectus, [1] Emporiis appuliſſet claſſem, expoſito ibi exercitu, orſus [2] à Lacetanis, omnem oram uſque ad Iberum flumen, partim renovandis ſocietatibus, partim novis inſtituendis, Romanæ ditionis fecit. Inde conciliata clementiæ fama, non ad maritimos modò populos, ſed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores jam gentes valuit: nec pax modo apud eos, ſed ſocietas etiam armorum parata eſt: validæque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conſcriptæ ſunt. Hannonis cis Iberum provincia erat: eum reliquerat Annibal ad regionis ejus præſidium. itaque priuſquam alienarentur omnia, obviam eundum ratus, caſtris in conſpectu hoſtium poſitis, in aciem eduxit. nec Romano differendum certamen viſum: quippe qui ſciret, cum Hannone & Aſdrubale ſibi dimicandum eſſe; malletque adverſus ſingulos ſeparatim, quam adverſus duos ſimul rem gerere. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit: ſex millia hoſtium cæſa,

INTERPRETATIO.

d *Ut Annibali certius perſuaderent Ligures fœdus atque amicitiam ſecum ab Annibale initam adverſus Romanos firmam eſſe futuram.*

NOTÆ.

2. *Medius caſtris erupit.*] Lipſius emendat *mediis caſtris*, cùm anteà legeretur, *de his caſtri erupit*. Gronovius mavult *medius*, cum peditibus ſcilicet, ut referatur ad equites dextra lævaque emiſſos eodem tempore ex iiſdem caſtris.

3. *Lucam conceſſit.*] Urbs eſt Etruriæ inter Macram amnem & Piſas.

4. *Senatorum fermè liberis.*] Filii Senatorum, antequam in Senatum allecti eſſent, cenſebantur ordinis equeſtris.

1. *Emporiis appuliſſet.*] *Emporiæ*, urbs Hiſpaniæ cis Iberum in finibus Indigetum, non procul Iberico mari: oppidum olim geminum teſte Plin. partem enim veteres incolæ, partem incolebant Græci Phocenſium ſoboles: aliàs Epiſcopatûs fuit ſub Tarraconenſi metropoli, hodie comitatus, vul. *Ampurias*, ager *Lampourdan* vocabulo corrupto ex Emporitano.

2. *Lacetanis.*] Vide ſuprà 2. *ea ſunt loca Dioceſes d'Urgel, de Solſone, & de Lerida en partie*: malim tamen hic legi à *Laletanis*, populis Dioeceſis Barcinonenſis. Nam Lacetani non ad oram, ſed in Mediterraneis colebant, à Pyrenæis ad Iberum.

Urb. cond. an. 535. Coſs. Publ. Cor. Scip. & Ti. Sempr.

duo capta cum præſidio caſtrorum. nam & caſtra expugnata ſunt, atque ipſe dux cum aliquot principibus capiuntur: 3 & Sciſſis propinquum caſtris oppidum, expugnatur. Cæterum præda oppidi parvi pretii rerum fuit; ſupellex barbarica, ac vilium mancipiorum. a caſtra militem ditavere, non ejus modò exercitus, qui victus erat; ſed & ejus, qui cum Annibale in Italia militabat, omnibus fere charis rebus (ne gravia impedimenta ferentibus eſſent) citra Pyrenæum relictis.

LXI. b Priuſquam certa hujus cladis fama accideret, tranſgreſſus Iberum Aſdrubal cum octo millibus peditum, mille equitum, tanquam ad primum adventum Romanorum occurſurus: poſtquam perditas res ad Sciſſim amiſſaque caſtra accepit, iter ad mare convertit. Haud procul Tarracone claſſicos milites navaleſque ſocios, vagos palanteſque per agros, (quod ferme fit, 1 ut ſecundæ res negligentiam creent) equite paſſim dimiſſo, cum magna cæde, majore fuga, ad naves compellit. nec diutius circa ea loca morari auſus, ne à Scipione opprimeretur, trans Iberum ſeſe recepit. Et Scipio, raptim ad famam hoſtium c agmine acto, quum in paucos præfectos navium animadvertiſſet, præſidio Tarracone modico relicto, Emporias cum claſſe rediit. Vix dum digreſſo eo, Aſdrubal aderat: & 2 Ilergetum populo, quia obſides Scipioni dederat, ad defectionem impulſo, cum eorum ipſorum juventute agros fidelium Romanis ſociorum vaſtat. Excito deinde Scipione hibernis, toto cis Iberum rurſum cedit agro. Scipio relictam 3 ab auctore defectionis, Ilergetum gentem, quum infeſto exercitu invaſiſſet, compulſis omnibus 4 Athanagiam, urbem (quæ caput ejus populi erat) circumſedit: intraque

INTERPRETATIO.

a *Ditati ſunt* Romani *milites* ſpoliis ac *prædâ in caſtris* Pœnorum *inventâ*: quæ conſtabat *ex pretioſſimis* quibuſque *rebus duorum exercituum, tum hujus devicti* in Hiſpania ſub Hannone, *tum in Italiam abducti ab Annibale*.

b *Antequam* ad eum *perveniſſet certus rumor illius ſtragis*.

c *Ducto exercitu*.

NOTÆ.

3. *Et Sciſſis*.] Alii *Stiſſum*, vel *Sciſſum* habent, Polybius *Giſſam* appellat; quorum nominum nulla apud Geographos mentio. Corruptum fortè vocabulum ex *Setelſis*, quod fuit Lacetanorum oppidum apud Ptolemæum; & cujus ſitus videtur reſpondere non tam Urgello, ut putavit Vir eruditus Nic. Sanſo, quàm Solſonæ, ſi gradium latitudinis & longitudinis aliqua ratio habeatur. Fuit & *Lyſſa* oppidum ad Sicorim, quam Ciſſam idem Sanſo dictam ſuſpicatur, eoque loco in Hiſpaniæ veteris tabula ponit, ubi nunc *Camaraſa*.

1. *Ut ſecunda res negligentiam creent*.] Mallet T. Fab. *creant*. Quod rectum eſſet ſi poſterior tantùm hujus membri pars ſpectaretur: ſed quæ præcedunt, nempe *quod fermè fit*, *ut*, ſubjunctivum exigunt modum.

2. *Ilergetum populo*.] *Dioceſe de Lerida au delà de la Segre*.

3. *Ab auctore defectionis*.] Aſdrubale nimirum.

4. *Athanagiam urbem*.] Sic primùm appellabatur, quæ poſt dicta eſt *Ilerda*, nunc Caſtellanis *Lerida*, incolis *Lleida*, ad Sicorim, in Catalonia.

dies paucos pluribus quam ante obſidibus imperatis, Ilergetes, pecunia etiam mulctatos, in jus ditionemque recepit. Inde [5] in Auſetanos prope Iberum, ſocios & ipſos Pœnorum, procedit: atque [6] urbe eorum obſeſſa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul jam urbe, quum intrare vellent, excepit inſidiis. Cæſa ad duodecim millia, exuti penè omnes armis, domos paſſim palantes per agros diffugere: nec obſeſſos alia ulla res, quam iniqua oppugnantibus hiems tutabatur. triginta dies obſidio fuit: per quos raro unquam nix minus quatuor pedes alta jacuit: adeoque plureos ac vineas Romanorum operuerat, ut ea ſola, ignibus aliquoties conjectis ab hoſte, etiam tutamentum fuerit. Urb. cond. an. 535. Coſs. Publ. Cor. Scip. & Ti. Sempr.

LXII. Poſtremo quum Amuſitus princeps eorum ad Aſdrubalem profugiſſet, [1] viginti argenti talentis pacti deduntur. Tarraconem in hiberna reditum eſt. Romæ aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta: aut (quod evenire ſolet, MOTIS SEMEL IN religionem animis) multa nunciata, & temere credita ſunt: in queis, ingenuum infantem ſemeſtrem [2] in foro Olitorio *triumphum* clamaſſe; & foro Boario bovem in tertiam contignationem ſua ſponte eſcendiſſe, atque inde tumultu habitatorum territum ſeſe dejeciſſe, & navium ſpeciem de cœlo affulſiſſe: & ædem Spei, quæ in foro Olitorio eſt, fulmine ictam: & Lanuvii haſtam ſe commoviſſe: & corvum in ædem Junonis devolaſſe, atque in ipſo pulvinario conſediſſe; & [3] in agro Amiternino, multis locis hominum ſpecie procul candida veſte viſos, nec cum ullo congreſſos: & in Piceno lapidibus pluiſſe: & Cære [4] ſortes extenuatas: & in Gallia lupum vigili gladium è

NOTÆ.

5. *In Auſetanos.*] Hod. *Dioceſes de Vic & de Gironne.* Sed hi nulla ex parte Iberum attingunt, intermediis hinc Lacetanis, inde Ilaletanis & Coſetanis. Hic itaque *Coſetanos* pro Auſetanis lubens ſcriberem, niſi caput Conſetanorum eſſet Tarraco, Scipionum opus. Sed illorum fortè angulus aliquis Tarraconem inter & Iberum, à Romanis tunc defecerat.

6. *Urbe obſeſſa.*] Auſetanorum urbs *Auſa* dicebatur, poſtea Aquæ Voconiæ, nunc *Vic d'Oſona.*

1. *Viginti argenti talentis.*] Oſtendimus ratione habitâ ponderis & comparatione factâ argenti ad argentum, talenta illa æquiparari poſſe duobus millibus librarum noſtratium, additis quingentis & quinquaginta libris: ſic viginti talenta reſpondebunt fermè 51000. libris Francicis.

2. *In foro Olitorio.*] Fuit *forum Olitorium* in regione urbis undecima ex Auguſti deſcriptione, haud procul Circo maximo: ibi ferè ubi nunc *Piazza Montanara*. Boarium verò regione urbis octavâ, quæ eſt fori Romani, nec procul ab Olitorio.

3. *In agro Amiternino.*] *Amiternum* oppidum fuit Veſtinorum, qui pars Samnii latiùs ſumpti, ad amnem *Aternum*; ejus ruinæ viſuntur non procul Aquila, ad pagum qui hodie *S. Vitterino* in Aprutio ulteriori regni Neapolitani provincia.

4. *Sortes extenuatas.*] Notat Salmaſius, in portentis & ſomniis proſperum judicari ab Aruſpicibus, & Somniorum interpretibus, quoties res majores apparent, quam pro natura ſua; contrà infauſtum haberi, ſi minores ſolito videantur: quod confirmari poteſt exemplo Vaccarum ſeptem pinguium, totidemque macilentarum, quæ Pharaoni in ſomnis viſæ. Hic igitur *Sortes attenuatæ*, vel *extenuatæ* pro mali ominis oſtento referuntur.

Urb. cond. an. 535. Cos. Publ. Cor. Scip. & Ti. Sempr.

vagina raptum abstuliſſe. Ob cætera prodigia, libros adire decemviri juſſi. quod autem lapidibus pluiſſet in Piceno, novendiale ſacrum edictum, & ſubinde aliis procurandis prope tota civitas operata fuit. Jam primum omnium urbs luſtrata eſt, [5] hoſtiæque majores, [6] quibus editum eſt, Diis cæſæ; & donum [7] ex auri pondo quadraginta, Lanuvium ad Junonis portatum eſt; & ſignum æneum matronæ Junoni in Aventino dedicaverunt; & lectiſternium Cære: ubi ſortes attenuatæ erant, imperatum; & ſupplicatio Fortunæ in Algido: Romæ quoque, & lectiſternium Juventati, & ſupplicatio ad ædem Herculis; nominatim deinde univerſo populo, circa omnia pulvinaria, indicta: & Genio majores hoſtiæ cæſæ quinque, & C. Attilius Serranus prætor vota ſuſcipere juſſus, ſi in decem annos reſpublica eodem ſteriſſet ſtatu. Hæc procurata votaque ex libris Sibyllinis, magna ex parte levaverant animos religione.

LXIII. Conſulum deſignatorum alter Flaminius, cui ex legiones, quæ Placentiæ hibernabant, ſorte evenerant, [1] edictum & literas ad conſulem miſit, ut is exercitus idibus Martiis [2] Arimini adeſſet in caſtris. Huic in provincia conſulatum inire conſilium erat; memori veterum certaminum cum Patribus, quæ tribunus plebis, & quæ poſtea conſul, prius de conſulatu, qui abrogabatur; deinde de triumpho habuerat: inviſus etiam Patribus ob novam legem, quam Q. Claudius, tribunus plebis adverſus ſenatum, uno Patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat; *ne quis ſenator, quive ſenatoris pater fuiſſet, maritimam navem, quæ plus quam* [3] *trecentarum amphorarum eſſet, haberet*. Id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos. quæſtus omnis Patribus indecorus viſus eſt. Res per ſummam contentionem acta, invidiam apud nobilitatem ſuaſori legis Flaminio, favorem apud plebem, alterumque inde conſulatum pepe

5. *Hoſtiaque majores*.] Ætate ſcilicet grandiores, non lactentes.

6. *Quibus editum eſt*.] Id eſt, Diis qui nominati ab decemviris ſacrorum fuerunt iis ſupplicaretur. Sed etſi legatur, *quibus edictum*; non erit diverſa ſententia; qui enim pro magiſtratu & officio aliquid publicè denunciant, præſcribunt, aut imperant, *edicere* propriè dicuntur.

7. *Ex auri pondo quadraginta*.] Auri defæcati libra Romano pondere quingentis ſexaginta ferme libris noſtratibus æſtimanda venit [1]. Itaque quadraginta libræ ſive pondo efficient 22400. libras Francicas, præter manus pretium.

1. *Ad Conſulem miſit*.] Ad Sempronium cui Provincia Gallia ſuperiori anno evenerat.

2. *Arimini*.] Eſt *Ariminum* oppidum veteris Umbriæ ultra Apenninum, quam din Senones occuparunt, vulgò *Rimini*, ad oſtium cognominis fluvii (qui nunc *Marechia*), citra Rubiconem, ubi Flaminiæ: & provinciæ totius Galliæ Ciſalpinæ initium: ideoque hic dicitur maluiſſe Flaminium inire conſulatum in Provincia, quam Romæ & in Italia propriè dicta.

3. *Trecentarum amphorarum*.] Dicuntur *Amphoræ* Græcis quæ ex utraque parte anſis feruntur, Latinè *quadranſalia*; vaſa continendis liquoribus, & menſuræ genus. Capiebat autem amphora urnas duas, congios octo, ſextarios octo ſupra quadraginta: id eſt, *Pintas* Pariſienſes ferme 28.

rit. Ob hæc ratus 4 auſpiciis × ementiendis, 5 Latinarumque feriarum morâ, & conſularibus aliis impedimentis, retenturos ſe in urbe; ſimulato itinere, privatus clam in provinciam abiit. Ea res ubi palàm facta eſt; novam inſuper iram infeſtis jam ante Patribus movit: *Non cum ſenatu modo, ſed cum Diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere. conſulem ante inauſpicato factum, revocantibus ex ipſa 7 acie Diis atque hominibus, non paruiſſe, & nunc 6 conſcientia ſpretorum, & Capitolium & ſolemnem votorum nuncupationem fugiſſe: 7 ne die initi magiſtratus Jovis optimi maximi templum adiret: ne ſenatum, inviſus ipſe, & ſibi uni inviſum, videret conſuleretque: ne Latinas indiceret, Jovique Latiari ſolenne ſacrum in monte faceret: ne auſpicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde cum lictoribus ad provinciam iret. a lixæ modo, ſine inſignibus, ſine lictoribus, profectum clam, furtim, haud aliter quam ſi exilii causâ ſolum vertiſſet. magis pro majeſtate videlicet imperii Arimini, quam Romæ magiſtratum inturum, & in diverſorio hoſpitali quam apud penates ſuos prætextam ſumpturum. Revocandum universi retrahendumque* cenſuerunt, *& cogendum omnibus prius præſentem in Deos hominesque fungi officiis, quam ad exercitum & in provinciam iret.* In eam legationem (legatos enim mitti placuit) Q. Terentius & M. Antiſtius profecti, nihilo magis eum movere, quam priori conſulatu literæ moverant ab ſenatu miſſæ. Paucos poſt dies magiſtratum iniit, immolantique ei vitulus jam ictus, è manibus ſacrificantium ſeſe quum proripuiſſet, multos circumſtantes cruore reſperſit. Fuga procul etiam major apud ignaros quid trepidaretur, & concurſatio fuit. Id à pleriſque in omen magni terroris acceptum. Legionibus inde duabus à Sempronio prioris anni conſule: duabus à C. Attilio prætore acceptis, in Etruriam per Apennini tramites exercitus duci eſt cœptus.

Urb. cond. an. 535. Coſſ. P. Cor. Scip. & Ti. Sempronio.

INTERPRETATIO.

a *Tanquam tenus à numero lixarum* vel calonum.

NOTÆ.

4. *Auſpiciis ementiendis.*] Verebatur Flaminius, ne Senatores falſa auguria atque omina per augures obnuntiando, ipſum tanquam inauſpicato creatum conſulem, in urbe morarentur, alliſve impedimentis, auſpiciorum vel feriarum, ei honorem delatum eriperent.

5. *Latinarumq; feriarum.*] Per quas novi conſules ſacrificium in monte Albano una cum Sociis Latini nominis Jovi Latiari facere ſoliti antequam in Provincias ſuas diſcederent.

6. *Conſcientia ſpretorum.*] Deorum nempe atque hominum, de quibus anteà acutè Gronovius hunc locum ſic emendavit: cùm aliàs legeretur *conſcientia præteritorum*, vel *conſcientias Pretorum*.

7. *Ne die initi magiſtratus, &c.*] Deſcribuntur ſolennia ab ineuntibus conſulatum ſervari conſueta.

FINIS LIBRI XXI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXII.

EJUSDEM LIBRI EPITOME.

ANNIBAL, *per continuas vigilias in paludibus oculo amisso, venit in Etruriam, per quas paludes quatriduo, & tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quæ tolli non poterant, & ab equo quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Annibale circumventus, ad Trasimenum lacum cum exercitu cæsus est. Sex millia quæ eruperant, fide ab Maharbale datâ, perfidiâ Annibalis vincta sunt. Quum ad nuncium cladis Romæ luctus esset: duæ matres, insperato receptis filiis, gaudio mortuæ sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. Quum deinde Q. Fabius Maximus dictator, adversus Annibalem missus, nollet acie cum eo confligere, ne contra ferocem tot victoriis hostem, territum adversis præliis militem pugnæ committeret, & opponendo se tantummodo, conatus Annibalis impediret: M. Minucius magister equitum, ferox & temerarius, criminando dictatorem, tanquam segnem, & timidum, effecit, ut populi jussu ei imperium cum dictatore æquaretur, divisoque exercitu, quum in iniquo loco conflixisset, & in maximo discrimine legiones ejus essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo, discrimine liberatus est. quo beneficio victus castra cum eo junxit, & patrem eum salutavit: idemque facere milites jussit. Annibal, vastatâ Campaniâ, inter Casilinum oppidum & Calliculam montem, à Fabio clausus sarmentis ad cornua boum ligatis & incensis, præsidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit: & sic transgressus est saltum. idemque Fabii Maximi dictatoris, quum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem suspectum faceret. Æmilio deinde Paullo & Terentio Varrone consulibus & ducibus, cum maxima clade adversus Annibalem ad Cannas pugnatum est: cæsaque eo prælio Romanorum quadraginta quinque millia, cum Paullo consule & senatoribus octoginta; consularibus atque prætoriis aut ædilitiis triginta. Post quam cladem quum à nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui postea* Africanus *nuncupatus est, stricto*

super

ſuper capita deliberantium ferro, juravit ſe pro hoſte habiturum eum, qui in verba ſua non juraſſet: effecitque ut omnes minime relictum iri à ſe Italiam jurejurando aſtringerentur. Præterea trepidationem urbis & luctum, & res in Hiſpania meliore eventu geſtas continet. Opimia, & Floronia, Veſtales virgines, inceſti damnatæ. Propter paucitatem verò militum, ſervorum octo millia armata ſunt. captivi, quum poteſtas eſſet redimendi, redempti non ſunt. Varroni obviam itum eſt, & gratia actæ, quod de repub. non deſperaſſet.

Urb. cond. an. 536. Coſſ. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

I. JAM ver appetebat, quum Annibal ex hibernis movit, & nequicquam ante conatus tranſcendere Apenninum, intolerandis frigoribus; & cum ingenti periculo moratus ac metu. Galli, quos prædæ populationumque conciverat ſpes; poſtquam pro eo, ut ipſi ex alieno agro raperent, agerentque, ſuas terras ſedem belli eſſe, premique utriuſque partis exercituum viderunt hibernis; verterunt retro ad Annibalem ab Romanis odia: peritiſque ſæpe principum inſidiis, ipſorumque inter ſe fraude, eadem levitate qua conſenſerant, conſenſum indicantium, ſervatus erat; & mutando nunc veſtem, nunc tegumenta capitis, errore etiam ſeſe ab inſidiis munierat. Cæterum hic quoque ei timor cauſa fuit maturius movendi ex hibernis. Per idem tempus Cn. Servilius conſul Romæ [2] Idibus Martiis magiſtratum iniit. Ibi quum de republica retuliſſet, redintegrata in C. Flaminium invidia eſt. *Duos ſe conſules creaſſe, unum habere.* [3] *quod enim illi juſtum imperium, quod auſpicium eſſe? Magiſtratus id à domo, publicis privatiſque penatibus, Latinis feriis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, ſecum ferre: nec privatum auſpicia ſequi; nec ſine auſpiciis profectum, in externo ea ſolo nova atque integra concipere poſſe.* Augebant metum prodigia ex pluribus ſimul locis nunciata: in Sicilia militibus aliquot ſpicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti Scipionem, quem manu tenuerat, arſiſſe: & litora crebris ignibus fulſiſſe: & ſcuta duo ſanguinem ſudaſſe: & milites quoſdam ictos fulminibus: & Solis orbem minui viſum: & Prænefte ardentes lapides cœlo cecidiſſe: & [4] Arpis parmas in cœlo viſas, pugnantemque cum Luna Solem: & Capenæ duas interdiu lunas ortas: & [5] aquas Cæritis ſanguine mixtas fluxiſſe, fontemque ipſum Herculis eruentis

NOTÆ.

1. *Ex hibernis.*] Ex Gallia Ciſpadana, in quam ex Liguribus ſe ad hibernandum receperat, auctore Polyb.

2. *Idibus Martiis.*] Hic tunc ſolennis ineundi magiſtratus dies.

3. *Quod enim illi juſtum imperium.*] Negabant Senatores Flaminium conſulem habendum, quòd juſtum imperium in Provinciam ferre non potuiſſet.

4. *Arpis,*] *Arpi* urbs Apuliæ. Diverſa fuit ab Arpino Volſcorum oppido juxta confluentes Liris & Fibreni, Ciceronis patria.

5. *Et aquas Caritis ſanguinem fluxiſſe.*] *Aqua Ceritis*, ſive *Caretana*, ſex milliaribus à Cære veteri in Tuſcia, *Apollinares* poſteà dictæ, celebres omni ævo fuere, nunc *Acque di Stigliano*.

Urb. cond. an. 536. Coss. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

manasse sparsum maculis: & [a] in Antiati metentibus eruentas in corbem spicas cecidisse: & Faleriis cœlum findi visum, velut magno hiatu, quaque patuerit, ingens lumen effulsisse: sortes sua sponte attenuatas, unamque excidisse ita scriptam, MAVORS TELUM SUUM CONCUTIT: & per idem tempus Romæ signum Martis Appia via ad simulacra luporum sudasse: & Capuæ speciem cœli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis. Inde « minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: [β] Capras lanatas quibusdam factas, & gallinam in marem, gallum in fœminam sese vertisse. His, sicut erant nunciata, expositis, auctoribusque in curiam introductis, consul de religione Patres consuluit. Decretum, ut ea prodigia, partim majoribus hostiis, [b] partim lactentibus procurarentur: & uti supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur. Cætera, quum decemviri libros inspexissent, ut ita fierent, [c] quemadmodum eordi esse Divi carminibus præfarentur. Decemvirorum monitu decretum est: Jovi primum donum fulmen aureum [6] pondo quinquaginta fieret; Junoni Minervæque ex argento dona darentur, & Junoni Reginæ in Aventino, Junonique Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur, matronæque, pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginæ in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret: quin ut libertinæ & ipsæ, unde [7] Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Hæc ubi facta, decemviri Ardeæ in foro majoribus hostiis sacrificarunt. postremo Decembri jam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum (& eum lectum senatores straverunt) & convivium publicum, ac per urbem Saturnalia diem ac noctem clamatum, populusque eum diem festum habere ac servare in perpetuum jussus.

II. Dum consul placandis Romæ Diis, trahendoque delectu dat operam, Annibal profectus ex hibernis, quia jam Flaminium consulem [1] Arretium perveniisse fama erat, quum aliud longius, cæterum commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluvius [2] Arnus per eos dies solito magis inundaverat. Hispanos & Afros,

INTERPRETATIO.

a *Agerentur eo modo quo sibi placere significarent numina per libros Sybillinos.*
b *In agro Antii* Volscorum oppidi.
c *Immolatis* animalibus *quæ nondum ab ubere matris depulsa essent, differendo delectum*, morando ob delectum.

NOTÆ.

6. *Pondo quinquaginta.*] Auri puri libræ quinquaginta Romanis ponderibus redderent hodie lib. Francicas fermè 18000.

7. *Feronia donum daretur.*] *Feronia* Dea nomen, quam sunt qui Proserpinam interpretentur. De fanis Feroniæ lib. 1. c. 30.

1. *Arretium perveniisse.*] Una ex principibus duodecim urbibus Etruriæ fuit *Aretii*, sive *Arretium*, in cujus finibus ortum habet Arnus fluvius, hodie *Arezzo*, vulgò dicitur; in ditione magni Tusciæ Ducis.

2. *Fluvius Arnus.*] Ex Apennino, haud procul Tiberis fontibus ortus, per agrum Aretinum, Florentiam, atque inde Pisas defertur; hinc in mare Tuscum defluens, retento adhuc nomine, vulgò *l'Arno*.

(id omne veterani erat robur exercitus,) admixtis ipſorum impedimentis, necubi conſiſtere coactis neceſſaria ad uſus deeſſent, primos ire juſſit: ſequi Gallos, ut id agminis medium eſſet: noviſſimos ire equites. Magonem inde eum expeditis Numidis cogere agmen; maxime Gallos, ſi tædio laboris longæque viæ (ut eſt mollis ad talia gens) dilaberentur aut ſubſiſterent, cohibentem. Primi, quà modò præirent duces, per prærultas fluvii ac profundas voragines hauſti pene limo immergentesque ſe, tamen ſigna ſequebantur. [a] Galli qui neque ſuſtinere ſe prolapſi, neque aſſurgere ex voraginibus poterant, aut corpora animis, aut animos ſpe ſuſtinebant; alii feſſa ægre trahentes membra; alii, ubi ſemel victis tædio animis procubuiſſent, inter jumenta & ipſa jacentia paſſim, morientes. Maximeque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduum jam & tres noctes toleratæ. Quum omnia obtinentibus aquis, nihil, ubi in ſiccò feſſa ſternerent corpora, inveniri poſſet: cumulatis in aquas ſarcinis inſuper incumbebant. jumentorum itinere toto proſtratorum paſſim acervi, [a] tantum, quod extaret aquâ, quærentibus ad quietem, parvi temporis neceſſarium cubile dabant. Ipſe Annibal, æger oculis, ex verna primum intemperie variante calores frigoraque, [3] elephanto qui unus ſuperfuerat, quod altius ab aqua extaret, vectus; vigiliis tandem & nocturno humore [4] paluſtrique cœlo gravante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur. Urb. cond. an. 536. Coſ. Cn. Servilio, & C. Flaminio

III. Multis hominibus jumentiſque fœde amiſſis, quum tandem de paludibus emerſiſſet; ubi primum in ſicco potuit caſtra locat: certumque per præmiſſos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretii mœnia eſſe. conſulis deinde conſilia atque animum, & ſitum regionum, itineraque & copias ad commeatus expediendos, & cætera, quæ cognoſſe in rem erat, ſumma omnia cum cura inquirendo exſequebatur. Regio erat in primis Italiæ fertilis, Etruſci campi, qui [1] Fæſulas inter Arretiumque jacent, frumenti ac pecoris, & omnium copiâ rerum opulenti; Conſul ferox ab conſulatu priore, & non modo legum ac Patrum majeſtatis, ſed ne Deorum quidem ſatis metuens erat.

INTERPRETATIO.

a *Galli cùm quærerent locum, ubi ad breve tempus quieſcerent, cumuli jumentorum paſſim jacentium per iter aquis inundatum, eis quodammodò præbebant vicem cubilis, quatenus aliqua eorum pars ſuper aquas eminebat.*

NOTÆ.

3. *Elephanto .... vectus .... altero oculo capitur,*] Hùc alludit Satyricus hoc verſu,

Cum Getula ducem portaret bellua luſcum.

4. *Paluſtrique cœlo.*] Noxium aërem intelligit, ex iis paludibus opinor quas fluvius Clanis, vulgò *la Chiana*, interfluit.

1. *Fæſulas.*] *Fæſula* Urbs Etruriæ fuit, Florentiæ vicina, haud procul Arno: deſtructa poſt à Gothis, atque ad formam vici redacta: retinet tamen adhuc ſedem Epiſcopalem, vulgò *Fieſole*.

Urb. cond. an. 536. Coss. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

Hanc insitam ingenio ejus temeritatem fortuna prospero civilibus belliscque rebus successu alucrat. Itaque satis apparebat, nec Deos nec homines consulentem, ferociter omnia ac præpropere acturum, quoque pronior esset in vitia sua, agitare eum atque irritare Pœnus parat: & læva relicto hoste, Fæsulas petens, [2] medio Etruriæ agro prædatum profectus, quantam maximam vastitatem potest, cædibus incendiisque consuli procul ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidem hoste ipse quieturus erat; tum vero, posteaquam res sociorum ante oculos prope suos ferri agique vidit; suum id dedecus ratus, per mediam jam Italiam vagari Pœnum, atque, obsistente nullo, ad ipsa Romana mœnia ire oppugnanda; cæteris omnibus in concilio salutaria magis quam speciosa suadentibus, collegam expectandum, ut conjunctis exercitibus, communi animo consilioque rem gererent; interim equitatu [3] auxiliisque levium armorum ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum: iratus se ex consilio proripuit, signumque simul itineris pugnæque proposuit. *Quinimo [3] Arretii ante mœnia sedeamus*, inquit. *hic enim patria & penates sunt. Annibal emissus è manibus perpopuletur Italiam, vastandoque & urendo omnia, ad Romana mœnia perveniat, nec ante nos hinc moverimus, quam sicut olim Camillum ab Veijs, C. Flaminium ab Arretio Patres acciverint.* Hæc simul increpans, quum ocius signa convelli juberet, & ipse in equum insiluisset; equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit. Territis omnibus qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nunciatur, signum omni vi moliente signifero convelli nequire. Conversus ad nuntium, *Num literas quoque*, inquit, *ab senatu affers, quæ me rem gerere vetent? Abi, nuncia, signum effodiant, si ad convellendum manus præ metu obtorpuerint.* Incedere inde agmen cœpit; primoribus, super quam quod dissenserant à consilio, territis etiam [4] duplici prodigio; milite in vulgus læto ferociâ ducis, quum spem magis ipsam quam causam spei intueretur.

IV. Annibal, quod agri est [1] inter Cortonam urbem & Trasimenumq; la-

INTERPRETATIO.

[2] *Et velitibus ex numero auxiliariorum.*

NOTÆ.

2. *Medio Etruriæ agro.*] Non intelligit agrum Etruscum fuisse inter Flaminium & Annibalem: est enim exigua hæc pars Etruriæ, quæ inter Arretium & Fesulanum iter jacet: sed vult Annibalem per medios agros Etruriæ prædandi causâ iter cœpisse.

3. *Arretii ante mœnia sedeamus.*] Hæc omnia ironicè dicuntur à Flaminio, sed Sarcasmus ille in ipsius caput vertit.

4. *Duplici prodigio.*] Consulis ex equo effusi, & signi ægrè convulsi.

1. *Inter Cortonam.*] *Cortona* Etruriæ urbs ultra Clanim fl. & Clusinam paludem ad montes qui Thrasymeno imminent lacui, à quo millibus passuum quatuor distat Vulturnum versùs: nomen adhuc retinet, paretque magno Tusciæ duci. Veteres *Coritum* appellabant quos sequutus Virgilius.

2. *Trasimenumque lacum,*] Medio ferme inter paludem Clusinam (quam permeat Clanis) & Tiberim spatio, montibus undique cingitur hic lacus, nunc à

cum, omni clade belli pervaſtat, quo magis iram hoſti ad vindicandas ſociorum injurias acuat. Et jam pervenerant ad loca inſidiis nata; ubi maximè montes Cortonenſes Traſimenus ſubit. via tantum intereſt peranguſta, velut ad idipſum de induſtria relicto ſpatio; deinde paulo latior pateſcit campus, inde colles aſſurgunt. Ibi caſtra in aperto locat, ubi ipſe cum Afris modo Hiſpaniſque conſideret. Baleares, cæteramque levem armaturam, poſt montes circumducit: equites ad ipſas fauces ſaltus, tumulis apte tegentibus, locat; ut, ubi intraſſent Romani, objecto equitatu, clauſa omnia lacu ac montibus eſſent. Flaminius quum pridie ſolis occaſu ad lacum perveniſſet, 4 inexploratò, poſtero die, vix dum ſatis certa luce anguſtiis ſuperatis, poſtquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit; id tantum hoſtium, quod ex adverſo erat aſpexit: [a] ab tergo ac ſuper caput decepere inſidiæ. Pœnus ubi id quod petierat, clauſum lacu ac montibus [b] & circumfuſum ſuis copiis habuit hoſtem; ſignum omnibus dat ſimul invadendi. qui ubi qua cuique proximum fuit, decurrêre; eo magis Romanis ſubita atque improviſa res fuit, quod orta ex lacu nebula, campo quam montibus denſior ſederat, agminaque hoſtium ex pluribus vallibus ipſa inter ſe ſatis conſpecta, eoque magis pariter decurrerunt. Romanus, [c] clamore prius undique orto, quàm ſatis cerneret, ſe circumventum eſſe ſenſit; & ante in frontem lateraque pugnari cœptum eſt, quàm ſatis inſtrueretur acies, aut expediri arma ſtringique gladii poſſent. Urb. cond. an. 536. Coſſ. Cn. Servil. & C. Flaminio.

V. Conſul, perculſis omnibus, ipſe ſatis, ut intrepida re, impavidus, turbatos ordines, vertenteſque ſe quóque ad diſſonos clamores, inſtruit, ut tempus locuſque paritur; & quacunque adire audirique poteſt, adhortatur, ac ſtare & pugnare jubet: *nec enim inde votis, aut imploratione Deûm, ſed vi ac virtute evadendum eſſe. Per medias acies ferro viam fieri: & quo timoris minus ſit, eò minus ferme periculi eſſe.* Cæterum præ ſtrepitu ac tumultu, nec conſilium nec imperium accipi poterat, tantumque aberat ut ſua ſigna atque ordinem & locum noſceret miles, ut vix ad

INTERPRETATIO.

a Illum *inſidiæ latuerunt, quas tum à tergo, tum ſupra caput* Annibal *ſtruxerat.*

b *Romanos Pœnorum exercitu circumdatos.*

c *Romani exorto undequaque clamore: circumſeptos ſe* atque incluſos *ſenſerunt, antequam* diſcuſſâ nebulâ *planè perſpicere quidquam poſſent.*

NOTÆ.

Peruſia Pontificii dominii urbe, quæ ad ortum eſt, vulgò *Lago di Perugia* appellatur, partim etiam *Lago di Caſtiglione* ab altero oppido eidem appoſito.

3. *Ubi maximè montes Cortonenſes Traſimenus ſubit.*] Id eſt, qua parte Traſimenus montibus Cortonenſibus quàm proximè ſubjectus eſt: Manuſcripti habent, *ubi maximè montes Cortonenſes in Traſimenum;* idque ſe explicare ait Gronov. 4. obſervat. 16.

4. *Inexploratò.*] Adverbialiter dicitur. Aliàs ſic expreſſeris, cùm iter præmiſſis de more ſpeculatoribus non exploraſſet;

Urb. Cond. an. 536. Coſſ. Cn. Servil. & C. Flaminio.

arma capienda aptandaque pugnæ competeret animus: opprimerenturque quidam, onerati magis his quam tecti; & erat in tanta caligine major uſus aurium quam oculorum. Ad gemitus vulnerum ictuſque corporum aut armorum, 1 & miſſos ſtrepentium paventiumque clamores, circumferebant ora oculoſque. Alii fugientes, pugnantium globo illati hærebant: alios redeuntes in pugnam, avertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes partes nequicquam impetus facti, & ab lateribus montes ac lacus, à fronte & ab tergo hoſtium acies claudebat apparuitque nullam, niſi in dextra, ferroque ſalutis ſpem eſſe: tum ſibi quiſque dux adhortatorque captus ad rem gerendam, & nova de integro pugna exorta eſt, non illa 2 ordinata per principes haſtatoſque ac triarios: nec ut pro ſignis anteſignanus; poſt ſigna, alia pugnaret acies; ut in ſua legione miles, aut cohorte, aut manipulo eſſet. 3 Fors conglobat; & animus ſuus cuique ante & poſt pugnandi ordinem dabat: tantuſque fuit ardor, adeo intentus pugnæ animus, ut 4 eum terræ motum (qui multarum urbium Italiæ magnas partes proſtravit, avertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapſu ingenti proruit) nemo pugnantium ſenſerit.

VI. Tres ferme horas pugnatum eſt, & ubique atrociter. circa conſulem tamen acrior infeſtiorque pugna eſt. Eum & robora virorum ſequebantur, & ipſe, quacunque in parte premi ac laborare ſenſerat ſuos, impigre ferebat opem: a inſignemque armis, & hoſtes ſumma vi petebant, & tuebantur cives: donec Inſuber eques (Ducario nomen erat) facie quoque noſcitans, *Conſul en*, inquit, *hic eſt*, popularibus ſuis, *qui legiones noſtras cecidit, agroſque & urbem eſt depopulatus. Jam ego hanc victimam manibus* b *peremptorum fædè civium dabo*: ſubditiſque calcaribus equo, per confertiſſimam hoſtium turbam impetum facit. obtruncatoque prius armigero, qui ſe infeſto venienti obviam objecerat, conſulem lancea transfixit. ſpoliare cupientem, triarii objectis ſcutis arcuêre. Magnæ partis fuga inde primùm coepit: & jam nec lacus, nec montes obſtabant pavori: per omnia arcta præruptaque veluti cæci evadunt: armaque & viri ſuper alium alii præcipitantur. Pars magna, ubi locus fugæ deeſt,

INTERPRETATIO.

a *Repete à proximo* conſulem, *ſive* eum.
b *Suorum nempe Inſubrum.*

NOTÆ.

1. *Et miſſos ſtrepentium, paventiumque clamores.*] Illud *miſſos* redundare facilè credideris: alioquin dicendum videretur *miſſos à paventibus clamores.*

2. *Per Principes Haſtatoſque ac Triarios.*] De hac apud veteres ordinatione, actum lib. 8. cap. 8. ubi cuncta huc pertinentia abundè explicantur.

3. *Fors conglobat.*] Vult fortunâ & mero caſu, non diſciplinâ factum, ut Romani in globos ſeu catervas invicem congregarentur; nec ordinem dimicandi inter primos & inter poſtremos aliunde, quam ex cujuſque animo natum.

4. *Eum terræ motum.*] Meminit hujus terræ motûs Plut. in Fabio.

per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humeriſque extare possunt, seſe immergunt. fuêre quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit. Quæ [c] ubi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut nequicquam fessi vada retro ægerrime repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia ferme primi agminis per adversos hostes eruptione impigre facta, ignari omnium quæ post se agerentur, ex saltu evasere: & quum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire, nec perspicere præ caligine poterant. Inclinata denique re, quum incalescente sole depulsa nebula aperuisset diem, tum liquida jam luce montes campique perditas res, stratamque ostendere fœde Romanam aciem. itaque ne in conspectos procul immitteretur eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, seſe abripuerunt. Postero die quum super cætera, extrema fames etiam instaret; fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, seſe dedidérunt. quæ Punica religione servata fides ab Annibale est; atque in vincula omnes conjecit.

Urb. cond. an. 536. Coss. Cn. Servil. & C. Flaminio.

VII. Hæc est nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt, decem millia sparsa fugâ per omnem Etruriam, diversis itineribus urbem petiere. Mille & quingenti hostium in acie, multi postea utrinque ex vulneribus periere. Multiplex cædes utrinque facta traditur ab aliis. Ego præterquam quod nihil haustum ex vano velim, quò nimis inclinant ferme scribentium animi; Fabium æqualem temporibus hujusce belli potissimum auctorem habui. Annibal [1] captivorum qui Latini nominis essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum quum sepeliri jussisset, Flaminii quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum, non invenit. Romæ ad primum nuncium cladis ejus, cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronæ vagæ per vias, quæ repens clades allata, quæve fortuna exercitus esset, obvios percunctantur. & quum frequentis concionis modo

INTERPRETATIO.

c *Cùm scilicet fuga per lacum nec finem haberet, nec spem evadendi.*

NOTÆ.

1. *Captivorum qui Latini nominis essent sine pretio dimissis.*] Supplendum hic aliquid, ut sit *captivorum* fortè *eis* vel *illis, qui Latini nominis essent*. Dividit enim Livius captivos in duo genera, eorum alios sine pretio dimissos ait, eos scilicet qui Latini nominis erant; alios in vincula conjectos, nimirum Romanos. Vel genitivus *captivorum* reddendus per ablativum cum præpositione, quasi sit *ex captivis*: quod vitavit Liv. ne tot pluralis numeri ablativos conjungeret.

Urb. cond. an. 536. Coſ. Cn. Servil. & C. Flaminio.

turba in comitium & curiam verſa magiſtratus vocaret. tandem haud multo ante ſolis occaſum M. Pomponius Prætor, *Pugna*, inquit, *magna victi ſumus*: & quanquam nihil certius ex eo auditum eſt; tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt *Conſulem cum magna parte copiarum cæſum, ſupereſſe paucos, aut fuga paſſim per Etruriam ſparſos, aut captos ab hoſte*. Quot caſus exercitûs victi fuerant, tot in curas diſpertiti eorum animi erant, quorum propinqui ſub C. Flaminio conſule meruerant; ignorantium quæ cujuſque ſuorum fortuna eſſet. nec quiſquam ſatis certum habet, quid aut ſperet, aut timeat. Poſtero, ac deinceps aliquot diebus, ad portas major prope mulierum quàm virorum multitudo ſtetit; aut ſuorum aliquem, aut nuncios de his opperiens: circumfundebanturque obviis ſciſcitantes, neque avelli utique ab notis, prius quam ordine omnia inquiſiſſent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nunciis, cerneres, ut cuique aut læta aut triſtia nuntiabantur: gratulantesque aut conſolantes, redeuntibus domos circumfuſos. Fœminarum præcipue & gaudia inſignia erant, & luctus. Unam in ipſa porta, ſoſpiti filio repente oblatam, in conſpectu ejus exſpiraſſe ferunt; alteram, cui mors filii falſo nunciata erat, mœſtam ſedentem domi, ad primum conſpectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot ab orto uſque ad occidentem ſolem in curia retinent; conſultantes, quonam duce, aut quibus copiis, reſiſti victoribus Pœnis poſſet.

Urb. cond. an. 536. Prodictatore Q. Fabio, & Coſ. Cn. Servil.

VIII. Priuſquam ſatis certa conſilia eſſent, repens alia nunciatur clades: quatuor millia equitum, cum C. Centenio proprætore miſſa ad collegam ab Servilio conſule, [1] in Umbria, quo poſt pugnam ad Traſimenum auditam averterant iter, ab Annibale circumventa. Ejus rei fama varie homines affecit. pars occupatis majore ægritudine animis, levem, ex comparatione priorum ducere recentem equitum jacturam: pars, non id quod acciderat per ſe æſtimare; ſed, ut in affecto corpore quamvis levis cauſa magis, quam valido gravior, ſentiretur; ita quum ægræ & affectæ civitati quodcunque adverſi incideret, non rerum magnitudine, ſed viribus extenuatis, quæ nihil quod aggravaret, pati poſſent, æſtimandum eſſe. Itaque [2] ad remedium, jamdiu

NOTÆ.

1. *In Umbria.*] Vetus Umbria ad mare uſque Superum protendebatur, antequàm Galli Senones maritimam ejus regionem occupaſſent. Olim enim ſub Romanis Umbria in duas partes intermedio Apennino diviſa fuit: Maritimam, quæ ab Arimino ad Æſin fluvium protenſa, hodie *Ducato d'Urbino* appellatur; & Mediterraneam, quæ Tiberim inter & Narem ſita, nunc vocatur *Ducato di Spoleto*; utraque in Eccleſiæ Romanæ ditione.

2. *Ad remedium jamdiu neque deſideratum neque adhibitum.*] Ita legitur hic locus in exaratis manu: quaſi per ea tempora Dictaturam Romani nec voluiſſent, nec jamdiu uſurpaſſent. Quod mirum à Livio affirmari, cum hic ipſe Q. Fabius Maximus Verrucoſus ante triennium, anno ſcilicet u. c. 532. Dictator fuiſſe legatur in Faſtis Capitolinis. Editi ſcribunt, *remedium jamdiu deſideratum, neque adhibitum*: ſenſu, ni fallor, ſatis idoneo; ſignificatur enim,

neque

neque deſideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit: & quia & conſul aberat, â quo uno dici poſſe videbatur; nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium, aut literas mitti; nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat: 3 Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum, & magiſtrum equitum M. Minucium Rufum: hiſque negotium ab ſenatu datum, ut muros turreſque urbis firmarent, & præſidia diſponerent quibus locis videretur, ponteſque reſcinderent fluminum: ad penates pro urbe dimicandum eſſe, quando Italiam tueri nequiſſent. Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. & Coſſ. Ca. Servilio.

IX. Annibal recto itinere per Umbriam uſque 1 ad Spoletum venit. inde quum perpopulato agro urbem oppugnare adortus eſſet, cum magna cæde ſuorum repulſus, conjectans ex unius coloniæ haud nimis proſpere tentatæ viribus, quanta moles Romanæ urbis eſſet, 2 in agrum Picenum avertit iter, non copia ſolum omnis generis frugum abundantem, ſed refertum præda, quam effuſe avidi atque egentes rapiebant. Ibi per dies aliquot ſtativa habita; 3 refectuſque miles hibernis itineribus ac paluſtri via, prælioque magis ad eventum ſecundo quam levi aut facili affectus. 3 Ubi ſatis quieti datum, prædâ ac populationibus magis quam otio aut requie gaudentibus: profectus 4 Prætutianum Hadrianumque agrum,

INTERPRETATIO.

2 *Et milites Annibalis, qui ex itinere deſeſſi, quod hyeme ac per vias paludoſas fecerant; & præterea pugnâ ipſâ ad Trasimenum, debilitati erant, qualicèt, inſpecto exitu proſpera fuiſſet; non tamen ſine magna difficultate magnoque damno fuerat commiſſa; recreati ac reſtaurati ſunt.*

NOTÆ.

periculoſum reip. ſtatum jam antè deſideraſſe dictaturam: tanquam præſentium, imminentiumque malorum remedium, quamvis eo Senatus uti diſtuliſſet.

3. *Prodictatorem.*] Cur Dictator ſtatim dictus non fuerit Q. Fabius rationem reddit paulò antè, quòd ſcilicet nonniſi per majorem magiſtratum auctore Senatu dici dictator poſſet, illius autem nulla nunc quidem copia, nec populus ejus creandi jus haberet; unde per populum dicendus fuit, qui ſine Dictatoris nomine, tamen Dictatoris munere fungeretur.

1. *Ad Spoletum.*] Aliàs *Spoletium* ad Clitumni fontes ſitum, hodiernæ Umbriæ caput, nomen retinet; dicitur enim *Spoleto*.

2. *In agrum Picenum.*] *Picenum* ſive *Picenus* ager, aut *Picentium* regio ex eo nomen habere putatur, quòd Sabini cùm Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum *Picus* avis conſederit, ut Feſtus eſt auctor: ab Æſi flumine ad Matrinum ſecundum mare porrigebatur, hodie *Marca d'Ancona*, cum parte Aprutii ulterioris verſus Occaſum æſtivum.

3. *Ubi ſatis quieti datum.*] Num potiùs legendum *quietis*, ut referatur ad ſequentia, ſitque ſenſus; ſatis quietis datum militibus prædâ magis quam otio gaudentibus: alioquin 4ⁿ *gaudentibus* accipiendum erit in ablativo, ſive abſolutè.

4. *Prætutianum.*] *Prætutii* inter Helvinum & Vomanum fluvios, quorum primarium oppidum *Interamnium*, ſeu *Interamna* nunc *Teramo*, & *Terano*, inter confluentes Tordini & Viciolæ amnium, in ulteriori Aprutio. At *Ho-*

Urb. cond. an. 536. Prodictatore Q. Fabio, & Cos. Cn. Servilio.

5 Marsos inde 6 Marrucinosque 7 & Pelignos devastat, circaque 8 Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem. Cn. Servilius consul, levibus præliis cum Gallis actis, & uno oppido ignobili expugnato, postquam de collegæ exercitusque cæde audivit, jam mœnibus patriæ metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad urbem iter intendit. Q. Fabius Maximus 9, dictator iterum, quo die magistratum iniit, vocato senatu ab Diis orsus, quum edocuisset Patres, plus negligentiâ cæremoniarum auspiciorumque, quam temeritate atque insciti, peccatum à C. Flaminio consule esse, b quæque piacula iræ Deûm essent, ipsos Deos consulendos esse; pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi quum terra prodigia nunciata sunt, 9 decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. qui inspectis fatalibus libris, retulerunt Patribus, 10 *quod ejus belli causa votum Marti foret, id non rite factum, de integro atque amplius faciendum esse: & Jovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vovendas esse, & supplicationem lectisterniumque habendum; &* 11 *ver sacrum vovendum, si bellatum prospere esset, resque publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset.* Senatus,

INTERPRETATIO.

b *Et à Diis ipsis exquirendum esse, quibus sacrificiis expianda esset eorum ira:* | *obtinuit ut imperaret Senatus Decemviris, &c.*

NOTÆ.

drianus ager ab *Hadria* oppido, dictus, vulgò *Atri*, inter Vomanum & Matrinum amnes. Olim hic ager Picentibus contributus fuit, nunc pars Aprutii ulterioris, quæ Provincia est Regni Neapolitani, ad mare Adriaticum.

5. *Marsos.*] Samniticis gentibus annumerati *Marsi*, quorum caput [illegible] Fucentis nunc *Albi* ad Fucinum lacum, vul. *Lago di Celano*. Hos inter & Præcutianos *Vestini* aliique populi hic nominati, attributi & ipsi aliquando Samnitibus, qui post in Aprutiorum nomen transierunt. Vulgo *Abruzzo*.

6. *Marrucinosque.*] Horum præcipuum oppidum *Theate*, vulgò *Chieti*, ad Aternum fluvium, non procul ejus ostio in Aprutio Citeriore.

7 *Et Pelignos.*] Siti fuere *Peligni* populi Mediterranei inter Aternum & Sagrum fluvios, quorum prior eos à Vestinis, posterior à Samnitibus propriè dictis dividebat. Caput olim *Corfinium*, hodie *Sulmo*, vulgò *Sulmona* in Aprutio Citeriore.

8. *Arpos & Luceriam.*] Hæc Apuliæ loca non sanè proxima superioribus: interjacebant quippe ad mare quidem Frentani, interiùs Samnites.

9. *Decemviri libros Sibyllinos.*] Non solebant consuli libri Sibyllini, nisi denunciata essent prodigia: tunc autem jubebantur Senatusconsulto eos inspicere Decemviri, (qui Duumviri tantùm fuerunt initio, ut alibi dixi). Eam in rem sæpe exquirebatur Pontificum sententia, quoties nempe quid inciderat dubitationis: lectis autem libris renuntiabant Decemviri quâ ratione placandi essent Dii; quod ex conjectura magis, quàm ex certis indiciis, opinor, fiebat.

10. *Quod ejus belli causâ votum Martî foret.*] Nempe *ver sacrum*, ab A. Cornello votum.

11. *Ver Sacrum.*] Quid sit *Ver Sacrum* ex Festo discimus, qui tradit Italos magnis periculis vovere solitos quæcunque proximo vere nata essent apud se animalia immolaturos. Sed cùm crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere; perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.

quoniam Fabium belli cura occupatura eſſet, M. Æmilium Prætorem ex collegii pontificum ſententia, omnia ea ut maturè fiant, curare jubet.

X. His ſenatuſconſultis perfectis, L. Cornelius Lentulus pontifex maximus, [1] conſulente collegium prætore, omnium primùm populum conſulendum de vere ſacro cenſet: injuſſu populi voveri non poſſe. Rogatus in hæc verba populus: [2] *Velitis jubeatiſne hoc ſic fieri, ſi res publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum*, [3] *ſicut velim eam, ſalva ſervata erit hiſce duellis*, [a] *datum donum duit populus Romanus Quiritium*, (*quod duellum populo Romano cum Carthaginienſi eſt, quæque duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt*) *quod ver attulerit ex ſuillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quæque profana erunt, Jovi fieri, ex qua die ſenatus populuſque juſſerit. Qui faciet, quando volet; quaque lege volet, facito: quo modo faxit, probe factum eſto.* [b] *Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum eſto, neque ſcelus eſto. ſi quis rumpet occiderve inſciens, ne faus eſto. ſi quis clepſit, ne populo ſcelus eſto, neve cui cleptum erit. ſi atro die faxit inſciens, probe factum eſto. ſi nocte ſive luce, ſive ſervus ſive liber faxit, probe factum eſto. ſi* [c] *ante id ea ſenatus populuſque juſſerit fieri ac faxit, eo populus ſolutus, liber eſto.* Ejuſdem rei cauſa ludi magni voti, 4 ℔ æris trecentis triginta tribus

Urb. cond. an. 536. Dictatore Q. Fabio, & Coſ. Cn. Servilio.

INTERPRETATIO.

a *Populus Romanus det in donum id quod vere proximo proveneriit ex fœtu ſuum, ovium, caprarum, boum à die quem Senatus & populus deſignaverit*, ut ſacrificetur Jovi: *modò hæc* animalia *profana ſint, nec anteà ulli deorum dicata.*

b *Si* animal illud *quod ſacrificari oportet, moriatur*; non *habeatur pro ſacro nec culpa imputetur ei qui ſacrificare debebat. Si quis per imprudentiam* aliquod horum animalium *vulneraverit, vel occiderit, id ei nequaquam noceat; ſi quis furatus ſit, id ne populo vitio vertat. Si quis per ignorantiam ſacrificaverit nefaſto aut ominoſo die*, quo vetitum eſt ſacra facere, *pro rectè ſacrificato habeatur.*

c *Si anteà juſſerit Senatus, & populus Rom. hæc ſacra fieri, quàm* privatus aliquis *fecerit*, nunc *populus immunis ſit à culpa.*

NOTÆ.

1. *Conſulente collegium Prætore.*] Alias *conſulente collegio Pontificum*, quorum utrumque non abſurdum habet ſenſum, ſi diverſimodè accipias participium *conſulente*: nam & L. Cornelius Lentulus Candius Pontifex Maximus, nomine Collegii totius Pontificum, Æmilio Prætori conſulenti, id eſt, interroganti reſpondere potuit; & conſultante ſeu deliberante collegium Pontificum, potuit idem de ipſorum ſententia monere ut populus conſuleretur.

2. *Velitis jubeatiſne.*] Formula eſt magiſtratûs populum interrogantis.

3. *Sicut velim eam.*] Remp. nempe ſervari, atque incolumem ſtare.

4. *Ærio trecentis triginta tribus millibus trecentis triginta tribus triente.*] Plut. in Fabio non æris, ſed ſeſtertiorum ac denariorum numerum hanc ſummam æſtimat. Ponit igitur in ſumptus theatrales, Muſicos nempe ac thymelicos, ſeſtertia 333. ac denarios totidem cum triente, comparatque totam ſummam cum myriadibus drachmarum octo, ſive octoginta millibus, atque inſuper ter millenis, quingentis, octoginta tribus drachmis, quibus addit præterea duos obolos, tertiam ſcilicet drachmæ partem. Quam ſummam Budæus 3. de aſſe ita computat, ut ſeſtertia pro argenti dupondio & ſemiſſe habeat, & in ſingula

Urb. cond. an. 536. Prodictatore Q. Fabio, & Cos. Cn. Servilio.

millibus, trecentis triginta tribus, triente: præterea bubus Jovi trecentis, multis aliis Divis bubus albis, atque cæteris hostiis. Votis ritè nuncupatis, supplicatio edicta; supplicatumque jere cum conjugibus ac liberis, non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, [d] quos in aliqua sua fortuna publicæ quoque contingebat curâ. Tum lectisternium per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus. sex pulvinaria in conspectu fuêre: Jovi & Junoni unum, alterum Neptuno ac Minervæ, tertium Marti & Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio ac Cereri. Tum ædes votæ. 5 Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Max. dictator vovit; quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cujus maximum imperium in civitate esset. 6 Menti ædem T. Otacilius prætor vovit.

XI. Ita rebus divinis peractis, tum de bello, reque publica dictator retulit, quibus quotve legionibus victori hosti obviam eundum esse Patres censerent. Decretum, *ut ab Cn. Servilio consule exercitum acciperet; scriberet præterea ex civibus sociisque, quantum equitum ac peditum videretur*: [1] *cætera omnia ageret faceretque, ut è republica*

INTERPRETATIO.

d *Qui publica fortuna curam gerebant, quia ipsi versabantur in fortuna non incommoda.*

NOTÆ.

pondo centenos denarios drachmasve numeret, sicque exeant in universum octoginta tria millia quingentæ octoginta tres drachmæ, obolique duo. Hæc autem quantitas hodiernâ pecuniæ argenteæ æstimatione exurgeret ad 35512. lib. 18. f. 4. d. Quod si sextantarios asses ponamus, non multùm à Plutarchi summa abibit Liviana computatio. Sed hujus rei accuratior disquisitio majoris esset operæ. Hic hæret Plut. cur tam anxiè per numerum ternarium divisa hæc summa fuerit: nec videtur alia ratio facilè reddi posse, præter vim ejus numeri, qui & perfectus est naturâ, & primus imparium, & multitudinis initium, omniumque deinceps numerorum quasi elementa mixta & coagmentata contineat. Certè apud veteres Sacrum esse hunc numerum constat, vel ex illo Virgilii:

Terna tibi hæc primùm triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem dico, numero Deus impare gaudet.

5. *Veneri Erycinæ.*] In honorem nimirum Veneris, quæ apud Erycem in Sicilia colebatur, celebri fano ab Æneæ matri dicato: ædes nunc à Fabio Romæ vovetur, quæ post in Capitolio structa, alia ab ejusdem Veneris ad portam Collinam.

6. *Menti ædem.*] Fuit hæc Mentis ædes juxta illam Veneris Erycinæ Capitolinam, uno tantùm ambæ canali discretæ. Mentem autem Romani, tanquam Deam coluerunt, ut bonam mentem concederet.

1. *Cætera omnia ageret faceretve.*] Nihil mirum cum liberis mandatis missum adversus hostes Q. Fabium, ut qui dictator esset, id est, supremum magistratum ageret, cujus imperio consules quoque obnoxii, ut & ex hoc capite patet. Nam & proprio arbitrio ad exercitum Servilii consulis duas legiones adjecit, & eidem ut sine lictoribus ad se veniret denunciavit. Consulibus autem rarò similis potestas tribuebatur, nec nisi in summo rerum discrimine cum decernebatur, ut viderent ne quid Respublica detrimenti caperet.

duceret. Fabius duàs ſe legiones adjecturum ad Servilianum exercitum dixit. his [a] per magiſtrum equitum ſcriptis, Tibur diem ad conveniendum edixit. edictoque propoſito, *ut quibus oppida caſtellaque immunita eſſent, ut ii in loca tuta commigrarent; ex agris quoque demigrarent omnes regionis ejus, qua iturus Annibal eſſet, tectis prius incenſis ac frugibus corruptis, ne cujus rei copia eſſet*: ipſe [a] via Flaminiâ profectus obviam conſuli exercituique, quum ad Tiberim 3 circa Ocriculum proſpexiſſet agmen, conſulemque cum equitibus ad ſe prodeuntem; viatorem miſit, qui conſuli nunciaret, *ut ſine lictoribus ad dictatorem veniret*. Qui quum dicto paruiſſet, congreſſuſque eorum ingentem ſpeciem dictaturæ apud cives ſocioſque, vetuſtate jam prope oblitos ejus imperii, feciſſet: literæ ab urbe allatæ ſunt, naves onerarias commeatum ab Oſtia in Hiſpaniam ad exercitum portantes, à claſſe Punica 4 circa portum Coſſanum captas eſſe. Itaque extemplo conſul Oſtiam proficiſci juſſus, navibus quæ ad urbem Romanam aut Oſtiæ eſſent, completis milite ac 5 navalibus ſociis, perſequi hoſtium claſſem, ac litora Italiæ tutari. Magna vis hominum conſcripta Romæ erat: [6] libertini etiam, quibus liberi eſſent, & ætas militaris, in verba juraverant. Ex hoc urbano exercitu, qui minores quinque & triginta annis erant, in naves impoſiti: alii, ut urbi præſiderent, relicti.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. Coſſ. Cn. Servil.

XII. Dictator exercitu conſulis accepto à Fulvio Flacco legato, per agrum Sabinum Tibur, quo die ad conveniendum edixerat novis militibus, venit: inde Prænefte [b] tranſverſis limitibus in viam Latinam eſt regreſſus, unde itineribus ſumma cum cura exploratis ad hoſtem ducit: nullo loco,

INTERPRETATIO.

a *Conſcriptis à Magiſtro equitum*,
b *Non rectâ viâ*.

NOTÆ.

2. *Via Flaminia*.] Hæc via ſic dicta à C. Flaminio, qui eam Cenſor cum L. Paulo anno u. c. 530. muniverat ſtraveratque, & Circum etiam Flaminium extruxerat; quique biennio poſt ab Annibale cæſus fuit ad Traſimenum lacum. Initium capiebat hæc via à porta Flumentana, perque Tuſciam & Umbriam uſque Ariminum perducebatur. Strabo hoc opus adſcribit hujus Flaminii filio, & fortè à patre inchoata, aut Aretium uſque perducta; à filio verò continuata ad Ariminum.

3. *Circa Ocriculum*.] Umbriæ oppidum eſt ad confinia Sabinorum, vul. *Otricoli*. Tiberi proximum.

4. *Circa portum Coſſanum*.] *Coſa* ſive *Coſſa* civitas Etruriæ maritimæ, in edito colle, ſinui imminet qui inter Centumcellas, vulgò *Civita Vecchia*, & promontorium Argentarium portumque Herculis protenditur: ubi nunc *Lanſedonia*, aut inde non procul. In maritimis Senenſis regionis parte, quæ vulgò *Maremma di Siena*. Portus hic Coſanus, fuit ubi hodie, vel *Porto Hercole*, vel *S. Stefano*.

5. *Navalibus ſociis*.] Dicuntur navales ſocii remiges qui ad navigandum adhibentur.

6. *Libertini etiam*.] Apud Romanos ratum alios quàm ingenuos in militiam conſcribi: ſed belli hujus Punici ſecundi neceſſitas ad ſervos quoque conſcribendos tandem adegit.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. Coss. Cn. Servil. & C. Flamin.

nisi quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus. Quo primum die haud procul * Arpis in conspectu hostium posuit castra: nulla mora facta, quin Pœnus educeret in aciem, copiamque pugnandi faceret: sed ubi quieta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota videt, increpans quidem victos tandem Martios animos Romanorum, debellatumque; 1 & concessum eis propalam de virtute ac gloria esse, in castra rediit. cæterum tacita cura animum incensus, quod cum duce, haudquaquam Flaminio Semproniove simili, futura sibi res esset, ac tum demum edocti malis Romani parem Annibali ducem quæsissent: & prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplo timuit; constantiam haud dum expertus, agitare ac tentare animum movendo crebro castra, populandoque in oculis ejus agros sociorum, cœpit. & modo citato agmine è conspectu abibat, modo repente in aliquo flexu viæ, si excipere degressum in æquum posset, occultus subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur. Castris, nisi quantum usus necessario cogeret, tenebatur miles. pabulum & ligna nec pauci petebant, nec passim. Equitum levisque armaturæ statio composita instructaque in subditos tumultus, & suo militi tuta omnia, & infesta effusis hostium populatoribus præbebat. b neque universo periculo summa rerum committebatur: & parva momenta levium certaminum ex tuto cœptorum, finitimo receptu, assuefaciebat, 2 territum pristinis cladibus militem, minus jam tandem aut virtutis, aut fortunæ pœnitere suæ. Sed non Annibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quam magistrum equitum. qui nihil aliud, 3 quàm quòd parebat in imperio, moræ ad rempub. præcipitandam habebat, ferox rapidusque in consiliis, ac linguis immodicus: primo inter paucos,

INTERPRETATIO.

b Et Fabius *summam rerum in discrimen non mittebat periculum faciendo generalis prælii.*

NOTÆ.

* *Arpis.*] Aliàs Æcis.

1. *Et concessum eis.*] Vel per pronomen *eis* intelligendum, Pœnis sive Carthaginensibus; vel cum melioribus codicibus delendum *tè eis.*

2. *Territum pristinis cladibus militem.*] In melioribus Codicibus scriptum habetur *pristinis in cladibus his*, aut *pristinis in his cladibus*. Sed Groo. egregiè mutat in, *pristinis trinis cladibus*: nempe ad Ticinum, Trebiam, Trasimenum.

3. *Quàm quod parebat in imperio.* Plures hic lectiones proferuntur. Vulgata, *quam quòd non imperabat, moræ*, &c. Rubenius probat *quod parebat imperio*. Hæc non insubtilis à Gronovio adducta, *quàm quòd imperabat sub imperio*, vel *quod parebat in imperio*, id est, quòd etsi in imperio constitutus, parebat tamen majori: nam & magister equitum, qualis erat hic Minutius Rufus, imperator habebatur, quamvis sub alio imperatore, nimirùm Dictatore. Nec displicet quod in scriptis melioribus occurrit *quod imperabat imperio*, hoc est moderabatur imperandi cupiditati, & juri quod aliquatenus habebat; ut pote creatus à populo, non ab ipso Fabio, qui nec Dictator, sed Prodictator creatus erat. cap. 8. suprà.

dein propalam in vulgus, pro cunctatore ſegnem, & cauto timidum; affingens vicina virtutibus vitia, compellabat: [c] premendorumque ſuperiorum arte (quæ peſſima ars nimis proſperis multorum ſucceſſibus crevit) ſeſe extollebat.

XIII. Annibal [1] ex Hirpinis in Samnium tranſit, [2] Beneventanum depopulatur agrum. [3] Teleſiam urbem capit: irritat etiam de induſtria ducem, ſi forte accenſum tot indignitatibus cladibuſque ſociorum, [4] detrahere ad æquum certamen poſſit. inter multitudinem ſociorum Italici generis, qui ad Traſimenum capti ab Annibale dimiſſique fuerant, [5] tres Campani equites erant; multis jam tum illecti donis promiſſiſque Annibalis, ad conciliandos popularium animos. hi nuncıantes, *ſi in Campaniam exercitum admoviſſet, Capuæ potiendæ copiam fore*; [a] quum res major quam auctores eſſet, dubium Annibalem, alterniſque tidentem ac diffidentem, tamen ut Campanos ex Samnio peteret, moverunt: monitoſque ut etiam atque etiam promiſſa rebus adfirmarent, juſſoſque cum pluribus & aliquibus principum redire ad ſe, dimiſit: ipſe imperat duci, ut ſe in agrum Caſinatem ducat; eductus à peritis regionum, ſi eum ſaltum occupaſſet, exitum Romano ad opem ferendam ſociis intercluſurum. [6] Sed Punicum abhorrens os ab Latinorum nominum prolatione, pro

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. Coſſ. Cn. Servil. & C. Flamin.

INTERPRETATIO.

[c] *Sequè extollere conabatur artificio deprimendi ſuperiores: quod deterrimum artificium invaluit* inter homines *propter plurimorum*, eo genere ſe venditantium *felices eventus*.

[a] *Cùm negotium* (potiendi Capuæ) *videretur ſuperare vires eorum qui hoc conſilium dabant*.

NOTÆ.

1. *Ex Hirpinis*.] Sic optimi Codices, alii *ex Arpinis*, vulgata lectio *ex Arpis*: quod ratio itineris non abnuit: fuerunt enim Arpi in Apulia Daunia, & oppidi illius mentio facta eſt ſuperiori cap. Nec ad Hirpinos veniſſe Annibalem noſter adhuc memoravit. Gronovius tamen hac ratione utitur ut ex *Hirpinis* ſcribi malit, quam ex Arpis: quia ſcilicet Hirpini populi fuere, Arpi oppidum; præpoſitio autem ex, gentem exigit, non oppidum. Sed hujus diſcriminis non ita exactè rationem Livius habet. Paſſim enim præpoſitiones ad loca præter aliorum morem addit: ut mox cap. 59. *Jam enim ridierat ab Roma*. Et cap. 62. *Supplicatio Fortunæ in Algido*: quod hic oppidi, ni fallor, nomen eſt. *Hirpini* gens Samnitici generis, Apennino à Samnitibus propriè dictis, atque ab Apulis ſejuncti, inter hos, & Campanos, Picentinoſque ſiti. Horum primaria urbs *Compſa*. Hodie regio *Principatus* ferè *ulterioris* nomine inter regni Neapolitani Provincias cenſetur.

2. *Beneventanum*.] De Benevento Samnitium urbe ad Sabatum. Vide lib. 9. c. 19. Hodie Ducatus titulo paret Eccleſiæ Romanæ, tametſi regni Neapolitani limitibus incluſum.

3. *Teleſiam*.] In Samnii Campaniam verſus finibus fuit opp. *Teleſia*: haud procul Sabato amne: nunc *Teleſe* in Terra laboris.

4. *Detrahere ad æquum certamen*.] Sic ex optimis mavult Gronovius quàm *trahere*; quod Fabius ex ſuperioribus locis in planitiem devocandus & quaſi dejiciendus eſſet, ut æquo marte prælium iniretur.

5. *Tres Campani equites*.] Capuæ ſcilicet nati.

6. *Sed Punicum abhorrens os ab Latinorum nominum* prolatione.] In vulgatis eſt

Urb. cond. ann. 536. Prodictat. Q. Fab. Coſſ. Cn. Servil. & C. Flamin.

Caſino Caſilinum 7 dux ut acciperet, fecit: averſuſque ab ſuo itinere, 8 per Allifanum, 9 Calatinumque, 10 & Calenum agrum: in campum Stellatem deſcendit: ubi quum montibus fluminibuſque clauſam regionem circumſpexiſſet, vocatum ducem percunctatur? ubi terrarum eſſet, 11 quum is Caſilini eo die manſurum eum dixiſſet; tum demum cognitus eſt error, & 12 Caſinum longe inde alia regione eſſe: virgiſque cæſo duce, & ad reliquorum terrorem in crucem ſublato, caſtris communitis Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimiſit. Uſque ad aquas Sinueſſanas populatio ea pervenit. ingentem cladem, fugam tamen terroremque latiùs, Numidæ fecerunt. Nec tamen is terror, quum omnia bello flagrarent, fide ſocios dimovit: videlicet quia juſto & moderato regebantur imperio: nec abnuebant, quod unum vinculum fidei eſt, melioribus parere.

XIV. Ut vero ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita, exurebaturque amœniſſimus Italiæ ager, villæque paſſim incendiis fumabant, per juga Maſſici montis Fabio ducente, tum prope de integro ſeditio accenſa. 1 quieverant enim per paucos dies: quia quum celerius ſolito ductum agmen fuiſſet, feſtinari 2 ad prohibendam populationibus Campaniam crediderant. ut vero in extrema juga Maſſici montis ventum eſt, hoſteſque ſub oculis erant, Falerni agri colonorumque Sinueſſæ tecta urentes, nec ulla erat mentio pugnæ, *Spectatumne huc,*

NOTÆ.

Punicum abhorrens ab Latino nomen: poteſtque intelligi nomen *Caſini* Punica pronunciandi forma prolatum ab Annibale, abhorruiſſe à vero nomine Latino, adjecta, ut videtur, littera *L.* ita ut accederet ad nomen Caſilini: quam in rem notat Gronovius ex Iſidoro, familiarem fuiſſe Afris Lamdaciſmum, quo pro uno L. duo pronunciantur. Sed nullum in Caſino L. quod duplicaretur. In Codice Regio & Colb. ſcribitur, ſed *Punicum abhorrens ab Latinorum nominum prolatione*: cui bellè addit idem Gronov. nomen, *os*, ut ſit *Punicum os* pro lingua & ſermone Punico: vel potius lingua ſermoni Punico aſſueta, aliena à Latino.

7. *Dux ut acciperet*.] Vulgò *ducem accipere*: per *ducem* apparet ductorem viæ intelligi.

8. *Per Allifanum*.] Ad lævam Vulturni in Samnii Campaniæque confinio, fuit oppidum *Allifæ*: nomen adhuc retinens in Terra Laboris, & regno Neapolitano.

9. *Calatinumque*.] De Calatia, nunc *Gaiazzo*; de Campo Stellate nunc *Campo Mazzone*; de Agro Falerno, Sinueſſa, aliiſque Campaniæ inter Vulturnum & Lirini fluvios locis, dixi ad poſteriores primæ Decadis libros.

10. *Et Calenum agrum*.] Nomen ſortitus videtur hic ager ab opp. *Caleno*, cujus meminit Plin. hod. *Carinola*: non à *Calibus*, nunc *Calvi*: quod inde non procul.

11. *Quum is Caſilini*.] Fuit Caſilinum ad Vulturnum, ubi hodie *Capua*.

12. *Caſinum longè inde*.] Volſcorum olim, dein Latii novi oppidum: ubi nunc *Monte Caſino*, primarium Benedictini ordinis Monaſterium, juxta quod *San-Germano* ſedes Epiſcopi Caſinenſis in Terra Laboris.

1. *Quieverant enim*.] Romani milites ad ſeditionem antèa impulſi.

2. *Ad prohibendam populationibus Campaniam*.] Hypallage, pro *ad populationes à Campania prohibendas*.

inquit

inquit Minucius, [a] *ad rem fruendam oculis, ſociorum cædes; & incendia venimus? nec ſi nullius alterius nos, ne civium quidem horum pudet, quos Sinueſſam colonos patres noſtri miſerunt, ut ab Samnite hoſte tuta hæc ora eſſet: quam nunc non vicinus Samnis urit, Sed Pœnus advena, ab extremis orbis terrarum terminis, noſtra cunctatione & ſocordia jam huc progreſſus. Tantum (pro!) degeneramus à parentibus noſtris, ut, [b] præter quam oram illi Punicas vagari claſſes, dedecus eſſe imperii ſui duxerint, eam nos nunc plenam hoſtium, Numidarumque, ac Maurorum jam factam videamus? Qui modo Saguntum oppugnari indignando, non homines tantum, ſed fœdera & deos cicbamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti ſpectamus. Fumus ex incendiis villarum agrorumque in oculos atque ora venit, ſtrepunt ante ſ clamoribus plorantium ſociorum, ſæpius nos, quam Deorum invocantium opem, nos hic pecorum modo per æſtivos ſaltus devioſque colles exercitum ducimus: conditi nubibus, ſylviſque. Si hoc modo peragrando cacumina ſaltuſque M. Furius recipere à Gallis urbem voluiſſet, quo hic novus Camillus (nobis 3 dictator unicus in rebus affectis quæſitus) Italiam ab Annibale recuperare parat; Gallorum Roma eſſet: quam 4 vereor, ne, ſic cunctantibus nobis, Annibali ac Pœnis toties ſervaverint majores noſtri. ſed vir, ac vere Romanus, quo die dictatorem eum ex auctoritate Patrum, juſſuque populi dictum, Vejos allatum eſt, quum eſſet 5 ſatis altum Janiculum, ubi ſedens proſpectaret hoſtem, deſcendit in æquum; atque illo ipſo die media in urbe, qua nunc buſta Gallica ſunt, & poſtero die, citra Gabios, cecidit Gallorum legiones. Quid, poſt multos annos, 6 quum ad furculas Caudinas ab Samnite hoſte ſub jugum miſſi ſumus; utrùm tandem L. Papirius Curſor juga Samnii perluſtrando, an Luceriam premendo obſidendoque, & laceſſendo victorem hoſtem, depulſum ab Romanis cervicibus jugum ſuperbo Samniti impoſuit? Modo C. 7 Lutatio qua alia res, quam*

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Coſſ. Cn. Servil. & C. Flamin.

INTERPRETATIO.

a *Veluti rem jucundam viſu, & quæ cum voluptate oculorum ſpectanda ſit.*

b *Ut plagam* Campaniæ, *ſecundum quam majores noſtri navigare Carthaginienſium claſſes indignum putarunt majeſtate imperii Romani, &c.*

NOTÆ.

3. *Dictator unicus.*] Sarcaſmus eſt in Q. Fabium. Cæterùm parum refert an ſcribatur *in rebus affectis*, ut eſt in melioribus libris, an *in rebus afflictis*.

4. *Vereor ne, ſic cunctantibus.*] Vult Minucius Magiſter equitum credi, fore ut ſi ampliùs cunctentur Romani ex inſtituto Fabii; fruſtra Romani veteres urbem ab hoſtium impetu defenderint, eamque non poſteris ſuis ſervaverint, ſed Annibali & Carthaginienſibus qui ea potiturі ſint.

5. *Satis altum Janiculum.*] Comparat Janiculum montem circa Romam altiſſimum, à quo degreſſus eſt Camillus ut in urbem ad pellendos Gallos deſcenderet, cum Maſſico Campaniæ monte, unde digredi nolit Fabius, ut æquo marte cum Annibale decernat ad ſocios colonoſque Romanorum tuendos.

6. *Quum ad furculas Caudinas.*] Vide lib. 9. cap. 2.

7. *Lutatio.*] Vide lib. 21. cap. 25.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Coss. Cn. Servil. & C. Flamin.

celeritas, victoriam dedit; quod postero die quam hostem vidit, classem grævem commeatibus, impeditam suomet ipsam instrumento atque apparatu, oppressit? Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse. armari copias oportet, deducendas in æquum, ut vir cum viro congrediaris. Audendo atque agendo res Romana crevit, [8] non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant. Hæc velut concionanti Minucio, circumfundebatur tribunorum equitumque Romanorum multitudo; & ad aures quoque militum dicta ferocia volvebantur: ac, si militaris suffragii res esset, [c] haud dubie ferebant, Minucium Fabio duci prælaturos.

XV. Fabius [1] pariter in suos haud minus quam in hostes intentus, prius ab illis invictum animum præstans; quanquam probe scit, non in castris modo suis, [a] sed jam etiam Romæ infamem suam cunctationem esse, obstinatus tamen, eodem consiliorum tenore æstatis reliquum extraxit: ut Annibal destituturus ab spe summopere petiti certaminis, jam hibernis locum circumspectaret, quia ea regio [b] præsentis erat copiæ, non perpetuæ; arbusta vineæque, & consita omnia magis amœnis quam necessariis fructibus. Hæc per exploratores relata Fabio. Quum satis sciret per easdem angustias, quibus intraverat Falernum agrum, rediturum: [2] Calliculam montem & Casilinum occupat modicis præsidiis, quæ urbs Vulturno flumine dirempta, Falernum ac Campanum agros dividit: & ipse jugis iisdem exercitum reducit; misso exploratum cum quadringentis equitibus sociorum L. Hostilio Mancino: qui ex turba juvenum audientium sæpe ferociter concionantem magistrum equitum, progressus primo exploratoris modo, ut ex tuto specularetur hostem; ubi vagos passim per vicos Numidas vidit; per occasionem etiam paucos occidit. [c] extemplo occupatus certamine est animus, excideruntque præcepta dictatoris: qui, quantum tuto posset, progressum, prius recipere se jusserat, quam in conspectum hostium veniret. Numidæ alii atque alii occurrantes refugientesque, ad castra propè ipsum cum fatigatione equorum atque hominum pertraxere. inde Cartalo, penes quem summa equestris imperii erat, concitatis equis invectus, quum, prius quam ad conjectum teli veniret, [d] avertisset hostem, quinque millia ferme conti-

INTERPRETATIO.

c *Manifestè pra se ferebant.*

a *Suum cunctandi consilium infamia* quasi ex ignaviæ crimine *in urbe quoque jam laborare.*

b *Rerum copiam non in perpetuum suppeditare poterat, sed in præsens tantùm.*

c *Statim Hostilii Mancini animum invasit ardor ineundi certaminis.*

d *Romanos in fugam vertisset.*

NOTÆ.

8. *Non his segnibus consiliis.*] A Lipsio est: scripti habent *non his sensibus consiliisque*; quod eodem recidit.

1. *Pariter in suos.*] Libens illud *pariter* deleverim. Sufficit enim & melius rem explicat quod sequitur *in suos haud minùs quàm in hostes intentus.*

2. *Calliculam montem.*] Inter Casilinum & Cales fuit hic mons, à Savone amne ad Vulturnum protensus, atque agrum Falernum terminans ad Septentrionem.

nenti cursu secutus est fugientes. Mancinus, postquam nec hostem desistere sequi, nec spem vidit effugiendi esse, cohortatus suos, in prælium rediit, omni parte virium impar. Itaque ipse, & delecti equitum, circumventi occiduntur: cæteri effuso rursus cursu Cales primum, inde, prope inviis callibus, ad dictatorem perfugerunt. Eo forte die Minucius se conjunxerat Fabio, missus ad firmandum præsidio saltum, qui super Tarracinam, in arctas coactus fauces, imminet mari, 3 ne immunito Appiæ limite, Pœnus perveníre in agrum Romanum posset. Conjunctis exercitibus, dictator ac magister equitum castra in viam deferunt qua Annibal ducturus erat. duo inde millia hostes aberant. Urb. cond. anno 536. Prodictat. Q. Fabio. Coss. Cn. Servilio, & C. Flamin.

XVI. Postero die Pœni, quod viæ inter bina castra erat, agmine complevere. Quum Romani sub ipso constitissent vallo, haud dubie æquiore loco, successit tamen Pœnus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum hostem 1 carptim & procursando recipiendoque sese, pugnavere. restitit suo loco Romana acies: lenta pugna & ex dictatoris magis, quam Annibalis fuit voluntate. ducenti ab Romanis, octingenti hostium cecidere. Inclusus inde videri Annibal, viâ ad Casilinum obsessâ: quum Capua & Samnium, & tantum ab tergo divitum sociorum, Romanis commeatus subveheret: Pœnus contra, intra 2 Formiana saxa, 3 ac Linterni arenas stagnaque perhorrida situ, hibernaturus esset. Nec Annibalem fefellit suis se artibus peti. itaque quum per Casilinum evadere non posset, petendique montes & jugum Calliculæ superandum esset, nec ubi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur; ludibrium oculorum, specie terribile, ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis apparatus fuit. 4 Faces undique ex agris collectæ, fasces que virgarum, atque arida sarmenta, præligantur cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter cæteram agrestem prædam agebat. ad duo millia ferme boum effecta: Asdrubalique

NOTÆ.

3. *Ne immunito Appiæ limite.*] Via Appia ab urbe per Latii maritima, Sinuessam, & in Campaniam; inde in Apuliam & Brundusium usque ducebat. Vult itaque Livius angustias, quæ supra Tarracinam præsidiis Romanorum occupatas fuisse, ne si hic viæ Appiæ limes, qui Tarracinam & Sinuessam interjacet apertus hosti maneret, atque Annibal per eam in agrum Romanum posset penetrare.

1. *Carptim & procursando.*] *Carptim* aggredi seu lacessere, est non totis copiis atque impetu, sed per turmas subinde immissas hostem provocare.

2. *Formiana saxa.*] Inter Fundos & Minturnas sunt Formiani colles supra Cajetam.

3. *Ac Linterni arenas.*] *Linternum* sive *Liternum ultra* Vulturnum Cumis haud procul, inter Sinuessam & Neapolin fuit, quâ regione si Annibal potiebatur, non video quid obstaret Capuam aut Casilinum petenti. Hæc quippe loca citra montes Calliculam & Titata erant. Præsidia verò Romana Casilinum tantùm & Calliculam occupaverant.

4. *Faces undique.*] Imitamentum est Samsonis, qui vulpium caudis accensos fasces sarmentorum alligavit, ut Philistinorum agros vastaret. Quod Pœnos Syris ortos, à majoribus didicisse non est improbabile.

negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maxime, si posset, super saltus ab hoste insessos.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio, Coss. Cn. Servilio, & C. Flamin.

XVII. Primis tenebris silentio mota castra: boves aliquantò ante signa acti. ubi ad radices montium viasque angustas ventum est; signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes: & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calorque jam ad vivum [1] ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos furore agebat boves. [a] quo repentè discursu, haud secus quam sylvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere, [2] capitumque irrita quassatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui [3] ad transitus saltûs insidendos locati erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, [4] præsidio excessere; [b] quà minime densæ micabant flammæ, velut tutissimum iter, petentes summa montium juga. tamen in quosdam boves palatos ab suis gregibus inciderunt: & primo, quum procul cernerent, [c] veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt: deinde, ut humana apparuit fraus, tum vero insidias rati esse, cum majore metu concitant se in fugam. levi quoque armaturæ hostium incurrere. cæterum nox æquato timore, [d] neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Annibal traducto [5] per saltum, & [e] quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano posuit castra.

XVIII. Hunc tumultum sensit Fabius. cæterum & insidias esse ratus, & ab nocturno utique abhorrens certamine, suos munimentis tenuit. Luce prima sub jugo montis prælium fuit. quo [a] inter-

INTERPRETATIO.

a *Quo boum subito huc illuc cursu.*

b *Recedentes ad summa cacumina montium, ubi rara flamma micabant, quod ea ipsis maxime tuta videretur via ad vitandum periculum.*

c *Stupefacti admiratione* boum, *quos putabant flammas spirare.*

d *Cum* utrique *pugnare cœpissent*; tamen *ob tenebras nocturnas neutri ad lucem usque in eo perseverarunt.*

e *Et cæsis aliquibus hostium*, scilicet Romanorum, *in monte ipso sylvis obsito.*

a *Pœnorum leviter armatos sejunctos, & quasi avulsos*, à proprio exercitu, ita ut cum illis se conjungere non possent.

NOTÆ.

1. *Ad imaque cornuum.*] Tentat Gronov. *ad imum citimaque.* Quid si *ad vivum intimaque cornuum?*

2. *Capitumque irrita quassatio.*] Gronovius ex variis Codicum veterum lectionibus (in quibus nihil sani) effecit non improbabiliter, *capitumque irrita quassatio*; dum nempe boves ignem excutere conantur, capita quassantes. Nec tamen longè abit, si sensum spectemus, recepta lectio Vallæ: *capitumque inquietatio.*

3. *Ad transitus saltûs insidendos.*] Quod Gronovius mavult ex Puteano *ad transitum saltus insidendum*; parum me movet. Plures enim haud dubiè potuerunt ejusdem *saltûs* esse *transitus*; neque in longo montium tractu, qualis hic Massicus, unus tantùm esse aditus aut exitus solet.

4. *Præsidio excessere.*] Gall. *ils abandonnerent leur poste.*

5. *Per saltum.*] Per angustias Callicularæ montis.

cluſam ab ſuis levem armaturam facile (etenim numero aliquantum præſtabant) Romani ſuperaſſent, niſi Hiſpanorum cohors ad idipſum remiſſa [1] ab Annibale perveniſſet. ea aſſuetior montibus, & ad concurſandum inter ſaxa rupeſque aptior ac levior, cum velocitate corporum, tum armorum habitu, campeſtrem hoſtem, gravem armis ſtatariumque, pugnæ genere facile eluſit. Ita haudquaquam pari certamine digreſſi, Hiſpani fere omnes incolumes, Romani aliquot ſuis amiſſis, in caſtra contenderunt. Fabius quoque movit caſtra: tranſgreſſuſque ſaltum, ſuper Alliſas loco alto ac munito conſedit. Tum per Samnium Romam ſe petere ſimulans Annibal, uſque in Pelignos populabundus rediit. Fabius mediis inter hoſtium agmen urbemque Romam jugis ducebat; [b] nec abſiſtens nec congrediens. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroque Apuliam repetens, [2] Geronium pervenit: urbem metu, quia collapſa ruinis pars mœnium erat, [3] ab ſuis deſertam. Dictator in Larinate agro caſtra communiit. inde [4] ſacrorum cauſa Romam revocatus, non imperio modo, ſed conſilio etiam, ac prope precibus agens cum magiſtro equitum, *ut plus conſilio quam fortunæ confidat: & ſe potius ducem, quam Sempronium Flaminiumque imitetur.* [c] *ne nihil actum cenſeret,* [5] *extracta prope æſtate per ludificationem hoſtis. medicos quoque plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficere. Haud parvam rem eſſe, ab toties victore hoſte vinci deſiſſe, & ab continuis cladibus reſpiraſſe.*

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Coſſ. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

XIX. Hæc nequicquam præmonito magiſtro equitum, Romam eſt profectus. Principio æſtatis, qua hæc gerebantur, in Hiſpania quoque, terra

INTERPRETATIO.

b Sic Annibalem inſequutus, *ut neque ab eo procul abſcederet*, neque *propiùs* ad eum *accederet*, ne ad pugnandum in vitus cogi poſſet.

c *Nec crederet à ſe fruſtra eſſe laboratum, cùm æſtatem omnem tranſegiſſet eludendo Annibalem.*

NOTÆ.

1. *Ab Annibale perveniſſet.*] Meliùs opinor quòd Gronovius ſuggerit *ſupervenisſet*, præſertim ſi Codices adjuvarent: niſi malis *prævenisſet*, ſtragem nempe levis armaturæ Annibalis.

2. *Geronium.*] Sic vocat Tabula Itineraria oppidum Apuliæ Dauniæ, quod apud Livium vulgò *Gerie*, in Mſſ. *Gerionum* vel *Gerenium* legitur. Polybius *Gerunium* vocat, aitque à Luceria diſtare ſtadia ducenta, id eſt, millia paſſuum 25. Cluverius locat ubi nunc *Tragonara* ad dextram Frentonis in Capitanata. Sed hinc Luceria non ultra 15. milliaria diſtat, niſi omnes tabulæ Geographicæ fallunt. Quare fuiſſe Gerunium ſuſpicor propiùs Larinum, medio inter illud ac Luceriam Frontone, fortè ubi nunc *S. Martino*.

3. *Ab ſuis deſertum.*] Refert Polybius *Gerunium* ab Annibale obſeſſum expugnatumque, incolas interfectos, ædificia ad uſum horreorum ſervata magna ex parte.

4. *Sacrorum cauſâ.*] Cum nempe Sacerdotes eum ad ſacrificia quædam Romam vocarent: ut Plut. interpretatur.

5. *Extracta prope æſtate.*] Rectè. Eſt enim *extrahere* idem quod *producere*, *protrahere*, ut hoc eodem libro *æſtatis reliquum extraxit*. Non erat itaque quod Sigonius mallet *exactâ prope æſtate*.

Digitized by Google

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio, Coss. Cn. Servil. & C. Flaminio.

marique, cœptum bellum est. 1 Asdrubal ad eum navium numerum, quem à fratre instructum paratumque acceperat, decem adjecit: quadraginta navium classem Himilconi tradidit, atque ita 2 Carthagine profectus, 3 navibus propè terram, exercitum in litore ducebat: paratus confligere quacumque parte copiarum hostis occurrisset. Cn. Scipioni, postquam movisse ex hibernis hostem audivit, 4 primo idem consilii fuit: deinde minus terrâ, propter ingentem famam novorum auxiliorum, concurrere ausus, 5 delecto milite ad naves impositio, quinque & triginta navium classe ire obviam hosti pergit. 2 Altero ab Tarracone die ad stationem decem millia passuum distantem ab ostio Iberi amnis pervenit. inde 6 duæ Massilienſium speculatoriæ præmissæ, retulerunt classem Punicam stare in ostio fluminis, castraque in ripa posita. Itaque ut improvidos incautosque universo simul effuso terrore opprimeret, sublatis anchoris ad hostem vadit. Multas & locis altis positas turres Hispania habet, quibus & speculis & propugnaculis adversus latrones utuntur: inde primo conspectis hostium navibus, datum signum Asdrubali est, tumultusque prius in terra & castris, quam ad mare & naves est ortus: nondum aut pulsu remorum strepituque alio nautico exaudito, aut b aperientibus classem promontoriis; quum repente eques alius super alium ab Asdrubale missus, vagos in litore, quietosque in tentoriis suis, nihil minus quam hostem aut prælium eo die expectantes, conscendere naves propere atque arma capere jubet. classem Romanam jam haud procul portu esse. Hæc equites dimissi passim imperabant. mox Asdrubal ipse cum omni exercitu aderat: varioque omnia tumultu strepunt, ruentibus in naves simul remigibus militibusque; fugientium magis è terra quam in pugnam cuntium modo. Vixdum omnes conscenderant, 7 quum alii, resolutis loris in anchoras, evehuntur: alii, ne quid teneat, anchoralia incidunt: raptimque omnia præpropere agendo, militum ap-

INTERPRETATIO.

a *Secundâ die postquàm Tarracone discesserat.*

b *Cùm Classis* Romana *nondum in conspectu esset, obtegentibus* eam *promontoriis.*

NOTÆ.

1. *Asdrubal ad eum navium numerum.*] Triginta scilicet.

2. *Carthagine.*] *Novâ* nimirum, ubi optimus Hispaniæ portus.

3. *Navibus propè terram.*] Himilco cum navalibus copiis oram radebat: ipse Amilcar terrestrem exercitum secundum litus ducebat.

4. *Primo idem consilii fuit.*] Idem animus confligendi sive terrâ, sive mari.

5. *Delecto milite ad naves.*] Lectis militibus, qui ad nauticam pugnam maximè idonei, eos jussit naves conscendere. Dixit *milites ad naves* pro classiariis; quemadmodum lib. 34. habet *servos ad remum.*

6. *Duæ Massilienſium speculatoriæ.*] Massilienses, Romanorum fœderati, velocissimis utebantur navigiis atque ad speculandum aptis.

7. *Quum alii, resolutis loris in anchoram, evehrentur.*] Ita Colb. Badius *resolutis loris anchoram vellunt.* Vulgò, *cùm alii resolvunt oras*, alii *anchoram vellunt.* Gronov. contendit legendum: *cùm alii resolutis oris in anchoras eve-*

Digitized by Google

paratu nautica miniſteria impediuntur; trepidatione nautarum capere & aptare arma miles prohibetur. Et jam Romanus non appropinquabat modo, ſed direxerat etiam in pugnam naves. itaque non ab hoſte & prælio magis Pœni, quam ſuomet ipſi [8] tumultu turbati, tentatâ verius pugnâ, quam initâ, in fugam averterunt claſſem. & quum [9] adverſi amnis os lato agmine ac tam multis ſimul venientibus haud ſane intrabile eſſet, in litus paſſim naves egerunt: atque alii vadis, alii ſicco litore excepti, partim armati, partim inermes, ad inſtructam per litus aciem ſuorum perfugere. Duæ tamen primo concurſu captæ erant Punicæ naves, quatuor ſuppreſſæ. Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Coſſ. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

XX. Romani, [a] quanquam terra hoſtium erat, armatamque aciem toto prætentam in litore cernebant, haud cunctanter inſecuti trepidam hoſtium claſſem, naves omnes quæ non aut perfregerant proras litore illiſas, aut carinas fixerant vadis, religatas puppibus in altum extraxere. ad quinque & viginti naves ex quadraginta cepere. Neque id pulcherrimum ejus victoriæ fuit, ſed quod una levi pugna toto ejus oræ mari potiti erant. itaque [1] ad Honoſcam claſſe provecti, exſcenſione ab navibus in terram facta, quum urbem vi cepiſſent, captamque diripuiſ-

INTERPRETATIO.

a *Etſi Carthaginienſes orâ maritimâ potiebantur, conſpiciebanturque eorum copiæ armatæ, per totum litus tendentes.*

NOTÆ.

huntur, quem vide 4. obſervat. 26. Vult *oras*, opinor, ſumi pro nautico fune, quo navis litori alligatur. Ei rei probandæ adducitur Quintilian. in præfat. ad Tryphonem: *Permittamus vela ventis, & oram ſolventibus bene precemur*. Adjicitur & noſter lib. 28. *In ipſis quoque trepidatum navibus, dum, ne hoſtes cum ſuis irrumperent, trahunt ſcalas; oraſque & ancoras: ne in moliendo mora eſſet, præciduntur*. Verùm apud Quintilianum legitur in quibuſdam codicibus *ora ſolventibus*: quâ ratione *ora* vocabulum de litore intelligi facilè poteſt. Quin & Turnebus lib. 3. adverſar. cap. 5. *oram ſolvere* nihil aliud eſſe credit, quàm à litore navigare, ſoluta navi. Apud noſtrum quoque ſcribitur in vetuſto codice *lora*: quo nomine ſignificantur haud dubiè *retinacula navium*; quæ & *anchoralia* hic Livius vocat proprio nomine. Cæterùm quævis ligamina, *lora* & *loramenta* appellantur.

8. *Tumultu turbati*.] Polyb. tamen lib. 3. ſcribit Carthaginienſes impetu in Romanos facto aliquandiu proximos victoriæ viſos fuiſſe.

9. *Adverſi amnis*.] Hunc locum in omnibus libris vatiè corruptum, ita immutavit Gronov. ut idoneum ſenſum eliceret. In editis vulgò legitur, *& cum averſi ac diverſo latè agmine, à tam multis ſimul venientibus haud ſanè impenetrabiles eſſent*. Aliàs *vel haud ſanè intrabiles; & cum univerſi adniſos lato agmine, & nonullis ſimul venientibus*; quod Valla ſic emendabat: *& cum diverſi ac diviſo latè agmine à tam multis ſimul venientibus haud ſanè penetrabiles eſſent*: Colb. *Et tum adverſi à diverſo lato agmini & tam multis venientibus haud ſanè intrabiles eſſent*.

1. *Ad Honoſcam claſſe provecti*.] Perperam Gronovius *Honoſcam* interpretatur *Oſcam* quæ longè à litore in Ilergetibus: at *Honoſca* maritima erat trans Iberum in Edetanis; eadem creditur quæ poſtea *Valentia* nomen accepit, & adhuc *Valentia* dicitur ſui regni caput, ad oſtium Duriæ, qui vulgò *Guadalaviar*.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio, Coſſ. Cn. Servilio, & C. Flaminio.

ſent; [2] Carthaginem inde petunt: atque omnem agrum circà depopulati, poſtremo tecta quoque injuncta muro portiſque incenderunt. Inde jam præda gravis [3] ad Longunticam pervenit claſſis: ubi [4] vis magna Sparti ad rem nauticam congeſta ab Aſdrubale, [b] quod ſatis in uſum fuit, ſublato, cæterum omne incenſum eſt. [c] Nec continentis modo projectas oras prætervecta, ſed [5] in Ebuſum inſulam tranſmiſſum, ubi urbe, quæ caput inſulæ eſt, biduum nequicquam ſummo labore oppugnatâ, ubi [d] in ſpem irritam fruſtrà teri tempus animadverſum eſt, ad populationem agri verſi, direptis aliquot incenſiſque vicis, majore quam ex continenti præda parta, quum in naves ſeſe recepiſſent, [6] ex Balearibus inſulis legati pacem petentes ad Scipionem venerunt. Inde flexa retro claſſis, reditumque in citeriora provinciæ: quò [7] omnium populorum, qui Iberum incolunt, multorum & ultimæ Hiſpaniæ legati concurrerunt. Sed qui verè ditionis imperiique Romani facti ſunt, obſidibus datis, [8] populi amplius fuerunt centum viginti. Igitur terreſtribus quoque copiis ſatis fidens Romanus, uſque [9] ad ſaltum Caſtulonenſem eſt progreſſus. Aſdrubal in Luſitaniam ac propius Oceanum conceſſit.

INTERPRETATIO.

b *Ablata parte* ſunium ex Sparto confectorum, *quanta neceſſaria viſa eſt: quod reliquum fuit concremarunt* Romani.

c *Nec ſolùm ſecundum litora* Hiſpaniæ *continentis* in mare *prominentia navigavit* claſſis Romana.

d *Tempus conſumi inutili ſpe oppidi capiendi.*

NOTÆ.

2. *Carthaginem inde petunt.*] Novam intellige, in ulteriori litore maris Iberici.

3. *Ad Longunticam pervenit claſſis.*] Oppidum eſt in ora Conteſtanorum inter oſtia Sucronis, vulgò *Xucar* fluvii, & Ferrariam promontorium vulgò *Cabo de Martin*, paulò ſupra Dianium nunc *Denia*. Hodie vicus nomine *Oliva*, paulò propior Valentiæ quàm Carthagini.

4. *Vis magna ſparti.*] *Spartum* geniſtæ genus eſt, ex qua filum & rudentes quoque ad navium uſum conficiuntur. 5. ſunt & ex eo filo calcei leviores. Hiſpani & Vaſcones vocant *eſpardillas*. Abundat autem Sparto Hiſpania inter Oroſpedam præſertim, & Idubedam montes, ubi *Spartarius campus*; unde Carthago nova *Spartaria* quoque nomen accepit. Campus ille cum parte regni Murciæ, partem quoque Caſtellæ novæ Valentino regno proximam complectebatur.

5. *In Ebuſum.*] Duæ ſunt inſulæ in Iberico mari Pityuſæ nomine à Pineo fructu, quarum major *Ebuſus*, vel *Ebyſſus*, aliàs *Eboſia*, & *Eboiſſa*, vulgò nunc *Yuiça* cum oppido cognomine, ex adverſo Ferrariæ ſive Dianii promontorii, quod nunc *Martini*, medio inter hoc Promontorium & Majoricam ſpatio.

6. *Ex Balearibus.*] *Baleares* ſive Gymneſiæ inſulæ in eodem mari, vulgò *Mallorca*, & *Menorca*.

7. *Omnium populorum, qui Iberû incolunt.*] Lege poſt Gronovium, *qui Iberum accolunt* Niſi ſit qui *intra* ſive citra *Iberum colunt*.

8. *Populi amplius fuerunt centum viginti.*] Nomine *Populorum*, intelligenda oppida, ut apud noſtrum, & Cæſarem; non gentes aut Civitates: vix enim tot in tota Hiſpania hujuſmodi populi. Sic Virgilius de Tuſcorum natione antiqua:

Gens illi triplex, Populi ſub gente quaterni.

9. *Ad ſaltum Caſtulonenſem.*] *Caſtulo* urbs fuit Oretanorum in Hiſpania Tarraconenſi, ejuſque parte, quæ poſt Carthaginenſis eſt dicta. Hodie vicus eſt in Caſtellæ novæ atque Andaluziæ confi-

Quie-

XXI. Quietum inde fore videbatur reliquum æstatis tempus, 1 fuiſſetque per Pœnum hoſtem: ſed præterquam quod ipſorum Hiſpanorum inquieta avidaque in novas res ſunt ingenia, 2 Mandonius Indibiliſque, qui antea 3 Ilergetum regulus fuerat, poſtquam Romani ab ſaltu receſſere ad maritimam oram, concitis popularibus, in agrum pacatum ſociorum Romanorum ad populandum venerunt. Adverſus eos tribus millibus cum expeditis auxiliis à Scipione miſſis, levi certamine, ut tumultuariam manum, fudere omnes, occiſis quibuſdam captiſque, magnaque parte armis exuta. Hic tamen tumultus cedentem ad Oceanum Aſdrubalem, eis Iberum ad ſocios tutandos retraxit. Caſtra Punica in agro 4 Ilercaonenſium; caſtra Romana ad novam claſſem erant; quum fama repens alio vertit bellum. 5 Celtiberi, qui principes regionis ſuæ legatos miſerant obſideſque dederant Romanis, nuncio miſſo à Scipione exciti arma capiunt, 6 provinciamque Carthaginienſium valido exercitu invadunt; tria oppida vi expugnant. inde cum ipſo Aſdrubale duobus præliis egregie pugnantes, quindecim millia hoſtium occiderunt: quatuor millia cum multis militaribus ſignis capiunt. Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. & Coſ. Cn. Servil.

XXII. Hoc ſtatu rerum in Hiſpania, P. Scipio in provinciam venit, prorogato poſt conſulatum imperio, ab ſenatu miſſus cum triginta longis navibus, & octo millibus militum; magnoque commeatu advecto. Ea claſſis ingens agmine onerariarum procul viſa, cum magna lætitia civium ſociorumque, portum Tarraconis ex alto tenuit. ibi milite expoſito, profectus Scipio fratri conjungitur: ac deinde communi animo conſilioque gerebant bellum. Occupatis igitur Carthaginienſibus Celtiberico bello, haud cunctanter Iberum tranſgrediuntur: nec ullo viſo hoſte Saguntum pergunt ire, quod ibi obſides totius Hiſpaniæ cuſtodiæ traditos ab Annibale fama erat modico in arce cuſtodiri præſidio. id unum pignus, inclinatos ad Romanam ſocietatem omnium Hiſpaniæ populorum animos morabatur, ne ſanguine liberûm ſuorum culpa defectionis

NOTÆ.

nio vulgò *Caſtona la Vieja*, cui vicini montes *Caſtulonenſis ſaltûs* ex ea nomen acceperunt: nunc, ut vulgò creditur, montes, qui vulgò *Puerto de Muradal*.

1. *Fuiſſetque*.] Repete *quietum* ex ſuperiore: *per Pœnum*, Gall. *A l'égard des Carthaginois*.

2. *Mandonius Indibiliſque*.] *Indibilis* Polybio eſt *Andobeles*, ejus frater *Mandonius*.

3. *Ilergetum regulus*.] Non totius opinor Ilergetum gentis, ſed populi alicujus ex ea gente. Erant autem *Ilergetes* ultra Sicorim amnem inter Iberum & Pyrenæos, ut ſuprà diximus: ubi hodie pars Aragoniæ Orientalis.

4. *Ilercaonenſium*.] Fuere *Ilercaones* Hiſpaniæ citerioris populi ultra Tarraconem ad utranque Iberi ripam. Caput gentis Dertuſa, nunc *Tortoſa*, in extrema ferè Catalonia.

5. *Celtiberi*.] De his lib. ſup. fuere trans Iberum, confiniaque Aragoniæ & Caſtellæ quæ nunc ſunt, complectebantur.

6. *Provinciamque Carthaginienſium*.] Hiſpaniam, quæ, adhuc Romanis Ulterior dicta, Pœnis parebat: cum Bæticæ, & Luſitaniæ magna parte, ejus quoque partem haud exiguam continens, quæ poſtea Auguſto imperante Tarraconenſis nomine appellabatur.

Urb. cond. an. 530. Proditat. Q. Fabio, Cos. Cn. Servilio.

lueretur. Eo vinculo Hiſpaniam vir unus ſolerti magis quam fideli conſilio exſolvit. Abelox erat Sagunti nobilis Hiſpanus, fidus antè Pœnis: tum (qualia pleraque ſunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutaverat fidem. cæterum transfugam ſine magnæ rei proditione venientem ad hoſtes nihil aliud quam unum vile atque infame corpus eſſe ratus, id agebat ut quam maximum emolumentum novis ſociis eſſet. Circumſpectis igitur omnibus, [a] quæ fortuna poteſtatis ejus poterat facere, obſidibus potiſſimum tradendis animum adjecit: eam unam rem maxime ratus conciliaturam Romanis principum Hiſpaniæ amicitiam. Sed quum injuſſu Boſtaris præfecti ſatis ſciret nihil obſidum cuſtodes facturos eſſe; Boſtarem ipſum arte aggreditur. Caſtra extra urbem in ipſo litore habebat Boſtar, ut aditum ex portu intercluderet Romanis. ibi eum in ſecretum abductum, velut ignorantem, monet quo ſtatu ſit res. *Metum continuiſſe ad eam diem Hiſpanorum animos, quia procul Romani abeſſent:* [b] *nunc eis Iberum caſtra Romana eſſe, arcem tutam, perfugiumque novas volentibus res. itaque quos metus non teneat, beneficio & gratia devinciendos eſſe.* Miranti Boſtari, percunctantique, quodnam id ſubitum tantæ rei donum poſſit eſſe? *Obſides*, inquit, *in civitates remitte. id privatim parentibus, quorum maximum nomen in civitatibus eſt ſuis, & publice populis gratum erit.* VULT SIBI QUISQUE *credi, & habita fides ipſam plerunque obligat fidem. Miniſterium reſtituendorum domos obſidum mihimet depoſco ipſe, ut operâ quoque impensâ conſilium adjuvem meum, & rei ſuapte natura gratæ, quantum inſuper gratiam poſſim, adjiciam.* Homini [c] non ad cætera Punica ingenia callido ut perſuaſit, nocte clam progreſſus ad hoſtium ſtationes; conventis quibuſdam auxiliaribus Hiſpanis, & ab iis ad Scipionem perductus, quid afferret expromit. Fide accepta dataque, ac loco & tempore conſtituto ad obſides tradendos, Saguntum redit, diem inſequentem abſumpſit cum Boſtare, mandatis ad rem agendam accipiendis. dimiſſus, quum ſe nocte iturum, ut cuſtodias hoſtium falleret, conſtituiſſet, ad compoſitam cum iis horam excitatis cuſtodibus puerorum profectus, veluti ignarus in præparatas ſua fraude inſidias ducit. *In* caſtra Romana perducti. [1] cætera omnia de reddendis obſidibus, ſicut cum Boſtare conſtitutum erat, acta per eundem ordinem, quaſi Carthaginienſium nomine ſic age-

Addit Polyb. verendum ne Romani Saguntо, & obſidibus potiti, Hiſpanos ad ſe convertant.

INTERPRETATIO.

a *Cum omnia conſideraſſet quæ fortuna in manu ac poteſtate ipſius conſtituere poterat; animum maximè applicuit ad tradendos* Scipioni *obſides* quos Hiſpani Carthaginienſibus dederant.

b *Jam eis Iberum* (reſpectu Sagunti), *eſſe Romanorum caſtra*, quò Hiſpani *ſi defectionem cogitarent*, poſſent tanquam *ad tutam arcem* confugere.

c *Poſtquam rem perſuaſit, Boſtari, qui* ſimplex & candidus homo erat, *nec juxta reliqua Pœnorum ingenia verſutus.*

NOTÆ.

1. *Cætera omnia de reddendis obſidibus.*] Obſides proximis ſuis redditi ſunt per Abelocem, eadem ratione, quâ cum Boſtare convenerat: ſed redditi nomine Romanorum, non Carthaginienſium: ita ut major illorum apud Hiſpanos gra-

retur. Major aliquanto Romanorum gratia fuit in re pari, quam quanta futura Carthaginiensium fuerat. illos enim graves superbosque in rebus secundis expertos, fortuna & timor mitigasse videri poterat. Romanus primo adventu, incognitus ante, ab re clementi liberalique initium fecerat: & Abelox vir prudens haud frustra videbatur socios mutasse. itaque ingenti consensu defectionem omnes spectare: armaque extemplo mota forent, ni hiems, quæ Romanos quoque & Carthaginienses concedere in tecta coëgit, interveniisset. Urb. cond. an. 536. ante Prodictat. Q. Fabio, & Cos. Cn. Servilio.

XXIII. Hæc in Hispania quoque secunda æstate Punici belli gesta; quum in Italia paululum intervalli cladibus Romanis solers cunctatio Fabii feciisset: quæ, ut Annibalem non mediocri solicitum curâ habebat, tandem eum militiæ magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum ratione, non fortunâ gereret, ita contempta erat inter cives armatos pariter togatosque; utique postquam absente eo, temeritate magistri equitum, [1] læto, verius dixerim, quam prospero eventu, pugnatum fuerat. Accesserant duæ res ad augendam invidiam dictatoris: una fraude ac dolo Annibalis, quod quum à perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circà solo æquatis, ab uno eo ferrum ignemque & vim omnem hostium abstineri jussit, ut occulti alicujus pacti ea merces videri posset: altera ipsius facto, primò forsitan dubio, quia non expectata in eo senatus auctoritas est; ad extremum haud ambigue in maximam laudem verso, in permutandis captivis: quod, sicut primo Punico bello factum erat, convenerat inter duces Romanos Pœnumque, [a] ut quæ pars plus reciperet quam daret, [2] argenti pondo bina & selibras in militem præstaret. Ducentos quadraginta septem quum plures Romanus quam Pœnus recepisset, argentumque pro eis debitum, sæpe jactata in senatu re, quoniam non consuluisset Patres, [3] tardius rogaretur: inviolatum ab hoste agrum misso Romam Quinto

INTERPRETATIO.

a *Ut in captivorum numero, ii qui plures ab hostibus captos reciperent quàm ipsis redderent, pro singulis capitibus duas argenti libras, & dimidiam solverent.*

NOTÆ.

tia ex eodem facto fuerit, quàm horum fuisset: quia Romani nec secundis rebus molestos se atque arrogantes præbuerant Hispanis (cum nondum eis imperassent) nec videri poterant metu ob minus prosperam fortunam inflexi restituisse obsides: quorum utrumque in Pœnos cadebat.

1. *Læto, verius dixerim quàm prospero eventu.*] Minus est *læto*, quàm *prospero eventu* pugnare. Hoc enim plenam victoriam significat: illud verò leviori prælio superatum hostem, non fusum fugatumque.

2. *Argenti pondo bina & selibras.*] Hoc argenti pondus nonaginta ferme libris nostratibus responderet: ducenti igitur quadraginta septem milites eo pretio redempti constaret monetæ nostræ 22230. l.

3. *Tardiùs rogaretur.*] Scribendum fide Gronovii ex veteribus nonnullis codicibus *tardiùs erogaretur*, pecunia scilicet quà redimendi erant captivi. Licet enim *rogatio* pro lege accipiatur, dicaturque, *ro-*

filio vendidit, 4 fidemque publicam impendio privato exſolvit. Annibal 5 pro Geronii mœnibus, cujus urbis captæ atque incenſæ ab ſe, in uſum horreorum pauca reliquerat tecta, in ſtativis erat. inde frumentatum duas exercitus partes mittebat: cum tertia ipſe expedita in ſtatione erat, ſimul caſtris præſidio, & circumſpectans necunde impetus in frumentatores fieret.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fab. & Coſ. Cn. Servilio.

XXIV. Romanus tunc exercitus [1] in agro Larinati erat. Præerat Minucius magiſter equitum; profecto, ſicut ante dictum eſt, ad urbem dictatore. Cæterum caſtra, quæ in monte alto ac tuto loco poſita fuerant, jam [2] in planum deferuntur: agitabantur pro ingenio ducis [a] conſilia calidiora, ut impetus aut in frumentatores palatos, aut in caſtra relicta cum levi præſidio fieret. Nec Annibalem fefellit, eum duce mutatam eſſe belli rationem, & ferocius, quam conſultius, rem hoſtes geſturos. Ipſe autem (quod minime quis crederet) quum hoſtis propiùs eſſet, tertiam partem militum frumentatum, duabus in caſtris retentis, dimiſit: deinde caſtra ipſa propius hoſtem movit, duo ferme à Geronio millia, in tumulum hoſti conſpectum: ut intentum ſciret eſſe ad frumentatores, ſi qua vis fieret, tutandos. Propior inde ei, atque ipſis imminens Romanorum caſtris tumulus apparuit: ad quem capiendum ſi luce palam iretur, quia haud dubie hoſtis breviore via præventurus erat, nocte clam miſſi Numidæ ceperunt. quos tenentes locum contempta paucitate Romani poſtero die 3 quum ejeciſſent, ipſi eo transferunt caſtra. Tum itaque ut [b] exiguum ſpatii vallum à vallo aberat, & id ipſum totum propè compleverat Romana acies, ſimul & 4 per averſa caſtra à caſtris Annibalis equitatus eum levi armatura emiſ-

INTERPRETATIO.

a *Fervida magis molitiones*, incœpta temeraria & minùs conſiderata.
b *Parvo intervallo*.

NOTÆ.

gari quid, pro eo quod eſt de re aliqua legem ferri, populo nempe interrogato de ea: ne eo quidem ſenſu auſim admittere hanc loquendi formam, *argentum... sardiùs rogaretur*.

4. *Fidemque publicam impendio privato exſolvit.*] Fabius nummis ex diſtracto prædio ſuo, cui Annibal pepercerat, corraſis, fidem à ſe Annibali publicè datam de redimendis captivis, proprio ſumptu liberavit: cùm Senatus per invidiam ſtatim promi ex ærario & erogari eam pecuniam non ſineret, eo colore quòd ſe inconſulto Fabius id cum Annibale pepigiſſet.

5. *Pro Geronii mœnibus.*] Aliàs *Gerionis*. Vide ſuprà,

1. *In agro Larinati.*] De *Larino* Apuliæ olim, nunc Comitatus Moliſini oppido ſuprà.

2. *In planum deferuntur.*] Caſtra Romana translata ſunt in planitiem à Minucio.

3. *Cùm ejeciſſent.*] Gronovius reponit *cùm dejeciſſent*, quod ſanè hic congruit: ſed nec illud aliam habet ſententiam.

4. *Per averſa caſtra à caſtris Annibalis.*] Non diſplicet Gronovii conjectura exulare jubentis laciniam illam, *à caſtris Annibalis*, tanquam ab interprete inſertam. Significat autem emiſſum equitatum per portam Decumanam, averſam à caſtris hoſtium.

ſus in frumentatores latè cædem fugamque hoſtium palatorum fecit. nec acie certare Annibal auſus: quia tanta paucitate vix caſtra, ſi oppugnarentur, tutari poterat. 5 Jamque artibus Fabii pars exercitus aberat; jam ferme ſedendo & cunctando bellum gerebat, receperatque ſuos in priora caſtra, quæ pro Geronii mœnibus erant. 6 Juſta quoque acie & collatis ſignis dimicatum, quidam auctores ſunt. primo concurſu Pœnum uſque ad caſtra fuſum, inde eruptione facta repente verſum terrorem in Romanos: Numerii Decimi Samnitis deinde interventu prælium reſtitutum. Hunc principem genere ac divitiis, non 7 Boviani modo, unde erat, ſed toto Samnio, juſſu dictatoris octo millia peditum, & equites ad quingentos ducentem in caſtra, ab tergo quum apparuiſſet Annibali, ſpeciem parti utrique præbuiſſe novi ſubſidii, tanquam Fabio ab Roma veniente: Annibalem inſidiarum quoque aliquid timentem recepiſſe ſuos: Romanum inſecutum, adjuvante Samnite 8 duo caſtella eo die expugnaſſe: ſex millia hoſtium cæſa, c quinque admodum Romanorum. tamen in tam pari prope clade famam egregiæ victoriæ cum vanioribus literis magiſtri equitum Romam 9 perlatam.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Cof. Cn. Servil.

XXV. De his rebus perſæpe & in ſenatu & in concione actum eſt. Quum læta civitate dictator unus nihil nec famæ, nec literis crederet; a ut vera omnia eſſent, ſecunda ſe magis quam adverſa timere diceret; tum 1 M. Metilius tribunus plebis, *id enim ferendum eſſe negat. Non præſentem ſolùm dictatorem obſtitiſſe rei bene gerendæ, ſed abſentem etiam geſtæ obſtare: & b in ducendo bello ſedulò tempus terere, quo diutius in magiſtratu ſit, ſoluſque & Romæ & in exercitu imperium habeat. Quippe 2 conſulum*

INTERPRETATIO.

c *Circiter quinque millia.*

a *Etiam ſi certa eſſent cuncta* quæ de Minucio nunciabantur.

b *In bello protrahendo in longum.*

NOTÆ.

5. *Jamque artibus Fabii exercitus aberat.*] Planior quidem ſenſus videtur futurus, ſi cum Gronovio legamus: *jamque artibus Fabii, dum pars exercitûs aberat, jam fermè ſedendo & cunctando bellum gerebat* (nimirum Annibal, quaſi Fabii jam imitator). Sed non prorſus repudianda Jo. Saxonii ſententia, qui Fabii cunctatione ſecuriorem factum Annibalem, ad partem exercitus frumentatum mittendam deſrendiſſe vult, & bellum Fabii ejuſdem more gerere cœpiſſe.

6. *Juſtâ quoque acie.*] Gall. *en bataille rangée.*

7. *Boviani.*] Samnitum Pentrorum caput fuiſſe *Bovianum* vidimus lib. 10. cap. 31. nunc *Bojano* in Moliſii comitatu.

8. *Duo Caſtella.*] *Caſtellum* bifariam diritur: tum de minori oppido, ſeu vico majori, *un bourg*: tum de propugnaculo & munitione Caſtrenſi, quæ opere ſubitario ad arcendos hoſtes ſtruitur, *un fort*: poſteriore ſenſu hic arripiendum hoc nomen Saxonius cenſet: ego in contrarium magis propendeo.

9. *Perlatam.*] Repete, longo quamvis intervallo, *quidam auctores ſunt.*

1. *M. Metilius tribunus plebis.*] Sic nominatur à Plutarcho rectè; nam & ejus auctor meminit cum Lætorio legati li. 25. aliàs perperam M. Metellus, quæ gens patricia fuit.

2. *Conſulum alterum in acie.*] Flaminium, ſuprà cap. 6. apud Trafimenum,

Urb. Cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Cos. Cn. Servilio.

alterum in acie cecidisse, 3 *alterum specie classis Punicæ persequendæ procul ab Italia ablegatum*. 4 *Duos prætores Sicilia atque Sardinia occupatos, quorum neutra hoc tempore provinciâ prætore egeat. M. Minucium magistrum equitum, ne hostem videret, ne quid rei bellicæ gereret,* 5 *prope in custodiam habitum; Itaque hercule non Samnium modo, quo jam tanquam trans Iberum agro Pœnis concessum sit, sed Campanum, Calenumque, & Falernum agrum pervastatos esse, sedente Casilini dictatore, &* 6 *legionibus populi Romani agrum suum tutante. Exercitum cupientem pugnare, & magistrum equitum, clausos prope intra vallum retentos,* 7 *tanquam hostibus captivis arma adempta. tandem* c *ut abscessérit inde dictator, ut obsidione liberatos, extra vallum egressos fudisse, ac fugasse hostes. Quas ob res, si antiquus animus plebi Romanæ esset,* 8 *audaciter se laturum fuisse de abrogando Q. Fabii imperio: nunc* d *modicam rogationem promulgaturum de æquando magistri equitum & dictatoris jure: nec tamen, ne ita quidem prius mittendum ad exercitum Q. Fabium, quam consulem in locum C. Flaminii suffecisset.* Dictator concionibus se abstinuit, 9 in actione minime popularis: ne in senatu quidem satis æquis auribus audiebatur, tunc quum hostem verbis extolleret, bienniique clades per temeritatem 10 atque inscientiam ducum 11 acceptas referret: *magistroque equi-*

5

10

15

INTERPRETATIO.

c *Statim atque dictator inde descessorit*, à Romanis, *qui prius velut obsessi tenebantur, hostes in fugam datos.*

d *Se promulgaturum legem moderatam* (quæ tamen atrox erat reverà & sine exemplo.)

NOTÆ.

3. *Alterum specie classis.*] Cn. Servilium.

4. *Duos Prætores Sicilia atque Sardinia.*] Tit. Otacilius Crassus videtur hoc tempore Siciliam obtinuisse: A. Corn. Mammula Sardiniam.

5. *Prope in custodiam habitum.*] Quod paulò post *clausum cum mulitibus* ait *intra vallum*, hic ad invidiam dicit *in custodiam habitum*. Id est, quasi in carcerem conjectum.

6. *Legionibus populi Romani agrum suum tutante.*] Amarè dictum, quasi Fabius non de agro & ditione Romana tuenda, sed de privatis tantum prædiis suis cogitasset.

7. *Tanquàm hostibus captivis.*] Vult Metilius, ad augendam invidiam, milites Romanos & magistrum equitum habitos esse à Fabio velut hostes, qui capti exarmari solent.

8. *Audaciter se laturum.*] Seneca quoque *audaciter* dixit *Laturum*, nempe legem.

9. *In actione minimè popularis.*] Gronovius mavult invitis Codicibus *in actione minimè populari*, id est, in concione, in qua favor plebis minimè pro Fabio. Sed nihil video cur opus sit emendatione. Et sententia magis exigit ut *illud minimè populariter* ad ipsum Fabium referatur qui non populi auram, sed utilitatem publicam affectabat; quàm actioni quæ reverà popularis erat ratione Metilii, & aliorum Minucio faventium.

10. *Atque inscientiam.*] Hanc vocem habent hoc loco scripti: eâque usi sæpe Cicero & Cæsar.

11. *Acceptas referret.*] Si *acceptum referre* conjunctim accipiatur, ut plerunque fit, pro *imputare*, legendum erit ex Gronovii sententia, *bienniique clades temeritati atque insciti acceptas referret*. Verùm quando nullus huic lectioni favet Codex vetus, licebit, illud *referret*, accipere pro *diceret*. narrando asseveraret, clades acceptas fuisse per imperitiam atque imprudentiam ducum.

tum, quod contra dictum ſuum pugnaſſet, rationem diceret *reddendam eſſe, ſi penes ſe ſumma imperii conſiliique ſit. Propediem effecturum, ut ſciant homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti eſſe; mentem rationemque dominari. Se in tempore, & ſine ignominia ſervaſſe exercitum, quam multa millia hoſtium occidiſſe, ducere majorem gloriam eſſe.* Hujus generis orationibus fruſtra habitis, & conſule creato M. Atilio Regulo, ne præſens de jure imperii dimicaret, 12 pridie quam rogationis ferendæ dies adeſſet, nocte ad exercitum abiit. Luce orta, quum plebis concilium eſſet, magis tacita invidia dictatoris favorque magiſtri equitum animos verſabat, quam ſatis audebant homines ad ſuadendum, quod vulgo placebat, prodire; & 13 favore ſuperante, auctoritas tamen rogationi deerat. Unus inventus eſt ſuaſor legis C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat; loco non humili ſolum, ſed etiam ſordido ortus. 14 patrem lanium fuiſſe ferunt, ipſum inſtitorem mercis, filioque hoc ipſo in ſervilia ejus artis miniſteria uſum.

Urb. Cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Coſ. Ca. Servilio.

XXVI. Is juvenis 1 ubi ex eo genere quæſtus pecunia à patre relicta, animos ad ſpem liberalioris fortunæ fecit, togaque & forum placuere, 2 proclamando pro ſordidis hominibus cauſiſque adverſuſque rem & famam bonorum, primùm in notitiam populi, deinde 3 ad honores pervenit quæſturaque & duabus ædilitatibus, plebeja & curuli, poſtremo & prætura perfunctus; jam ad conſulatus ſpem quum attolleret animos, haud parum callide auram favoris popularis ex dictatoria invidia petiit, a ſcitique plebis

INTERPRETATIO.

a *Et legi ſive plebiſciti rogandi favorem ac decus arripuit.*

NOTÆ.

12. *Quàm rogationis ferendæ dies adeſſet.*] Rogationem intelligit Metilii tribuni plebis, de æquando magiſtri equitum & dictatoris imperio.

13. *Favore ſuperante.*] Favorem intellige plebis in legem contra Fabium ferendam quæ in gratiam Minucii magiſtri equitum: qui favor major erat quam ad ferendam legem neceſſe eſſet, concurrentibus ſcilicet omnium penè ſuffragiis,

14. *Patrem Lanium.*] Planè in Gronovii ſententiam eundum cenſeo, ſic ſcribentis hunc locum. *Patrem Lanium fuiſſe ferunt ipſum, inſtitore mercis filio hoc ipſo in ſervilia ejus artis miniſteria uſum.* Quod autem notat Godelevæus hinc ſequi Romanos civium numero non arcuiſſe eos, qui ſordidas artes tractarent, contra quam ſcripſerit Dionyſius: Neque abſolutè hinc colligas, cùm potuerit is qui civis non erat, in civem aſciſci, præſertim filius poſt mortem patris: & Halicarnaſſeus ad prima Romuli inſtituta reſpexiſſe videtur, quorum pauca ad hoc uſque tempus durarunt.

1. *Ubi ex eo genere quæſtus.*] Ab Aſcenſio eſt hæc editio. Optimi veterum Codicum ſic habent; *is juvenis, utrùm ex eo genere quæſtus pecunia à patre relicta, animos ad ſpem liberalio. is fortuna geſſit.* Quidam *an* interſerunt, *an pecunia à patre relicta.* Sed hæc tanti non ſunt.

2. *Proclamando pro ſordidis.*] Non tam oratorio more ac ſtylo cauſas agentem quam rabulæ inſtar vociferantem, & bonis viris quaſi allatrantem deſcribit Terentium.

3. *Ad honores.*] Frequens fuit ad *magiſtratus* via apud Romanos facundia forenſis etiam mediocris.

Digitized by Google

unus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quique Romæ, quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem, in contumeliam ejus latam acceperunt. ipse, qua gravitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sævientis injuriam tulit: acceptisque in ipso itinere 4 literis senatusconsulti de æquato imperio; satis fidens, haudquaquam cum imperii jure artem imperandi æquatam, 5 cumque invicto à civibus hostibusque animo ad exercitum rediit.

Urb. cond. an. 536. Prodictatore Q. Fabio, & Mag. eq. M. Minucio.

XXII. Minucius vero quum jam ante vix tolerabilis fuisset, secundis rebus ac favore vulgi; tum utique immodice immodesteque, non Annibale magis victo ab se quam Q. Fabio gloriari, *Illum in rebus asperis unicum ducem ac parem quæsitum Annibali, majorem minori, dictatorem magistro equitum, quod nulla memoria habeat annalium, jussu populi æquatum in eadem civitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sint. in tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. Ergo secuturum se fortunam suam, si dictator in cunctatione ac segnitia, Deorum hominumque judicio damnata, perstaret.* Itaque quo die primum congressus est cum Fabio, *statuendum omnium primùm*, ait, *esse, quemadmodum imperio æquato utantur. Se optimum ducere, aut diebus alternis, aut, si majora intervalla placerent,* 1 *partitis temporibus, alterius summum jus imperiumque esse: ut par hosti non solum consilio, sed viribus etiam esset, si quam occasionem rei gerendæ habuisset.* Q. Fabio haudquaquam id placere: a *omnia enim fortunam habituram, quæcumque temeritas collegæ habuisset. Sibi communicatum cum illo, non ademptum imperium esse. Itaque* b *se nunquam volentem parte qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tempora, aut dies imperii cum eo, sed exercitus divisurum, suisque consiliis, quoniam omnia non liceret, quæ posset, servaturum.* Ita obtinuit, uti

INTERPRETATIO.

a *Fore enim ut pensi fortunam essent*, ab eaque penderent *omnia quæcumque temerarius collega in potestate habiturus esset.*

b *Se nunquàm sponte renunciaturum parti rerum prudenter administrandarum quam retinere posset.*

NOTÆ.

4. *Literis Senatusconsulti.*] *Senatusconsultum* hic vocat, cùm anteà plebiscitum & rogationem, id est, legem dixerit. hoc Lipsio displicet qui scribendum ideo conjicit *Literis Senatus*. Sed nimirum patres quoque auctores fiebant plebiscitorum, eaque decretis suis confirmare soliti erant, quasi auctoritatem plebis hac ratione eludentes, ut observat quoque Gronovius: quem offendit illud *Literis Senatusconsulti*. malletque *acceptisque in ipso itinere Literis Senatusque consulto*.

5. *Cumque invicto.*] Non abs re Gronovius rescindi jubet tanquam superfluum illud *que*; est enim, *cum invicto civibus hostibusque animo ad exercitum rediit*. Neque hic *invictus animus* commune quidquam habet cum imperii jure quod præcedit.

1. *Partitis temporibus, alterius summum jus, &c.*] Sic ex membranis apud Gronovium, vulgò *partitis temporibus alterius*. Sed ita legenti fatendum est *id partitis* futurum omnino supervacuum.

legiones,

legiones, ſicut conſulibus mos eſſet, inter ſe dividerent. [2] prima & quarta Minucio, ſecunda & tertia Fabio evenerunt. Item equites pari numero, ſociûmque & Latini nominis auxilia diviſerunt: caſtris ſe quoque ſeparari magiſter equitum voluit.

XXVIII. Duplex inde Annibali gaudium fuit: neque enim quicquam eorum quæ apud hoſtes agerentur, eum fallebat; & perfugis multa indicantibus, & per ſuos explorantem. nam & liberam Minucii temeritatem ſe ſuo modo captaturum, & ſolertiæ Fabii dimidium virium deceſſiſſe. Tumulus erat inter caſtra Minucii, Pœnorumque. eum qui occupaſſet, haud dubie iniquiorem erat hoſti locum facturus. eum non tam capere ſine certamine volebat Annibal, (quanquam id operæ pretium erat) quam cauſam certaminis cum Minucio, quem [a] ſemper occurſurum ad obſiſtendum ſatis ſciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima ſpecie inutilis inſidiatori, quia non modò ſylveſtre quicquam, ſed ne vepribus quidem veſtitum habebat: re ipſa natus tegendis inſidiis, eo magis quod in nuda valle nulla talis fraus timeri poterat; & erant in anfractibus cavæ rupes, ut quædam earum ducenos armatos poſſent capere. In has latebras, quot quemque locum apte inſidere poterant, [1] quinque millia conduntur peditum equitumque. neccubi tamen aut motus alicujus temere egreſſi, aut fulgor armorum fraudem in valle tam aperta detegeret, miſſis paucis prima luce ad capiendum, quem ante diximus tumulum, avertit oculos hoſtium. Primo ſtatim conſpectu contempta paucitas, ac ſibi quiſque deposcere pellendos inde hoſtes. ad locum capiendum dux ipſe inter ſtolidiſſimos ferociſſimoſque [2] ad arma vocat, & vanis animis & mimis increpat hoſtem. Principio [3] levem armaturam demittit, deinde conferto agmine mittit equites: poſtremo, quum hoſtibus quoque ſubſidia mitti videret, inſtructis legionibus procedit. Et Annibal laborantibus ſuis, alia atque alia, creſcente certamine, mittens auxilia peditum equitumque, jam juſtam expleverat aciem, ac totis utrinque viribus certabatur. Prima levis armatura Romanorum [4] præoccupatum inferiore loco ſuccedens tumulum, pulſa detruſaque, ter-

Urb. cond. an. 536. Prodictatore Q. Fabio, Mag. eq. M. Minucio.

NOTÆ.

2. *Prima & quarta Minucio.*] Paulò aliter Plutarchus, qui primam & quartam Legiones evenille Fabio tradit: Minucio autem ſecundam & tertiam.

1. *Quinque millia conduntur peditum equitumque.*] Polybius quingentos equites notat, ut fuerint pedites quatuor millia quingenti.

2. *Ad arma vocat.*] Dixit *vocat*, pro eo quod eſt *ad arma proclamat*, ſive vociferando jubet arma capi: alioquin delendum erit illud *inter*; ut intelligatur Minucius ſtolidiſſimos quoſque & ferociſſimos ad arma vocaſſe.

3. *Levem armaturam demittit.*] Aliàs *dimittit*. Accedo correctioni Gronovii, qui deletâ primâ litterâ cenſet ſcribendum *emittit*: neque enim apparet Minucium loco ſuperiore caſtra habuiſſe ut levis armatura in planiora demitti ac deſcendere deberet: quin etiam agnoſco illud quoque *emittit* neceſſarium non eſſe, poteſt enim hoc membrum non incommodè regi à ſequenti *mittit* equites.

4. *Præoccupatum inferiore loco ſuccedens tumulum.*] Sumitur *ſuccedendi* verbum pro

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Mag. eq. M. Minucio,

rorem in ſuccedentem intulit equitem, & ad ſigna legionum refugit. peditum acies inter perculſos impavida ſola erat; videbaturque, ſi juſta aut ſi [5] recta pugna eſſet, haudquaquam impar futura: tantum animorum fecerat proſperè ante paucos dies res geſta. Sed exorti repente inſidiatores, eum tumultum terroremque in latera utrinque ab tergoque incurſantes, fecerunt; ut neque animus ad pugnam neque ad fugam ſpes cuiquam ſupereſſet.

XXIX. Tunc Fabius primo clamore paventium audito, dein conſpecta procul turbata acie, *Ita eſt*, inquit, *non celeriùs quam timui*, [a] *deprehendit fortuna temeritatem, Fabio æquatus imperio, Annibalem & virtute & fortuna ſuperiorem videt. Sed aliud jurgandi ſuccenſendique tempus erit. nunc ſigna extra vallum proferte. Victoriam hoſti extorqueamus, confeſſionem erroris civibus.* Jam magna ex parte cæſis aliis, aliis circumſpectantibus fugam; Fabiana ſe acies repente, velut cœlo dimiſſa, ad auxilium oſtendit. Itaque priuſquam ad conjectum teli veniret, aut manum conſereret, & ſuos à fuga effuſa, & ab nimis feroci pugna hoſtes continuit. qui ſolutis ordinibus vage diſſipati erant, undique confugerunt ad integram aciem; qui plures ſimul terga dederant, converſi in hoſtem, [1] volventeſque orbem, nunc ſenſim referre pedem, nunc conglobati reſtare. ac jam prope una acies facta erat victi atque integri exercitus, inferebantque ſigna in hoſtem; quum Pœnus receptui cecinit, palam ferente Annibale, ab ſe Minucium, ſe à Fabio victum. Ita, per variam fortunam, diei majore parte exacta, quum in caſtra reditum eſſet, Minucius convocatis militibus: *Sæpe ego*, inquit, *audivi, milites*, [2] *eum* PRIMUM ESSE VIRUM, *qui ipſe conſulat quid in rem ſit; ſecundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſciat, eum extremi ingenii eſſe. Nobis quoniam prima animi ingeniique negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus; & dum imperare diſcimus, parere prudenti in animum inducamus. Caſtra cum Fabio jun-*

INTERPRETATIO.

[a] *Inconſiderantiam Minucii intercepit caſus*, & in fraudem induxit.

NOTÆ.

ſubire, ex loco inferiori accedere: ſed magis cum dandi caſu, ut apud Cæſarem libro 2. Belli Gallici, *teſtudine factâ portis ſuccedunt*: accuſativo autem rarò jungitur. Eſt tamen apud Ciceronem in orat. pro domo ſua. *Is tectum quod imbris vitandi causâ ſuccederet nullum habebat*: niſi legendum, *quò imbris vitandi causâ ſuccederet*.

5. *Recta pugna eſſet*.] Si abſque inſidiis Pœni pugnaſſent. Gallicè, *de bonne guerre*.

1. *Volventeſque orbem*.] Gall. *Et ſaſont un demy tour à droite ou à gauche, les uns ſe retiroient en bon ordre, les autres en ſe ralliant pour faire front à l'ennemy*, &c.

2. *Eum primum eſſe virum*.] Sententiæ hujus auctor Heſiodus ab Ariſtotele laudatus; noti ſunt verſus Ἕτος μὲν νεμέρτης ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ, &c. quorum ſententiam Cic. imitatus eſt in orat. pro Cluent. *Sapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illum qui alterius benè inventis obtemperat*, &c.

Digitized by Google

gamus: ad prætorium ejus ſigna quum tulerimus, ubi ego eum Parentem appellavero, quod beneficio ejus erga nos ac majeſtate ejus dignum eſt; vos, milites, eos; quorum vos modò arma dexteræque texerunt, Patronos ſalutabitis: & ſi nihil aliud, gratorum certe nobis animorum gloriam dies hæc dederit.

XXX. Signo dato, conclamatur inde ut colligantur vaſa: profecti & agmine incedentes ad dictatoris caſtra, in admirationem & ipſum, & omnes qui circa erant, converterunt. Ut [a] conſtituta ſunt ante tribunal ſigna, progreſſus ante alios Magiſter equitum, quum *patrem* Fabium appellaſſet, [b] circumfuſoſque militum ejus totum agmen *patronos* conſalutaſſet: *Parentibus*, inquit, *meis dictator (quibus te modo nomine, [c] quo fando poſſum, æquavi) vitam tantùm debeo: tibi, quum meam ſalutem, tum omnium horum. Itaque plebiſcitum, quo oneratus magis quam honoratus ſum, primus antiquo, abrogoque: & quod tibi mihique, quod [1] exercitibuſque his tuis ſervato ac conſervatori ſit felix, ſub imperium auſpiciumque tuum redeo, & ſigna hæc legioneſque reſtituo. Tu quæſo placatus [2] me magiſterium equitum, hos ordines ſuos quemque tenere jubeas.* Tum [3] dextræ interjunctæ, militeſque concione dimiſſa, à notis ignotiſque benigne atque hoſpitaliter invitati: lætuſque dies, ex admodum triſti paulo ante [4] ac prope execrabili, factus. Romæ, ut eſt perlata fama rei geſtæ, dein literis non magis ipſorum imperatorum, quam vulgi militum ex utroque exercitu affirmata, pro ſe quiſque Maximum laudibus ad cœlum ferre. [d] par gloria

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Mag. eq. M. Minucio;

INTERPRETATIO.

a Poſtquam *ſigna* militaria exercitus Minuciani *ante Prætorium & tribunal* Fabii *poſita fuere*.

b *Univerſus* Minucii *exercitus milites* Fabii circa prætorium *conglobatos, compellaſſet patronorum nomine*.

c *Quantum verbis licet*.

d *Simili exiſtimatione* Fabius *erat apud Pœnos: qui nunc tandem agnoſcebant bellare ſe adverſus Romanos*, idque *intra Italiam*.

NOTÆ.

1. *Exercitibuſque his tuis ſervato ac conſervatori*.] Sic Puteani codex, blandius ſimul & modeſtius, quàm ut vulgò legitur, *quod meo exercitui eunque, conſervato ac conſervatori ſit felix*.

2. *Me magiſterium equitum, hos ordines ſuos quemque tenere jubeas*.] Sic ſcriptum in Codice Palatino apud Gronov. meliùs ſanè quàm quod in vulgatis, *me magiſtrum equitum hos ordinibus ſuis*, &c. Poſcit enim Minucius, ut placatus Fabius omnia in priſtinum ſtatum reſtitui patiatur, ut tum ipſe Minucius magiſtri equitum titulo fruatur ac contentus ſit, & reliqui duces legati, tribuni, centuriones in ſuis ordinibus retineantur, quamvis ex diſciplinæ ſeveritate exauctorandi propter contumaciam viderentur, aut ad inferiorem locum reducendi, quemadmodum à L. Quintio Capitolino factum erat liberato L. Minucio conſule, lib. 3. & quemadmodum ex Appii Claudii ſententia in eos actum fuerat, qui à Pyrrho capti & remiſſi fuerant.

3. *Dextræ interjunctæ*.] Dixit *interjunctas*, pro *invicem ſive mutuò junctis*. Aliter Martialis, *interjungere*, uſurpavit pro *disjungere*.

& hora laſſos
Interjungit equos meridiana.

4. *Ac propè execrabili*.] Atri enim & nefaſti erant dies, quibus ingens clades accepta, qualis Minucio imminebat ſine Fabii ope.

Urb. cond. an. 536. Prodictat. Q. Fabio. Mag. eq. M. Minucio.

apud Annibalem, hoſteſque Pœnos erat: ac tum demum ſentire, cum Romanis atque in Italia bellum eſſe. Nam biennio ante adeo & duces Romanos & milites ſpreverant, ut vix cum eadem gente bellum eſſe crederent, cujus terribilem eam famam à patribus accepiſſent. Annibalem quoque ex acie redeunte dixiſſe ferunt, *tandem eam nubem, quæ ſedere injugis montium ſolita ſit, cum procella imbrem dediſſe.*

XXXI. Dum hæc geruntur in Italia, Cn. Servilius Geminus conſul cum claſſe cxx navium circumvectus Sardiniæ & Corſicæ oram, & obſidibus utrinque acceptis, in Africam tranſmiſit: & priuſquam in continentem exſcenſiones faceret, [1] Meninge inſula vaſtata, & ab [2] incolentibus Cercinam, ne & ipſorum ureretur diriperetur que ager, decem talentis argenti acceptis, ad litora Africæ acceſſit, copiaſque expoſuit. Inde ad populandum agrum ducti milites; navaleſque ſocii juxta effuſi, ac ſi inſulis cultorum egentibus prædarentur. itaque in inſidias temere illati, quum à frequentibus palantes, ab locorum gnaris ignari circumvenirentur, cum multa cæde ac fœda fuga retro ad naves compulſi ſunt. Ad mille hominum, [3] cum his Sempronio Blæſo quæſtore, amiſſum: claſſis, à litoribus hoſtium plenis, trepide ſoluta in Siciliam curſum tenuit: traditaque Lilybæi T. Otacilio prætori, ut ab legato ejus P. Sura Romam reduceretur. ipſe per Siciliam [a] pedibus profectus, freto in Italiam trajecit: literiſque Fabii accitus & ipſe, & collega ejus M. Atilius, [4] ut exercitum ab ſe exacto jam prope ſemeſtri imperio acciperent. Omnium prope annales Fabium dictatorem adverſus Annibalem

INTERPRETATIO.

a *Ipſe* Conſul Servilius *non navibus, ſed terreſtri itinere per Siciliam profectus in Italiam per fretum Siculum tranſiit, poſt claſſis curam Otacilio mandatam apud Lilybæum, &c.*

NOTÆ.

1. *Meninge inſula.*] Clariſſima inſularum maris Africi eſt *Meninx*, ab Eratoſthene Lotophagitis appellata teſte Plin. quòd non procul eſſet à Lotophagis continentis vicinæ populis, ſic dictis ab Homero in Odyſſea, quòd Loti arboris baccas dulciſſimi ſaporis pro cibo præcipuo haberent. Hi olim regionem incolebant, quæ poſt Tripolitana eſt dicta. Ipſa inſula à dextro Syrtis minoris promontorio paſſibus ducentis ſita, nunc *Girbe* appellatur.

2. *Incolentibus Cercinam.*] Meninge major eſt *Cercina* inſula ad lævum Syrtis promontorium, centum milliaribus ab illis diſtans, cum urbe ejuſdem nominis, cui Carthaginem verſus Cercinitis ponte jungebatur. Pertinet hodie ad regnum Tunetanum, vulgò *Cercare* noſtris hominibus, Italis *Chercara*.

3. *Cum his Sempronio Blaſo quæſtore amiſſum.*] Vulgò legitur *amiſſo*: optimi tamen apud Gronov. libri ſcribunt *amiſſum*, ut referatur ad *mille hominum*, (quod perinde dicitur ac *mille homines amiſſi*): ſed tamen illud *amiſſo*, ſic poteſt accipi ut intelligatur *cùm quæſtor unà cum aliis eſſet amiſſus*. Facilior adhuc locus, ſi deleto pronomine *his*, legamus *cum Sempr. Blaſo Quæſtore amiſſum*.

4. *Ut exercitum.*] Meliùs *exercitui*. Erant enim exercitus duo, Fabii alter, alter Minucii, quos Fabius Dictator regebat.

rem gessisse tradunt. Cœlius etiam eum primùm à populo creatum dictatorem scribit. Sed & Cœlium & cæteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, jus fuisse dicendi dictatoris: quam moram quia exspectare territa jam clade civitas non poterat, eo decursum esse, ut à populo crearetur qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriamque insignem ducis, 5 & augentes titulum imaginis posteros, ut dictator pro Prodictatore diceretur, facile obtinuisse.

XXXII. Consules, M. Atilius Fabiano, Geminus Servilius Minuciano exercitu accepto, hiberraculis mature communitis (1 tum enim Autumni erat tempus) Fabii artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt. Frumentatum euntí Annibali, 2 diversis locis opportuni aderant carpentes agmen, palatosque excipientes. in casum universæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebant. a adeoque inopia est coactus Annibal, ut nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit; nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si insequentes consules eisdem artibus bellum gererent. b Quum ad Geronium jam hieme impediente constitisset bellum, 3 Neapolitani legati Romam venêre: ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque ita verba facta, ut dicerent: *Scire sese Romani populi erarium bello exhauriri: & quum juxtà pro urbibus agrisque sociorum, ac pro capite atque arce Italiæ urbe Romana atque imperio geratur, æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi quum ad templorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ à majoribus relictum foret, eo juvare populum Romanum. Si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. gratum sibi Patres Romanos populumque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas dux sent: dignosque judicaverint, 4 ab quibus donum animo*

Urb. condi an. 537. Coss. M. Atilio, & Gem. Servilio.

INTERPRETATIO.

a *Annibal omnium rerum penuria ita laboravit*, &c.

b *Cum* exercitibus, *circa Geronium* considentibus, *actus bellici cessarent hieme* eos *impediente*.

NOTÆ.

5. *Et augentes titulum imaginis posteros.*] Vulgò *& augendæ titulum imaginis posteris*; sensus satis planus est. Vult enim Q. Fabium Maximum Dictatorem revera non fuisse, atque à populo non dictatorem creatum fuisse, sed quasi dictatorem, sive *prodictatore*: nihilominùs tamen invaluisse posteà ut Dictator fuisse crederetur, partim ob res præclarè gestas, partim quòd posteri ejus in honorem ipsius, familiæque suæ, imagini ejusdem titulum *Dictatoris* adjecissent.

1. *Tum enim Autumni erat tempus.*] Facilè Gronovii scripturam admiserim, *medium Autumni erat tempus*.

2. *Diversis locis opportuni aderant.*] Vulgò *opportunè*, nihil variante sensu, id est, tempore: Gall. *à point nommé*, prout Romanorum commodum exigebat. Cæterùm Annibali & Pœnis valde importunè & incommodè.

3. *Neapolitani legati.*] De Campaniæ felicis urbe *Neapoli*, quæ nunc Regni caput, dictum lib. 8. cap. 22. ubi & de *Palæpoli*.

4. *Ab quibus donum, animo ac voluntate.*] Muneribus præcipuum haud dubiè pretium ab affectu offerentium. Porro

ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re majus ampliusque, acciperent. Legatis gratiæ actæ pro munificentia, curaque. 5 patræ quæ ponderis minimi fuit, accepta.

Urb. cond. an. 537. Coss. M. Atilio, & Gemino Servil.

XXXIII. Per eosdem dies speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus, præcisisque manibus dimissus: & servi quinque & viginti in crucem acti, quod in campo Martio conjurassent. indici data libertas, [1] & æris gravis [6] viginti millia. Legati & [2] ad Philippum Macedonum regem missi, ad deposcendum Demetrium [3] Pharium, qui bello victus ad eum fugisset: & alii in Ligures, ad expostulandum quod Pœnum opibus auxiliisque suis juvissent: simul ad visendum ex propinquo, quæ in Boiis atque Insubribus gererentur. [4] Ad Pineum quoque regem in Illyrios legati missi ad stipendium, [5] cujus dies exierat, poscendum; aut, si diem proferre vellet, obsides accipiendos. adeo, etsi [6] bellum ingens in cervicibus erat, nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat. In religionem etiam venit, [7] ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus non esse: itaque duumviri ad eam rem creati à M. Æmilio prætore urbis, Cn. Pupius & Cæso Quintius Flaminius, ædem in arce faciendam loca-

NOTÆ.

non illibenter ego illud *libentes* deleverim; satis enim res indicatur si dicas *donum voluntate eorum, qui darent, quàm re majus ampliusque acciperent.*

5. *Patera, quæ ponderis minimi.*] Magnitudini animi, an arrogantiæ, an prudentiæ potiùs in dissimulandis incommodis, ascribenda sit hæc Romanorum modestia, in Neapolitanorum munere ferè omnino, quemadmodùm in auro Pæstanorum, posteà omnino repudiando, ut videbimus cap. 36. haud satis apud me statuto. Illud certè constat eos hoc tempore summa rerum omnium inopia laborasse.

1. *Et æris gravis viginti millia.*] Hoc tempore asses à libra ad unciam saltem redacti, ita ut videatur æs grave per hæc tempora nullum in pecunia numerata fuisse: potuit tamen infecti æris hoc pondere conjurationis servilis index donari, cujus pretium hodie esset librarum 13500.

2. *Ad Philippum.*] Penultimus hic fuit Macedonum rex, Demetrii filius, & post Antigonum tutorem suum annos 42. regnavit.

3. *Demetrium Pharium.*] Cognomen hoc Pharii, non à Pharo Ægypti ad Alexandriam exigua insula; sed ab insula maris Adriatici Dalmatiæ proxima desumptum; quæ quidem insula nunc *Lesina*, Venetis paret. Hunc Illyrici ex parte Regem Romani fœdus violantem paulò ante hoc bellum Punicum II. per L. Æmilium devicerant, ac regno expulerant, teste Polybio; nunc exulem apud Philippum Macedonem sibi dedi petunt.

4. *Pineum quoque regem.*] Vide Polybium lib. 3. videtur Teutæ Successor, quæ Illyriorum ex parte Reginæ, &, cui subactæ impositum fuerat tributum.

5. *Cujus dies exierat.*] Gall. *Dont le terme estoit eschu.*

6. *Bellum ingens in cervicibus erat.*] Hac loquendi figurâ significatur ingens atque urgens periculum: sic *molem mali à cervicibus depellere, & legiones in cervicibus collocare* Cicero dixit.

7. *Ædem Concordiæ.*] Plures fuere in Capitolio aut circa illud ædes Concordiæ, quarum in una Senatus ut plurimùm habebatur. Hæc in arce fuit, id est, ubi nunc Cœnobium Franciscanorum cui nomen ab Ara Cœli.

verunt. Ab eodem prætore ex ſenatuſconſulto literæ ad conſules miſſæ; ut ſi iis videretur, alter eorum ad conſules creandos Romam veniret. ſe in eam diem, quam juſſiſſent, comitia edicturum. Ad hæc à conſulibus reſcriptum *Sine detrimento reipublicæ abſcedi non poſſe ab hoſte. itaque per interregem comitia habenda eſſe potius, quam conſulum alter à bello avocaretur.* Patribus rectius viſum eſt, [8] dictatorem à Conſule dici comitiorum habendorum cauſa. dictus L. Veturius Philo, Manium Pomponium Mathonem magiſtrum equitum dixit. His vitio creatis, juſſiſque die quartodecimo ſe magiſtratu abdicare, ad interregnum res rediit. Urb. cond. an. 537. Coſſ. M. Atilio, & Gem. Servilio.

XXXIV. Conſulibus [1] prorogatum in annum imperium. interreges proditi à Patribus, Cn. Claudius, Appii filius, Cento: inde P. Cornelius Aſina. In ejus interregno comitia habita, magno certamine Patrum ac plebis. [2] C. Terentio Varroni, quem ſui generis hominem, plebi inſectatione principum popularibuſque artibus conciliatum, ab Q. Fabii opibus & dictatorio imperio concuſſis, alienâ invidiâ ſplendentem, vulgus etiam [a] extrahere ad conſulatum nitebatur. Patres ſumma ope obſtabant, [b] ne ſe inſectando, ſibi æquari aſſueſcerent homines. [3] Q. Bæbius Herennius tribunus plebis, cognatus C. Terentii, criminando, non ſenatum modo, ſed etiam augures, quod dictatorem prohibuiſſent comitia perficere, per invidiam eorum, favorem candidato ſuo conciliabat. *Ab hominibus nobilibus, per multos annos bellum quærentibus, Annibalem in Italiam adductum: ab iiſdem quum debellari poſſit, fraude id bellum trahi.* [4] *cum quatuor militum legionibus univerſis pugnari poſſe apparuiſſe eo, quod M. Minucius abſente Fabio proſpere pugnaſſet, duas legiones hoſti ad cædem objectas, deinde ex ipſa cæde ereptas; ut pater patronuſque appellaretur, qui prius vincere prohibuiſſet Romanos quam vinci. Conſules deinde Fabianis artibus, quum debellare poſſent, bellum traxiſſe. Id fœdus inter omnes nobiles ictum: nec finem ante belli habituros, quam conſulem verè*

INTERPRETATIO.

a Conabatur *evehere*, atque *attollere, ad dignitatem conſularem*, quaſi extractum è plebe.

b *Ne homines plebeji conſueſcerent æquare ſe patribus per eorum inſectationem.*

NOTÆ.

8. *Dictatorem à Conſule dici.*] Videſ à Conſule abſente Dictatorem ex Senatuſconſulto dictum; neque eam in rem neceſſaria fuiſſe Comitia.

1. *Conſulibus prorogatum in annum imperium.*] Non conſulare, ſed proconſulare.

2. *C. Terentio Varroni.*] Aliàs, *C. Terentium Varronem*. Quæ lectio ſana haberi poteſt, ſi ſubſequens relativum, *quem*, dematur: alioqui meliùs in dandi caſu *C. Terentio Varroni*, ut referatur ad ſequentia *patres ſummâ ope obſtabant*.

3. *Q. Babius Herennius.*] Ita legit Gronov. ex optimis Codicibus, (in quibus & Colb.) inſuper habitâ conjecturâ Sigonii, qui ſuſpicatur, *ne Bibus Terentius*, legendum ſit. *Herennii* verò cognomen Bæbiis, atque Octaviis attributum legitur.

4. *Cum quatuor militum legionibus.*] His intelligendis repetenda quæ ſuprà cap. 24. 27. & duobus ſeqq. hujus libri.

Urb. cond. an. 537. Coss. M. Atilio, & Gem. Servilio.

plebejum, id est, hominem novum fecisse. nam 5 *plebejos nobiles, jam eisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint à Patribus, cœpisse. Cui non id apparere? id actum & quæsitum esse, ut interregnum iniretur:* 6 *ut in Patrum potestate comitia essent. Id consules ambos ad exercitum morando quæsisse: id postea, quia invitis iis dictator esset dictus comitiorum causa,* 7 *expugnatum esse,* c *ut vitiosus dictator per augures fieret. Habere igitur interregnum eos. consulatum unum certè plebis Romanæ esse:* 8 *populum liberum habiturum, ac daturum ei, qui magis vere vincere quam diu imperare malit.*

Urb. cond. an. 538. Coss. C. Terentio, & L. Æmi. Paullo.

XXXV. Quum his orationibus accensa plebs esset, tribus patriciis petentibus, P. Cornelio Merenda, L. Manlio Volsone, M. Æmilio Lepido, 1 duobus nobilibus jam familiarum plebei, C. Atilio Serrano, & Q. Ælio Pæto, quorum alter Pontifex, alter augur erant, C. Terentius consul unus creatur, a ut in manu ejus essent comitia rogando collegæ. Tum experta nobilitas, parum fuisse virium in competitoribus, L. Æmilium

INTERPRETATIO.

c *Summâ contentione effectum à Senatoribus ut auguret renunciarent L. Veturium vitio creatum fuisse dictatorem.*

a *Ut ei permitteretur potestas habendorum Comitiorum, quibus populus* allum Consulem *crearet ipsi futurum collegam,*

NOTÆ.

5. *Plebejos nobiles, jam eisdem initiatos esse sacris.*] Eos intelligit qui ex origine plebeja, per curules magistratus nobilitatem adepti, eundem cum veteribus patriciis animum in plebem induerant, idemque cum illis sentiebant. Quo sensu Rhodiginus interpretatur hæc verba, *Jam eisdem initiatos sacris:* quanquam verum quoque est Auguratum, Pontificatum, aliaque sacerdotia hoc tempore penes plebeios non minus quàm penes patricios fuisse.

6. *Ut in patrum potestate Comitia essent.*] Quid ita Comitia consulum creandorum magis in manu & potestate Senatus erant, cum per Dictatorem, quam per interregem habebantur. At tam Dictator quàm Interreges ex Senatorum numero dicerentur. An quod Dictator à Consule solo diceretur, Interreges à toto Senatu; an quod si suspectus incidisset Dictator, amoveri ante semestre non poterat: si in Interrege peccatum esset, facilè corrigi error poterat, post quintum diem prodito de more Interrege alio?

7. *Expugnatum esse.*] Sumitur *expugnare* hoc loco pro *extorquere, obtinere.* Gall. *on avoit gagné cela.*

8. *Populum liberum habiturum.*] Significat oportere ut plebs consulatum, qui ex duobus unus plebejis pateret, ac deberetur (cum duos patricios creare jam non liceret) libere ac pro arbitrio deferat cui voluerit. Quod igitur *populum* ait *consulatum liberum habiturum*, idem est ac fore ut populus *libere utatur consulatu*: eodem sensu quo dicitur *liberas ædes habere*; vel *liberum habere dicendi campum.*

1. *Duobus nobilibus jam familiarum plebei.*] Sic scribit Gronov. ex Puteani & Petavii libris, quibus consentit Colbertinus. Freinshemius ad Tacitum mallet *duobus nobilium jam familiarum Plebis*: quod mihi non displicet. Utraque harum lectionum hanc habet sententiam; petitum esse consulatum à tribus patriciis ex prisca nobilitate; & duobus qui nunc quidem nobiles essent per honores à majoribus gestos, sed quorum origo de plebe. Huc pertinet illud P. Decii Muris lib. 10. cap. 7. *Jam ne nobilitatis quidem sua plebejos pœnitere. Tot gestis magistratibus, &c.* Sed quamvis nobiles cum posteris fierent hi Plebeji, non idcirco Patricii erant, nisi in ordinem Patriciorum allecti essent. Sic Pom-

Paullum,

Paullum, qui [a] cum M. Livio conſul fuerat, & damnatione collegæ, [b] & ſuâ propè ambuſtus evaſerat, infeſtum plebi, diu ac multum recuſantem ad petitionem compellit. Is [c] proximo comitiali die, concedentibus omnibus qui cum Varrone certaverant, [d] par magis in adverſandum, quam collega, datur conſuli. Inde prætoria comitia habita. Creati Manius Pomponius Matho, & P. Furius Philus. Romæ juri dicundo [3] urbana ſors Pomponio; inter cives Romanos & peregrinos, P. Furio Philo evenit. [4] Additi duo prætores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Poſtumius Albinus in Galliam. Omnes abſentes creati ſunt, nec cuiquam eorum, præter Terentium conſulem, erat mandatus honos, quem jam non antea geſſiſſet; præteritis aliquot fortibus ac ſtrenuis viris: quia in tali tempore nulli novus magiſtratus videbatur mandandus.

Urb. cond. an. 537. Coſſ. C. Terentio, & L. Æmil.

XXXVI. Exercitus quoque multiplicati ſunt. Quantæ autem peditum equitumque additæ ſint copiæ, adeo & numero & genere copiarum variant auctores, ut vix quicquam ſatis certum affirmare auſim. Decem millia novorum militum alii ſcripſere [1] in ſupplementum; alii [2] novas quatuor legiones, ut octo legionibus rem gererent. numero quoque peditum equitumque legiones auctas, [3] millibus peditum, & centenis equitibus in

INTERPRETATIO.

b *Parè cum Livio damnatione prope involutus, & velut fulmine quodam conflictus.*

c *Primo die quo poſteà Comitia haberi potuere.*

d *Non tam ut collega eſſet Varronis; quàm ut ei opponeretur tanquàm adverſarius par & idoneus qui eis obſiſteret.*

NOTÆ.

peius conſulari patre, equeſtri tamen familia erat: & Auguſtus equitibus quos in Senatum legebat, poteſtatem faciebat eligendi an patricii eſſent, an in ſuo priſtino ordine manerent.

2. *Cum M. Livio.*] *Is Salinator* cognominatus, poſt conſulatum cum L. Paullo geſtum, damnatus à populo fuerat, quòd prædam militibus æqualiter non diviſiſſet, auctore Frontino lib. 4. Stratagem.

3. *Urbana ſors Pomponio.*] Hoc igitur tempore duo jam Romæ Prætores jus dicebant, *Urbanus* inter cives; *Peregrinus*, tum inter Peregrinos, tum inter Cives & Peregrinos; cujuſmodi erant exteri, ſeu advenæ, qui Romæ degebant, nec habebant jus Civitatis Romanæ.

4. *Additi duo Prætores.*] Sub hæc quoque tempora inſtituti Prætores Provinciales, alter Siciliæ, alter Galliæ Ciſalpinæ.

1. *In ſupplementum.*] Gall. *pour ſervir de recrues.*

2. *Novas quatuor legiones.*] Inter lectiones varias, hæc quam ſuggerit ex ſcriptis Gronovius, cæteris præſtat. Neque enim ſtare poteſt vulgata quæ habet, *quatuor legiones quinque legionibus additas, ut novem legionibus rem gererent.* Veteres quippe Legiones quatuor tantùm fuerant, non quinque, ut Sigonius probat ex eo quòd in diviſione exercitûs, quæ cap. 27. ſub finem inſtituitur inter Fabium & Minucium, duæ tantùm utrique aſſignantur. Nec plurium quàm quatuor meminit cap. 34. Heremius tribunus pl. Et verò Polyb. octo legionibus nunc rem geſtam à Romanis narrat, non novem.

3. *Millibus peditum.*] Itaque quadratæ legioni nunc additi mille pedites & centum equites auctore Polybio, quem hic ſequitur, & propemodum Latinè interpretatur Livius.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio, & L. Æmil.

singulis adjectis, ut quina millia peditum, treceni equites essent: socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent. 4 Septem & octoginta millia armatorum, & ducentos in castris Romanis quum pugnatum ad Cannas est, quidem auctores sunt. Illud haudquaquam discrepat, majore conatu atque impetu rem actam, quam prioribus annis; quia spem posse vinci hostem dictator præbuerat. Cæterum, prius quam signa ab urbe novæ legiones moverent, decemviri libros adire atque inspicere jussi, propter territos vulgo homines novis prodigiis. nam & Romæ in Aventino, & Ariciæ nunciatum erat, sub idem tempus lapidibus pluisse: & 5 multo cruore, signa in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manasse. Id quidem etiam, 6 quòd sæpius acciderat, magis terrebat: & 7 in via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti exanimatique fuerant. Ea prodigia ex libris procurata. Legati 8 à Pæsto pateras aureas Romam attulerunt. iis sicut Neapolitanis gratiæ actæ, aurum non acceptum.

XXXVII. Per eosdem dies 1 ab Hierone classis Ostiam cum magno commeatu accessit. Legati Syracusani in senatum introducti nunciarunt; *Eadem C. Flaminii consulis exercitusque allatam, adeo ægre tulisse regem Hieronem, ut nulla sua propria regnique sui clade moveri magis potuerit: Itaque, quamquam probe sciat magnitudinem populi Romani admirabiliorem prope adversis rebus, quam secundis esse: tamen se omnia, quibus à bonis fidelibusque sociis bella juvari soleant, misisse, quæ ne accipere abnuant, magnopere se Patres Conscriptos orare. Jam omnium primùm ominis causâ Victoriam auream 2 pondo trecentum viginti afferre sese, acciperent eam tenerentque & haberent propriam & perpetuam. Advexisse etiam trecenta*

NOTÆ.

4. *Septem & octoginta millia.*] Polybius peditum myriades octo numerat: equitis [illegible]. Plutarchum, myriades sunt novem omnino, demptis millibus duobus: id est, octoginta & octo armatorum millia in universum.

5. *Et multo cruore, signa in Sabinis cadis, aquas è fonte manasse.*] Non illibenter pro *cadis aquas* scripserim *Carites aquas*, de quibus simile prodigium narratur cap. 1. hujus libri, & sic *multo cruore manasse* intelligentur tam signa, sive statuæ in Sabinis, quàm aquæ in oppido Tusciæ Cære.

6. *Quòd sæpiùs acciderat.*] Ideò terror auctus, quia id sæpe hoc tempore acciderat.

7. *In via fornicata quæ ad Campum.*] Nempe *Martium*.

8. *A Pæsto.*] Hoc oppidum Lucaniæ maritimæ est, quod Græco nomine Posidoniam dixere; ejus ruinæ nomen adhuc retinent, vel. Pæst. in Principatu citeriore.

1. *Ab Hierone.*] Syracusarum rex *Hiero*, qui per 50. annos Romanis fidissimum se exhibuit ab initio belli Punici primi, quo ipsorum fœdus amplexus est.

2. *Pende trecentum viginti.*] Aurum hoc Romanis ponderibus conficeret Francicas libras 279600. non connumerata mercede artificis. Minoris ponderis hoc victoriæ simulacrum facit Val. Max. lib. 4. cap. 8. ait enim ab Hierone missa auri *ducenta & quadraginta pondo*, eumque *non ignarum verecundiæ Romanorum, in habitum id Victoriæ formasse, ut eos religione motos, munificentiâ suâ uti cogeret: & voluntate mittendi priùs, iterum providentiâ cavendi ne remitteretur, liberalem.*

millia modiûm tritici, ducenta hordei, ne commeatus deeſsent, & 3 quantum præterea opus eſset, quo juſſiſsent, ſubvecturos. Milite atque equite ſcire niſi Romano Latiniq; nominis non uti pop. Romanum: 4 levium armatorum auxilia etiam externa vidiſse in caſtris Romanis. Itaq; miſiſse mille ſagittariorum ac funditorum, aptam manum adverſus Baleares ac Mauros, 5 pugnaceſq; alias miſſili telo gentes. Ad ea dona, conſilium quoque addebant, *Ut prætor, cui provincia Sicilia eveniſset, claſsem in Africam trajiceret, ut & hoſtes in terra ſua bellum haberent, minuſque laxamenti daretur iis ad auxilia Annibali ſubmittenda.* Ab ſenatu ita reſponſum regi eſt: *Virum bonum egregiumque ſocium Hieronem eſse, atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluiſse, ac rem Romanam omni tempore ac loco munifice adjuviſse. id perinde ac deberet, gratum populo Romano eſse. Aurum & à civitatibus quibuſdam allatum, 2 gratiâ rei acceptâ, non accepiſse populum Romanum. Victoriam, omenque accipere: ſedemque ei ſe Divæ dare, dicare, Capitolium, templum Jovis Optimi Maximi in ea arce urbis Romæ ſacrare, voluntatem propitiamque, formam ac ſtabilem fore populo Romano.* Funditores, ſagittariique, & frumentum traditum conſulibus. Quinqueremes ad navium claſſem, quæ cum T. Otacilio prætore in Sicilia erat, quinque & viginti additæ, permiſſumque eſt, ut ſi è republ. cenſeret eſse, in Africam trajiceret.

Urb. cond. an. 537. Coſſ. C. Terentio, & L. Æmil.

XXXVIII. Delectu perfecto, conſules paucos morati dies, dum ſocii ab nomine Latino venirent. Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando ab tribunis militum adacti: juſſu conſulum conventuros, neque injuſſu abituros. nam ad eam diem 1 nil præter ſacramentum fuerat, & 2 ubi ad decuriatum aut centuriatum conveniſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſſa. id ex voluntario inter ipſos fœdere à tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem translatum. Conciones, prius quam ab urbe ſigna move-

INTERPRETATIO.

2 *Populum Romanum aurum non recepiſſe à Neapolitanis & Paſtanis miſſum, cùm tamen acceptum habuiſſent eorum officium, atque eb eam rem ipſis gratiam habuiſſe.*

2 *Poſtquàm convenerant, ut equites in decurias, pedites in Centurias redigerentur.*

NOTÆ.

3. *Quantum præterea.*] Frumenti ſcilicet atque hordei.

4. *Levium armatorum.*] Aut *leviter armatorum* videtur ſcribendum; aut *levium armorum* ex Gronovii conjectura.

5. *Pugnaceſque alias miſſili telo gentes.*] Hinc Balearum nomen deducit ex Punica, ſive Syriaca lingua Bochardus.

1. *Nihil præter ſacramentum fuerat.*] Differt *ſacramentum* à conjuratione; quòd *ſacramentum* ſit, cùm ſinguli jurejurando adiguntur, ſine quo Romanis non licebat pugnare cum hoſtibus. *Conjuratio* verò erat, cùm ipſi inter ſe milites ſimul jurabant, quod antea voluntarium, nunc à Tribunis legionum inſtitutum ac redactum eſt ad neceſſitatem. Vide A. Gell. lib. 16. & Sigon. lib. 1. de Jure ant. Civium Rom. c. 15.

Urb. cond. an. 537. Cos. C. Terentio, & L. Æmil.

rentur, consulis Varronis multæ ac feroces fuêre, denunciantes, *bellum arcessitum in Italiam ab nobilibus, mansuramque in visceribus reipublicæ, si plures Fabios imperatores haberet. se* [2] *quo die hostem vidisset, perfecturum.* [3] Collegæ ejus Paulli una, pridie quam ex urbe proficisceretur, concio fuit verior quam gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo; *Mirari se,* [4] *quomodo quis dux, prius quam aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset,* [b] *jam nunc locatus in urbe, sciret quæ sibi agenda armato forent; & diem quoque prædicare posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturus. Se* [5] *quæ consilia magis res dent hominibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura non præcepturum. optare, ut quæ cautè atque consultè gesta essent, satis prospere evenirent. Temeritatem præterquam quod stulta sit, infelicem etiam* [c] *ad id locorum fuisse.* Id sua sponte apparebat, tuta celeribus consiliis præpositurum: & [6] quo id constantius perseveraret, Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur.

XXXIX. *Si aut collegam (id quod mallem) tui similem, L. Æmili, haberes, aut tu collegæ tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. nam & duo boni consules,* [1] *etiam me tacente, omnia è republica fide vestra faceretis:* [d] *& mali, nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis acciperetis. nunc & collegam tuum & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est: quem video nequicquam & virum bonum & civem fore, si*

INTERPRETATIO.

b *Cum adhuc in urbe constitutus* (aliàs *togatus*) *sit, jam* tamen *cognoscaret*, &c.

c *Ad hoc usque tempus.*

d *Si ambo mali essetis.*

NOTÆ.

2. *Quo die hostem vidisset, perfecturum.*] Ipsius *conflicturum* legebat *s. Asconius*, quem vulgò aliter *fugaturum*, nimirùm hostem. Veteres & optimi codices *perfecturum*: quod referendum est ad *bellum*, quod à se uno die finiendum temerè jactat hic Varro, cùm alii plures in annos traxerint.

3. *Collegæ ejus Paulli.*] Hujus L. Æmilii Paulli consulis præclaras animi corporisque dotes describunt Plutarchus in ejus vita, & Valerius Maximus. Prudentiam Livius hac ipsius concione satis indicat.

4. *Quomodo quis dux.*] Legit ex libris Gronov. *quod ne qui dux*, & interpretatur, *qui, nunquam dux* supple *fuerit*, qualis Varro, qui nunquam exercitum duxerat.

5. *Consilia magis res dent hominibus.*] In bello sanè consilia ex rebus ipsius capienda, locis nempè, temporibus, occasionibus: neque enim certi quid domi asseri potest.

6. *Quò id constantiùs perseveraret.*] In Colb. scriptum est, *quò inconstantiùs perseveraret*; & vix dubito quin auctor scripserit, *quò in id constantiùs perseveraret*. Verùm ex duabus vocalis *in* & *id*. librariorum alii priorem alii posteriorem omisere: etsi *id perseverare* Cic. dixit. pro *in eo perseverare*.

1. *Etiam me tacente.*] Rescribit audacter Gronovius *me indicente*, ductâ conjecturâ ex Terentio in Adelphis, ubi, *non me indicente hæc fiunt*, Sed nec adstipulatorem habet Codicem ullum, nec quidquid semel aut iterùm ab auctore aliquo usurpatum fuerit, statim aliis auctoribus affingendum: cùm præsertim negari non possit, rarissimam esse hanc loquendi formam, & vix aliud ejus exemplum occurrere.

Digitized by Google

alterâ parte claudicet reſpublica. b *malis conſilis idem ac bonis juris & po-* Urb. cond.
teſtatis erit. Erras enim, L. Paulle, ſi tibi minus certaminis cum C. Teren- an. 537.
tio, quam cum Annibale futurum cenſes. neſcio an infeſtior hic adverſarius, Coſſ. M. Terentio, & L.
quam ille hoſtis maneat: cum illo in acie tantum, cum hoc locis ac tempori- Æmil.
bus certaturus es: & adverſum Annibalem legioneſque ejus tuis equitibus ac
peditibus pugnandum tibi eſt; Varro dux, tuis militibus te eſt oppugnaturus.
c *Omnis etiam tibi cauſsa abſit C. Flaminii memoria: tamen ille conſul de-*
mum, & in provincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quam
peteret conſulatum, deinde in petendo conſulatu: nunc quoque conſul, prius
quam caſtra videat, aut hoſtem, inſanit. & qui tantas jam nunc procellas,
prælia atque acies jactando inter togatos ciet, quid inter armatam juventu-
tem cenſes facturum, & ubi extemplo verba res ſequitur? Atqui ſi hic, quod
facturum ſe denuntiat, extemplo pugnaverit; aut ego rem militarem, belli
hoc genus, hoſtem hunc ignoro, aut nobilior alius Traſimeno locus noſtris
cladibus erit. 2 *Nec gloriandi tempus adverſus unum eſt; & ego contemnen-*
do potius quam appetendo gloriam, modum exceſſerim. Sed ita res habet,
una ratio belli gerendi adverſus Annibalem eſt, qua ego geſſi. nec eventus
modo hoc docet; 3 *ſtultorum iſte magiſter eſt: ſed eadem ratio quæ fuit, fu-*
turaque, donec eædem res manebunt, immutabilis eſt. In Italia bellum ge-
rimus, in ſede ac ſolo noſtro. omnia circà plena civium ac ſociorum ſunt.
armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque. id jam fidei docu-
mentum in adverſis rebus noſtris dederunt meliores, prudentiores, conſtantio-
res nos tempus dieſque facit. Annibal contrà, in aliena, in hoſtili eſt terra,
inter omnia inimica infeſtaque; procul ab domo, procul à patria. d *neque illi*
terra, neque mari eſt pax, nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia: nihil
uſquam ſui videt: in diem rapto vivit. Partem vix tertiam exercitus ejus
habet, e *quem Iberum amnem trajecit: plures fames, quam ferrum ab-*
ſumpſit: nec his paucis jam victum ſuppeditat. Dubitas ergo, quin ſedendo
ſuperaturi ſimus eum qui ſeneſcat in dies, non commeatus, non ſupplemen-
tum, non pecuniam habeat? Quam diu pro Geronii, caſtelli Apuliæ inopis,

INTERPRETATIO.

b Qui *mala conſilia afferet* Varro, *par jus paremque poteſtatem habebit, ac tu,* Paulle, *bona afferens conſilia.*

c *Nolim* quidem *tibi occurrere memoriam C. Flaminii, ne malo ſit omini.*

d *Nihil habet pacatum ſive terrâ* (hoſtili undique ſolo Italiæ concluſus) *ſive etiam mari* (quod à claſſibus Romanis obtinetur.)

e *Quem traduxit per Iberum flumen.*

NOTÆ.

2. *Nec gloriandi tempus adverſus unum eſt.*] An adverſus Flaminium, quod Gronovio videtur; an adverſus Minucium, qui Fabii ope ſervatus fuit, an potiùs adverſus ipſum Terentium Varronem: niſi velimus præpoſitionem, *adverſus unum*, interpretari *erga te unum*, ut paulò poſt: *ſed ne adverſus te quidem*, id eſt, *apud te*; & initio cap. 40. *adverſus eum*, pro, *ad hæc.*

3. *Stultorum iſte magiſter eſt.*] Reſpicit ad proverbium, *malo necepto ſtultus ſapit*, quod ex Heſiodo eſt.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio, & L. Æmil.

4 *tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est? Sed* f *ne adversus te quidem ego gloriabor: Cn. Servilius, atque Atilius, proximi consules, vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via, L. Paulle, quam difficilem infestamque* 5 *cives sibi magis quam hostes facient.* 6 *idem enim tui, quod hostium milites, volent: idem Varro consul Romanus quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. duobus ducibus unus resistas oportet: resistes autem, adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit.* 7 VERITATEM LABORARE *nimis sæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreverit, veram habebit. Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Omnia audentem contemnet Annibal: nil temere agentem metuet. Nec ego,* 8 *ut nihil agatur, moneo sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna: tuæ potestatis semper, tuaque omnia sint. armatus intentusque sis, neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara, certaque erunt. festinatio improvida est, & cæca.*

XL. Adversus ea oratio consulis haud sanè læta fuit: magis fatentis, ea quæ diceret, vera, quam facilia factu esse. *Dictatori* 1 *magistrum equitum intolerabilem fuisse: quid consuli adversus collegam seditiosum ac temerarium virium atque auctoritatis fore?* 2 *Se populare incendium priore consulatu semustum effugisse? optare ut omnia prospere evenirent. at si quid adversi caderet, hostium se telis potius, quam suffragiis iratorum civium caput*

INTERPRETATIO.

f *Neque ego apud te gloriabor*, quamvis soli simus, nec loquar de me solo.

NOTÆ.

4. *Tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est.*] Testatur Laurentius Valla postrema illa *pugnatum est*, à Petrarcha esse addita. Ipse mutat in *sedet*, ut sit *quandiu pro Geronii Castelli Apulia inopis tanquam pro Carthaginis mœnibus sedet*; nempe Annibal. Gronov. in antiquioribus nihil simile inveniri affirmat, & suspensâ oratione usum ait Fabium in ejus rei mentione, quæ ad ipsius laudem propriè pertinere, vultque modesto hoc silentio intelligi *eum tenui*, seu *macerari*.

5. *Cives sibi magis.*] Num potiùs *tibi magis* Paulle.

6. *Idem enim tui quod hostium milites volent.*] Nimirum *pugnare*.

7. *Veritatem laborare nimis sæpe aiunt, extingui nunquam.*] Laurentius Valla pro *veritatem* legit *à veritate*, refertque ad superiora, *moverit à veritate, laborare nimis ejus*. Lectionem quam sequimur invexit Muretus ex conjectura, quæ posteà scripto Codice confirmata est. Sensus est verum esse quod dicitur, *veritatem nimis quidem sæpe laborare* seu vexari, *nunquam tamen extingui* aut opprimi. Facit illud Hieronymi in Dialogo adversus Pelagianos. *Veritas enim laborare potest, vinci non potest.*

8. *Ut nihil agatur, moneo.*] τὸ *moneo* veteres non admittunt: sed antiquissimus sic habet, *nec ego ut nihil agatur; sed ut agentem te ratio ducat non fortuna velim.*

1. *Magistrum equitum.*] M. Minucium suprà cap. 27. & 28.

2. *Priore consulatu Semustum.*] Consulatus ille prior L. Æmilii Paulli cum M. Livio Salinatore confertur à Sigonio in ann. u. c. 534. *Semustus* hic dicitur ut anteà *ambustus*, id est, propè damnatus plebis judicio, quod *populare incendium* appellat.

objecturum. [2] Ab hoc ſermone profectum Paullum tradunt; proſequentibus primoribus Patrum. Plebejum conſulem ſua plebs proſecuta, turbâ quam dignitate conſpectior. Ut in caſtra venerunt, permixto novo exercitu ac vetere, caſtris bifariam factis, ut nova minora eſſent; propius Annibalem, in veteribus major pars, & omne robur virium eſſet; [4] tum anni prioris conſulem M. Atilium, ætatem excuſantem, Romam miſerunt: Geminum Servilium, in minoribus caſtris, legioni Romanæ, & ſocium peditum equitumque duobus millibus præficiunt. Annibal quamquam parte dimidia auctas hoſtium copias cernebat, tamen adventu conſulum mire gaudere: non ſolum enim nihil ex raptis in die commeatibus ſuperabat, ſed ne unde raperet quidem, quicquam reliqui erat; omni undique frumento, poſteaquam ager parum tutus erat, [5] in urbes munitas convecto: ut vix decem dierum (quod compertum poſtea eſt) frumentum ſupereſſet, Hiſpanorumque ob inopiam tranſitio parata fuerit, ſi maturitas temporum exſpectata foret.

Urb. cond. an. 537. Coſſ. C. Terentio, & L. Æmil.

XLI. Cæterum temeritati conſulis ac præpropero ingenio materiam etiam fortuna dedit: quod in prohibendis prædatoribus, tumultuario prælio, ac procurſu magis militum quam ex præparato aut juſſu imperatorum orto, [b] haudquaquam par Pœnis dimicatio fuit. ad mille & ſeptingentos cæſi; non plus centum Romanorum ſociorumque occiſis. cæterum victoribus effuſe ſequentibus, metu inſidiarum obſtitit Paullus conſul: cujus eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat: Varrone indignante ac vociferante, *emiſſum hoſtem è manibus, debellarique, ni ceſſatum foret, potuiſſe*. Annibal [c] id damnum haud ægerrime pati: quin potius credere velut ineſcatam temeritatem ferocioris conſulis, ac novorum maxime militum eſſe; & omnia ei hoſtium, haud ſecus quam ſua, nota erant: diſſimiles diſcordeſque imperitare; duas prope partes tyronum militum in exercitu eſſe. Itaque locum & tempus inſidiis aptum ſe habere rarus, nocte proxima nihil præter arma ferentes ſecum milites ducens, caſtra [d] plena omnis fortunæ publicæ privatæque relinquit, tranſque proximos montes lævâ pedites inſtru-

INTERPRETATIO.

[2] *Poſt hoc colloquium Paullus ad exercitum profectus eſſe ſcribitur.*

[b] *Non æquo Marte pugnarunt Carthaginienſes.*

[c] *Non multùm ægrè ferebat* exiguum *hoc detrimentum Annibal.*

[d] *Referta omni rerum copiâ, & pecuniâ tum publicâ, tum privatorum.*

NOTÆ.

3. *Propius Annibalem.*] Vulgò, *propius Annibali.*

4. *Tum anni prioris Conſulem.*] Mavult Gronovius, (quoniam quidam Codices habent, *conſultum anni prioris*) ſcribi *tum conſulum anni prioris*. Supple *Alterum M. Atilium*, ac deinde (alterum *M. Servilium*) ſed Atilio anni prioris conſule nominato, ſatis intelligitur ex prioribus collegam ejus in conſulatu fuiſſe Servilium.

5. *In urbes munitas.*] Romanis addictas, infeſtaſque Pœnis.

ctos condit, dextrâ equites, [1] impedimenta per convallem, medium agmen, traducit: ut diripiendis velut desertis, fuga dominorum, castris occupatum impeditumque hostem opprimeret. Crebri relicti in castris ignes: ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga præciperet, falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis consules voluisse.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio, & L. Æmil.

XLII. Ubi illuxit, [a] subductæ primo stationes, deinde propiùs adeuntibus insolitum silentium, admirationem fecit. Jam satis comperta solitudine in castris, [b] concursus fit ad prætoria Consulum, nunciantium fugam hostium adeo trepidam, ut tabernaculis stantibus, castra reliquerint: quòque fuga obscurior esset, crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, ut signa proferri juberent, ducerentque ad persequendos hostes, ac protinus castra diripienda. Et Consul alter velut unus turbæ militaris erat. Paullus etiam atque etiam dicere, *providendum præcavendumque esse*. postremo, [c] quum aliter neque seditionem, neque ducem seditionis sustinere posset, Marium Statilium præfectum [1] cum turma Lucana exploratum mittit. qui, ubi adequitavit portis, subsistere extra munimenta cæteris jussis, ipse cum duobus equitibus vallum intravit: speculatusque omnia cum cura; renunciat insidias profecto esse: ignes in parte castrorum, quæ vergat in hostem, relictos: tabernacula aperta, & omnia chara in promptu relicta: argentum quibusdam locis temere per vias, velut objectum ad prædam vidisse. Quæ ad deterrendos à cupiditate animos nunciata erant, ea accenderunt: & clamore orto à militibus, ni signum detur, sine ducibus ituros, haudquaquam dux defuit. nam extemplo Varro signum dedit proficiscendi.

INTERPRETATIO.

a *Amota à stationibus præsidia militum.*

b *Concurrunt ad utrinsque Consulis tabernacula, nunciantes Pœnorum fugam.*

c *Cùm nequiret seditiosos milites ducemque eorum Varronem morari ac sistere.*

NOTÆ.

1. *Impedimenta per convallem medium agmen traducit.*] Aliter vulgaris lectio, *impedimenta per cornua in medium agmen traducit*; quæ lectio formata ex veteri Scriptura, *per cornuallem medium*; ut in Put. est. Sed cum horum nihil satis sanum videretur, Gronovius emendandum censet hunc locum, ita ut suprà scriptum est, vultque, *impedimenta medium agmen* dici per appositionem sive epexegesin, id est, *impedimenta quæ pro agmine medio erant*. At mihi Colbertini Codicis majoris scriptura, *impedimenta per cornuum medium agmina traducit* satis probabitur, si unam litteram mutemus, legamusque *per cornuum medium, agmine traducit*. Unde hæc exibit sententia. Annibal relictis castris vicinos montes petens, peditatum instructum ad lævam, & trans montes collocavit, ne ab Romanis conspiceretur: ad dextram in planicie collocavit equitatum in duo cornua divisum: dein impedimenta per medium eorum cornuum, per spatium nempe inter cornua interjacens traduxit, *agmine*; id est, vel addito agmine armatorum, qui ea servarent; sive *agminatim* atque ordinatè, *en bon ordre*: ut scilicet inter equites, & pedites in tuto essent.

1. *Cum turma Lucana.*] Cum turma equitum sociorum ex Lucania.

Paullus,

Paullus, quum ei sua sponte cunctanti pulli quoque [2] auspicio non addixissent, [d] obnuntiari jam efferenti portâ signa collegæ jussit: quod quamquam Varro [illegible] passus, [e] Flaminii tamen recens casus, [3] Claudiique Consulis primo Punico bello memorata navalis clades, religionem animo incussit. Dii prope ipsi eo die magis distulere quam prohibuere imminentem pestem Romanis. nam forte ita evênit, ut quum referri signa in castra jubenti Consuli milites non parerent, servi duo, Formiani unus, alter Sidicini equitis, qui Servilio atque Atilio Consulibus inter pabulatores excepti à Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos: qui deducti ad Consules denunciant; omnem exercitum Annibalis trans proximos montes sedere in insidiis. Horum opportunus adventus, [e] Consules imperii potentes fecit, quum ambitio alterius suam primum apud eos prâvâ indulgentiâ majestatem solvisset. Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio, & L. Æm. Paullo.

XLIII. Annibal postea quam motos magis inconsulte Romanos quam ad ultimum temere evectos vidit; [1] nequicquam detectâ fraude in castra rediit. Ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequibat; novaque consilia in dies, non apud milites solum, mixtos ex colluvione omnium gentium, sed etiam apud ipsum ducem oriebantur. nam quum initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset exposcentium stipendium debitum, [2] querentiumque annonam primo, postremo famem; & mercenarios milites, maxime Hispani generis de transitione cepisse consilium fama esset, ipse etiam interdum Annibal de fuga in Galliam dicitur agitasse: ita ut relicto peditatu omni, cum equitibus se proriperet. Quum hæc consilia atque hic habitus animorum esset in castris, movere inde statuit in calidiora atque eo maturiora messibus Apuliæ loca: simul ut quo longius ab

INTERPRETATIO.

d *Jussit*, per augurem vel pullarium, *periculum ex adverso auspicio imminens significari Varroni, qui* signo profectionis dato, *imperaverat, ut signa educerentur*, quæ & *jam per proximam castrorum portam exibant*: quò scilicet Varro ab incœpto desisteret.

e *Effecit ut Consules, quorum alter ambitione atque prâvâ indulgentiâ auctoritatem suam in milites amiserat, eis jam imperare possent*, eosque haberent dicto audientes.

2 *Et conquerentium primò quidem de commeatûs difficultate atque inopia, tandem etiam de fame.*

NOTÆ.

2. *Auspicio non addixissent.*] Indicat pullos, qui auspiciorum causâ ferebantur, ab offa porrecta abstinuisse: quod mali erat ominis.

3. *Claudiique Consulis.*] Designatur Publ. vel potius Ap. Claudius pulcher, qui pullos auspicales, cum non pascerentur, in mare jussit projici, ut biberent, quando comedere nollent: qua de re Valer. Max. lib. 1. cap. 4. Unde Flor. lib. 2. cap. 2. *Eo Consule populum Rom. ait, non ab hostibus, sed à Diis ipsis superatum esse, quorum auspicia contempserat: ibi statim classe demersâ ubi ille præcipitari pullos jusserat.*

1. *Nequicquam detectâ fraude.*] Imò utiliter detecta fraus à Romanis fuerat. Sed vult positis frustra insidiis, quæ detectæ fuerant, rediisse Annibalem re infectâ.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

hoste recessisset, [b] transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. Profectus est nocte, ignibus similiter factis, tabernaculisque paucis in speciem relictis, ut insidiarum par priori metus contineret Romanos. Sed per eundem Lucanum Statilium, omnibus ultra castra transque montes exploratis, quum relatum esset, visum procul hostium agmen; tum de insequendo eo consilia agitari cœpta. [2] Quum utriusque consulis eadem, quæ semper antè, fuisset sententia; cæterum Varroni fere omnes, Paullo nemo, præter Servilium prioris anni consulem, assentiretur: majoris partis sententiâ, ad nobilitandas clade Romana [3] Cannas, urgente fato, profecti sunt. Prope eum vicum Annibal castra posuerat aversa [4] Vulturno vento, qui campis torridis siccitate nubes pulveris vehit. id quum ipsis castris percommodum fuit; tum salutare præcipue futurum erat, quum aciem dirigerent, ipsi aversi, terga tantum afflante vento, in obcæcatum pulvere effuso hostem pugnaturi.

XLIV. Consules satis exploratis itineribus sequentes Pœnum, ut ventum ad Cannas est, ubi in conspectu Pœnum habebant; bina castra communiunt, eodem ferme intervallo, quo ad Geronium, sicut ante, copiis divisis. [1] Ausidus amnis utrisque castris affluens, [a] aditum aquatoribus ex sua cujusque opportunitate haud sine certamine dabat. ex minoribus tamen castris, quæ posita [2] trans Ausidum erant, liberius aquabantur Romani, quia ripa ulterior nullum habebat hostium præsidium. Annibal spem nactus [3] locis natis ad equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat, facturos copiam pugnandi consules, dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus solicitari seditione militari ac discordia

INTERPRETATIO.

b *Ut qui mobilitate ingenii transire ad hostes vellent, difficiliùs possent ad eos transfugere.*

a *Ab aquam petentibus tam Romanis quàm Pœnis adibatur, prout horum aut illorum castris propior erat fluvius, non tamen absque pugna.*

NOTÆ.

2. *Quum utriusque Consulis eadem, quæ semper antè, fuisset sententia.*] Cùm Paullus providendum ac præcavendum semper censeret quemadmodùm priùs; Terentius autem Varro quoquomodo pugnandum esse, & insequendos hostes.

3. *Cannas, urgente fato.*] In Apulia Peucetia, quæ hodie *Terra di Bari* Neapolitani regni provinciæ. *Canna* vicus anteà ignobilis fuit, nomen adhuc in ruderibus servans: dicitur enim *Canne*; quinto milliari à Canusio; nec multò majori intervallo ab Adriatico mari.

4. *Vulturno vento.*] Hic ventus ab ortu hiberno flat, Eurum inter & Austrum; ex eo fortè nomen trahens, quòd impetu suo arenas volvat; &, ut noster loquitur, nubes pulveris vehat: iis qui Oceanum navigant *Sud-sud est*. iis verò qui Mediterraneum, *Quart de Siroc vers le Midy*. Aliàs, *Marin, ou Autan*.

1. *Ausidus amnis.*] Juxta Cannas fluens, hodie dicitur, *L'Ofanto*.

2. *Trans Ausidum.*] Apparet itaque majora castra Romanorum citra flumen fuisse, id est, ad lævam amnis, & hostibus vicina magis.

3. *Locis natis ad equestrem pugnam.*] Planis scilicet; hæc enim aptiora ad equorum excursus.

conſulum Romana caſtra: quum Paullus 4 Sempronii*que* & Flaminii temeritatem Varroni; b Varro ſpecioſum timidis ac ſegnibus ducibus exemplum Fabii objiceret: teſtareturque Deos hominesque, hic *nullam penes ſe culpam eſſe, quod Annibal* 5 *jam velut uſucepiſſet Italiam. ſe conſtrictum à collega teneri. ferrum atque arma iratis & pugnare cupientibus adimi militibus.* ille; *ſi quid projectis ac proditis ad inconſultam atque improvidam pugnam legionibus accideret, ſe omnis culpæ exſortem, omnis eventus participem fore diceret. videret, ut quibus lingua prompta ac temeraria, æque* 6 *in pugnam vigerent manus.* Urb. cond. anno 537. Coſſ. C. Terentio Varr. & L. Æmil. Paullo.

XLV. Dum altercationibus magis quam conſiliis tempus teritur, Annibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat inſtructam, quum in caſtra cæteras reciperet copias, Numidas ad invadendos ex minoribus caſtris Romanorum aquatores trans flumen mittit. quam inconditam turbam quum vix dum in ripam egreſſi, clamore ac tumultu fugaſſent, in ſtationem quoque 1 pro vallo locatam, atque ipſas prope portas evecti ſunt. Id vero indignum viſum, ab tumultuario auxilio jam etiam caſtra Romana terreri, ut ea modo una cauſſa, ne extemplo tranſirent flumen, dirigerentque aciem, tenuerit Romanos, quod ſumma imperii eo die penes Paullum fuerit. Itaque Varro, poſtero die, cui ſors ejus diei imperii erat, nihil conſulto collega, 2 ſignum pugnæ propoſuit, inſtructaſque copias flumen ^ traduxit, ſequente Paullo: quia magis non probare, quam non adjuvare conſilium poterat. Tranſgreſſi flumen, eas quoque quas in caſtris minoribus habuerant copias, ſuis adjun-

INTERPRETATIO.

b *Objicienti Sempronii & Flaminii exemplum Paullo, reponebat illud exemplum, nonniſi ignavis ducibus favere & cauſam non pugnandi probabilem præbere*, qualis Fabius ipſius judicio.

NOTÆ.

4. *Sempronii*que *& Flaminii.*] T. Sempronius P. Scipionis Collega per inſidias victus fuerat in Gallia Ciſalpina, ut lib. 21. cap. 55. & ſequenti narratur: C. Flaminius in Etruria ad Traſimenum circumventus ab eodem, cap. 6. *hujus* libri.

5. *Jam velut uſucepiſſet Italiam.*] Sic egregiè Codex Puteani, Gronovio teſte; meliùs quàm quod vulgò legitur, *quòd Annibal jam vel ſuam cepiſſet Italiam.* Hoc ſanè minùs elegans, quàm *uſucepiſſet*, quod eſt, ipſo uſu ac diuturnâ poſſeſſione acquiſiſſet, ſuamque feciſſet. Nec eſt neceſſe *vel* mutari in *velut*; reverà enim biennium jam effluxerat ex quo Annibal in Italia ſuperior erat: quod tempus ex lege duodecim tabularum ad res immobiles uſucapiendas ſufficiebat: *illud autem vel uſucepiſſet* indicat non tantùm peragratam, ſed etiam reverâ uſucaptam Italiam, qui ſenſus res ad invidiam cunctantium augenti Varroni optimè congruit.

6. *In pugnam vigerent manus.*] Rectè *in pugnam*, ſive *ad pugnam*: alii habent in *pugna*, non multùm diverſo ſignificatu.

1. *Pro vallo locatam, atque ipſas prope portas evecti ſunt.*] Gall. *Ils donnerent juſques aux Corps-de-garde mis devant les retranchements, & preſque juſques à la porte du petit camp des Romains.*

2. *Signum pugnæ propoſuit.*] Id erat Sagulum ſive Tunica coccinea ſupra ducis tentorium expanſa, teſte Plut. in Fab.

Urb. cond. an. 537. Coſſ. C. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

gunt: atque ita inſtructa acie, 3 in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deinde pedites: lævum cornu extremi equites ſociorum, intra pedites; ad medium juncti legionibus Romanis 4 tenuerunt jaculatores. ex cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Conſules cornua tenuerunt: Terentius lævum, Æmilius dextrum. Gemino 5 Servilio media pugnâ tuenda data.

XLVI. Annibal luce prima Balearibus levique aliâ armatura præmiſſa, tranſgreſſus flumen, ut quoſque traduxerat, ita in acie locabat. Gallos Hiſpanoſque equites prope ripam lævo in cornu adverſus Romanum equitatum: dextrum cornu Numidis equitibus datum; media acie peditibus firmata: ita ut 1 Afrorum utraque cornua eſſent, interponerentur his medii Galli atque Hiſpani. Afros Romanam magna ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis a & ad Trebiam, cæterum magna ex parte ad Traſimenum captis. Gallis Hiſpaniſque

INTERPRETATIO.

a *Aliquatenus* in pugna ad Trebiam, ſed *maximam partem* in pugna *ad Traſimenum captis* Romanorum cæſorum *armis*.

NOTÆ.

3. *In dextro cornu.*] Videtur Livius in duo tantùm cornua totum Romanorum exercitum dividere. Apparet tamen, tum ex more militiæ Romanæ, tum ex auctoris ipſius verbis, ſi rectè interpretemur, ita diviſum fuiſſe ut præter cornua, in quibus equites utrinque locati; acies media pedites haberet; ad dextram quidem Romanos Legionarios; ad ſiniſtram verò Sociales, qui dicuntur interiores equitibus ſuis fuiſſe in extremo lævo latere conſtitutis. Id ex Polybio confirmari poteſt, qui notat ordines denſiores fuiſſe in ſubſidiis & extrema acie, quàm in fronte, multiplicatis ſcilicet in altitudinem manipulis; hanc enim ejus ſententiam eſſe cum interprete Polybii, & Gronovio arbitror.

4. *Tenuerunt jaculatores.*] Non ad hos referri præcedens verbum *tenuerunt*, Gronovius vult; ſed ad equites peditesque ſociorum: niſi id ipſum verbum tanquam inutile reſecari placet: ita ut ſcribamus, *jaculatores & cætera levium armorum auxilia prima acies facta*: vel *jaculatores cum cæteris levium armorum auxiliis*. Et ſanè Polybius leviorem armaturam ante omnes locatam memorat. Ego tamen nihil mutandum cenſeo, & *jaculatores* Romanos puto, ex mente Livii junctos ad medium fuiſſe legionariis: ante illos verò in prima acie ſtetiſſe velites ſociorum, quos nomine *cæterorum auxiliorum* intelligere oportet: cæteros autem vocat, quia equites & pedites ſocionum, ipſi quoque auxiliares erant. Neque adverſatur Polybii deſcriptio. Potuit enim utraque levis armatura, tum Romana, tum Socialis ante alios ita conſtitui: ut hæc ab illa ſeorſim poſita, primam aciem, ſive frontem teneret. Neque verò novum in militia Romana cives levius armatos haſtatis adjungi; imò in more id poſitum vidimus lib. 8. cap. 8. Hoc fortè novum, ideoque notandum fuit, ſi omnes Romani jaculatores in unum ſimul locum conjecti fuere.

5. *Servilio media pugna tuenda data.*] Parum uſitata loquendi forma *pugnam tueri*. Num ſufficiat ſcribi *media tuenda data*, ut *media* in plurali numero ac genere neutro dicantur: quemadmodum apud Polybium τὰ μέσα.

1. *Afrorum utraque cornua eſſent.*] Hic adhuc *Cornua* pro partibus peditum, qui media in acie, non tamen in ea medii, ſed interiùs Gallorum Hiſpanorumque agminibus diviſi, equitatu exterius hinc inde protecti.

cond.
37.
C. Te:
o Varr:
Æmil,
9,



Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terent. Var & L. Æm Paullo.



2 ſcuta ejuſdem formæ fere erant: diſpares ac diſſimiles gladii: Gallis prælongi, ac ſine mucronibus: Hiſpano punctim magis quam cæſim aſſueto petere hoſtem, brevitate habiles, & cum mucronibus. 3 ante alia habitus gentium harum tum magnitudine corporum tum ſpecie terribilis erat. 4 Galli ſuper umbilicum erant nudi: 5 Hiſpani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, conſtiterant. 6 Numerus omnium peditum qui tum ſteterant in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum. Duces cornibus præerant: ſiniſtro Aſdrubal 7 dextro Maharbal: mediam aciem Annibal ipſe cum fratre Magone tenuit. Sol, ſeu de induſtria ita locatis, 8 ſeu quod forte ita ſtarent, peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Pœnis in ſeptentrionem verſis. ventus, quem Vulturnum incolæ regionis vocant, 9 adverſus Romanis coortus, multo pulvere in ipſa ora volvendo proſpectum ademit.

Urb cond. an. 537. Coſſ. C. Terentio Varr. & L. Æmil. Paullo.

NOTÆ.

2. *Scuta ejuſdem formæ*.] Oblonga Gallis tribuunt auctores. De Hiſpanis eſt quòd dubitetur: nam breviora videntur fuiſſe. Et cetris uſos potiùs Hiſpanos apparet, vel ex lib. 21. cap. 27.

3. *Ante alia habitus gentium harum*.] Ex veteribus libris, qui omnes hic corruptiſſimi, variæ ortæ ſunt conjecturæ. In Put. legitur, *Ante talius hannibatus gentium harum*. in Pet. *Ante talias hannimatus*. In Flor. optimo, itemque in Colb. *ante taleus animatus*. Hinc natum in editis pleriſque, *ante cæteros armati*. (*Is gentium harum habitus, tum magnitudine, &c.* Alibi *ante cetris armati*. Aut *Talis habitus gentium illarum*. Apud Vallam *ante alia habitus*, ſive *inter alia ipſe habitus*: Lipſius malebat *ante alia ornatus*, quod mihi præ cæteris placet: ſi *ornatus* pro habitu ornato & inuſitato dicatur. Minùs tamen à veterum ſcriptura diſtaret, *ante & alios armatus gentium harum*. Revera enim Hiſpani & Galli *ante alios* erant *cuneo à reliqua prominentes acie*, ut ſtatim Livius poſt Polybium notat: Et *armatus* ſubſtantive ſumi poteſt, pro *armatura*: ut lib. 33. cap. 3. *& trecenti Apollonienſes haud diſpari armatu*. lib. 37. cap. 40. *Inde Neocretes mille, & eodem armatu Cares & Ciliees mille, & quingenti, & totidem Tralles, & tria millia Cetratorum*.

4. *Galli ſuper umbilicum erant nudi*.] Hoc & Polybius teſtatur: unde prodigam ſemper vitæ Gallicam gentem agnoſcere eſt.

5. *Hiſpanis linteis*.] Hoc quoque de illis teſtatur Polybius lib. 3. qui ex patrio more *ornatos* ait λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις.

6. *Numerum omnium*.] Ex variis lectionibus hæc commodiſſima viſa eſt Gronovio: quæ tamen longius abit à ſcriptis à Colb. cum pleriſque ſic habet, *Numerum omnium peditum equitumque in acie ſteterunt illum ferunt, videlicet quadraginta, decem millia equitum*. Sigon. vocem *illum*, quam mendoſam putat, non inſubtiliter vertit in *L. Millia*: & locum ita emendat. *Numerum omnium, qui tum, peditum equitumve, in acie ſtetere, quinquaginta millia ferunt; videlicet quadraginta peditum millia, decem equitum*: quam ſummam copiarum Annibalis Polybius ſcribit: ita ut Livius, quemadmodum de Romanis dixerat cap. 36. in univerſum aſſuiſſe ſeptem & octoginta millia; ſic de Pœnis dicat in genere: deinde verò diſtinguat numerum peditum ab equitum numero.

7. *Dextrò Maharbal*.] Hannonem pro Maharbale nominat Polybius.

8. *Seu quòd forte ita ſtarent*.] Sic meliùs; vel *ſeu quod forte ita ſtetere*, Propiùs enim hæc abſunt à Codicibus Lipſ. & Colb. quàm ut vulgò, *ſeu forte ita ſtando*.

9. *Adverſus Romanis*.] Optimi libri *adverſis Romanis*, quod idem eſt, Gall. *le vent leur donnant au viſage*,

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio Varr. & L. Æmil. Paullo.

XLVII. Clamore sublato, procursum ab auxiliis, & pugna levibus primum armis commissa: deinde, equitum Gallorum Hispanorumque lævum cornu cum dextro Romano concurrit; minime equestris more pugnæ: frontibus enim adversis concurrendum erat: quia nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant, in directum utrinque nitentes. [a] Stantibus ac confertis postremò turbâ equis, vir virum amplexus detrahebat equo. pedestre magna jam ex parte certamen factum erat: acrius tamen quam diutius pugnatum est, pulsique Romani equites terga vertunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. primo & viribus & animis pares constabant ordines Gallis, Hispaniisque: tandem Romani [1] diu ac sæpe conniſi, æqua fronte acieque densa impulere hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, à cætera prominentem acie. impulsis deinde ac trepide referentibus pedem insistere: ac [2] tenore uno, per præceps pavore fugientium agmen, in mediam primum aciem illati; postremo nullo resistente ad subsidia Afrorum pervenerunt: [3] qui utrinque reductis alis constiterant, mediâ, quâ Galli Hispanique steterunt, aliquantum prominente acie: [b] qui cuneus, ut pulsus æquavit frontem primùm, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit. Afri circà jam cornua fecerant, irruentibusque incaute in medium Romanis [4] circumdedere alas: mox cornua extendendo, clausere & ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquam prælio uno, omissis Gallis Hispaniisque, quorum terga ceciderant, etiam adversus Afros integram pugnam incunt; non tantum eo iniquam, quod inclusi adversus circumfusos, sed etiam quod

INTERPRETATIO.

a *Cùm post primum concursum equi postremò velut immobiles starent, conferti equites ob nimiam turbam, singuli unum ex hostibus amplexi cum equo deturbabant; unde fiebat ut plurimi equestrem non ex equis sed pedibus pugnarent.*

b *Cùm cuneus Gallorum & Hispanorum, qui primùm à cætera prominebat acie, à Romanis fuisset loco pulsus ob nimiam tenuitatem: æquata primò est frons; quam Romani fugientibus insistentes ita impulerunt ut fieret in medio velut sinus.*

NOTÆ.

1. *Diu ac sæpe conniſi.*] Correctio est Lipsii, quam Gruterus & Gronov. probant, nisi quòd hic *pro obliquâ fronte* legendum meritò censet, *æquâ fronte* ex Polybio, qui habet ἐπὶ εὐθείας. Aliàs legebatur, *diu ac sæpe consilio agitabant qua fronte, &c.*

2. *Tenore uno per præceps pavore fugientium agmen.*] Aliàs *agmine*. Sed rectè emendatum *agmen*, ut sit per *agmen fugientium, pavore præceps & inclinatum.*

3. *Qui utrinque reductis alis.*] Alas intellige latera peditatûs Afri in duas partes divisi, seu manipulos interiores, quâ parte proximi peditibus Hispanis, Gallisque; quæ alæ minùs prominebant quam media acies reliqua.

4. *Circumdedere alas: mox cornua extendendo clausere.*] *Alas* adhuc interpretor ordines Afrorum hinc inde peditibus Gallis & Hispanis conjunctorum; cornua verò extremos eorumdem hinc inde ordines, qui circa Romanos diducti ut eos involverent.

feſſi cum recentibus ac vegetis pugnabant.

XLVIII. Jam & in ſiniſtro cornu Romano, ubi ſociorum equites adverſus Numidas ſteterant, conſertum prælium erat: ſegne primo, & à Punica cœptum fraude. Quingenti ferme Numidæ, præter conſueta arma telaque gladios occultos ſub loricis habentes, ſpecie transfugarum cum ab ſuis, parmas poſt terga habentes, adequitaſſent; repente ex equis deſiliunt, parmiſque & jaculis ante pedes hoſtium projectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos, conſidere ab tergo jubentur; ac [a] dum prælium ab omni parte conſeritur, quieti manſerunt. poſtquam omnium animos oculoſque occupaverat certamen; tum, arreptis ſcutis, quæ paſſim inter acervos cæſorum corporum ſtrata erant, averſam adoriuntur Romanam aciem; tergaque ferientes, ac poplites cædentes, ſtragem ingentem, ac majorem aliquanto pavorem ac tumultum fecerunt. [1] Quum alibi terror ac fuga, [2] alibi pertinax in mala jam ſpe prælium eſſet; [3] Aſdrubal, [*] qui ea parte præerat, [4] ſubductos ex media acie Numidas, quia ſegnis eorum cum adverſis pugna erat, ad perſequendos paſſim fugientes mittit: Hiſpanos & Gallos pedites jam

Urb. cond. an. 537. Coſſ. C. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

INTERPRETATIO.

[a] *Donec certamen undique iniretur.*

NOTÆ.

1. *Cum alibi terror ac fuga.*] In dextro, ni fallor, Romanorum cornu.

2. *Alibi pertinax prælium.*] In media ſcilicet acie Romanorum ubi pedites.

3. *Aſdrubal, qui ea parte præerat.*] Videtur Livius ſecum pugnare, qui cum Aſdrubalem ſiniſtro cornui præfecerit, Numidas in dextro collocaverit, Gallos & Hiſpanos pedites in prominenti cuneo mediæ aciei: nunc tamen velut ſui oblitus Aſdrubalem dicat in ea parte fuiſſe ubi ſiniſtrum cornu Romanorum, quod ſine dubio cornui dextro Pœnorum oppoſitum; adjiciatque ab eo ſubductos ex media acie Numidas, quos in dextro cornu locaverat; peditesque Hiſpanos & Gallos in media acie, in qua initio fuerant, Afris quaſi de novo adjungat: Sigonius corrigit hoc loco *qui læva parte præerat*. Et ſanè res ita erat ante prælium, ſed non inde reliquis lux. Rem totam Gronovius ex Polybio ſic explicare conatur, ut Aſdrubal cum Gallis & Hiſpanis equitibus Romanum equitatum in oppoſito ſibi dextro cornu pugnantem ſuderit ac fugaverit; deinde cum eiſdem Gallis & Hiſpanis equitibus advectus ad ſiniſtrum cornu Romanorum, Numidas ibi ſegniùs pugnantes excitaverit, ac profligato hoc etiam cornu, fugientes perſequendos Numidis mandaverit; ipſe autem cum Hiſpanis & Gallis profectus ad mediam aciem conjunctuſque cum Afris, reliquum prælium confecerit. *Itaque qui ea parte præerat*, eſt qui jam in eam partem delatus erat, ubi mediæ acies pugnabant.

4. *Subductos ex media acie Numidas.*] Alios à quingentis, qui ſpecie transfugarum averſos poſtea Romanos in ſiniſtro cornu adorti erant. Hic quippe de iis loquitur, quibus pugna cum adverſis Romanis erat, eaque ſegnis, id eſt, minùs acris. Quòd autem Numidis equitibus dextrum cornu datum fuerat, nihil obſtat quominùs inter prælii ardorem in mediam aciem deferri potuerint: nam & Hiſpanos Galloſque pedites, qui Romanis anteà ceſſerant, ab eodem Aſdrubale ad prælium reductos memorat Livius.

Afris prope fessis cæde magis quam pugna, adjungit.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

XLIX. [1] Parte altera pugnæ Paullus, quanquam primo statim prælio funda graviter ictus fuerat: tamen & occurrit sæpe cum confertis Annibali, & aliquot locis prælium restituit; protegentibus cum equitibus Romanis: [2] omissis postremo equis, quia consulem & ad regendum equum vires deficiebant. tum denuncianti cuidam, jussisse consulem ad pedes descendere equites; dixisse Annibalem ferunt: [3] *Quam mallem vinctos mihi traderent!*, Equitum pedestre prælium, quale jam haud dubiâ hostium victoriâ fuit, quum victi mori in vestigio mallent, quam fugere; victores morantibus victoriam irati, trucidarent quos pellere non poterant. pepulerunt tamen [a] jam paucos superantes, & labore ac vulneribus fessos. Inde dissipati omnes sunt; equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus tribunus militum, [b] quum prætervehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset: *L. Æmili*, inquit, *quem unum* [4] *insontem culpæ cladis hodiernæ* [c] *Dii respicere debent; cape hunc equum, dum & tibi virium aliquid supereſt. comes ego te tollere possum ac protegere: ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris. Etiam sine hoc lacrymarum satis luctusque est.* Ad ea Consul: *Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto! Sed cave frustra miserando, exiguum tempus è manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuncia publice Patribus, urbem Romam muniant, ac prius quam hostis victor adveniat, præsidiis firment: privatimque Q. Fabio, L. Æmilium præceptorum ejus memorem & vixisse, & adhuc mori. Tu me in hac strage militum meorum patere expirare,* [5] *ne aut reus iterum è consulatu sim,*

INTERPRETATIO.

a *Paucos qui adhuc supererant.*
b *Quum equo vectus juxta Æmilium Paullum.*
c *Æquum est à Diis juvari eiq; curæ esse.*

NOTÆ.

1. *Parte alterâ pugnæ Paullus.*] Rectè *pugnæ*: alioqui Æmilius Paullus dextro cornui ante certamen præerat: jam verò Annibali opponitur, qui mediam aciem cum fratre Magone tenuerat; sed omnis inter præliandum miscentur: & videtur Annibal mediæ illius aciei dextra parte Magoni commissa, cujus extremo Afri dextra lævaque occupabant intermediis Gallis & Hispanis, sinistram partem texisse dextræ Romanorum oppositum; atque ita propior fuisse Æmilio Paullo dextrum cornu Romanorum curanti, ut cum eo facilè concurrere potuerit.

2. *Omissis postremò equis.*] Romani equites, qui circa Æmilium Paullum ex equis primùm pugnabant, posteà ex equis desilierunt, iisque omissis pedites facti pugnarunt.

3. *Quàm mallem vinctos mihi traderet.*] Aliàs *victos*: sed apud Plutarchum in Fabio, rectè Annibal ait, τῦτο μᾶλλον ἤβελόμην ἢ εἰ δεδέμενοι παρέλαβον, Hoc mallim, quàm si vinctos accepissem.

4. *Insontem culpa cladis hodiernæ.*] Conjicit Gronov. scripsisse Livium *insontem culpâ*, eodem modo quo lib. 4. dixit *Malium jure casum, etiamsi regni crimine insons fuerit*: sic certè vitabitur concursus duplicis genitivi *culpæ cladis*.

5. *Ne aut reus iterùm.*] Legebatur vulgò, *ne ut reus inteream, causaque consulatûs accusator tollega existam & alieno*, &c. Sed locum hunc deformatum & carentem sensu feliciter restituit Gronovius, quem vide 4. observat. 20.

aut

aut accuſator collegæ exiſtam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam. d Hæc exigentes, prius turba fugientium civium, deinde hoſtes oppreſſere: conſulem, ignorantes quis eſſet, obruere telis: Lentulum inter tumultum abripuit equus. tum inde effuſe fugiunt. Septem millia hominum in minora caſtra, decem in majora, duo ferme in vicum ipſum Cannas perfugerunt: qui extemplo à Carthalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventi ſunt. Conſul alter, ſeu forte, ſeu conſilio, 6 nihil fugientium 7 infeſtus agminì, 7 cum quinquaginta fere equitibus 8 Venuſiam profugit. 9 Quadraginta millia peditum, duo millia ſeptingenti equites, c & e tanta prope civium ſociorumque pars cæſi dicuntur; 10 in his ambo conſulum quæſtores L. Atilius, & L. Furius Bibaculus: 11 unus & viginti tribuni militum, conſulares quidam prætoriique, & ædilicii: inter eos 12 Cn. Servilium, & M. Minucium numerant, qui magiſter equi- Urb. cond. an. 537. Coſſ. M. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

INTERPRETATIO.

d *Dum* Lêtulus tribunus & Conſul Æmilius *hæc inter ſe mutuò differerent, hiſque ſermonibus occuparentur: oppreſſi ſunt*, &c.

e *Par penè civium ac ſociorum, numerus*: tantundem nempe civium, quantùm ſociorum.

NOTÆ.

6. *Nihil fugientium infeſtus agmini.*] Tolerari poteſt vulgaris hæc ſcriptura, ut intelligatur Varro fugæ ſuorum ſiſtendæ nihil adhibuiſſe diligentiæ, ſive non adverſatum eſſe agminibus fugientium. Quia tamen quidam codices è melioribus, pro *nihil* habent *nulli*: & vana ſanè videtur in tali tempore Ducis ira, eò Gronovium conjectura ducit, ut velle videatur *nulli fugientium immixeus agmini* nulli ſcilicet ex tribus, quorum antea meminit, quorum ſcilicet aliud in minora, aliud in majora caſtra, aliud Cannas ſe receperat.

7. *Cum quinquaginta ferè equitibus.*] Polybius *ſeptuaginta* numerat; quem etiam numerum habet noſter lib. 25. c. 6. in omnibus ſcriptis.

8. *Venuſiam profugit.*] Aliàs *perfugit*. Eſt autem *Venuſia* Horatii Poetæ patria Apuliæ Peucetiæ oppidum inter Auſidum & fontes Bradani, vulgò *Venoſa* Principatus gentis Ludoviſiæ, in Baſilicata.

9. *Quadraginta millia peditum.*] Quidam Codices habent, *quadraginta quinque millia peditum*, Gronovio teſte: id que videtur confirmari lib. 25. ubi dicitur *plus quinquaginta millia hominum cecidiſſe*. Dionyſius Halic. lib. 2. è ſex millibus equitum non niſi trecentos ac ſeptuaginta; ex octuaginta peditum millibus paulò plures quàm tria millia ſuperfuiſſe ait. Polybius lib. 3. de equitibus eadem ferè memorat, ſi rectè intelligatur: ex pedeſtribus autem copiis circiter decem millia in poteſtatem hoſtium vivos perveniſſe refert, vix tria millia fugiſſe; reliquos ad ſeptuaginta millia occubuiſſe.

10. *In his ambo conſulum quæſtores.*] Mavult Gronovius, ut eſſe ait in optimis libris, *in his alter conſulum. Quæſtores L. Atilius &c.* Verùm de uno illo Conſule hic cæſo Æmilio Paullo jam fuerat dictum, ut non videatur iterùm hic commemorandus.

11. *Unus & viginti tribuni.*] Antiquiſſimi libri proferunt *& viginti unudecim tr*, & videntur velle, inquit Gronov. 29. *tribuni militum*: cùm librarius notas 11. perperàm reddidiſſet *unuſdecem*,

12. *Inter eos Cn. Servilium.*] Probanda videtur hæc Gronovii correctio præ cæteris ſcripturis, quarum mira varietas. Nec multum tamen differt Colbert. Cod. ubi ſic legitur. *Inter eos Cn. Servilius minimus & M. Minutius numerantur*,

Urb. cond. an. 537. Coss. M. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

tum priore anno, Consul aliquot annis antè fuerat: octoginta præterea aut senatores, aut qui eos magistratus gessissent, unde in senatum legi deberent; [13] quum sua voluntate milites in legionibus facti essent. Captâ eo prælio tria millia peditum, & equites trecenti dicuntur.

L. Hæc est pugna Cannensis [1] Allienſi cladi nobilitate par: cæterum ut illis, quæ post pugnam accidere, levior, [2] quia ab hoste cessatum est; sic strage exercitus gravior fœdiorque. fuga namque ad Alliam sicut urbem prodidit, ita exercitum servavit: ad Cannas fugientem consulem vix quinquaginta secuti sunt: [3] alterius morientis, prope totus exercitus fugit. [4] Binis in castris quum multitudo semiermis sine ducibus esset; nuncium, qui in majoribus erant, mittunt, dum prælio, deinde ex lætitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canusium abiturôs esse. Eam sententiam alii totam aspernari, *Cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non venire, quam æque conjungi possent? quia videlicet plena hostium omnia in medio essent: & aliorum, quam sua corpora tanto periculo mallent objicere.* Aliis non tam sententia displicere, quam animus deesse. P. Sempronius Tuditanus tribunus militum, *Capi ergo mavultis*, inquit, *ab avarissimo & crudelissimo hoste, æstimarique capita vestra & exquiri pretia ab interrogantibus, Romanus civis sis, an Latinus socius, ut ex*

NOTÆ.

qui Magis. Equitum priore anno aliquot diebus antè fuerat. Acutè insertum à Gr. nomen *Consul* ut sit *Consul antè fuerat*: alioqui vacaret adverbium *antè*, cujus vis jam expressa esset per verba *priore anno* si ad magisterium equitum referretur. Et fuerat hic Minucius Consul ante sex annos cum P. Cornelio Asina.

13. *Quum suâ voluntate.*] Non ideo in Senatum legi debebant, quòd voluntarii militassent in legionibus: sed quia curules gesserant magistratus, eo tempore quo militiam sponte susceperant. Notum enim sententiæ in Senatu dicendæ jus habuisse, non modò Senatores à censoribus lectos, sed & eos qui in magistratu essent, aut jam antè fuissent. Hi quippe, etiamsi in numerum Senatorum nondum allecti, sententiam non rogarentur, Senatorum tamen sententias assensu suo firmabant, seu verbis expresso, seu pedibus in eas irent.

1. *Allienſi cladi*] De pugna ad Alliam amnem vide lib. 5. cap. 6.

2. *Quia ab hoste cessatum.*] Annibal Gallorum celeritatem non imitatus, Romam, ut illi, non cepit.

3. *Alterius morientis, propè totus exercitus fugit.*] Lipsius emendabat *totus exercitus fuit*, quasi significaretur Paullo commortuum fuisse totum exercitum: sed neque id verum, & *morientis esse*, non est simul cum aliquo mori. Gronov. legi vult *alterius mortem propè totus exercitus luit*: id est, inquit, mortem ejus, crimen suum (cui scilicet causam temerè contra ipsius monita commisso prælio præbuerant) morte consimili luerunt. Ingeniosè: verùm non minùs audacter, nullo adstipulante, aut huc ducente codice. Planior omnino scriptio vulgaris, quam Coib. lib. cum aliis pluribus servat. Cùm enim duo essent Consulum duorum exercitus, si seorsim agerent, & in hac pugna suo quisque cornui vel potiùs dimidiæ copiarum parti præesset, vult Livius, ut Saxonius eleganter observat, alterius Consulis fugientis, Varronis nempe exercitum penè totum cæsum esse, alterius verò in prælio cæsi, nimirùm Paulli copias pene universas fugisse.

4. *Binis in castris.*] Romanorum, minoribus scilicet, ac majoribus.

tua contumelia & miseria? alteri honos quæratur? 6 *Non tu: si quidem L. Æmilii Consulis, qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit, & tot fortissimorum virorum, qui circa eum cumulati jacent, cives estis. Sed antequam opprimit lux, majoraque hostium agmina obsepiunt iter, per hos, qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque audaciâ via fit, quamvis per confertos hostes. cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen,* a *ut si nihil obstet, transibimus. Itaque ite mecum, qui & vosmetipsos & rempublicam salvam vultis.* Hæc ubi dicta dedit, stringit gladium: cuneoque facto per medios vadit hostes. & quum in latus dextrum, quod patebat, Numidæ jacularentur, translaris in dextrum scutis, in majora castra 7 ad sexcentos evaserunt: atque inde protinus, alio magno agmine adjuncto, 8 Canusium incolumes perveniunt. Hæc apud victos magis impetu animorum, quod ingenium suum cuique aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum, aut imperio cujusquam agebantur.

Urb. cond. an. 537. Coss. C. Terentio Varr. & L. Æmil. Paullo.

LI. Annibali victori quum cæteri circumfusi gratularentur, suaderentque ut tanto perfunctus bello, dici quod reliquum esset, noctisque insequentis, quietem & ipse sibi sumeret, & fessis daret militibus: 1 Maharbal præfectus equitum minime cessandum ratus, *Imo, ut quid hac pugna sit actum scias;* 2 *die quinto*, inquit, *victor in Capitolio epulaberis: sequere. Cum equite, ut prius venisse, quam venturum sciant, præcedam.*

INTERPRETATIO.

a *Perrumpemus* tam facilè ac *si nullum agmen* hostile *obstaret*.

NOTÆ.

5. *Alteri honos quæratur*.] Annibali scilicet victori.

6. *Non tu*.] Est quasi allocutio singulorum: significatque non quisquam vestrum V. Gron. observat 4. 20.

7. *Ad sexcentos pervenerunt*.] Periere igitur aut capti sunt 6400. Certè in minora castra confugerant septem hominum millia cap. 49.

8. *Canusium*.] Caputolim Apuliæ Peucetiæ habebatur *Canusium* juxta Ausidum, hodiè *Canosa*, sed à Roberto Guiscardo Calabriæ Apuliæque principe ob defectionem incensa, & solo æquata circa annum Christi 1050. Principatûs titulo & Episcopatu adhuc nobilis est in Regni Provincia Baritana.

1. *Maharbal præfectus equitum*.] Plutarchus in Fabio *Barchum* appellat.

2. *Die quinto*, inquit, *victor*.] Tradunt Gellius & Macrobius *die quarto & quinto, sive quinta, de præterito* dici; *die quarti, & die quinti, de futuro*, notatq; Sigonius Cœlium & Catonem cùm de hac ipsa re agerent, ita locutos, à quibus Livius hæc mutatus est. Cato in Originibus: *igitur Dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit, mitte mecum Romam equitatum die quinti in Capitolio tibi cœna cocta erit.* Cœlius histor. l. 2. *Si vis mihi equitatum dare, & ipse cum catero exercitu me sequi die quinto Romæ in Capitolio curabo ut tibi cœna cocta sit.* Ex quibus menda textûs in vulgata lectione, & plerisq; depravatis hoc loco libris, perspici & corrigi potuere, uti factum à Gron. Ea sic habebat, *die quinto eâ*, inquit, *victor in Capitolio epulaberis: sequere cum equite, ut priùs te venisse quàm venturum sciant. Præcedam*, Annibal inquit, *nuncii: Læta res est, sed via major quàm ut eam statim capere animo possim.* Alias, *præcedant inimici lætales, & via major, &c.*

Urb. cond. an. 537. Coss. M. Terent. Varr. & L. Æmil. Paullo.

3 Annibali nimis læta res est visa, majorque, quam ut eam statim capere animo posset. Itaque *voluntatem se laudare Maharbalis*, ait: *ad consilium pensandum, temporis opus esse*. Tum Maharbal, 4 *Non omnia nimirum eidem Dii dedere. vincere scis, Annibal, victoria uti nescis*. Mora ejus diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio. Postero die ubi primum illuxit, ad spolia legenda, fœdamque etiam hostibus, spectandam stragem insistunt. Jacebant tot Romanorum millia pedites passim equitesque, ut quem cuique fors aut pugna junxerat, aut fuga. assurgentes quidam ex strage media cruenti, quos a stricta matutino frigore excitaverant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quosdam & jacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt; nudantes cervicem jugulumque, & reliquum sanguinem invitantes haurire. Inventi sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quas sibi ipsos fecisse foveas, obruentesque ora superjectâ humo, intercluisse spiritum apparebat. Præcipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus, naso auribusque laceratis: quum manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus laniando dentibus hostem expirasset.

LII. Spoliis ad multum diei lectis, Annibal ad minora ducit castra oppugnanda: & omnium primum, 1 brachio objecto, flumine eos excludit. Cæterum ab omnibus, labore, vigiliis, vulneribus etiam fessis, maturior ipsius spe

INTERPRETATIO.

a *Perstricta & exacerbata aurâ frigidâ matutinâ plaga*; seu vulnera quæ frigore recruduerant.

NOTÆ.

3. *Annibali nimis læta res est visa.*] Hunc quoque locum egregiè purgavit Gronovius, hæc verba historico tribuens, non Annibali: neque enim in viam cadunt, quæ Cannas inter & Romam est, ut major Annibali videatur, quàm ut eam capere animo posset; is nimirum, qui ex Africa per Hispaniam & Galliam in Italiam intimam penetrasset. Sed nimis ei læta res visa est, id est, consilium Maharbalis plus æquo exultans, cautè consideranti varias fortunæ vices & Romanorum virtutem: ita ut rem optandam potiùs, quàm temerè concipiendam & aggrediendam censuerit; itaque, ut loquitur Silius, *nimium lætis excusat fidere rebus*.

4. *Non omniâ eidem Dii dedere.*] Livium hanc sententiam ab Homero Iliad. accepisse annotarunt Erasm. & Victorius.

1. *Brachio objecto, flumine eos excludit.*] Legebatur, *brachio fluminis objecto*, sed cùm non appareret unde sic excluderentur Romani, & optimi libri pro *fluminis* haberent *flumine*, Gronov. transpositis vocibus scripsit, *brachio objecto flumine eos excludit*; vel, *primùm flumine, brachio objecto eos excludit*. Tentari tamen posset, num *brachium* hic non de aggere cuneato, sed de alveo fluminis cavatâ fossâ deducto intelligi debeat; & excludi minora hæc castra dicantur, non tam à flumine, quàm ab omni auxilii aut eruptionis spe. Utrumque enim insinuat Junius captivorum legatus cap. 59. *cùm eruumpessi*, inquit, *ab exercitu victore, aquâ arceremur, nec ulla jam per confertos hostes erumpendi spes esset*.

deditio est, facta, pacti, ut arma atque equos traderent, in capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in servos centenis: & ut eo pretio persoluto, cum singulis abirent vestimentis: in castra hostes acceperunt; traditique in custodiam omnes sunt, sed seorsum cives sociique. Dum ibi tempus teritur, interea quum ex majoribus castris, quibus satis virium aut animi fuit, [3] ad quatuor millia hominum, & ducenti equites, alii agmine, alii palati passim per agros, quod haud minus tutum erat, Canusium perfugissent; castra ipsa ab sauciis timidisque [a] eadem conditione, qua altera, tradita hosti. Præda ingens parta est: &, præter equos viroſque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat, ([b] nam ad vescendum facto perexiguo, utique militantes, utebantur) omnis cætera præda diripienda data est. Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum jussit. Ad [4] octo millia fuisse dicuntur fortissimorum virorum. Consulem quoque Romanum conquisitum sepultumque, quidam auctores sunt. Eos, qui Canusium perfugerant, mulier Appula, nomine Busa, genere clara ac divitiis, mœnibus tantum tectisque à Canusinis acceptos, frumento, veste, viatico etiam juvit; pro qua ei munificentia postea bello perfecto ab senatu honores habiti sunt. Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

LIII. Cæterum, quum ibi tribuni militum quatuor essent, Fabius Maximus de legione prima, cujus pater priore anno dictator fuerat, & de legione secunda L. Publicius Bibulus, & P. Cornelius Scipio, & de legione tertia Appius Claudius Pulcher, qui proxime ædilis fuerat; omnium consensu ad P. Scipionem admodum adolescentem, & ad App. Claudium summa imperii delata est. quibus consultantibus

INTERPRETATIO.

a *Castra hæc majora Pœnis dedita fuere iisdem conditionibus, quibus minora.*

b *Etenim argenti fabrefacti ad mensarum usum haud multum Romani in castris habebant.*

NOTÆ.

2. *Trecenis nummis quadrigatis.*] *Nummorum* nomine significantur ferme sestertii. An verò horum aliqui notis quadrigarum insignes percussi fuerint, valde ambigo. Id de solis denariis Plinius testatur lib. 33. cap. 3. Quales in eruditorum adhuc manibus. Denariorum pretium assibus nostris octo aut circiter æstimari, sæpiùs indicavimus. Erunt ergo trecenti quadrigati denarii, libræ nostrates ferme 120. in singula Civium Romanorum capita.

3. *Ad quatuor millia hominum.*] Nomine *hominum* significantur pedites: dediti ergo ad quinque millia & octingentos.

4. *Octo millia fortissimorum virorum.*] Non plus octo millibus ex Annibalis exercitu in pugna Cannensi perierunt, cùm Romanorum ultra quinquaginta millia cecidisse ferantur: & tamen in exercitu Romano major duplo erat peditum numerus, octoginta nempe millia, pro quadraginta: equitatu superabat Pœnus paulò plùs quartâ parte, cùm decem millia in Annibalis, septem millia ac ducenti in Romanorum exercitu numerarentur. Polybius memorat è copiis Annibalis millia quatuor Gallorum, qui ad victoriam plurimum contulerant; Afrorum verò & Hispanorum mille ferme & quingentos desiderator.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

inter paucos de ſumma rerum, nunciat P. Furius Philus conſularis viri filius, *Nequicquam eos perditam ſpem fovere: deſperatam comploratamque rem eſſe publicam. Nobiles juvenes quoſdam, quorum principem L. Cæcilium Metellum, mare ac naves ſpectare, ut deſertâ Italiâ, ad* a *regum aliquem transfugiant.* Quod malum, præterquam quod atrox ſuper tot clades, etiam novum, quum ſtupore ac miraculo torpidos defixiſſet; & quid aderant concilium advocandum de eo cenſerent; negat concilii rem eſſe Scipio, juvenis fatalis dux hujuſce belli. *Audendum atque agendum, non conſultandum*, ait, *in tanto malo eſſe. Irent ſecum extemplo armati, qui rempublicam ſalvam vellent.* 1 *Nuſquàm veriùs, quam ubi ea cogitentur, hoſtium caſtra eſſe.* Pergit ire, ſequentibus paucis in hoſpitium Metelli. & quum concilium ibi juvenum, de quibus allatum erat, inveniſſet; ſtricto ſuper capita conſultantium gladio, *Ex mei animi ſententia*, inquit, *ut ego rempublicam populi Romani non deſeram, neque alium civem Romanum deſerere patiar. Si ſciens fallo, tum me juppiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam peſſimo leto afficias! In hæc verba, L. Cæcili, jures poſtulo, cæterique qui adeſtis: qui non juraverit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſciat.* Haud ſecus pavidi, quam ſi victorem Annibalem cernerent, jurant omnes: euſtodiendoſque ſemetipſos Scipioni tradunt.

LIV. Eo tempore quo hæc Canuſii agebantur, Venuſiam ad Conſulem ad quatuor millia peditum equitumque, qui ſparſi fuga per agros fuerant, pervenere. Eos omnes Venuſini per familias benigne accipiendos curandoſque quum diviſiſſent, in ſingulos equites togas & tunicas, & quadrigatos nummos quinos vicenos, & peditibus denos, & arma quibus deerant, dederunt. cæteraque publice ac privatim hoſpitaliter facta: certatumque, ne à muliere Canuſina populus Venuſinus officiis vinceretur. Sed gravius onus Buſæ multitudo faciebat, & jam ad decem millia hominum erant. Appiuſque & Scipio poſtquam incolumem eſſe alterum Conſulem acceperunt, nuncium extemplo mittunt, quantæ ſecum peditum equitumque copiæ eſſent: ſciſcitatumque ſimul, utrum Venuſiam adduci exercitum, an manere juberet Canuſii? Varro ipſe Canuſium copias traduxit. & jam aliqua ſpecies conſularis exercitus erat: mœnibuſque ſe certe, ſi non armis, ab hoſte videbantur defenſuri. Romam ne has quidem reliquias ſupereſſe civium ſociorumque, ſed occidione occiſos cum duobus exercitibus conſules, deletaſque omnes copias, allatum fuerat. Numquam, ſalva urbe, tantum pavoris tumultuſque intra mœnia Ro-

INTERPRETATIO.

a *Cujuſmodi malum non modò crudele atque horrendum poſt tantum calamitatum, ſed etiam antea inauditum.*

NOTÆ.

1. *Nuſquam veriùs.*] Optimi libri apud Gronovium habent *nullo verius* pro *nullibi* ſive nullo loco; ſed quid opus correctionibus, quæ difficultatem non tollant, ſed pariant?

mana fuit. itaque succumbam oneri; neque aggrediar narrare, quæ, edis- Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.
sertando minora vero fecero. Consule exercituque ad Trasimenum priore anno amisso, a 1 non vulnus super vulnus; sed multiplex clades, cum duobus consulibus consulares exercitus amissi nuntiabantur: nec ulla jam castra Romana, nec ducem, nec militem esse: Annibalis Apuliam, Samnium, ac jam prope totam Italiam factam. Nulla profecto alia gens tantâ mole cladis non obruta esset. b Comparem cladem ad Ægateis insulas Carthaginiensium prælio navali acceptam, qua fracti, Sicilia ac Sardinia cessêre, hinc vectigales ac stipendiarios fieri se passi sunt: aut a 2 pugnam adversam in Africa, cui postea hic ipse Annibal succubuit? nulla ex parte comparandæ sunt: nisi quod minore animo latæ sunt.

LV. P. Furius Philus, & M. Pomponius Prætores, senatum in curiam Hostiliam vocaverunt, ut de urbis custodia consulerent. neque enim dubitabant, delectis exercitibus, hostem ad oppugnandam Romam, quod unum opus belli restaret, venturum. Quum in malis sicut ingentibus, ita ignotis, ne consilium quidem satis expedirent, obstrepereteque clamor lamentantium mulierum, & 1 nondum palam facti vivi mortuique, per omnes penes domos promiscue complorarentur; tum Q. Fabius Maximus censuit, *equites expeditos* 2 *& Appia & Latina via mittendos, qui obvios percunctando aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos,* 3 *si forte referant, quæ fortuna consulum atque exercituum sit; & si quid Dii immortales* 4 *miseriti imperii reliquum Romano nomini fecerint; ubi eæ copiæ sint: quo se*

INTERPRETATIO.

a *Post* Flaminium *Cos. cum exercitu casum, non* tantùm *vulnus* novum illi *superadditum vulneri; sed clades qua multarum loco sit, &c.*

b *Si comparare* velim; aut *velimne conferre clades à Carthaginiensibus acceptas &c. Nullâ ratione cum hac Cannensi comparari conferrive possunt.*

NOTÆ.

1. *Non vulnus super vulnus.*] Placeret emendatio Gronoviana, si codicis alicujus auctoritate niteretur. *Nunc vulnus super vulnus, & multiplex clades.*

2. *Pugnam adversam in Africa.*] V. infra lib. 30. cap. 35.

1. *Nondùm palàm facti vivi mortuique.*] Legendum ex optimis Codicibus Gronovius censet, *nondum palàm facto* id est, cùm nondum constaret, quinam vivi, quinam mortui essent.

2. *Et Appia & Latina via mittendos.*] Harum viarum *Latina* ad extrema Latii versus ortum; *Appia* per maritima Latii & Volscos atque Campanos ad Apuliam & Brundusium usque ducebat.

3. *Si fortè referant.*] Non est quòd illud *si* quasi malè invectum ab Sigonio expungamus: est enim necessarium ut appareat Fabium dubitanter loqui, non asseveranter (neque enim poterat, cùm allatum esset deletas omnes copias). Est itaque sensus; mittendos esse qui obvios percunctando, referant aliquos profectos ex fuga, & passim dissipatos, si fortè aliqui ex fuga profecti ac dissipati superstint; hæc enim vis est particularum *si fortè*, quod non significaret solum *fortè*.

4. *Miseriti imperii.*] Aliàs *miseri imperii reliquum*: sed mihi quoque non minùs quàm Gronovio arridet scriptio Puteani Codicis, ut sit, *si Dii* immortales miserti imperii, aliquid reliquum fecerint Romano nomini.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

Annibal poſt prælium contulerit: quid paret, quid agat, acturuſque ſit. Hæc exploranda noſcendaque per impigros juvenes eſſe; illud per Patres ipſos agendum: quoniam magiſtratuum parum ſit, ut tumultum ac trepidationem in urbe tollant, matronas publico arceant, continerique intra ſuum quamque limen cogant: comploratus familiarum coërceant: ſilentium per urbem faciant: nuncios rerum omnium ad prætores deducendos curent: ſuæ quiſque fortunæ domi auctorem exſpectent: cuſtodes præterea ad portas ponant, qui prohibeant quemquam egredi urbem; cogantque homines nullam, niſi urbe ac mœnibus ſalvis, ſalutem ſperare. Ubi conticuerit tumultus, recte tum in curiam Patres revocandos, conſulendumque de urbis cuſtodia eſſe.

LVI. Quum in hanc ſententiam pedibus omnes iſſent, ſummotaque foro per magiſtratus turbâ, Patres diverſi ad ſedandos tumultus diſceſſiſſent; tum demum literæ à Terentio conſule allatæ ſunt: *L. Æmilium conſulem exercitumque cæſum; ſeſe Canuſii eſſe, reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem, ad decem millia militum ferme eſſe incompoſitorum, inordinatorumque.* 1 *Pœnum ſedere ad Cannas, in captivorum pretiis prædaque alia, nec victoris animo, nec magni ducis more, nundinantem.* Tum privatæ quoque per domos clades vulgatæ ſunt: adeoque totam urbem opplevit luctus, ut 2 ſacrum anniverſarium Cereris intermiſſum ſit: quia nec lugentibus id facere eſt fas, nec ulla in illa tempeſtate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem cauſſam alia quoque ſacra publica aut privata deſererentur, ſenatuſconſulto diebus triginta luctus eſt finitus. Cæterum quum ſedato urbis tumultu, revocati in curiam Patres eſſent, aliæ inſuper ex Sicilia literæ allatæ ſunt ab T. Otacilio prætore, *Regnum Hieronis claſſe Punica vaſtari: cui quum opem imploranti ferre vellet; nunciatum ſibi eſſe, aliam claſſem ad Ægateis inſulas ſtare paratam inſtructamque, ut ubi ſe verſum ad tuendam Syracuſanam oram Pœni ſenſiſſent, Lilybæum extemplo provinciamque aliam Romanam aggrederentur. itaque claſſe opus eſſe, ſi regem ſocium Siciliamque tueri vellent.*

LVII. 1 Literis conſulis propratoriſque lectis, M. Claudium, qui claſſi ad Oſtiam ſtanti præeſſet, Canuſium ad exercitum mittendum, ſcribendumque conſuli, ut quum prætori exercitum tradidiſſet, primo quoque tempore, quantum per commodum reipubl. fieri poſſet, Romam veniret. Territi etiam ſuper tantas clades, quum cæteris prodigiis, tum quod duæ Veſtales eo anno Opimia atque Floronia ſtupri compertæ: & altera ſub terram, ut mos eſt, ad portam Collinam necata fuerat; altera ſibimetipſa mor-

NOTÆ.

1. *Pœnum ſedere ad Cannas.*] Vulgò legitur, ſed *Annibalem ſedere ad Cannas*; mutat Gronovius, rationemque reddit 4. obſervat. 11.

2. *Sacrum anniverſarium Cereris.*] Celebrabatur quotannis ad quintum Calendas Aprilis à matronis in candida & læta veſte: eoque in ſacro id ſervabatur ne funere pollutæ eſſent, atque ut à vino & Venere abſtinerent.

1. *Literis conſulis propratoriſque lectis.*] Notat Sigonius ſubaudienda verba *cenſuerunt patres*, vel *decreverunt*; alioquin penderet ſententia.

tem

tem conſciverat. L. Cantilius ſcriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Floronia ſtuprum fecerat, à Pontifice maximo eo uſque virgis in comitio cæſus erat, ut inter verbera exſpiraret. Hoc nefas quum inter tot, ut fit, clades, in prodigium verſum eſſet, decemviri libros adire juſſi ſunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum miſſus eſt, ſciſcitatum, quibus precibus ſupplicii ſque Deos poſſent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca, [2] in foro Boario ſub terra vivi demiſſi ſunt in locum ſaxo conſeptum; [3] ibi ante hoſtiis humanis, minime Romano ſacro, imbutum. Placatis ſatis, ut rebantur, Deis, M. Claudius Marcellus ab Oſtia mille & quingentos milites, quos in claſſem ſcriptos habebat, Romam, ut urbi præſidio eſſent, mittit; ipſe legione claſſis (ea tertia legio erat) cum tribunis militum, Teanum Sidicinum præmiſſa, claſſe tradita P. Furio Philo collegæ, paucos poſt dies Canuſium magnis itineribus contendit. [4] Dictator ex auctoritate Patrum dictus M. Junius, & Tib. Sempronius magiſter equitum, delectu edicto juniores annis ſeptemdecim & [5] quoſdam prætextatos ſcribunt: quatuor ex his legiones, & mille equites effecti. Item ad ſocios Latinumq; nomen [6] ad milites ex formula accipiendos mittunt. arma, tela, alia parari jubent, & vetera hoſtium ſpolia detrahunt templis porticibuſque. Et [7] aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit: octo millia juvenum validorum ex ſervitiis, prius ſciſcitantes ſingulos vellentne militare, empta publice armaverunt. Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captivos copia fieret. Urb. cond. an. 537. Coſ. M. Terent. Varr.

LVIII. Namque Annibal, ſecundum tam proſperam ad Cannas pugnam, victoris magis quam bellum gerentis intentus curis, quum captivis productis, ſegregatilq; ſociis, [1] eos, ſicut ante ad Trebiam Traſimenumque lacum, benigne allocutus, ſine pretio dimiſiſſet: Romanos quoque vocatos

NOTÆ.

2. *In foro Boario*.] Fuit *forum Boarium* inter montem Palatinum & Tiberim.

3. *Ibi antè hoſtiis humanis*.] *Ibi*, nempe in foro Boario, ubi locus ſubterraneus, in quo facta antea fuerant ſacrificia humanis hoſtiis, initio nimirùm proximi belli Gallici, ut teſtatur in Marcello Plut. aliique.

4. *Dictator ex auctoritate patrum*.] A quo dictus, cùm nulli eſſent Romæ conſules, majoreſve alii magiſtratus? Opinor, per interregem.

5. *Quoſdam prætextatos*.] Minores nimirum ſeptemdecim annis, ad quam uſque ætatem adoleſcentes Romani prætexta ferme induebantur; plenâ deinde pubertate, à qua incipiebat militaris ætas, togam virilem ſumebant.

6. *Ad milites ex formula accipiendos*.] Secundum formulam fœderis cum Latinis initi, de quo lib. 8. dictum, & quo præſcribebatur numerus peditum equitumque, quem unaquæque Latina civitas Romanis ad bellum mittere deberet.

7. *Aliam formam novi delectus*.] Verè *novi*: hactenus enim inauditum ſervos ad militandum admitti.

1. *Eos*.] Socios nempe Romanorum.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

(quod nunquam alias antea) satis miti sermone alloquitur: 2 *Non internecinum sibi esse cum Romanis bellum: de dignitate atque imperio certare;* 3 *Et patres virtuti Romanæ cessisse; & se id adniti, ut suæ invicem simul felicitati & virtuti cedatur. Itaque redimendi se captivis copiam facere. pretium fore in capita, equiti quingenos quadrigatos nummos, trecenos pediti, servo centum.* Quanquam aliquantum adjiciebatur equitibus ad id pretium, quod pepigerant dedentes se; læti tamen quancumque conditionem paciscendi acceperunt. Placuit suffragio ipsorum decem deligi, qui Romam ad senatum irent. nec pignus aliud fidei, quam ut jurarent se redituros acceptum. Missus cum his Carthalo nobilis Carthaginiensis: qui, si forte ad pacem inclinarent animos, conditiones ferret. Quum egressi castris essent, unus ex iis 4 minime Romani ingenii homo, velut aliquid oblitus, 5 jurisjurandi solvendi causâ quum in castra rediisset, ante noctem comites assequitur. Ubi eos Romam venire nunciatum est, Carthaloni obviam lictor missus, qui dictatoris verbis nunciaret, ut ante noctem excederet finibus Romanis.

LIX. Legatis captivorum senatus ab dictatore datus est. Quorum princeps M. Junius, *Patres Conscripti*, inquit, *nemo nostrûm ignorat, nulli unquam civitati viliores fuisse captivos, quam nostræ. Cæterum nisi nobis plus justo nostra placet causa, non alii unquam minus negligendi vobis, quam nos, in hostium potestatem venerunt. non enim in acie per timorem arma tradidimus, sed quum prope ad noctem superstantes cumulis cæsorum corporum prælium extraxissemus, in castra recepimus nos. Diei reliquum ac noctem insequentem fessi labore ac vulneribus vallum sumus tutati. Postero die quum circumsessi ab exercitu victore aqua arceremur, nec ulla jam per confertos hostes erumpendi spes esset, nec esse nefas duceremus, quinquaginta millibus hominum ex acie nostra trucidatis, aliquem ex Cannensi pugna Romanum militem restare; tum demum pacti sumus pretium quo redempti dimitteremur: arma, in quibus nihil jam auxilii erat, hosti tradidimus. Majores quoque acceperamus se à Gallis auro redemisse: & patres vestros, asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratiâ Tarentum misisse. atqui* 1 *& ad Alliam cum Gallis, &* 2 *ad Heracleam cum Pyrrho, utraque non tam clade infamis.*

NOTÆ.

2. *Non internecinum.*] Ita Pyrrhus apud Ennium laudatum à Tullio lib. 1. Officior. qui duo bellorum, ut contentionum, genera distinguit. *Cum Celtiberis*, inquit, *cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur uter esset, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur.*

3. *Et patres.*] Id est, majores suos, Carthaginienses, qui priùs à Rom. victi.

4. *Minimè Romani ingenii.*] Aliter sanè primo Punico bello Regulus.

5. *Jurisjurandi solvendi.*] Sic jurejurando se solutum putabat, & *erat verbis, re non erat*, ait Cicero lib. 1. de Officiis.

1. *Et ad Alliam.*] Verissima Gronovii correctio; conjectura ex Puteani codice ducta, ubi erat *atqui & Alliam* De priori hac pugna lib. 5. de posteriori cum Pyrrho epitome lib. 13.

2. *Ad Heracleam.*] In Magna Græcia.

quam pavore ac fugâ, pugna fuit. Cannenſes campos acervi Romanorum corporum tegant: [a] *nec ſuperſtamus pugnæ; niſi in quibus trucidandis & ferrum & vires hoſtem defecerunt. Sunt etiam de noſtris quidam, qui nec in acie quidem refugerunt: ſed præſidio caſtris relicti, quum caſtra traderentur, in poteſtatem hoſtium venerunt. Haud equidem illius civis, aut commilitonis fortunæ aut conditioni invideo: nec premendo alium me extuliſſe velim: ne illi quidem (niſi pernicitatis pedum & curſus aliquod præmium eſt) qui plerique inermes ex acie fugientes, non prius quam Venuſiæ aut Canuſii conſtiterunt, ſe nobis merito prætulerint, gloriatique ſint, in ſe plus quam in nobis præſidii reipubl. eſſe. Sed illis & bonis ac fortibus militibus utemini: & nobis etiam promptioribus pro patria, quod beneficio veſtro redempti, atque in patriam reſtituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis: octo millia ſervorum audio armari. non minor numerus noſter eſt, nec majori pretio redimi poſſumus, quam hi emuntur. nam ſi conferam nos cum illis, injuriam nomini Romano faciam. Illud etiam in tali conſilio animadvertendum vobis cenſeam, Patres Conſcripti, (ſi tamen duriores eſſe velitis, quod nullo noſtro merito faciatis) cui nos hoſti relicturi ſitis. Pyrrho videlicet,* 3 *qui nos hoſpitum numero habuit captivos, an barbaro, ac Pœno, qui utrum avarior an crudelior ſit, vix exiſtimari poteſt. Si videatis catenas, ſqualloremque deformitatemque civium veſtrorum, non minus profecto vos ea ſpecies moveat, quam ſi ex altera parte cernatis ſtratas Cannenſibus campis legiones veſtras. Intueri poteſtis ſolicitudinem & lacrymas in veſtibulo curiæ ſtantium cognatorum noſtrorum, expectantiumque reſponſum veſtrum. quum ii pro nobis proque iis qui abſunt, ita ſuſpenſi ac ſolliciti ſint; quem cenſetis animum ipſorum eſſe,* [b] *quorum in diſcrimine vita libertaſque eſt? Si medius fidius ipſe in nos mitis Annibal contra naturam ſuam eſſe velit: nihil tamen nobis vita opus eſſe cenſeamus, quum indigni ut à vobis redimeremur, viſi ſimus. Rediere Romam quondam, remiſſi à Pyrrho ſine pretio capti. ſed rediere cum legatis, primoribus civitatis, ad redimendos ſeſe miſſis. Redeam ego in patriam, recentis nummis non æſtimatus civis? Suum quiſque habet animum, Patres Conſcripti. Scio in diſcrimine eſſe vitam corpuſque meum. Magis me famæ periculum movet, ne à vobis damnati ac repulſi habeamur. neque enim vos pretio peperciſſe homines credent.*

Urb. cond. an. 537. Coſ. M. Terent. Varr.

LX. Ubi is finem fecit, extemplo ab ea turba, quæ in comitio erat, clamor flebilis eſt ſublatus, manuſque ad curiam tendebant orantes, ut ſibi

INTERPRETATIO.

a *Nec alii prælio ſuperſtites vivimus quàm illi ad quos occidendos non ſuffecere hoſtium gladii viriſque.*

b *Quorum & libertas & vita periclitantur.*

NOTÆ.

3. *Qui nos hoſpitum numero habuit.*] Non hos, qui nunc erant captivi Carthaginienſium; ſed Romanos, qui tunc capti à Pyrrho.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Tezent. Varr.

liberos, fratres, cognatos, redderent. Fœminas quoque metus ac neceſſitas, in foro, turbæ huic virorum immiſcuerat. Senatus, ſummotis arbitris, conſuli cœptus. Ibi quum ſententiis variaretur, & alii. *redimendos de publico*; alii, *nullam publice impenſam faciendam, nec prohibendos ex privato redimi*; *ſi quibus argentum in præſentia deeſſet, dandam ex ærario pecuniam mutuam*, [a] *prædibuſque ac prædiis cavendum populo*, cenſerent. Tum [1] T. Manlius Torquatus priſcæ ac nimis duræ, ut pleriſque videbatur, ſeveritatis, interrogatus ſententiam, ita locutus fertur: *Si tantummodo poſtulaſſent legati pro iis qui in hoſtium poteſtate ſunt, ut redimerentur*; [b] *ſine ullius inſectatione eorum, brevi ſententiam peregiſſem. Quid enim aliud quam admonendi eſſetis, ut* [2] *morem traditum à Patribus, neceſſario ad rem militarem exemplo, ſervaretis? nunc autem cum prope gloriati ſint, quod ſe hoſtibus dederint, præferrique non captis modo in acie ab hoſtibus, ſed etiam iis qui Venuſiam Canuſiumque pervenerunt, atque ipſi C. Terentio conſuli, æquum cenſuerint; nihil vos eorum, Patres Conſcripti, quæ illic acta ſunt, ignorare patiar. Atque utinam hæc, quæ apud vos acturus ſum, Canuſii apud ipſum exercitum agerem, optimum teſtem ignaviæ cujuſque & virtutis: aut unus hic ſaltem adeſſet P. Sempronius, quem ſi iſti ducem ſecuti eſſent milites, hodie in caſtris Romanis, non captivi in hoſtium poteſtate eſſent. Sed quum feſſis pugnando hoſtibus, tum victoria lætis, & ipſis pleriſque regreſſis in caſtra ſua, noctem ad erumpendum liberam habuiſſent, & ſeptem armatorum hominum millia perrumpere etiam confertos hoſtes poſſent: neque per ſe ipſi id facere conati ſunt, neque alium ſequi voluerunt. Nocte prope tota P. Sempronius Tuditanus non deſtitit monere adhortarique eos, dum paucitas hoſtium circa caſtra, dum quies ac ſilentium eſſet, dux nox inceptum tegeret, ſe ducem ſequerentur: ante lucem pervenire in tuta loca, in ſociorum urbes poſſe. Sicut avorum memoria, 3 P. Decius Tribunus militum, in Samnio; ſicut, nobis adoleſcentibus, priori Punico bello, 4 Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, quam ad tumulum eos capiendum, ſecum inter medios hoſtes,*

INTERPRETATIO.

a *Datis fidejuſſoribus, & pignori obligatis bonis immobilibus, ſecuritati populi pecuniam credentis conſulendum eſſe.*

b *Neminem illorum inſectando.*

NOTÆ.

1. *T. Manlius Torquatus.*] Nepos hic erat T. Manlii à patre ſecuri percuſſi ſuprà 8. 7. jam conſulatu functus an. u. c. 518. cum C. Atilio, (ex quo magiſtratu de Sardis triumphaverat); iterum an. 529. collega Q. Fulvio, quocum Cenſor creatus an. 522. ſed vitio factus abdicaverat. Poſteà Dictator fuit an. 545. Comitiorum & ludorum faciendorum cauſa. Tandem Pontifex maximus deceſſit.

2. *Morem traditum.*] Non redimendi captivos, ut Glareanus ait.

3. *P. Decius tribunus militum in Samnio.*] Militans ſub Aulo Cornelio Coſſo conſule. V. Livium lib. 7. cap. 36.

4. *Calpurnius Flamma.*] De quo Epitome lib. 17. Florus lib. 2. cap. 2. Auctor de Vir. Illuſtr. cap. 39. Pro *Calpurnio Flamma* quidam veterum *Quint. Caditium*: alii *Laberium* nominabant, ut Gellius annotat lib. 3. cap. 7.

duceret, dixit: Moriamur milites, & morte noſtra eripiamus ex obſi- Urb. cond.
dione circumventas legiones. *Si hoc P. Sempronius diceret; nec viros* an. 537.
quidem, nec Romanos vos duceret, ſi nemo tantæ virtutis exſtitiſſet Coſ. M Te-
comes, Viam non ad gloriam magis quam ad ſalutem ferentem demon- rentio Varr.
ſtrat; reduces in patriam, ad parentes, ad conjuges ac liberos facit. Ut
ſervemini, deeſt vobis animus? quid, ſi moriendum pro patria eſſet, face-
retis? Quinquaginta millia civium ſociorumque circa vos eo ipſo die cæſa
jacent: ſi tot exempla virtutis non movent, nihil unquam movebit. ſi tan-
ta clades vilem vitam non fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes de-
ſiderate patriam: imo deſiderate, dum patria eſt, dum cives ejus eſtis. ſero
nunc deſideratis, 5 *deminuti capite, abalienati jure civium, ſervi Car-*
thaginienſium facti. Pretio redituri eſtis 6 *eò, unde ignavia ac nequitiâ*
abiſtis; Publium Sempronium, civem veſtrum, non audiſtis, arma capere,
ac ſequi ſe jubentem: Annibalem poſt paulo audiſtis, caſtra prodi, & ar-
ma tradi jubentem. c *Quam ego ignaviam iſtorum accuſo, quum ſcelus*
poſſim accuſare? non enim modo ſequi recuſarunt bene monentem, ſed ob-
ſiſtere ac retinere conati ſunt, ni ſtrictis gladiis viri fortiſſimi inertes ſum-
moviſſent. prius, inquam, Publio Sempronio per civium agmen, quam
per hoſtium fuit erumpendum. Hos cives patria deſideret? quorum ſi cæteri
ſimiles fuiſſent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnaverunt, civem
haberet. Ex millibus ſeptem armatorum, ſexcenti extiterunt qui erumpe-
re auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent: neque iis qua-
draginta millia hoſtium obſtitere. Quam tutum iter duarum prope legionum
agmini futurum cenſetis fuiſſe? Haberetis hodie viginti millia armatorum
Canuſii, fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni fideleſ-
que (nam fortes ne ipſi quidem dixerint) cives eſſe poſſunt? d *niſi quis*
credere poteſt fuiſſe, 7 *ut erumpentibus quin erumperent, obſiſtere conati*

INTERPRETATIO.

c *Quod factum captivorum ignàvia imputo? Cùm revera crimen perduellionis dici poſſit.*

d *Niſi fortè quis ſibi perſuadere poſſit*, illos *aut tum bonos fideleſque cives fuiſſe, cùm impedire niterentur ne erumperent* qui eruptionem aggrediebantur; *aut* impoſterum fideles ac bonos cives futuros, *qui non poſſunt invidiâ carere, &c.*

NOTÆ.

5. *Deminuti capite.*] Ut ſtatus civium Romanorum triplex, libertatis, civitatis, & familiæ; ita triplex capitis diminutio; maxima, cùm ſervi fierent captivitate aliove modo; minor ſive media, cùm civium jure ſpoliarentur, ut deportatione ſeu exilio; minima, cùm jus familiæ amitterent, veluti patresfam. adoptione ſeu adrogatione, filiifam. emancipatione.

6. *Eò, unde ignavia.*] *Eò*, nimirùm ad libertatem & civium jus;

7. *Ut erumpentibus, &c.*] Vulgò legitur: *qui erumpentibus, &c.* Et ſic ſatis aperta ſententiæ ſit. Verùm in optimis ſcriptum eſt, *ut erumpentibus.* Quod ad ſententiæ conſtructionem attinet, dici poteſt particulam *ut* hoc loco ſumi pro *cum*, ſive *quando*, ad præteritum tempus relato. Sic apud Cic. 2. in Verr. *ut quiſque me viderat, narrabant.* Quaſi dicat ironicè Manlius, eo ipſo fideles cives tunc fuiſſe quum obſiſterent erumpere volentibus, quaſi periculum eorũ

Urb. cond. an. 537. Cof. C. Terentio Varr.

ſunt: aut non invidere eos, quum incolumitati tum gloriæ illorum per virtutem partæ, quum ſibi timorem ignaviamque ſervitutis ignominioſæ cauſam eſſe ſciant. Maluerunt in tentoriis latentes ſimul lucem atque hoſtem expectare, quum ſilentio noctis erumpendi occaſio eſſet. Atenim, ad erumpendum è caſtris defuit animus: ad tutanda fortiter caſtra animum habuerunt. Dies noctesque aliquot obſeſſi, [8] vallum armis, ſe ipſi tutati vallo ſunt: tandem ultima auſi paſſique, quum omnia ſubſidia vitæ deeſſent, affectiſque fame viribus, arma jam ſuſtinere nequirent, neceſſitatibus magis humanis quam armis victi ſunt. Orto ſole hoſtis ad vallum acceſſit: ante ſecundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac ſeipſos. Hæc vobis ipſorum per biduum militia fuit. quum in acie ſtare ac pugnare decuerat, tum in caſtra refugerunt: quum pro vallo pugnandum erat, caſtra tradiderunt, neque in acie neque in caſtris utiles. Vos redimam? quum erumpere caſtris oportet, cunctamini, ac manetis: quum manere & caſtra tutari armis neceſſe eſt; & caſtra & arma & vos ipſos traditis hoſti. Ego non magis iſtos redimendos P. C. cenſeo, quam illos dedendos Annibali, qui per medios hoſtes è caſtris eruperunt, ac per ſummam virtutem ſe patriæ reſtituerunt.

LXI. Poſteaquam Manlius dixit, quanquam Patrum quoque pleroſque captivi cognatione attingebant, præter exemplum civitatis minime in captivos jam inde antiquitus indulgentis, pecuniæ quoque ſumma homines movit: [1] quia nec ærarium exhaurire magnâ jam ſummâ erogatâ in ſervos ad militiam emendos armandoſque, nec Annibalem maxime [a] hujuſce rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant. Quum triſte reſponſum, *non redimi captivos*, redditum eſſet, novuſque ſuper veterem luctus tot jacturâ civium adjectus eſſet: cum magnis fletibus queſti-

INTERPRETATIO.

a *Laborantem pecuniæ inopia.*

NOTÆ.

formidantes; aut in poſterum fideles bonoſque cives fore, cum non poſſint invidiæ carere in eos quorum fortitudo ignaviam ipſis ſuam ac dedecus continuò eſt exprobratura.

8. *Vallum armis.*] Antea legebatur, *obſeſſi, armati ſe ipſi tutati vallo ſunt:* ſed Puteani codex habuit, *obſeſſi, bellum, arma, ſeipſi, &c.* Unde auream ſe feciſſe lectionem Gronov. ait, *bellum* mutando in *vallum*: quam ex Livii l. 6. confirmat; *tantùm Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo ſeipſi, vallum congeſtis arboribus ſepirent:* eademque elegantiâ uſum alibi auctorem adducit, velut l. 28. *ut & muris ſeipſi, & armis muros tutarentur.*

1. *Quia nec ærarium.*] Polyb. extremo lib. 6. non tantùm id Senatum ſpectaſſe refert, ut ærario conſuleret, ſed præſertim ut ſpe reditus captivis ſuis abſciſsâ, milites Romanos in poſterum invictos præſtaret, utpote qui omnem ſalutis ſpem in ſola victoria poſitam viderent. Atque ita eluſum Annibalis conſilium, qui & ingentem pecuniam ex captivorum lytro corraſurum, & fiduciâ reditus Romanos ad pugnandum ſe habiturum minùs obſtinatos confidebat.

buſque legatos ad portam proſecuti ſunt. Unus ex iis domum abiit, quòd [2] fallaci reditu in caſtra jurejurando ſe exſolviſſet. Quod ubi innotuit, relatum ad ſenatum eſt. omnes cenſuerunt, comprehendendum & cuſtodibus publice datis deducendum ad Annibalem eſſe. 3 Eſt & alia de captivis fama, [b] decem primos veniſſe. de eis quum dubitarum in ſenatu eſſet, admitterentur in urbem, necne; ita admiſſos eſſe, ne tamen iis ſenatus daretur. [c] Morantibus deinde longius omnium ſpe, alios tres inſuper legatos veniſſe, L. Scribonium, & C. Calpurnium, & L. Manlium. tum demum ab cognato Scribonii Tribuno plebis de redimendis captivis relatum eſſe, nec cenſuiſſe redimendos ſenatum: & novos legatos tres ad Annibalem revertiſſe, decem veteres remanſiſſe; quod per cauſam recognoſcendi nomina captivorum ad Annibalem ex itinere regreſſi, religione ſeſe exſolviſſent. de iis dedendis magna contentione actum in ſenatu eſſe: victoſque paucis ſententiis, qui dedendos cenſuerint. cæterum proximis cenſoribus adeo omnibus notis ignominiiſque confectos eſſe, ut quidam eorum mortem ſibi ipſi extemplo conſciverint: cæteri [d] non foro ſolum, omni deinde vita, ſed prope luce ac publico caruerint. Mirari magis, adeò diſcrepare inter auctores, quam quid veri ſit diſcernere queas. Quanto autem major hæc clades ſuperioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio eſt, quod qui ſociorum ad eam diem firmi ſteterant, tum labare cœperunt, nulla profecto alia de re, quam quòd deſperare cœperant de imperio. Defecere autem ad Pœnos 4 hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Pentros, Brutii omnes, Lucani. præter hos Surrentini, [e] & Græcorum omnis ferme ora; Tarentini, Metapontini, Crotonienſes, Locrique, & Ciſalpini omnes Galli. Nec tamen hæ clades defectioneſque ſociorum moverunt, ut pacis unquam mentio apud Romanos fieret: 5 neque ante conſulis Romam adventum, nec

Urb. cond. an. 537. Coſ. M. Terent. Varr.

INTERPRETATIO.

b *Veniſſe Romam primùm decem legatos à captivis.*

c *Illis diuturniorem moram trahentibus.*

d *Reliqui abſtinuerint per totam reliquam vitam non tantùm civium commercio, & negotiis agendis; verùm etiam quaſi tenebris damnati comparere in publico non ſint auſi.*

e *Magnæ Græciæ populi ferè omnes.*

NOTÆ.

2. *Fallaci reditu ad caſtra.*] Id jam obſervaverat cap. 58.

3. *Eſt & alia de captivis fama.*] Hanc ſequutus Cicerone teſte Acilius, qui Græcè hiſtoriam ſcripſit; ubi plures fuiſſe ait, qui in caſtra revertiſſent eâdem fraude, ut jurejurando liberarentur.

4. *Hi populi.*] Notat Glareanus, hos populos non ſtatim defeciſſe à Romanis, ſed aliquos dumtaxat. Croton certè ac Locri nonniſi poſt annum: Tarentum autem, Metapontus, ac Thurium poſt quadriennium, neque omnes Brutii defecere.

5. *Neque ante conſulis Romam adventum.*] Meliùs quàm *conſulis Romani*, ut vulgò. Dicitur autem *Romam adventum*, ſicut lib. 25. *reditus domum*.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

poſtquam is rediit renovavitque memoriam acceptæ cladis. quo intempore ipſo, adeo magno animo civitas fuit, ut conſuli ex tanta clade, cujus ipſe cauſa maxima fuiſſet, redeunti, & obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus ſit, & gratiæ actæ, quod de republica non deſperaſſet: cui, * ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, 6 nihil recuſandum ſupplicii foret. §

NOTÆ

6. *Nihil recuſandum ſupplicii.*] Carthaginienſes quippe imperatores ſuos re male geſtâ cruci affigere ſoliti, cujus rei obvia ſunt exempla.

FINIS LIBRI XXII.

TITI

JO. CLERICI
IN T. LIVIUM
NOTÆ.
IN LIBRUM SEXTUM.

XXII. « *Non tàm è republica, quàm ut collega, &c.*] Non fuit hoc consilium Senatûs, quasi divinasset quid futurum erat. Est hic ὑστερολογία, ut loquuntur Grammatici, quo eventus significatur, non animus eorum qui rem faciunt. Possent exempla ejus rei adferri ex Scriptoribus antiquis, etiam Ethnicis, quamvis apud Sacros frequentius occurrant.

XXIV. β *In fluctuantem aciem.*] Rectè Gronovius, *inter fluctuantem aciem*, sed mirum est equites peditibus æquatos, nisi hostes ipsi equitatu caruerint; quod non semel observavimus.

XXVII. γ *Quum Patribus, &c.*] Delet J. F. *Gronovius*, *quum*, & sic distinguit: *nomina dabant. Patribus*, &c. Fortè legendum *dum*, nec opus erit, cum eodem in sequentibus, *esset* in *esse* mutare. Sed cum illo *profectus hostis* scripsimus, quoniam ita habent Mss. Codd.

XXVIII. δ *Pace obnoxia.*] Hæc verba monent de re à *Livio* omissa, qui leges fœderis cum Latinis facti, aut pacis ei concessæ prætermisit; quod non minùs ad historiam pertinet, quàm descriptiones prælinrum, quæ plerunque dubiæ sunt. *Centum annos* hic dicit pro 120., ex ipsius sententia, cùm prælium ad lacum Regillum commissum statuat anno U. C. 255.

XXIX. ε *Loci fortuna.*] Rectè hoc rridet Dictator Romanus, sed cur *dixi fortunam* quandam malam adnexam putabant, potiùs quàm loco? Vide hujus libri c. 1.

XXIX. ζ *Præter castra etiam sua.*] Hujus loquutionis haberemus exemplum apud Terentium, si per Librarius licuisset, qui Phorm. Act. 5. s. 2. 3. corruperunt proverbium militare: *ita fugias, ne præter castra*, ex simili huic eventu notum. Scripserunt enim *cassum* pro *castra*.

XXXIV. η *Quanto magis, &c.*] Omisit hic *Livius* Tribunos militares anni Catoniani 379. L. Papirium, L. Menenium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium, quos memorat *Diodorus* Siculus ad Olymp. 103. 1. Qua de re vide *Henr. Dodwellum* Diss. 10. de cyclis. 2. 82.

XXXV. θ *Plus quingenta jugera.*] Non exiguus erat ille agri modus iis temporibus, nam, ut docet *Varro* de R.R. l. 1. c. 10. *Jugerum est, quod quadratos duos actus habet; Actus quadratus, qui & latus est pedes* 120. *& longus totidem*. Paulò post, pro *Consulumque*, scripsimus *sed Consulum*, ex antiquis libris, ut vulebat *J. F. Gronovius*.

XXXVII. ι *Quatuor & quadraginta annis.*] Ab anno U. C. 311. ad annum 355. quo *C. Licinius Calvus* è plebe factus est Tribunus Militum. Quare confirmationem hinc trahit Dodwelliana Chronologia, quam sequuti sumus; cùm ex aliorum calculo non inveniantur 44. anni inter hasce epochas.

XXXVII. κ *Esse? qui crederent duo-*

bufne.] Legerim & diſtinxerim: *creatum? Eſſent qui crederent duobus in locis*, &c. Minima certè eo modo fit mutatio.

XXXVIII. λ *Uti roges.*] Hoc eſt, fiat, uti rogas. Formula fuit quâ plebs rogationibus adſentiebatur, ut rectè oſtendit *Car. Sigonius.*

XXXVIII. μ *Quingentùm millium æris.*] Ingens pondus æris iis temporibus, & quod quinquies majus fuit cenſu primæ claſſis, de quo vide ad l. 1. c. 43.

XL. ν *Sub conditione, inquit, &c.*] τὸ *inquit*, refertur ad eum, qui ejuſmodi objectiones proferebat, quicumque eſſet. Sic ſolent Latini; ut multis *Seneca* exemplis probare liceret, ſi ea nunc inveſtigare vacaret. Itaque nullus quærendus hîc nominativus.

XLI. ξ *Ut nihil ne pro minimis quidem debeam.*] Hoc eſt, pro minimis plebejorum, qui Conſulatum adipiſcentur, nihil debeant populo, quaſi illis etiam Conſulatum conferre neceſſe haberet.

XLII. ο *Quum dignam eam rem.*] Cum eam dignam rem cenſeret Senatus, ob quam fierent magnifici ludi, & uno die aucti, qui ſolebant comitari ferias Latinas; cùmque idem cenſeret Ædiles Pl. ſi unquam aliàs, meritò id Deorum immortalium causâ facturos, eos onus recuſaſſe; quod juvenes patricii ſuſceperunt, honoris Deûm immortalium causâ, eâ lege ut fierent Ædiles Curules. Sic interpretatur *J. F. Gronovius* Obſerv. lib. 4. c. 25. ubi plura.

IN LIBRUM SEPTIMUM.

II. α *Qui non, ſicut ante, Feſcennino.*] Totum hunc locum copioſe interpretatus eſt *Ger. J. Voſſius* in Inſtit. Poëticis l. 3. c. 9. quem vide, neque enim res paucis verbis hîc expediri poſſet.

II. β *Cantari ad manum.*] Hoc eſt, ut optimè *J. F. Gronovius*, geſticulationi, quæ ſaltando fiebat, cantando reſpondere, & pronunciare modulatè quæ Hiſtrio agat. Eum vide.

V. γ *Ruffulos.*] Tribuni legionibus à Conſulibus præfecti, ſic dicti à Rutilio Ruffo, qui legem ea de re tulit. Vide *Feſtum*, in voce.

VII. δ *Relictis equis.*] Mirum eſt leviter armatos equites potuiſſe pedites meliùs pugnare, quàm ex equis, contra grauem armaturam Hernicorum. Sed ita ſæpe *Livius*. Vide not. ad l. 4. c. 38. 6. c. 24. & alibi.

X. ε *Surrecto.*] Hoc eſt, demiſſo quidem capulo, ſed erectâ cuſpide, gladio in venterem impacto. Gloſſæ veteres *ſubrigit*, ὑποβάλλει, ὑπερείδει, *ſubrigo*, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ, ὑποβάλω. Hoc eſt, ut ſic dicam, *de ſub erigo*, *ut ſubjicio in equum*, eſt *de ſub jacio in equum*. Demiſerat caput Manlius, ſcutoque ſuo amoto ſuperiùs ſcuto Galli, eum in ventre, eo modo quem dixi, ferit.

XII. ζ *Ex fœdere vetuſto.*] Hæc bella erat occaſio recitandi fœderis cum Latinis, niſi talia refugeret Livius, ut prælia & victorias narret.

XII. η *In principiis.*] Locus erat in caſtris ante tentoria Tribunorum, ubi plerique militum maximam diei partem terebant. Vide *Juſt. Lipſium* de Mil. Rom. l. 5. Dial. 8.

XIII. θ *Septimum primum pilum.*] *Juſt. Lipſius* non ſeptimum ordine, ſed iteratione dictum cenſet, ſeu qui jam ſepties fuerat Primipilus. Vide eum de Mil. Rom. l. 2. Dial 8.

XVI. ι *De unciario fœnore.*] Unciarium fœnus fuit, quo duodecima pars aſſis in menſem ſolvebatur; hoc eſt more noſtro, nummus unus pro centenis in annum. Vide *J. F. Gronovium* de centeſimis uſuris.

XVI. κ *De viceſima.*] Qua lege ſolvebant Ærario ſervum manumiſſuri viceſimam partem pretii, quo æſtimabatur.

XVI. λ *Decem millibus aris.*] Gravis; hoc eſt, decem millia librarum Romanarum æris.

XVIII. μ *Poſt undecimum annum.*] Primus Conſul plebejus creatus fuerat anno U.C. 389. à quo hic annus erat duodecimus.

XIX. ν *Levata uſura erat, &c.*] Vide ad c. 16. Ne unum quidem nummum in centenos ſolvere plebs potuit, præ paupertate, vel ſolâ ſorte oppreſſa. Romani nempe, agricolæ & milites vix ullum lucrum, niſi fortuitam prædam excipias, faciebant.

XXIV. ξ *Matari.*] Hinc, apud Gallos, ante inventum pyrii pulveris uſum, *Matras* vocabatur Sagitta Arcubaliſtæ. Vide viri doctiſſ. *Æg. Menagii* Origines Gallicas.

XXV. ο *Contracta in unum, &c.*] Atqui C. Iulius Cæſar in Gallia bellum cum decem, ac duodecim etiam legionibus, ſenûm millium virorum, bellum geſſit, ut omnes norunt; dum eſſent etiam alii exercitus, quamvis non tanti, in aliis Provinciis, ſed ſub Auguſto Legiones viginti tres, aut viginti quinque fuere, ut obſervat *Dio* Hiſt. l. 55. Vide *Juſt. Lipſ.* in Analectis rei milit. Oper. t. 3. p. 237. & ſeqq. Itaque quæ hic habet *Livius* ſunt hyperbolica.

XXVI. *Dictu mirabile.*] At mirabilius eſt *Livium* nullâ re ſignificaſſe ſe ejuſmodi fabulæ fidem non habere; quod in tam gravi hiſtoria par fuit.

XXVI. π *Macedonum opes.*] Bellum Philippo indixerunt Athenienſes Olymp. 108. anno 3. qui in hunc partim incidebat, ut docet *Dodwellus* in Chronol. Dionyſ.

XXVII. ρ *Semunciarium ex uncia rio.*] In centum aſſes vigeſimam quartam partem aſſis ſolvebant; hoc eſt, ut nunc loquimur dimidium nummum in centenos nummos quotannis. Vide *J. F. Gronovium* de centeſimis & unciis uſuris.

XXVIII. σ *Vetuſto montis Albani prodigio.*] Vide l. 1. c. 31. & quæ illic notata.

XXXVIII. τ *In peſtilentia atque aridо circa urbem ſolo.*] Omnes, qui Romanum agrum viderunt & æſtate præſertim in *Campania Romana*, ut nunc loquuntur, iter fecerunt, idem uno ore teſtantur. At antea l. 5. c. 54. *Saluberrimos colles* urbis Romæ jactat Camillus. *Juſt. Lipſius* de magnit. Rom. l. 3. c. 1. ait hodie vix ita eſſe, ſed cauſam tribuit, cùm ſolitudini & deſertioni, tum auris è vicinis paludibus, vel æſtuariis. Crediderim Camillum quidem oratorio more loqui; ex quo non ſemper vera, ſed quæ conducunt, dicuntur; milites verò, de quibus hîc *Livius*, ex vero deſcribere agrum Romanum.

XLI. υ *Primus Centurio.*] Vide not. ad l. 2. c. 21.

I. α *Uxori Matri*.] Ea eſt uxor Saturni, quæ *Rhea*, vel *Ops* dicitur. Vide *Gellium* l. 13. c. 22. & ad eum *Jo: Fred. Gronovium*.

II. β *In fœdere Latino*.] Recitatum antea oportuit, ut non ſemel monuimus; præſertim cùm antea Romani pati noluerint ut Latini ſemetipſi defenderent, nedum ut ſuis auſpiciis bellum ulli populo inferrent. Vide notas ad l. 2. c. 30.

VIII. γ *Clypeis antea Romanis uſi ſunt*.] Sic erat in antiquioribus Editionibus, non *Romani*, ut eſt in Gronovianis, ac ſanè agitur de Latinis, qui ex fœderatis *ſtipendiarii* facti ſunt, non Romanis. Videtur *Scutum* gerere minùs honorificum fuiſſe, quam gerere *clypeum*; nam Romæ prima claſſis *clypeum*, ſecunda *Scutum* gerebat. Vide l. 1. c. 43. & ſeqq.

VIII. δ *Poſtremè in ordines, &c.*] Totum hunc locum quâ emendavit, quâ interpretatus eſt *Juſt. Lipſius* de Milit. Rom. l. 4. dial. 1. & 8. Anguſtiæ oræ cùm omnia nequeant contineri, cum Lectores adeant. Sequentia tamen de Latinis dici, non Romanis videntur, quamvis dicta cenſeantur & de Romanis, quia ſimiliter erat ſtructa acies. Legit autem *Lipſius*, probante *J. F. Gronovio*, *Orde milites ſexagenos duos, centurionem & vexillarium unum habebat — manipuli decem — viginti manipulorum — alii decem ordine — earum* unamquamque primam Pilum vocabant. Rationes apud illum vide.

VIII. ε *Surrecta*.] Vide ad lib. 7. c. 10.

VIII. ζ *Quinis millibus*.] Imò hiſce temporibus *quaternis*, ut rectè *Lipſius* & *Gronovius*.

XI. *Denarios nummos* 450.] Si Denarii decem ex calculo Gronoviano confecerunt 3. florenos, ſumma erit 135. florenorum.

XII. η *Cujus tum erant faſces*.] Vicibus, nempe, Conſulibus præferebantur. Vide l. 2. c. 1. & infra l. 9. c. 8 & *Henr. Dodvvellum* ad Acta Diurna Senatûs & Populi, ubi ſæpe mentio fit Conſulis *penes quem erant faſces*.

XIV. ι *Clarigatio*.] Vox obſcura à tempore *Quintiliani*, ut teſtatur Inſt. l. 7. c. 3. Videtur hic eſſe denunciatio clarâ voce facta, ne Tiberim tranſirent, ſin minùs mulctam mille pondo æris gravis ſolverent.

XIX. κ *Creati Conſules*.] Deeſt ante hoſce par Conſulum L. Papirius Sp. F. & C. Pœtilius C. F. ut probavit *Henr. Dodvvellus* Diſſ. 10. de Cyclis n. 78. & 79.

XX. λ *Semoni Sanco*.] Herculem ſic dictum à Sabinis ex *Ovidio*, aliiſque veteribus notum, qua de re vide *Lil. Greg Giraldum*. Conſecratio autem hæc ſita fuit in æneis orbibus, in ejus templis ſuſpendendis, ut ſequentia docent.

XXII. μ *Recepta Palapoli*.] Hoc eſt, admiſſa intra Palæpolim ſcripſerat. Vide *J. Fr. Gronovium*.

XXIII. ν *Oriens nocte*.] Vetus eſt loquendi genus, pro ſurgens, ut rectè obſervavit *Alb. Rubenius* ex *Velio Longo* de Ortographia p. 2234. ed. El. Putſchii. *Oriens Conſul Magiſtrum Populi dicat*. Itaque eliminavimus, *oriente nocte*, quod damnat etiam *J. Fr. Gronovius*.

XXIX. ξ *L. Papirium, &c.*] Qui Varronianum ab Urbe Condita calculum ſequuntur huic Dictatori, & Magiſtro Equitum annum ſingularem tribuunt. Vide *Henr. Dodvvelli* Chronologiam Dionyſ. Diſſ. 10. de Cyclis Romanis.

XXX. ο *Detraxit frenos equis, &c.*] Vide notas ad l. 4. c. 33.

XXXIV. π *Sacrata militia*.] In quam, nempe, Sacramento adacti nomen milites dederunt.

XXXVII. ρ *Aulium*.] Sic pro *Æmilium* ſcripſimus, ita cenſentibus *Car. Sigonio*, *St. Pighio*, & *J. F. Gronovio*. Sic & poſtea ſcripſimus, & ſuſtulimus, *Aulium quidam Annales habent*, quaſi Gloſſema, iiſdem auctoribus.

IN LIBRUM NONUM.

I. α *Adverſus Deos*.] Malim *adverſos Deos*. Alioquin addendum eſſet *Vos*. Senſus eſt: pro certo habete, non homines, ſed Deos adverſos bellum vobiſcum geſſiſſe.

III. β *Per annos jam propè triginta*.] Ab anno 412. cœperat bellum. Vide l. 7. c. 29.

VIII. γ *Penes quem faſces erant*.] Vide ad l. 8. c. 12.

VIII. δ *Tribunis plebis*.] Magiſtratum hunc poſt reditum è caſtris cœperat; nihil enim erat negotii Tribunis plebis in exercitu.

XVI. ε *Parem deſtinant animis*.] Cum ſic habeant Mſſ. Codd. & Vett. Editiones, nihil mutarim. Hoc vult *Livius*, homines ſuæ ætatis cogitantes de eo quod olim futurum fuiſſet, ſi Alexander devicto Oriente, in Italiam arma convertiſſet, *animo deſtinare L. Papirium Curſorem*, qui ei par futurus fuiſſet. *Deſtinare* hic eſt *deſignare*, ut c. 24. Nam loquitur de priſcis Romanis, Alexandri æqualibus, quibus, ut habet c. 18. *ne famâ quidem notum* arbitrabatur fuiſſe Macedonum Regem.

XVII. ζ *Nihil minùs quæſitum, &c.*] Hanc digreſſionem malè hic collocari cenſet *Henr. Dodwellus* vir doct. Diſs. 10. de Cyclis Rom. Paragr. 72. quia annus Catonianus U. C. 435. concurrit cum annis Olympiadis 115. 3. & 4. cùm Alexander mortuus ſit anno U. C. 429. Olympiadis 114. 1. hoc eſt, ſexennio ante hunc Conſulatum Papirii Curſoris. Sed nec hoc ignorabat *Livius*, nec neceſſe erat hæc dicere ad annum, quo mortuus erat Alexander. Licuit hac de re agere ubicumque ſermo fuit de Magiſtratu viri fortis, qui Alexandri æqualis fuit, quamvis primus ejus Magiſtratus non fuerit; neque enim ſcribit *Livius* annales vitæ Alexandri.

XVII. η *Cyrum*.] Sequitur eorum ſententiam, qui Cyrum a Thomyri victum volunt, qua de re vide Herodotum l. 1. 214.

XVII. θ *Longè alius, &c.*] At Alexander cum Græcis, etiam artis militaris peritiſſimis, & cum Thracibus, Pœonibuſque barbarorum fortiſſimis feliciter dimicavit; nec minores erant montes, ſaltuſve minùs impediti in Thracia, viciniſque locis, quàm in in Italia. Sed hanc comparationem accuratè expendi non patitur oræ anguſtia.

XVII. ι *Recentia domeſtica cladis, &c.*] Si, nempe, poſt mortem Avunculi ex Aſia redux bellum in Italiam intuliſſet. Eam mortem refert *Dodwellus* ad annum U. C. 421. qui præceſſit annum, quo ad Arbela victus eſt Darius. Alii ſeriùs eum collocant, & quidem quadriennio poſt.

XVIII. κ *Paullò plus decem annorum*.] At paullò infra *tredecim annos* tribuit Alexandro. Sic ſæpe *Livius* rotundis numeris utitur.

XVIII. λ *Octingenteſimum*.] Si numeres ab excidio Trojæ, annus mortis Alexandri in annum 861. ex *Henric. Dodwelli* calculo incidit. Sed crediderim *Livium*, qui vixit medio octavo poſt conditam Urbem ſæculo, perpetuam Populi Romani fortunam ad ſua uſque tempora voluiſſe conferri cum brevitate vitæ Alexandri. Itaque non eſt legendum hic, pro *octingenteſimo quingenteſimum*, ut volunt nonnulli, nam quinti ſæculi ab U. C. quarta pars dumtaxat erat elapſa, Alexandri autem mortiſque eius tempore decima tertia ætas ab eodem initio effluxerat, & decima quarta agebatur.

XVIII. μ *Sæcula plura*.] Viri docti intelligunt *ætates*, quæ ſpatio 33. annorum finiebantur. Sed ne ſic quidem *Livio* ratio conſtat, niſi eum *octingenteſimum* ſcripſiſſe ſtatuas, ita ut fuerint plus quàm viginti *ætates*.

XXII. ν *Conſules novi*.] Hiſce verbis ſubjicienda hæc cenſent viri docti,

L. Papirius Cursor IV. & Q. Publilius Philo IV. quasi omissa non à *Livio*, sed à Librariis. Certè fuerunt hujus anni Consules. Vide c. 24.

XXXIV. ξ *Centesimus jam annus, &c.*] Factum hoc anno U.C. 321. à quo ad hunc fluxerunt 123. sed rotundis numeris passim utitur *Livius*.

XXXVIII. ο *Diem diffidit*.] Hoc est, rem in alium diem differre coëgit. Vide A. Gellii N. A. l. 14. c. 2.

XL. π *Forma erat scuti, &c.*] Vide de hac descriptione *Just. Lipsi.* Saturnal l. 2. c. 11.

XL. ρ *In transversa latera hostium.*] Nulline erant ergo Samnitum equites? Sic oportet fuisse, aut parum accuratum *Livium*.

XL. σ *Argentariarum*.] Nempe, officinarum. Vide l. 26. c. 27. Delevimus ergo argentariorum ex sententia Amplis. Viri Gis. *Cuperi*.

XLVI. τ *Cùm appareret Ædilibus.*] Adstaret Ædilibus, ut si suo scribæ officio indigerent, paratus esset. Vide A. *Gellium* l. 6. c. 9.

XLVI. υ *Fierique se pro Tribu*.] Hoc est, se eligi Ædilem ab eo qui suffragium pro Tribu prærogativa ferebat. Vide *Jo. Fr. Gronovium*.

IN LIBRUM DECIMUM.

III. α *Cilnium Genus*.] Vide quæ hac de gente collegit *J. M. Meibomius* in C. Cilnii Mæcenatis vita c. 3.

VIII. β *Qui patrem ciere possent*.] Syllabæ *cius*, sunt, ut rectè *Vossius*, productio vocis in *patricius*, ut in *Ædilicius*, *Tribunicius*, *novicius*, &c. sed Romani analogiæ Linguæ suæ non ita periti erant, ut ex Varronianis Etymologiis liquet.

XI. γ *Ut patres*.] Delet Gronovius τὸ *ut*, & legit, *deterruerunt*. Videtur majus aliquod mendum latere.

XIII. δ *Intra decem annos*.] Vide l. 7. cap. 42. Consul postremùm fuerat Fabius anno Urb. C. Catoniano 445. Itaque ex *Livii* calculo, decimus hic agebatur annus, ex quo Fabius Consulatu abierat. Ergo videtur plenum decennium elabi debuisse, antequàm in comitiis consularibus cujuspiam ratio haberi posset.

XIV. ε *In primum*.] Nempe locum. Vide *J. F. Gronovium*.

XIV. ζ *Non verò tantum metu*.] Legerim, *non vero tantùm motos metu*: hoc est, non usque adeò territos fuisse admoto terrore vero legionum & equitum, quàm vano novi exercitus. Vide *Artem Criticam* p. 3. s. 1. c. 5.

XXV. η *Nobiliorem*.] Lego *mobiliorem*, ob rationes dictas, *Artis Criticæ* P. 3. s. 1. c. 4.

XXIX. θ *Defuncto Consulis fato*.] Periculo, nempe, defunctos, ac proinde cladi ereptos.

XXIX. ι *Ingens hortamen, &c.*] His verbis continetur ratio felicis successûs ejusmodi devotionum; nam milites ducis, qui se devoverat, infame esse putabant amisso duce vitæ suæ parcere, simulque sperantes sibi adfore Deos, multò acriùs pugnabant, & victoria sic potiebantur; quæ animis militum, non placatæ iræ Deorum, aut Diis in hostes concitatis debebatur.

XXX. κ *Æris octogeni bini*.] Supple, *librales nummi*, hoc est 82. libræ Romanæ æris.

XXXI. λ *Æris trecentis decem*.] Hoc est, trecentis decem nummis æreis libralibus.

XXXI. μ *Annum sextum & quadragesimum*.] Inchoatum fuerat anno Catoniano 412. Vide l. 7. c. 32.

XXXI. ν *Quinam sit ille, quem non pigeat, &c.*] Ratio diuturnitatis belli hæc videtur fuisse, quòd plerisque belli annis exiguis pugnis & populationibus contenti exercitus victores ac victi domum reducerentur, urbesque præcipuæ incolumes manerent. Alioqui si captis urbibus omnibus aut plerisque

Digitized by Google

præſidia fuiſſent impoſita, diuturna eſſe bella non potuiſſent. Fateor numerum cæſorum non exiguum à priſcis Hiſtoricis edi, ſed in hujuſmodi rebus auctiora omnia ad nos venerunt.

XXXV. t *Dubiam victoriam eſſe.*] Hoc eſt, poſſe ſperari victoriam, ſed ei qui inermis hoſtem operiatur, certam mortem, aut ſervitutem eſſe expectandam. Sic optimè *Gronovius*.

XXXVII. u *Quingentûm millium æris.*] Hoc eſt, ex calculo Gronoviano, monetæ Hollandicæ florenos 37500.

XXXVIII. w *Caput Jovi ſacratum erat.*] Ut impune occidere liceret. Vide ad l. 2. c. 8.

XL. p *Tripudium ſoliſtimum.*] *Cicero* de Divin. *l.* 2. c. 34. *Cùm paſcuntur* (pulli) *neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pavire,* terri pavium *primò pòſt* terripudium *dictum eſt, hoc quidem jam* tripudium *dicitur. Cùm igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti* tripudium ſoliſtimum *nunciant.* Vide & *Feſtum in ſoliſtimum.* Non dubito quin ſæpe ita decepti & duces & milites, ut fuit Papirius, egregias victorias retulerint, quia animoſiùs pugnarunt.

XL. σ *Ante doctrinam Deos ſpernentem natus.*] Æqualis quidem horum temporum fuit *Epicurus*, ſed nondum in Italiam illata fuerat hæc doctrina.

XL. τ *Si quid falſi nuncias.*] Sic religionem in rem ſuam eludebant homines callidi; licet enim mentitus eſſet pullarius, ejus mendacio mentem Deorum mutatam credere vix ac ne vix quidem poterat. Sed *Papirium* actutum fuiſſe liquet, ex morte pullarii, quem telo quaſi fortè emiſſo occidi fine dubio curavit, ne animos militum turbaret; quod tamen non ſine numine Deorum factum finxit. Videc. 42.

XLII. υ *Pocillum mulſi.*] Joculare votum hominis, cujus animus inani religione præpeditus fuiſſe non videtur. Attamen *Livius* hoc in ſerium vertit. Vide ad c. 40.

XLIV. φ *Corniculis.*] Ornamenta fuere militaria, ſeu eſſent caſſidi impoſita, ſeu aliunde ſuſpenderentur, cornu ſimilia. Gloſſæ: corniculum, ἀρίτιον.

XLVI. χ *Vicies centies, &c.*] Rectè ex veſtigiis Vett. Mſſ. conjicit *Gronovius*, *vicies centena & ad triginta tria millia*, hoc eſt, Philippi viginti millia, trecenti triginta, ſeu circiter ſexaginta millia florenorum. *Pecunia millia* 330. conficiunt, eodem calculo, Philippos tredecim millia trecentos, ſeu florenorum triginta novem millia & trecentos.

XLVI. ψ *Centum millia aris gravis.*] Pondo, nempe duodecim unciarum.

IN LIBRUM UNDECIMUM.

XIII. *α Repente serpens, &c.*] Quâ arte fieri hoc, sine numine ullo Deorum, potuerit egregie docebit *Lucianus* in *Alexandro*, seu Pseudo-manti.

IN LIBRUM DECIMUM SEXTUM.

I. *β Byrsam.*] Nomen est Phœnicium *Botsra*, quod arcem significat. Hac de re, aliisque ad origines Carthaginis pertinentibus. Vide *Sam. Bocharrum* Chanaanis l. 1. c. 24.

IN LIBRUM DECIMVM OCTAVVM.

LXV. *γ Palpebris enim, &c.*] Quamvis magno consensu Romani Scriptores hæc narrent, fabellam meram esse ostendit ex *Polybio* & *Diodoro Jac. Palmerius* in exercitationibus ad *Appianum*, initio. Nimis avidè arripiunt Historici ejusmodi fabellas Tragicas, quibus moventur Lectores & eloquentiæ ostentandæ Scriptoribus occasio suppeditatur.

IN LIBRVM VIGESIMVM PRIMVM.

XXVII. *α Educunt.*] Crediderim legendum, *eductis*; ut sit ordo: *transitum ostendere eductis inde millia quinque & viginti, fermè supra parva insula circumfusum amnem latiorem, ubi dividebatur, eoque minus alto alveo.*

XXVII. *β Ex loco prodito fumo.*] Fortè, *ex loco edito, fumo significante.*

XXXV. *γ Occidente jam sidere Vergiliarum.*] *Plinius* l. 2. cap. 47. *Post id aquinoctium* (autumnale) *diebus fermè quatuor & quadraginta, Vergiliarum occasus hiemen, inchoat, tempus in 3. Idus Novembris incidere consuevit.* Mirum profecto est peritum ducem tam serò aggressum esse Alpes transire, & quidem per eum Alpium tractum, qui exercitui fermè impervius est. Hæc tamen omnia ex *Polybio* habet *Livius*, qui & loca vidit & homines eorum temporum æquales rem narrantes audivit. Vide lib. 2. c. 48. & seqq.

XLV. *δ A' Victumviis.*] Cùm hic Mss. habeant *Vicetumulis*. *J. F. Gronovius* suspicabatur legi posse, *Ictimulis*, quod nomen est loci in Vercellensi agro. Sed agitur de loco, qui non procul à Placentia, & fortè ad alteram Padi ripam. Vide c. 57.

LII. *ε Major ramen hostium, &c.*] Ordo est: *famâ victoria major fuit Romanis* famâ victoriæ *hostium*. Brevitati studens *Livius* sæpe paullò obscuriùs loquitur, nec est propterea tentandus.

LIV. *ζ Praetorium missum.*] Hoc est, legati, tribuni, ducesque copia-

rum, qui ad Prætorium conveniebant, in tentoria dimiſſi. Vide *Juſt. Lipſium* de mil. Rom. 4. Dial. 2.

LXII. ι *Quod evenire ſolet, &c.*] Ex hoc loco excuſari poteſt frequens prodigiorum commemoratio, quæ apud Livium occurrit; ne quis eum omnia credidiſſe putet, quæ narrat.

LXII. θ *Sortes extenuatas.*] Infra *attenuata* dicuntur, & lib. 22. cap. 1. *ſua ſponte attenuata. Juſt. Lipſius* conjiciebat *extaminatas*, hoc eſt, tæniis quibus involutæ erant expeditas, Elect. l. 2. c. 12. Malim cum aliis interpretari de talis, qui jaciebantur ante Staruam Numinis, quod conſulebatur; & qui cùm in ciſta ſacra ſervarentur, minores ſint inventi, quàm fuerant, ut quidem Templi antiſtites dicebant. Simile quid de triente æneo Serviliorum habet *Plinius* l. 34. c. 13. ut rectè obſervavit *J. F. Gronovius*. Cæterùm de ratione conſulendorum Deorum per ſortes, vide quæ collegit *Ant. Van-Dale*, Diſſ. de Divin. Idol. ſub V. T. c. 4.

LXIII. ι *Quæ tribunos plebis, &c.*] Vide ſupplem. Freinshemiana l. 20. c. 19. & c. 49.

LXIII. κ *Ementiendis.*] Fingendo auſpicia vitioſa. Vide exemplum auguris, in contrarium l. 10. c. 40. Nec dubito quin tales fraudes ſæpe fierent, cum in gratiam Coſſ. tum ut eorum conſiliis obſiſteretur. Ubi quod prodeſt, aut nocet, facile eſt factu, non deſunt amici, aut inimici qui rem aggrediantur, vel ut proſint, vel ut noceant.

LXIII. λ *Ex ipſa acie.*] Lego, *arce.*

IN LIBRVM VIGESIMVM SECVNDVM.

I. α *Inde minoribus, &c.*] Vide l. 21. c. 62. & quæ illic notata.

I. β *Capras lanatas.*] Ita ut haberent lanam ſimilem lanæ ovium, nam alioqui ſuam etiam capræ lanam habent, ſed breviorem.

II. γ *Galli neque.*] Erat *qui neque*, ſed cùm abſit à Mſſ. & Editionibus melioribus delevi ex *Gronovii* ſenrentia. In ſequentibus nihil mutandum: *aut corpora* feſſa *animis, aut animos* languentes *ſpe ſuſtinebant.*

IX. δ *Dictator iterum.*] Fortè abdicaverat ſe prodictatura, & à Conſule proditus Dictator iterum. Nam ex antecedentibus ſatis liquet multos ſine Dictatore abiiſſe annos, & hoc primum anno Magiſtratu illo functum eſſe Fabium.

IX. ε *Plus negligenti caremoniarum.*] Satis patet ex narratione *Livii*, Flaminii temeritate & imprudentiâ malè rem geſtam; ſed Fabius aut ſolari Romanos voluit, ne in Deorum iram rejectâ, aut animum iis addere, ut, placatis Diis, meliùs in poſterum ſperarent.

X. ζ *Æris trecentis, &c.*] Hæc ſumma eſt, ex calculi *Gronovii* de Pec. Vet. l. 4. cap. 2. trium millium trecentorum triginta trium coronatorum, & aliquantulum æris excurrentis; ſeu decem millium florenorum, aut circiter.

XV. η *Ne imminuto Appia.*] Ex veſtigiis antiquæ Scripturæ, legit Gronovius: *ne ab Sinueſſa Pœnus Appia limite*, &c.

XXXIII. θ *Viginti millia.*] Pondo, quia additur *aris gravis*; nam alioquin, his temporibus, aſſes cœperunt eſſe unciales.

XLII. ι *Flaminii, &c.*] Vide libri hujus c. 4.

XLII. κ *Claudii Conſulis.*] Vide l. 19. c. 21. in ſupplementis Freinshemianis

XLV. λ *Flumen traduxit.*] Uterque exercitus fluvium trajecit, quòd commodior eſſet illic campus ad instruendam aciem.

XLVIII. μ *Qui eâ parte præerat.*]

Atqui alteri cornui præfuit, huic verò Maharbal, ut liquet ex cap. 46. sed *Polybius* docet è lævo cornu, victis Romanis equitibus, se ad dextrum contulisse Asdrubalem. Vide lib. 3. cap. 116.

IL. *r Equitum pedestre*, &c.] Hoc est, *equitum pedestre prælium* tale fuit: *quale jam haud dubiâ hostium victoriâ* esse potuit. Ex breviloquentia obscurum fieri *Livium* non semel vidimus.

IL. *s Infestus agmini*.] Forte *Confisus*, aut tale quidpiam. Certe infestus hic stare nequit.

IL. *t Tanta*.) Sumitur hîc pro æque magna, si locus sit sanus.

LXI. *u Si Carthaginiensium*, &c.) Vide in supplem. Freinshemianis l. 16. c. 28. & 61. l. 17. c. 9.

FINIS.

592892

Digitized by Google